





ANALECTA ECCLESIASTICA

SEU

ROMANA COLLECTANEA

DE DISCIPLINIS SPECULATIVIS ET PRACTICIS

CIRCA

Theologiam - Ius Canonicum - Administrationem in Foro contentioso et gratioso - Sacram Liturgiam - Historiam - etc.

Ubi Petrus  *Ibi Ecclesia*

MODERATOR

FELIX CADÈNE, Antistes Urbanus

SCRIPTORES

Rmus D. G. Sebastianelli, Auditor S. Rotae, Locumtenens Tribunalis Civilis Vicariatus, etc.
Rmus D. Albertus d'Armailhacq, Rector Ecclesiae S. Ludovici Francorum.
Rmus D. Basilius Pompili, Auditor S. Rotae, Datarius S. Poenitentiariae, Consult. S. C. Prop. Fid., Ep. et Reg. etc.
Rmus D. Benedictus Melata, Consultor S. C. Concilii, Ep. et Reg. et S. C. Indulg.
Rmus D. Michael Lega, Sub-Secretarius S. C. Concilii.
Rmus D Petrus Piacenza, Protonot. Apl. penes S. C. Rituum, Censor Academiae Liturgicae.
R. D. Felix Ravanat, Censor. Academiae Liturgicae.
R. D Gregorius Palmieri, O. S. B., Custos jubilatus Archivi Vaticani.
Rmus P. Elias Maria Coccia, Ord. Carm., Sacr. Rituum Cong.nis Consultor, Censor Academiae Liturgicae.
Rmus P. Pius a Langonio, Ord. Capucinor., Consultor Sancti Officii, SS CC. Concilii, Indicis et Ep. et Reg.
R. P. Colantuoni, Ordinis Sancti Augustini, Parochus Sanctae Mariae ad Populum.
Rmus P. Alexius M. Lépicier, Proc. Gen Servorum B. M. V. Prof. Theol. dog. apud Propagandam Fidem, Consul . S. C. Studiorum
Rmus P. Dominicus Palmieri, e Societate Iesu, Theologus S. Poenitentiariae, Consultor S. Officii.
R. P. Franciscus Beringer, e Societate Iesu, Cons. S. C. Indulg.
R. P. Guillelmus Arendt, e Societate Iesu.
R. P. Carolus Dilgskron, Cong. SS. Redemptoris Consultor Generalis, Cons. S. Cong. Indulgentiarum.
R. P. Eschbach, Proc. Gen. Cong. Spiritus S., Consult. S. C. Concilii, Indicis, et Propag. Fid.
Rmus P. Paulus Smolikowski (ritus Graeco-Slav.) e Cong. a Resurrectione, Consultor. S. Congr. Concilii.
Rmus P. Emmanuel Bailly, Superior Gen. Augustinianorum ab Assumptione.

Annus Decimus quartus **Fasciculus Primus** **Januarius 1906**

Pretium annuae adsociationis, lib. 25

Rogantur Rmi adsociati ut statim pretium transmittere velint, ac annus incoeptus evaserit, qui pro completo tenebitur

ROMAE

ADMINISTRATIO ET DIRECTIO

Via Cavour, 295.

(*Telefono 34-81*)



Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi, O. P. S. P. Ap. Magister.

Imprimatur: Josephus Ceppetelli, Patr. Constant. Vicesger.



ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS QUARTUS
FASCICULUS PRIMUS - IANUARIUS 1906

SUMMARIUM

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM


I.

Confraternitas S. Antonii Patavini existens in Basilica Patavina, erigitur in Archisodalitatem.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum Pontificum Decessorum nostrorum vestigiis inhaerentes pias sodalitates ad pietatis et charitatis opera exercenda institutas peculiaribus honoribus et privilegiis ornare ac ditare solemus. Iamvero, cum Rector Basilicae S. Antonii Patavini supplices ad nos preces admoverit, ut Confraternitas sub invocatione eiusdem Sancti, in memorata Basilica canonice erecta, Archiconfraternitatis titulo privilegiisque Nostra benignitate decoretur, Nos, id rati in frugiferi illius sodalitii incrementum cessurum, huiusmodi precibus annuendum libenti animo censuimus. Quare omnes et singulos, quibus Nostrae hae litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, auctoritate Nostra Apostolica praesentium vi confraternitatem S. Antonii Patavini, in Basilica eiusdem Sancti existentem, in Archiconfraternitatem, cum solitis privilegiis, perpetuum in modum, erigimus et instituimus. Archiconfraternitatis autem sic erectae Officialibus et Sodalibus praesentibus et futuris, ut ipsi alias Sodalitates eiusdem nominis atque instituti, ubique locorum, excepta hac alma Urbe, existentes, servatis tamen forma Constitutionis Clementis PP. VIII. Decessoris Nostri, aliisque Apostolicis Ordinationibus desuper editis,



aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ipsi Confraternitati sic in Archiconfraternitatem erectae a Sede Apostolica concessas et aliis communicabiles, communicare licite possint ac valeant, eadem Auctoritate Nostra, harum litterarum vi, perpetuo concedimus atque indulgemus. Decernentes has litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI Novembris MDCCCXCIV. Pontificatus Nostri anno decimoseptimo.

C. Card. DE RUGGIERO.

II.

Indulg. conceduntur Archisodalitati S. Antonii Patavini, in Patavina Basilica erectae.

LEO PP. XIII

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicuti accepimus in Basilica S. Antonii Civitatis Patavinae pia fidelium extet, ipsius Sancti Titulo, canonice erecta Archisodalitas, Nos, ut ipsa in dies maiora in Domino incrementa capiat, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius Auctoritate confisi:

Omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu, qui dictam Archisodalitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi Ss.mum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Plenariam ;

ac tam descriptis quam suo tempore describendis dicta in Archisodalitate sociis in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere item poenitentes et confessi, ac S. Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint, etiam Plenariam;

tandem iisdem nunc et in posterum similiter existentibus Archisodalitatis ipsius confratribus et consororibus; si vere ut supra poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, diebus festis S. Antonii Patavini, S. Francisci Assisiensis, Translationis Reliquiarum S. Antonii, Ss. Stigmatum S. Francisci, itemque per annum D. N. Iesu Christi ac Deiparae Virginis Imm. praecipuis festivitatibus, exceptis Circumcisionis, Epiphaniae et Corporis Domini, nec non Purificationis B. Mariae Virginis festis, vel uno ex septem diebus continuis immediate respective sequentibus, memoratam Basilicam, vel, legitima causa impediti, proprium cuiusque curiale templum, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo ex praefatis die id praestiterint, plenariam similiter omnium peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Praeterea concedimus ut omnes et singuli, nunc et in posterum existentes dicti Archisodalitii socii singulis Quadragesimae et aliis infra annum diebus, in Missali Romano descriptis pro consequendis indulgentiis Stationum nuncupatis ipsam Basilicam, vel ob legitimum impedimentum, propriam cuiusque curialem Ecclesiam si visitaverint, indulgentias lucrari valeant quas consequerentur si personaliter, iisdem illis diebus, designatas pro dictis indulgentiis Ecclesias Almae huius Urbis nostrae rite inviserent, dummodo tamen reliqua quae iniuncta sunt pietatis opera in Domino persolverint.

Insuper dictis sodalibus, nunc et in posterum pariter ipsa in Archisodalitate existentibus, qui reliquis per annum Redemptoris ac Deiparae Virginis festis, nec non die decima sexta Ianuarii mensis, ac festis S. Bonaventurae et S. Clarae, Sanctorum Omnium ex Ordine Minorum, videlicet die vigesima nona mensis Novembris, Basilicam sive cuiusque parochialem ut supra Ecclesiam corde saltem contrito visitent ibique, ut superius dictum est, preces effundant, quo die id agant septem annos et totidem quadragenas;

et quoties functionibus Confraternitatis propriis aderint, trecentos dies de numero peccatorum in forma Ecclesiae consueta expungimus.

Tandem concedimus, ut quae pro defunctis dicti Archisodalitii sociis nunc et in posterum, ad quodlibet altare illius Basilicae, Missae rite celebrabuntur, ipsae animae, vel animabus, pro qua, vel quibus celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si forent ad Privilegiatum Altare peractae.

Porro largimur sodalibus iisdem, si malint, liceat, excepta indulgentia in mortis articulo lucranda, reliquis omnibus hisce plenariis ac partialibus indulgentiis functorum vita labes, poenasque expiare.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus valituris in perpetuum.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die II Decembris MCMI. Pontificatus Nostri vigesimo quarto.

Pro D.no Card. MACCHI.

N. MARINI, *Subst.*

III.

Aliae indulg. conceduntur supramemoratae Archisodalitati.

LEO PP. XIII

Ad perpetuam rei memoriam.

Benigne annuentes oblatis Nobis precibus a Moderatore Archisodalitatis a S. Antonio Patavino nuncup. quae canonice erat erecta in Basilica Sancti Civitatis ipsius Patavinae, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis nunc et in posterum existentibus dictae Archisodalitatis sociis, qui corde saltem contrito diebus festis Circumcisionis, Epiphaniae ac SS. Corporis D. N. Iesu Christi, nec non Purificationis B. Mariae Virginis Immaculatae, propriam Archisodalitatis Ecclesiam, secus cuiusque curialem, visitent, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, quo ex hisce die id agant, de poenalium numero, in forma Ecclesiae consueta, septem annos totidemque quadragenas expungimus. Largimur insuper sodalibus memoratis, si malint, liceat partiali hac poenitentiarum relaxatione functorum vita labes poenasque expiare. Non obstant. contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII Martii MCMII. Pontificatus Nostri, anno vigesimo quinto.

N. MARINI, *Subst.*

IV.

Pius X Institutum Catholicum Parisiense hortatur ad disciplinas tam sacras quam profanas diligenter ordinateque excolendas.

DILECTO FILIO LUDOVICO PÉCHENARD, PROTON. APOSTOLICO, CATHOLICI INSTITUTI PARISIENSIS RECTORI.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Solemne illud semper Ecclesiae fuit, doctrinae studia colere tuerique diligenter, idque non modo in sacris disciplinis, quamquam in his, uti par est, maxime; verum etiam in caeteris: propterea quod istae quidem non parum ad illas afferunt adiumenti. Intimo enim quodam vinculo aptae inter se et connexae utraeque sunt: utpote a Deo, *scientiarum Domino*, profectae, a quo tamquam ab unico fonte, quaecumque vera sunt, necessitate manant. Profecto Decessores Nostri omni tempore ad Apostolici muneris partes arbitrati sunt pertinere, eruditionem omne genus fovere pro viribus: nec ultima laus est Pontificum Romanorum, nobiles illas aevo medio condidisse opibusque et maximis beneficiis ornasse studiorum Universitates quas, quae nunc florent, suas quasi quasdam parentes agnoscunt. Iamvero similem Nos curam de bonarum artium studiis cum geramus, equidem grata habuimus, quae de isto, cui praesides, Instituto haud ita pridem significasti coram. Sed tamen ut melius pateat quemadmodum Nos erga illud affecti simus, has ad te visum est litteras mittere. Ac primum egregia danda laus est Venerabilibus Fratribus e Gallia Episcopis, quorum et auctoritate praecipue Institutum regitur, et providentia tuitioni ipsius studiose consulitur. Tum non mediocriter ii laudandi catholici homines, quotquot id ipsum existimant dignum, cui prolixe de facultatibus suis opitulentur. Hi nimirum persuasum habent, id quod res est, plurimum interesse civitatis aeque ac religionis, sic, in magnis potissimum lyceis, institui adolescentes, ut cum solidae doctrinae praeceptis simul christianos hauriant spiritus; hodie autem ut cum maxime, oportere vulgo sacerdotes esse non solum a theologia bene instructos, sed etiam a philosophia, a iure, a cognitione naturae, a litteris. Usitatum quippe est ac prope quotidianum apud homines, opinione potius quam re doctos, tela adversus fidem undique in officina scientiae conquirere. Novimus autem, quam libenter vix attinet dicere, Instituto Parisiensi, uti nunquam defuerint, ita minime in praesens desiderari decuriales doctores eiusmodi, qui et scientiae et religioni ornamento sint. Atque hi, suum exequendo munus, nostris temporibus, si unquam alias, difficile et arduum, probe meminisse videntur, quid a se officium postulet; id est, ut sanctissima sapientiae veteris principia in tuto collocent: hoc primum: deinde ut, progredientis eruditionis ratione habita, quidquid veri est recentiorum sollertia repertum, minime negligant. Enimvero has migrare et non servare leges multi consueverunt, neque ex eis tantummodo qui catholicae professioni adversantur, sed quicumque praeterea traditionem magisteriumque Ecclesiae non tanti a se fieri ostendunt, quanti debent; quique illud videntur sine ulla exceptione probare velle, quod dici solet: *cras, quod hodie falsum, habebitur verum.* Hinc illa pervulgata ratio submovendi vetera, obtrudendi nova, nullam fere ob aliam causam, nisi novitatis; tamquam doctrinae summa in fastidio quodam vetustatis ponenda sit. Verum ab ista vos ratione dehortari supervacaneum est: novimus vestri in Apostolicam Sedem obsequii diligentiam; nec vero dubitari licet, quin velitis etiam in hoc genere Romano Pontifici semper probari. Quare Institutum vestrum quod laetos ad hoc tempus fructus apud vestrates pepererit, gratulamur; idem ut bona utilitatum ac nominis incrementa capiat, valde cupimus: in eam rem omnes, qui quoquo modo ipsum participant aut iuvant, ut, quantum quisque possit, nitantur, etiam atque etiam hortamur. Auspex interea divinae opis tibi, dilecte fili, eisque sit Apostolica benedictio, quam peculiaris quoque benevolentiae Nostrae testem peramanter vobis in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII Februarii anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

V.

Indulgentiae conceduntur pro Societate « *a Senibus derelictis* » in civitate Tolosana erecta.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicuti ad Nos relatum, in civitate Tolosana pia religiosarum mulierum Societas « a Senibus derelictis » appellata canonice extet erecta, ad finem prospiciendi temporali ac spirituali bono senum aetate et morbo confectorum, Nos ut tam frugiferum opus uberiora in dies, favente Deo, incrementa capiat, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi,

Omnibus et singulis mulieribus praedictam Societatem in posterum ingredientibus, die primo earum ingressus, si vere poenitentes et confessae Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, *plenariam :*

Ac tam inscriptis quam pro tempore inscribendis ipsa in Societate mulieribus, nec non senibus pauperibus quibus ipsae iuxta pii operis tabulas ministrant *in cuiuslibet eorum mortis articulo*, si vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint, etiam, *plenariam :*

Ac tam descriptis quam in posterum similiter dicta in Societate inscribendis mulieribus quae feria sexta post Dominicam Passionis, nempe *festo Septem Dolorum Virginis Deiparae*, atque *una ex Dominicis mensis Iunii* a Societatis Moderatore *semel tantum eligenda*, pariter vere poenitentes et confessae ac S. Communione refectae, propriam dicti operis Ecclesiam, si habeant, secus uniuscuiusque curialem a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi quotannis devote visitaverint, ibique pro Xtianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo ex hisce die id praestiterint, *plenariam* omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Praeterea iisdem nunc et in posterum, ut supra, idem in

opus adlectis mulieribus, *quoties* a Moderatore convocatae ut de rebus ad Societatem spectantibus simul agant, conveniunt; vel pauperes sibi commissos ad novissima sacramenta recipienda hortentur, vel corpora eorum ad sepulturam comitentur, vel iuxta memoratae Societatis tabulas aliud quodvis pietatis sive charitatis opus contrito corde exerceant, *toties* de numero dierum poenalium in forma Ecclesiae solita *trecentos* expungimus.

Tandem largimur mulieribus ipsis sociis, si malint, liceat plenariis hisce ac partialibus indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Contrariis non obstan. quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VI Martii MDCCCCIV Pontificatus Nostri anno Primo.

Pro Domino Card. MACCHI.

N. MARINI, *Subst.*

VI.

Pia Sodalitas « *a Senibus derelictis* » in Tolosana civitate erecta, in Archisodalitatem erigitur.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, pias societates sodalium frequentia et assidua bonorum operum exercitatione florentes ut potiora capiant, Deo favente, incrementa, peculiaribus honoribus ac privilegiis augere pro re ac tempore satagimus. Harum in numero minime Nos latet iure ac merito accensendam esse piam mulierum societatem quae « *a Senibus derelictis* » appellata canonice Tolosana in civitate extat erecta, ideoque votis annuentes illius Moderatoris ac Sociarum, Sodalitatem ipsam ad potioris dignitatis gradum evehendam existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus Nostrae hae Litterae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, memoratam Societatem a Senibus derelictis in Tolosa civitate existentem Apostolica Nostra Auctoritate praesentium vi, in Archisodalitatem cum solitis privilegiis perpetuum in modum erigimus atque instituimus. Archisodalitatis autem sic erectae Officialibus et Sociis praesentibus et futuris, ut ipsi alias quascumque Societates eiusdem nominis atque instituti in Dioecesibus quibuscumque existentes, servatis forma Constitutionis Clementis Pp. VIII Praedecessoris Nostri rec: me: aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis desuper editis, sibi aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ipsi Societati modo ad Archisodalitii dignitatem erectae a Sede Apostolica, concessas et aliis communicabiles communicare licite possint ac valeant, Apostolica similiter Nostra Auctoritate, perpetuo concedimus et largimur. Decernentes has Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstant. contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die II Martii MDCCCCIV Pontificatus Nostri Anno Primo.

ALOIS. Card. MACCHI.

VII.

Pius X hortatur Abbates Ord. S. Bened. ut concedant ultroneos monachos ad Catholicum apostolatum apud gentes Brasiliae promovendum.

DILECTIS FILIIS ABBATIBUS UNIVERSI ORDINIS BENEDICTINI.

PIUS PP. X.

Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Dilectus Filius Gerardus van Caloen quam alacri constantique studio iamdiu contendat, ut Brasiliae gentibus catholici apostolatus bona conciliet, vobis satis superque esse notum pro certo habemus. Ut tamen ea omnia, quae idem dilectus Filius, divino iuvante numine, implenda sibi proposuit, reapse impleantur, unum deest, ut numerus videlicet operariorum augeatur, qui in messe Domini portent pondus diei et aestus. Quare, charitate Christi permoti et salvandarum animarum desiderio, enixe vos exhortamur imo et obsecramus, ut si quos, in monasterio quisque vestro, reperiatis, qui praedictum Dilectum Filium Gerardum in Brasiliae oras sequi velint, eique in vinea Domini adlaborare; eos ne prohibeatis, immo hortatione vestra stimuletis et corde magno et animo volenti derelictarum gentium necessitatibus concedatis. Hoc autem confidite, potentem esse Deum abundare facere in vobis, ut monasteria vestra nihil inde capiant detrimenti, sed, contra, numero et virtute floreant. Paternae Nostrae dilectionis testem ac munerum divinorum auspicem, Apostolicam Benedictionem vobis et subiectis cuique monachis amantissime impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 20 Decembris 1905, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 20 Ianuarii 1906, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda:

A. — Per Summaria precum.

I. ISERNIEN. — Iubilationis. — R. *Quoad iubilationem negative; sed attenta infirma valetudine, pro gratia dispensationis a chorali servitio; amissis distributionibus inter praesentes tantum.*

II. NUSCANA. — Congruae curatae. — R. *Ad mentem.* (Reservata).

III. PARENTINA ET POLEN. — Distributionum. — R. *Ad 1.um Pro gratia sanationis quoad praeteritum iuxta petita. Ad 2.um Quoad quorumdam Psalmorum et Officiorum recitationem Capitulum non esse inquietandum. Ad 3.um Quoad reditum hebdomadarii in chorum post missae celebrationem, consulantur probati auctores. Ad 4.um Capitulum intra sex menses corrigat Statuta ad tramitem iuris communis, salva facultate recurrendi pro gratia ad moderationem eorumdem pro occurrentibus necessitatibus.*

B. — In folio.

I. BURDIGALEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative ad cautelam* (Sub-secreto).

II. ARIMINEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

III. MINORICEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

IV. PARMEN. — Curae animarum. — R. *Servetur solitum.*

V. PAPIEN. — Funerum. — R. *Attentis omnibus, servetur Decretum Episcopi diei 9 Iunii 1903 et ad mentem.*

VI. ACHERUNTINA ET ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI. — R. *Ex deductis non satis constare de natura regulari paroeciae.*

VII. LAUDEN. — Divisionis quotae funerariae. — R. *Affirmative in omnibus.*

A. — Per Summaria precum.

2516/5 I.

Isernien. — Iubilationis.

Denegatur Oratori indultum iubilationis, quia etsi laudabile et quadragenarium servitium praestiterit, illud tamen partim uti hebdomadarius, partim uti canonicus praestitit. Attenta tamen illius infirma valetudine, conceditur gratia dispensationis a chorali servitio, amissis distributionibus inter praesentes tantum.

Caietanus Laliccia canonicus Capituli Ecclesiae Cathedralis Iserniensis exponit, se in hac Ecclesia choro inservisse continuo et laudabiliter per annos ultra 40 nempe ab anno 1851 usque ad 1882 ut cappellanum mansionarium seu hebdomadarium et deinde uti canonicum. Quare supplex adstat pro obtinendo iubilationis indulto, attenta etiam devexa eius aetate.

Ex mandato H. S. C. rogatum ab Episcopo Capitulum ut sententiam suam panderet, ipsum Oratoris petitioni refragatur ex sequentibus motivis:

1° Quia servitium chorale praestitum ab Oratore uti hebdomadario cumulari nequit cum servitio canonicali ad effectum obtinendi gratiam iubilationis. Nam hebdomadariatus non habet rationem veri beneficii aut titulum proprium perpetuum, sed tantum constituit officium amovibile ad nutum ipsius Capituli, et probat resolutione H. S. C. in causa *Isernien.* diei 27 Iunii 1857 in qua ad dubium - *An constet de iure Capituli removendi hebdomadarios in casu,* responsum fuit - *Affirmative.*

2° Quia ex gratiae concessione grave detrimentum choro et cultui divino obveniret. Nam ex Capitularibus alii sunt impediti ad interessendum in choro a senectute vel habituali infirmitate, alii quia distenti in officio rectoratus ecclesiarum aut magisterii in Seminario, unde necesse fuit in ultima synodo dioecesana habita an. 1903 statuere speciales mulctas contra negligentes chori servitium praesertim in functionibus Pontificalibus. Quare si in hisce adiunctis revocare expediret ad chorum etiam iubilatos, a fortiori convenit ut hoc indultum omnino in casu denegetur.

3° Demum quia si admittitur cumulatio servitii choralis praestiti in hebdomadariatu, iam alii sex canonici super 11, quibus nunc conflatur Capitulum Cathedrale Iserniense, invenirentur in eadem conditione obtinendi praedictam gratiam, et ita chorale servitium ad nihilum redigeretur, attento praesertim quod reliqui canonici non iubilati a choro facile excusari possunt ratione muneris, uti sunt canonicus Curatus, Theologus, Poenitentiarius et Procurator Capituli. Caeterum idem Capitulum plenam fidem facit de continuo et laudabili servitio praestito ab Oratore.

At e contra Episcopus ita Oratoris preces commendat: « È vero che i Mansionari della Cattedrale d'Isernia non « hanno beneficio propriamente detto, perchè sono *ad nutum* « *Capituli.* Essi però non possono esserne rimossi senza po« sitiva trasgressione, sono soggetti, in ogni giorno, al ser« vizio corale, ed in mancanza, alla puntatura: dippiù sop« portano il peso delle conventuali nei giorni feriali, e nelle « associazioni funebri sono tenuti ad intervenire ancorchè « per media parte intervengono i Canonici, onde il servizio « corale pei suddetti Ebdomadarî è più gravoso di quello « dei Canonici.

« È vero anche che per la tristezza dei tempi e l'età avan« zata di parecchi capitolari, mancherebbe o languirebbe il « servizio corale, se si desse luogo a giubilazione; l'oratore « però ha promesso al proprio Vescovo d'intervenire, non « ostante la giubilazione, al coro, quando può; e brama la « giubilazione unicamente per tranquillità di sua coscienza, « onde non sia agitato da scrupoli. Quindi umilmente si ri« mette all'illuminata sapienza dei RR. PP. perchè gli sia « concessa la grazia ».

Hisce positis quoad praesentem quaestionem haec adnotanda veniunt. In primis preces Oratoris benigno favore excipi posse viderentur. Quamvis enim in iure canonico nullus textus habeatur de huius privilegii concessione, tamen H. S. C. obsequens exemplo Levitarum qui in veteri testamento ab eorum ministerio cessabant post expletum 25 annum, nec non veteranorum militum qui vi *leg. 1, Cod. de veteran.* et *leg. A muneribus... de vacat. et excus. ff.* liberationem a servitio militari obtinebant, eamdem liberalitatem adhibere censuit cum iis qui per 40 annos continuo et laudabiliter choro inservierant eos rure donando. Confer Bened. XIV, in suo opere *de synod. dioec. lib. 13, cap. 9, n. 5* et causam *Dubia iubilationum* dierum 24 Septembris et 17 Decembris an. 1718.

Unde eiusmodi a choro exemptio ex quadam aequitate dici potest introducta praecipue ut praemium et liberalitas pro iis qui tanto temporis decursu chorale pensum absolverunt. Atqui de continuo et laudabili chorali quadragenario servitio a canonico Laliccia exhibito, tum Episcopus, tum Capitulum testantur. Ergo iubilationis indultum est concedendum.

Idque eo magis est indulgendum quia, uti refert Episcopus, canonicus Laliccia promittit se choro in posterum adfuturum quoties valetudinaria eius conditio sinet, et hanc gratiam tantum expostulat pro suae conscientiae quiete.

Neque attendendae videntur difficultates a capitulo oggestae. Hebdomadariatus enim quamvis non sit beneficium stricte sumptum, tamen neque dici potest officium amovibile

ad nutum ipsius Capituli, quia uti observat Episcopus: « Gli « Ebdomadari o Mansionari non possono essere rimossi senza « positiva trasgressione ».

Nec minus suffragari videntur aliae duae rationes a Capitulo adductae, tum quia aequum non est ut ex choralium aliorum negligentia canonicus Orator plectatur denegatione expetitae gratiae, tum quia ipse serio Episcopo promisit, choro adfuturum, quoties eius praesentia fuerit necessaria.

At ex adverso expendi potest quod ut chorale quadragenarium servitium utile sit ad iubilationis gratiam debet esse praestitum ab obtinente beneficium in titulum perpetuum collatum. Unde servitium praestitum a cappellanis vel officialibus choralibus cum qualitate precaria seu amovibili nullimode suffragari valet ad indultum prout communiter docent canonistae *De Herdt praxis capit. 11*, § *3*, *Ferrar. bibl. can. v. canonicus art. 9, n. 102.* et hanc praxim secutam esse H. S. C. edocetur ex pluribus eius resolutionibus et praesertim ex *Romana Iubilationis* diei 18 Decembris 1847, in qua hae resolutiones referuntur et quaestione funditus evoluta diserte asseritur, dictam praxim in identicis casibus iugiter firmiterque eamdem S. C. tenuisse, uti constat ex § *Verum hoc maxime...* et alio § *Nihilominus* in fine. Sane in ea causa res erat de concedenda iubilationis gratia sacerdoti Carolo Bonamici. Hic in titulum S. patrimonii obtinuerat an. 1803 unam ex cappellaniis choralibus Fonseca ad nutum amovibilibus in Patriarchali Basilica Liberiana: post inibi expletum chorale servitium per an. 21, cooptatus fuerat inter beneficiatos Archibasilicae Lateranensis in qua per annos duos super viginti deservierat. De laudabili servitio quadragenario cumulatim sumpto constabat: tantum petebat ut haec cumulatio admitteretur ad effectum consequendi petitam gratiam. Proposita vero consueta dubitandi formula – *An sit concedendum indultum iubilationis in casu* – responsum prodiit – *Negative quoad iubilationem: attenta vero senectute pro gratia ad quinquennium.*

Verum utrum in themate concurrant speciales circumstantiae ad prosequendum oratorem speciali favore, et ad deflectendum a norma recepta, id definire in merito servatum est EE. VV. prudentissimo iudicio.

Quare etc.

Responsum fuit: *Quoad iubilationem, negative; sed attenta infirma valetudine, pro gratia dispensationis a chorali servitio; amissis distributionibus inter praesentes tantum.*

4174/5 III.

Parentin. et Polen. — Distributionum.

Concessa sanationis gratia relate ad distributiones, praescribitur ut intra sex menses Capitulum corrigat statuta ad tramitem iuris communis etc.; quoad psalmorum et officiorum recitationem, Capitulum non esse inquietandum; quoad reditum hebdomarii in chorum post missae celebrationem, consulantur probati auctores.

Vi Bullae Leonis XII *Locum B. Petri* diei 30 Iunii 1829, Capitulum Cathedrale Ecclesiae Parentinae quamdam subiit innovationem, ita ut denarius canonicorum numerus ad senarium dumtaxat cum quatuor Vicariis choralibus reductus fuerit. Praebendarum vero redditus massam communem constituunt, ex qua singuli Capitulares aequam portionem accipiunt.

Porro, anno 1881, idem Capitulum propria statuta condidit, quae Episcopus dioecesanus auctoritate sua munivit, quaeque ad *cap. V* quodammodo approbare videntur praxim punctaturas chorales omittendi. Cum deinde dubitatum fuerit num dicta punctaturarum omissio sacris canonibus esset consentanea necne, Capitulum Parentinum per suum Ordinarium die 20 Sept. 1905 ab H. S. C. postulavit sive sanationem pro praeterito sive etiam dispensationem pro futuro.

Modo antequam quaestionis ipsius meritum ingrediar, nonnulla in genere praemittam, quae vel necessaria vel saltem utilia ad rem esse possunt.

Scitum imprimis est distributiones chorales dupliciter dispesci, in distributiones nempe *ordinarias*, quae vulgo *quotidianae* vocantur, suntque fructus laboris qui canonicis choro praesentibus tribuuntur; necnon in distributiones *extraordinarias* seu *inter praesentes*, quae interdum fiunt canonicis ob suam adsistentiam quibusdam extraordinariis officiis, ad quae vi suae praebendae stricte non tenentur. Huiusmodi praeterea extraordinariae distributiones, aliae dicuntur *fixae* et *certae*, si quotannis ex anniversariis aliisque constanter redeuntibus officiaturis proveniant; aliae vero *eventuales* seu *incertae* audiunt, si ex peculiari aliquo peragendo servitio forte supervenjant, ex. gr. ex funerum adsociatione, exequiis, incertis anniversariis muniisque adventitiis.

Item loco distributionum aliquando instituuntur punctaturae chorales, sub quarum nomine venit pecunia mulctatitia ab absentibus persolvenda, quae correspondet distributionibus ab iisdem absentibus amittendis. Punctaturae vero iisdem fere legibus regulantur ac distributiones quotidianae ut S. H. C. pluries declaravit aliis omissis in *Nullius Farfen.*, 20 Dec. 1738, *Eugubina*, 5 Apr. 1783, *Ilcinen.*, 13 Sept. 1856, et *Mathelicen.*, 28 Apr. 1860.

Iam vero quoad distributiones quotidianas Conc. Trid. (*Sess. 21, cap. 3, de Reform.*) expresse statuit: « In ecclesiis, tam cathedralibus quam collegiatis, in quibus nullae « sunt distributiones quotidianae, vel ita tenues ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum... separari deberi et « in distributiones quotidianas converti, quae inter dignitates obtinentes et caeteros divinis interessentes proportionaliter, iuxta divisionem ab Episcopo, etiam tamquam « Apostolicae Sedis delegato, in ipsa prima fructuum de« ductione faciendam, dividantur ». Eadem habet praefata Synodus in *Sess. 22, cap. 3, de Reform.* Quinimo in *Sess. 24, cap. 12, de Reform.*, additur: « Distributiones vero, qui « statis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis collu« sione aut remissione exclusa, his careant, iuxta Boni« facii VIII decretum, quod incipit *Consuetudinem;* quod « Sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibus« cumque statutis et consuetudinibus ».

Quibus praehabitis, incipiendo a secunda Capituli petitione ut nempe in posterum canonici a choro absentes a punctaturarum amissione eximantur, imprimis ea exaudienda esse videretur. Explorati enim iuris est distributiones chorales a iure canonico ea de causa fuisse inductas, ut nimirum choro addicti de negligentibus diligentes, de tardis assidui fierent; quemadmodum tradit Benedictus XIV *(Inst. eccl., 107, n. 40)* referens epistolam 19 Ivonis Episcopi Carnutensis, qui primus omnium distributiones invexit; vel etiam ut docet ipsa Tridentina Synodus *(Sess. 21, cap. 3, de Reform.)* « ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei « debitum omnibus in rebus obsequium praestetur ». Cum igitur distributiones quotidianae nonnisi medium sint ad divini cultus splendorem magis augendum atque ad regularem canonicorum interessentiam habendam, consequitur

quod si huiusmodi distributionum finis absque distributionibus vel aliis quibuslibet mediis adhuc obtineatur, distributiones ipsae, saltem in singulis casibus, remitti valeant. Et hoc revera in themate verificari videtur, ubi canonici regulariter absque ullis distributionibus aut punctaturis augmentum divini cultus obtinent regularemque interessentiam curant, veluti ipse Parentinus testatur Episcopus hisce verbis: « come ordinariamente adempiono ».

Caeterum Capitularia statuta extant a. 1881 condita atque ab Ordinario approbata, quae ad rem praecipiunt: « che « quantunque tolta la puntazione, i Capitolari si faranno « tuttavia un obbligo di coscienza di essere assidui, come « sempre, alle funzioni corali ».

Quinimo Episcopus nomine Capituli, ad hanc praxim hucusque servatam magis firmandam, exponit etiam ut Apostolica auctoritate « sia confermata la legge in coscienza ai « Capitolari di intervenire regolarmente, come si sono ob- « bligati e come regolarmente adempiono, al coro in tutte « le funzioni ordinarie e straordinarie ».

Quibus accedit consuetudo, quae saltem iam a 25 annis viget, quaeque etiam longiorem esse apparet ex eo quod Episcopus Parentinus affirmet ab editis a. 1881 statutis « è « per così dire legittimata la pratica della omissione delle « puntazioni e della rispettiva cassa delle distribuzioni quo- « tidiane ». Iamvero consuetudo in iure canonico maximam habet vim, ita ut etiam legibus Ecclesiae generalibus ipsique Conc. Trid. decretis derogare aliquando valeat. Et ad rem praesentem quod attinet Barbosa (*De canon., cap. 21, n. 22; et cap. 23, n. 9 et seq*). necnon Moneta (*De distrib. quotid., part. 2, quaest. 12, n. 42 et seq.*), docent consuetudinem percipiendi distributiones etiam ab absentibus in quibusdam casibus sustineri.

Nec praetereundum est, uti habet Episcopus, « che tale « pratica, omai invalsa, salvo errore, presso tutti i Capitoli « di questa provincia, sembrava equo di ritenere anche pel « Capitolo in parola ». Si enim in aliis eiusdem Provinciae Capitulis toleratur praxis non amittendi distributiones per absentes, non videtur sufficiens adesse ratio cur hoc idem in Capitulo Parentino prohibeatur.

Sed et aliae eaeque graviores causae prostant in themate, quae petitam distributionum in futurum indulgentiam suadent prout Episcopus ad H. S. C. refert.

Iam age: sancitum est ex iure canonico praxique S. H. C. quod quotidianas distributiones lucrantur sive canonicus theologus die quo S. Scripturam legit, sive canonicus poenitentiarius tempore quo actu confessiones audit, necnon canonicus parochus in sui ministerii exercitio distentus. In casu licet unus tantum adsit parochus titularis, tamen plures adesse videntur chorales, qui de facto curae animarum incumbunt, qui proinde absentes sui officii adimplendi causa distributiones ut non amittant aequum est. Infirmitas praeterea atque iusta ac rationalis corporalis necessitas ex cap. *Consuetudinem* Bonifacii VIII, *De cler. non resid.* sunt causae sufficientes, quae etiam in casu de quo agitur a servitio chori dispensent absque distributionum amissione. Insuper tradit De Herdt (*De Capitulis, cap. 30, § 8, not. 2*): « Iuxta sanctiones iuris canonici et laudabilem S. C. C. « stylum, nullum beneficiatum a choro absentem ratione « muneris sibi commissi, quotidianas distributiones lucrari, « ubi pro dicto munere aliquod percipit stipendium ». Iamvero in themate muneri ex. gr. catechismum docendi pueros non constat aliquod stipendium esse adnexum pro Vicariis choralibus id exercentibus. Convenit itaque ut hi quoque habeantur tamquam praesentes ad effectum lucrandi distributiones.

Hucusque dictis accedit in casu redditus capitulares non videntur esse valde pingues, nec est timenda inter Capitulares collusio; proinde, omnibus pensatis, petitum indultum videtur posse concedi. Nec desunt exempla indultorum ex causa memorata uti in *Cameracen.*, 12 Maii 1629, *Oriolen.*, 6 Dec. 1794, et *Barchinonen.*, 14 Maii 1859.

Praeterea Episcopus Parentinus petit, ut huiusmodi facultas eventualiter etiam ad vacationem trium mensium conciliarium benigne extendatur. Fortasse haec facultas specialis in themate necessario non requiritur, cum ea comprehendatur in generali indulto, de quo supra sermo fuit, vi cuius canonici Ecclesiae Parentinae a solutione punctaturarum exemptionem in genere petunt. Sed hoc etiam praetermisso, allatae rationes pro huiusmodi quoque dispensatione suffragari possunt; eo vel magis quod hoc modo praebendati liberius vacationibus sibi concessis utentes, atque ita animo aliquantisper relaxato, ferventius et alacrius ad horas canonicas persolvendas aliaque ecclesiastica munia obeunda redirent.

Iamvero quoad absentiam Hebdomadarii tempore Primae, Tertiae, Sextae, Nonae, et etiam Vesperarum in Quadragesima, fortasse asseri posset eam esse tolerandam. Nam Bonifacius VIII in citato cap. *Consuetudinem* a Conc. Trid. renovato, postquam constituerit generatim distributionibus absentes a choro carere, adiungit statim « exceptis illis quos... « evidens ecclesiae utilitas excusaret ».

Quibus animadversionibus adhaerens H. S. C. rescripsit in citata causa: « Nihil esse innovandum ».

Ex allatis itaque videretur quod absentia hebdomadarii a choro pro missae praeparatione et pro gratiarum actione, quoties moderata sit, tamen aliquantisper esset iustificanda.

Quoad obligationem demum recitandi in choro psalmos graduales et poenitentiales necnon *Officium* Defunctorum et *B. M. V.*, observandum venit quod Pius V Bulla *Quod a nobis* 9 Iulii 1568 eam penitus sustulisse videtur.

Unde constare videtur Pium V etiam consuetudinem iam praeexistentem recitandi Officium B. M. V. aliaque recitandi abrogasse, quum eius verba sint absoluta nec ullam admittant exceptionem. Hocque in themate magis valet, quod anterior consuetudo recitandi Officium B. M. V. per subsequentem legitimam consuetudinem abrogatam fuisse censetur. Ipsi Capitulares hactenus ignorabant consuetudinem contrariam antea existentem, ut Episcopus confirmat.

Sed ex adverso petitam dispensationem non esse concedendam sequentes rationes suadere videntur. Notum enim ex iure canonico, praesertim vero ex supra relatis Conc. Trid. canonibus, chorales distributiones solis actu interessentibus servitio chori, non autem absentibus concedendas esse. Trid. enim (*Sess. 24, cap. 12 de Reform.*) statuit ut « distributiones, qui statis horis interfuerint, recipiant re- « liqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his ca- « reant »; et Bonifacius VIII in citato cap. *Consuetudinem* praescripsit: « ut distributiones ipsae quotidianae, canonicis « ac aliis beneficiatis, qui eisdem officiis in ipsis ecclesiis « adfuerint, tribuantur ». Cfr. etiam Reiffenstuel (*Ius canon., lib. 3, tit. 5, n. 172*). Idem a Concilio Trid. repetitur in *Sess. 22, cap. 3 de reform.*

Et merito quidem id statutum videtur: nam distributiones debentur non ratione tituli, sed in praemium laboris et ratione personalis servitii et propter interessentiam beneficiati, ceu advertit Moneta (*De distr. quot. quaest. 4, n. 10*).

Nec negotium facessit difficultas quod in casu adest consuetudo contraria, Statutis Capitularibus vallata ac auctoritate Episcopi roborata, quia ista consuetudo uti abusus et corruptela potius habenda est. Conc. enim Trid. (*Sess. 24, cap. 12 de Reform.*) in usum revocat decretum Bonifacii VIII, quod incipit *Consuetudinem* « non obstantibus quibuscum-

« que statutis et consuetudinibus ». Imo hoc procedit, etiamsi consuetudo sit immemorialis, quia Bonifacius VIII non simpliciter consuetudinem sed eam improbat « *improbantes* ». Quapropter S. H. C. non semel decrevit, distributiones, non obstante consuetudine, absentibus non deberi; consuetudinem easdem dandi absentibus non sustineri, neque tolerandam esse; uti patet, caeteris omissis, ex resolutionibus 28 Iulii 1866, 20 Iunii 1874, 19 Maii 1877 etc.

Nec maius pondus habere potest praxis contraria, quae in tota illa Provincia forsan invaluit; etenim quum canonici ecclesiae B. M. V. de Remedio petiissent indulgentiam fallentiarum ad instar aliarum eiusdem civitatis Ianuensis ecclesiarum, H. S. C. die 18 Sept. 1852 rescripsit: *Lectum.* Caeterum maior vel minor extensio consuetudinis nequit naturam rei immutare.

Nec praetereundum est quod Episcopus Parentinus pro canonicis a choro absentibus nedum condonationem distributionum quotidianarum, sed cuiuscumque generis distributionum petere videtur. Sane ipse dicit « che sia in via di « graziosa dispensa concesso di *continuare* legittimamente « nella distribuzione dei redditi... *la pratica finora usata* ». Porro praxis in Capitulo Parentino hucusque usitata se protendit ad recipiendas etiam distributiones, quae *inter praesentes* dicuntur, ab absentibus a choro; petit enim Episcopus condonationem pro praeterito propter receptiones factas « dei « redditi ordinari e *straordinari* del Capitolo in difformità « dalle norme canoniche che regolano la percezione delle « distribuzioni quotidiane e degli emolumenti per funzioni « straordinarie, fondate e non fondate, come accompagna« mento di funerali, Messe *pro animabus*, od uffiziature, « anniversari », ecc.

Haec autem amplissima dispensatio non videretur esse concedenda, cum plures adsunt casus in quibus etiamsi indulta absentiae impertiuntur, tamen limitantur clausula — amissis distributionibus inter praesentes — quod praesertim obtinet, quando ex dispositione testatoris vel dantis ad distributiones lucrandas requiritur vera et realis praesentia.

Quae hucusque dicta sunt de aliis anni temporibus repetenda videntur etiam de vacatione conciliari trium mensium; eadem enim est omnino decidendi ratio, ex eo desumpta quod distributiones ex iure canonico debentur solis praesentibus, atque absentibus a choro denegantur. Quare Benedictus XIV (*Inst. eccl., 107, § 7, n. 36*) docet: « Neque « omitti debet licere quidem canonicis vacationis praescriptae « tempore chorum dimittere; id tamen solum suffragari ut « fructus praebendarum accipiant, non autem quotidianas « distributiones ».

Quae quidem lex tanti roboris est ut nulla aboleri possit contraria consuetudine aut etiam iurata capitulari constitutione, uti docet Fagnan. in *cap. Licet n. 92* et *cap. Cum omnes, n. 94 De praeb.*; hocque decisum fuit a S. H. C. in *Derthonen.* 22 Iunii 1844, et in causis diei 20 Sept. 1879 et 20 Iunii 1874.

Item non videtur tolerari posse consuetudo percipiendi distributiones a canonico Hebdomadario, quum hoc militet contra dispositum a Conc. Trid. (*Sess. 24, cap. 12 de Reform.*).

Unde patet omnes canonicos caeterosque choro addictos ad integrum Officium debitis horis persolvendum quotidie teneri, ac proinde merito H. S. C. in una *Seguntina* 12 Dec. 1654 ad 1 decrevit eos, qui assistunt uni Horae puta, Primae, non lucrari distributiones Tertiae adsignatas quin consuetudo suffragari valeat.

Demum relate ad obligationem recitandi in choro psalmos graduales et poenitentiales necnon Officium Defunctorum ac B. M. V., utique verum est quod Pius V citata Bulla hanc obligationem sustulit, tamen retinuit obligationem saltem dicendi Officium parvum B. M. V. iis in ecclesiis, in quibus illud in choro dici consueverat, ut docet Van Der Stappen (*De Officio divino, quaest. 73*) et Cavalieri (*tom. 2, dec. 401, n. 2*).

Quodque idem auctor confirmat decretis S. R. C. in *Aquen.* diei 2 Sept. 1741, n. 2365 ad 4, necnon in *Alexandrina* diei 22 Sept. 1827, n. 2657. Caeterum eadem S. R. C. in *Nolana* diei 20 Martii 1660 declarat consuetudinem omittendi Officium Defunctorum et B. M. V., necnon psalmos graduales et poenitentiales, temporibus in Rubricis Breviarii Romani praescriptis, « post Bullam Pii V inductam, esse « abusum impraescriptibilem ». Ex quibus consuetudinem in casu sustineri non posse videretur.

Demum quoad alteram Episcopi petitionem ut nempe benigne condonentur tum fallentiae, tum aliae distributiones extraordinariae hucusque indebite perceptae a Capitularibus, eius voto censerem esse annuendum. Nam Episcopus testatur Capitulares id bona fide peregisse. Aliunde haec bona fides erat plene fundata tum in Capitularibus statutis, tum in consuetudine iam inolita in tota illa ecclesiastica provincia.

Insuper in themate restitutio pro nonnullis canonicis qui iam naturae debitum persolverunt, impossibilis evaderet.

Quare etc.

Emi Patres rescripserunt: *Ad 1.um Pro gratia sanationis quoad praeteritum iuxta petita. Ad 2.um Quoad quorumdam Psalmorum et Officiorum recitationem, Capitulum non esse inquietandum. Ad 3.um Quoad reditum hebdomadarii in chorum post missae celebrationem, consulantur probati auctores. Ad 4.um Capitulum intra sex menses corrigat Statuta ad tramitem iuris communis, salva facultate recurrendi pro gratia ad moderationem eorumdem pro occurrentibus necessitatibus.*

B. — In folio.

1949
4

Acheruntina et Ordinis Minorum S. Francisci-Paroecialis.

Statuitur, ex deductis, non satis constare de natura regulari paroeciae in casu.

Praesens causa quae inter Acheruntinum Archiepiscopum et Ordinem Minorum S. Francisci agitatur, proposita primum fuit in plenariis H. S. C. comitiis diei 26 Augusti mox elapsi anni sub rogandi formula « *An paroecia S. Mariae loci Banzi censenda sit regularis, ita ut religiosi Ordinis Minorum S. Francisci redintegrandi sint in eius possessionem in casu* ».

EE. PP. placuit respondere « *Ad mentem* ». Mens autem fuit ut Archiepiscopus revocaret Regulares eisque tribueret paroeciam loci Banzi. Quare cum eiusdem Archiepiscopi procurator novae audientiae beneficium obtinuisset, mei muneris erit novas eius allegationes summatim referre.

Ad eiusdem paroeciae naturam magis declarandam quatuor ipse distinguit aetates, ex quibus constare ait nunquam Franciscanos parochos fuisse.

Sane ex duobus chirographis, quorum unum a Franciscanis exhibitum alterum in Archiepiscopali tabulario repertum, constat prima aetate, quae priora respicit saecula, dum scilicet Bantia sub Abbatum imperio fuit, Franciscanos etsi in coenobio degerint, animarum tamen curam haud egisse, pecuniamque ab Abbate non laboris in praemium sed liberalitatis causa, propter scilicet substentationem, exegisse.

Aucto fidelium numero, quamvis Franciscanis an. 1683 sacramenta Bantinis administrandi cura concredita fuerit, animadvertit tamen patronus eos nonnisi 300 ducatis ex liberalitate pariter fruitos fuisse.

Unde arguit quod, cum in casu haud certus habitus fuerit redditus, neque dotem, quae ad constituendam paroeciam necessaria est, interfuisse concipitur. Proinde nil mirum ait, si ille qui anno 1790 Acheruntinae dioecesi praeerat, tali modo de Franciscanis conquestus est « benchè spirata la facoltà loro conceduta dal fu Card. Orsini, commendatario « di Banzi, di amministrare i sacramenti a quella popola- « zione, continuavano ad amministrare i sacramenti, anzi « congiungevano gli sposi in matrimonio senza verun de- « creto di Curia, che prima facevano precedente decreto del « Vicario di Banzi sostituito del detto fu Cardinale » (*Summ. 1, prop. n. 3*).

Quare Cardinales Abbates Commendatarii quorum erat ab anno 1683 in posterum officium exercere, cum Urbe abesse haud possent, nondum instituta parochia, Franciscanorum opera usi sunt, qui proinde precaria tantum delegatione animarum curam susceperunt.

Quin oggeratur, addit, iuxta Franciscanorum patronum, Abbates cum in commendam, ut aiunt, abbatiam, quae initio regularis erat, retinerent, huius bona Pontificis nomine tamquam custodes possedisse. Id siquidem *antiquarum* commendarum seu *temporalium* proprium fuisse ait, quae beneficiis non adnumerabantur, ideoque minime ius ad redditum percipiendum tribuebant; hinc qui eas obtinebant non beneficiorum possessores sed custodes habiti sunt, prout Reiffenstuel, *praeben. et dignit.* n. 74, 76 tenet: « commendae antiquae... non habebant rationem beneficii proprie dicti... commendatarius fructus non faciebat suos, quia erat tamquam custos ecclesiae sibi commendatae bonorumque ipsius: unde non habebat ius in Ecclesia neque in fructibus eius, nisi ad colligendum gubernandum et providendum sibi ac ministris; et quod supererat in utilitatem Ecclesiae convertendum ».

Contra tamen de commendis *perpetuis* sentiendum esse ait, cum istae beneficiis aequiparentur. Unde Cardinales isti commendatarii, perpetua commenda certe a Pontifice donati, etsi haud sibi bonorum proprietatem assererent, ius tamen ad redditus instar caeterorum beneficiatorum habebant, eosque proinde eamdem potestatem ac beneficiarios in Bantinam Abbatiam habuisse dicendum est.

Quin imo, urget patronus, etsi fingatur Abbates nonnisi ut bonorum custodes fuisse habitos, minime tamen sequitur Franciscanos prima hac aetate parochos extitisse. Quandoquidem si bonorum proprietas Pontifici spectabat, probandum esset ipsos Bantiae Franciscanos vocasse, ibique paroecia constituta, hanc iisdem tribuisse. Iamvero ex testimoniis minime quidem suspectis eruitur, Franciscanos non a Pontificibus sed ab Abbatibus fuisse vocatos, uti ex scripto a Franciscanorum advocato antea exhibito constat.

Pariter, uti supra adnotatum est, liquet animarum curam non Pontifices sed Abbates precaria delegatione Franciscanis commisisse.

Nec meliori omine, pergit patronus, Franciscani contendunt se proprio aere coenobium aedificasse.

Imo etsi concederetur coenobium Franciscanorum aere fuisse aedificatum, non inde tamen sequeretur iure ipsos petere ut sibi paroecia adiudicetur. Ad hunc enim finem probandum esset animarum curam coenobio insidere, quod quidem historicae veritati adversatur. Nam si Bantiae usque ad an. 1685 nullus, quamvis coenobium extaret, animarum curae praefuit, iam patet ipsam antea eidem coenobio haud insedisse. Ut autem postea insideret, necesse erat ut paroecia prius institueretur. Hoc vero minime factum fuisse recolit, cum notum sit Abbates, quin ea instituta fuerit, precaria delegatione pro sacramentis administrandis, gratuita Franciscanorum opera, prout supra perpensum est, usos esse.

— Sed nec altera aetate, prosequitur patronus, Franciscanos fuisse parochos dicendum est. Nam, abbatibus haud amplius extantibus, necesse erat ut delegata potestas pro animarum cura exercenda, ab Archiepiscopis qui illis suffecti fuerant, renovaretur. Compertum vero est Archiepiscopos Bantiae regimen non ante annum 1790 suscepisse; ideoque nonnisi iniuria, utpote nulla accepta potestate, eosdem Franciscanos parochialia munia exercuisse contendit.

— Ad tertiam aetatem deveniens advocatus, memorat anno 1790, cum scilicet Acheruntinus Archiepiscopus Bantiae regimen suscepit, nullum extitisse parochiale beneficium, neque regem, bona quae antea Franciscanis cedebant, cum ea sibi adiudicasset iisdem suppeditasse. Cum itaque nullus e clero saeculari sacerdos reperirietur ut sacramenta haud oblata mercede ibi administraret, nil mirum, ait advocatus, quod idem Archiepiscopus Franciscanis curam animarum commiserit, prout ex eius epistola ad regem diei 29 Mart. 1793 eruitur.

Patet igitur neque hac tertia aetate usque ad annum 1816, quo scilicet parochiale beneficium institutum est, Franciscanos uti parochos animarum exercuisse curam, sed tantum precaria delegatione, prout ex ipsa formula qua Archiepiscopus usus est, coniicere fas est: « durante nostro beneplacito ».

Idque ex eo etiam clarius apparere ait, quod cum semel idem Archiepiscopus sacerdotem e clero saeculari invenisset, hunc, Franciscanis ultro consentientibus, eorum in locum Bantiae surrogavit.

— Neque quarta demum aetate aliquid contigisse contendit ex quo eiusdem parochiae natura mutata censeri possit. Hinc primo recolit eam regio aere fuisse dotatam adiecto statuto ut per concursum conferretur. Iamvero haec duo, prout in priori defensione iam adnotatum, conciliari nequeunt cum beneficio regulari curato, cum hoc neque iurispatronatui subiectum esse possit neque per concursum conferatur. Cum itaque ad ea confirmanda quae rex decreverat, Archiepiscopi auctoritas intercesserit, iam patet, iuxta patronum, parochiale Bantiae beneficium utpote pro clero saeculari legitime institutum, uti tale revera habendum esse.

Quo autem ipsum mutata natura fieret regulare, vel Pontificis constitutione opus erat vel praescriptione, scilicet 40 annorum. Iamvero in casu neque ulla affertur Pontificis constitutio, neque praescriptio invocari potest, cum notum sit Franciscanos, si aliquando paroeciam rexerint, nunquam eam parochorum titulo habuisse, sed tantum praecario, idque quia indicto ab Archiepiscopo concursu, nullus ex clero saeculari iuventus est qui Bantiae parochi officium exerceret.

Unde ita ipsi huiusmodi officio praefecti sunt ut hoc eo usque duraret donec scilicet parochus crearetur, uti sane in chirographo anni 1816 edicitur.

His veluti cumulus accedit, addit patronus, ipsa Franciscanorum agendi ratio. Compertum enim est, indicto ab Archiepiscopo concursu, ut sacerdotes e clero saeculari ad vacantem paroeciam eligerentur, nunquam religiosos, etsi id scirent, querelam movisse. Nec praeterit ipsos assidue non quidem parochos sed vacantis paroeciae oeconomos sese nuncupasse; libenterque sacerdotis e clero saeculari electionem ad Bantinam paroeciam administrandam excepisse.

Quapropter cum Franciscani vacantem paroeciam uti oeconomi non proprio nomine rexerint, consequens est, concludit

patronus, ipsos in iure usucapere haud potuisse. Stat igitur ipsam saecularem esse.

Adversae partis patronus cum nil aliud exhibuerit, ideo rogantur EE. PP. ut praeteritis resumptis foliis, sequens dirimere velint

DUBIUM

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

Responsum fuit: *Ex deductis non satis constare de natura regulari paroeciae.*

1837/4 VII.

Lauden. — Divisionis quotae funerariae.

Agitur, in casu, de confirmanda sententia Episcopi, relate ad rationem divisionis reliquiarum cerae, inter Archipresbyterum et Capitulum.

Die 7 Iulii 1860, coram H. S. C. proposita fuit quaestio inter Canonicos Ecclesiae Cathedralis Laudensis et eius Archipresbyterum, tum super cura habituali animarum quam hic impugnabat apud Capitulum, tum super pertinentia reliquiarum cerae in funeribus quibus Capitulum collegialiter intererat. Propositis tunc dubiis: I. *An cura habitualis parochialis et Cathedralis Ecclesiae Laudensis sit penes Capitulum in casu.* II. *An et ad quem spectant candelarum et intorticiorum reliquiae in funeribus, quibus Capitulum collegialiter interest in casu;* prodiit sequens resolutio: Ad I^um^ *Affirmative;* ad II^um^ *Affirmative favore Capituli iuxta modum ab Episcopo de bono et aequo statuendum, auditis interesse habentibus.*

Ab hac decisione Archipresbyter tunc temporis Parpanesi appellavit, sed beneficium novae audientiae ei fuit denegatum, ut liquet ex communicatione officiali facta Episcopo sub die 12 Septembris eiusdem anni ab Eadem S. C. Interea Episcopus in executionem sibi commissi mandati quoad rationem divisionis servandam in posterum in reliquiis cerae in funeribus Capitularibus, sequentem normam concinnavit sub die 18 Septembris....

Hoc vero decretum partibus fuit communicatum sub die 24 sequentis mensis Octobris, postquam Episcopus incassum et non semel institerat apud Archipresbyterum vel pro consensu habendo, vel sin minus pro observationibus in contrarium. At huic communicationi Archipresbyter non acquievit, sed potius adlaboravit ut nova fieret compositio: et reapse sub die 22 Octobris an. 1861 subiectum fuit Capitulo novum transactionis schema a duobus Canonicis et Archipresbytero redactum, quod prius Capitulum approbavit et deinde ab ipso Episcopo ratum habitum fuit, uti constat ex verbali sessionis Capitularis diei 3 Novembris eiusdem anni. Inita conventio ita se habet....

Quo vero conventio firmius consisteret approbatione etiam civilis auctoritatis fuit communita, uti liquet ex regio decreto gubernii italici diei 9 Maii 1862. Anno 1881 ex decreto Episcopi Gelmini iterum praecepta fuit observantia primae statutae regulae die 18 Septembris 1860: at idem Episcopus re melius detecta ex recursu Archipresbyteri, conventionem an. 1861 in vigorem revocavit die 16 Martii 1883.

Deinde sub actuali Episcopo, qui Antistiti Gelmini successit, quum Capitulum an. 1896, ipso Archipresbytero non dissentiente, exposuisset conventionem anni 1861 nullam esse utpote contrariam resolutioni S. Cong.nis, et subsecuto decreto Episcopali diei 18 Septembris 1860, Episcopus, die 1 Febr. an. 1896, iussit hoc decretum confirmari et executioni mandari et insuper Capitularibus statutis adiici.

Verum occasione cuiusdam exortae controversiae circa interpretationem illorum verborum in I articulo decreti an. 1860 « *vogliamo conservate intatte tutte le tasse pecuniarie in corso* » cum examinatis melius actis causae Episcopus putasset, rationem divisionis reliquiarum cerae in ipso propositam, non apprime respondere editae resolutioni H. S. C. sub die 7 Iulii an. 1860, novum decretum sub die 13 Februarii 1904 tulit, quo iubebatur standum esse conventioni diei 22 Octobris 1861. Quoniam vero dictum decretum constituit fundamentum praesentis controversiae, praestat illud per totum referre.

« Decretiamo.

« 1° Che annullato, come annulliamo, il citato De« creto Nostro 1° febbraio 1896, rimanga in vigore e « si segua *perpetuis temporibus* la convenzione 22 ot« tobre 1861.

« 2° Che al R.mo Can.co Arciprete sia dal Capitolo re« stituita la maggior quota che a lui spettavasi, giusta la « detta convenzione, e che per Nostro ordine fu dal Capitolo « tenuta in deposito ».

Contra praefatum decretum, Capitulo panditum die 17 Februarii, idem Capitulum litteris diei 23 eiusdem mensis apud Episcopum querelas movit, et deinde aliis litteris diei 4 sequentis Martii declaravit se appellationem apud S. Sedem interponere: et reapse obtentis apostolis H. S. C. libellus appellatorius sub initio mensis Maii exhibitus fuit.

Inter partium patronos duo concordata sunt dubia, unum circa quaestionem incidentalem nempe an de legitima appellatione constet, et alterum super meritum praefati decreti. Verum cum super primo dubio Episcopus declaret, se nullam exceptionem velle ponere, et Archipresbyteri patronus de eo in sua allegatione taceat fortasse quia in themate agitur de decreto extraiudiciali, seu uti dicunt lato in via administrativa, ideo ad calcem tantum secundum referam dubium, summatis prius de more utriusque contendentis rationum momentis.

Patronus Archipresbyteri et consequenter etiam Episcopi cuius decretum defendit, ad trutinam revocans responsum datum in supra citata resolutione quoad distributionem reliquiarum cerae nempe: « *Affirmative favore Capituli iuxta modum ab Episcopo praefiniendum ex bono et aequo auditis partibus* » deducit duas fuisse praescriptas conditiones in modo statuendo ab Episcopo: primo ut Archipresbyter qua parochus non excluderetur a parvi lucri participatione, secundo ut compositio fieret de partium consensu. Atqui Episcopus Benaglia tunc temporis delegatus ad modum redigendum, eas conditiones non servavit in apposito facto decreto diei 18 Septembris 1860. Ergo decretum nullitate laborat, cum delegatus nequeat excedere fines mandati.

Re quidem vera, perpendit patronus, non fuit servata prima conditio. Nam iuxta decretum eadem portio assignatur Archipresbytero atque aliis canonicis « sarà distribuita in « parti eguali *super capita* a Canonico e Arciprete ». Sed hoc est contra resolutionis mentem, quae aequitate duce, voluit Capituli ius quodammodo circumscriptum, aliquid amplius canonico Archipresbytero uti parocho tribuendo. Caeterum iuxta advocatum cum decreta distributio respondeat normae ab eodem Episcopo propositae ante causae disceptationem, si S. C. eamdem approbare intendisset, responsum aliter sese habuisset, scilicet, iuxta normam vel modum ab Episcopo propositum.

Sed et alia deficit conditio, nempe decretum factum fuit irrequisito Archipresbyteri consensu. Sane, ait advocatus,

ex litteris Episcopi diei 28 Octobris 1860 communicatoriis decreti scatet die 12 mensis Septembris eiusdem anni eidem Episcopo officialiter innotuisse reiectionem appellationis factae ab Archipresbytero contra S. C. resolutionem, et die successiva 18 redactum esse decretum. Ergo dies tantum sex intercesserunt pro Archipresbyteri utili interpellatione, cum pendente appellatione ipse respondere non teneretur. Capitulum affirmat sed non probat Archipresbyterum fuisse monitum.

Sed, quidquid sit, ait patronus, Episcopus ex eius silentio profecto consensum deducere non poterat. Hinc decretum ceu nullum ob non servatam praescriptam formam, est habendum, proindeque standum subsecutae conventioni anni 1861 in qua servatae sunt super enunciatae conditiones, cum inibi et utriusque partis consensus intercesserit, et aequitas iuxta S. C. mentem servata fuerit, tribuendo Archipresbytero pro dimidia parte reliquias cerae.

Quin ex adverso obiiciatur facto decreto Archipresbyterum per annum acquievisse, nam ex posthuma memoria eiusdem Archipresbyteri nuper reperta id prorsus exploditur.

Insuper conventio invenitur vallata observantia fere usque ad praesens tempus. Utique Capitulum eius iugum excutere tentavit sub praedecessore Episcopo Gelmini; sed hic Episcopus eam ratam habuit per decretum diei 16 Martii 1883. Quam observantiam anno 1887 ingenue ipsum Capitulum fassum est. Quae observantia etiam ex eo comprobatur, quod Capitulum per annos 40 et ultra nullam super initi conventi valorem litem seu causam intentaverit.

Hisce enucleatis, advocatus gradum facit ad diluendas difficultates quae forte ex adverso moveri possent, et quarum prima ita se habet. Episcopus Benaglia delegatus ad executionem sententiae S. C. per latum decretum an. 1860 suo officio functus est, eiusque potestas delegata expirata cum fuerit, subsecutum conventum qua delegatus ratificare non poterat; proinde facta conventio adstringere partes nequibat. Cui difficultati occurrit observando, quod potesta delegati non deficit, quando ipse munus executus sit contra formam acceptae delegationis. Iam vero quomodo Episcopus Benaglia per enunciatum decretum fines mandati excesserit et contra ipsum egerit superius disceptatum esse ait.

Neque item consistere potest alia difficultas quod nempe facultas iudicis delegati anni effluxu expiret iuxta *cap. 26, tit. 29 de off. et potest. delegat. in lib. I decret.* et proinde quod ratificatio conventionis facta ab Episcopo Benaglia ut irrita sit habenda, quia secuta quando iam delegatio desierat. Profecto in citato capite verba constitutionis Innocentii III ita sonant: « Si delegatus a nobis excommunicet illum qui rei iudicatae parere contemnit, licet aliquibus videatur quod suo functus sit officio ut ulterius non habeat ex delegata sibi iurisdictione processum... nos per aequitatis semitam incedentes statuimus, ut delegatus non solum usque ad quadrimestre tempus, quod ad solvendum debitum lege reo conceditur, sed usque ad integrum annum iurisdictionem sibi commissam ad exequendam sententiam valeat exercere ». Neque aliud tradunt doctores hunc textum explicantes, ita *Reiffenstuel*, ad cap. alleg. n. 103, ait: « Delegatus a Papa sententiam suam exequi potest usque ad annum, quo expirato cessat facultas » *(Cfr. Rotam coram Coccius in Barbastren. Canonicatus, decis. 2, par. 7, in recent.).* At, advertit advocatus, haec doctrina in themate perperam invocatur, non enim agitur de duratione potestatis iudicis delegati pro executione obtinenda sententiae a se latae, sed de delegatione facta a S. C. Episcopo pro executione sententiae, quam ipsa S. C. committens tulit.

Age vero, doctrina doctorum in hoc puncto haec est: vel data potestas termino est alligata et tunc ipsa diei praefixi adventu expirat. « Quando iudici delegato (ait Reiffens., l. c.) committitur causa infra certum tempus decidenda, lapsu praefixi diei expirat eius iurisdictio ». Si vero nullum tempus sit assignatum, tunc aboletur praescriptione 30 annorum, uti diserte traditur a Rota *l. supra cit., n. 5.* « Ius (iudicis delegati) exequendi sententiam Apostolicae Sedis praescribitur spatio 30 annorum: per istud enim tempus ius exequendi hoc est actio in factum et officium, quae actioni praestantur, legitime praescribuntur ». Non itaque, arguit advocatus, dici poterat perempta delegatio Episcopi Benaglia anni decursu ab edita S. C. resolutione: eo vel magis quod partes acciri et impelli debebant amicabiliter ad ei parendum, quod quantum temporis spatium ad difficultatem trahat, unusquisque facile intelligit.

Sed dato et non concesso, pergit advocatus, quod facta commissio desierit, non ideo sequitur initam conventionem fuisse nullam. Nam non est interdicta inter ecclesiae ministros pactio de modo distributionis reddituum beneficiorum inter ipsos, et si pactio Episcopi auctoritate firmetur etiam successores ligat, quin ullimode necessarium sit beneplacitum Papae, uti docet *Card. De Luca, de alienat.* in summa, § *1, n. 41, 49,* qui recensens casus non requisiti Apostolici beneplaciti, ponit et hunc nempe « ubi inter eiusdem ecclesiae ministros et servientes super decimarum et funeralium aliorumque fructuum participatione transigatur; adeo ut ipsius ecclesiae iure intacto manente, contractus solam pertinentiam vel participationis modum percutiat ».

Quin instent adversarii conventum nullum etiam fuisse quia ab omnibus canonicis non fuit adprobatum, cum duo ab eo dissenserint, et aliunde notum sit principium — quod omnes tangit debet ab omnibus adprobari. — Advocatus ita obiectum diluit. Sane quod hi duo canonici obsistere potuerint ne pars cerae debita ex priori decreto sibi detraheretur per conventionem, id non impugnatur. At quod omnium canonicorum consensus requireretur in conventione pro eorum iuribus sarctis tectis in posterum servandis, id omnino reiicit. Nam vel ad transigendum necessaria erat interventio auctoritatis Episcopi Benaglia uti delegati a S. C. et tunc omnium canonicorum consensus opus non erat, quia in data resolutione non iubetur, vel Capitulum transigere valebat nativo iure, accedente tantum Ordinaria Episcopi auctoritate, et tunc Capitulum legitime deliberavit quod maiori parte canonicorum placuit.

Si ex demonstratis itaque manifesto erumpit quod non priori decreto Episcopi Benaglia standum est, sed potius subsecutae transactioni anni 1861, illud veluti prono alveo fluit decretum actualis Episcopi 13 Febr. 1904 esse confirmandum, quo praecitatae conventionis observantia praecipitur et anterius decretum diei 1 Feb. 1896 deletur, quo in errorem a Capitulo inductus iusserat servari decretum Episcopi Benaglia an. 1860.

Ultimum demum perfugium, ait patronus, Capitulum ponere satagit in eo quod Archipresbyter actualis promiserit Episcopo se stare decreto an. 1860 quoad divisionem reliquiarum cerae, ideoque si non successores, saltem ipse decreto tenetur, iuxta notam iuris regulam — *quod semel placuit amplius displicere non potest.* — In primis advocatus reponit, quod facta promissio seu datus assensus, ligat Archipresbyterum erga Episcopum non vero erga Capitulum. At Episcopus quod statuerat, iam retractavit; ergo Archipresbyteri consensus ad nihilum est redactus.

Ast ulterius inspiciendum esse ait qua ratione Archipresbyter consensum praebuerit. In facto est Archipresbyterum

acriter obstitisse, quando in Capitulo agi coepit de convento abolendo, et de restituenda norma quam Episcopus Benaglia per decretum imposuerat; quin imo frustra collegis refragantibus, a coetu capitulari abfuisse, quo melius constaret de eius dissensu. Quod si postea ipse consensum dedit, id ex eo contigit, quod ab Episcopo illi suasum est, a conventione recedendum esse, ita exigente iustitia.

Archipresbyter itaque consensum dedit errore inductus, quod conventio nullum valorem haberet, sicuti deceptus fuerat ipse actualis Episcopus a Capitulo minus vera nuntiante circa eamdem. Consensus itaque praestitus ab Archipresbytero cum originem ab errore trahat, nullo in pretio haberi potest nullamque in ipso generare obligationem standi normae ab Episcopo Benaglia per suum decretum 18 Septembris 1860 propositae.

Ex adverso Capituli patronus, praemisso et probato quod in themate constet de legitima appellatione, contendit Episcopale decretum diei 13 Februarii 1904 esse infirmandum, tum quoad primam tum quoad secundam partem: et quoad primam partem ita disserit. Sane in praeliminari discursu decreti Episcopus haec tria subiicit:

1° Relationem Capituli habitam in sessione Capitulari diei 1 Feb. fuisse 1896 incompletam; 2° Iuxta resolutionem S. C. diei 7 Iulii 1860 rem fuisse decidendam non de stricto iure, aut puro Ordinarii arbitrio, sed de partium consensu per amicabilem controversiam: hinc decretum Episcopi Benaglia an. 1860 utpote ab Archipresbytero refutatum fuisse ex vitio formae nullum nec executioni mandatum; 3° E contra subsecutam conventionem diei 22 Octobris anni 1861 utpote a partibus acceptam, et ab eodem Episcopo Benaglia et eius successore Gelmini ratificatam, et in praxim deductam in suo vigore constitisse.

Haec tria ita diluit advocatus. Quoad primum reponit nullum coetum Capitularem habitum fuisse die 1 Feb. 1896. In sessione Capitulari quae coram Episcopo et adstante ipso Archipresbytero locum habuit die 20 Decembris an. 1895, si canonicorum relatio minus exacta fuisset, facile ab Archipresbytero coargui potuisset: e contra cum Episcopus rogasset eosdem utrum mallent stare decreto an. 1860 quam posteriori initae conventioni, Capitulum praetulit stare decreto. Episcopus sub die sequenti 30 Ianuarii censuit per epistolam interpellare Archipresbyterum utrum idem sentiret, cui Archipresbyter die insequenti item per epistolam respondit « che nulla ha da opporre perchè si ritorni al de« creto 1860, che doveva avere il suo pieno vigore in per« petuo e che si riconosce come erronea la transazione 1861, « ed è ben lieto che sia dato a lui di ripararvi ». Episcopus vero in communicando huiusmodi responso Capitulo ita statuit: « Il Capitolo aggiunga alle costituzioni il decreto ci« tato che io pure confermo ». Atque ad decreti calcem idem Episcopus sua manu notavit: « Confirmatur et executioni mandetur perpetuis temporibus ».

Ergo Episcopi assertio de qua supra, nequit recipi; ipse enim decretum anni 1860 confirmavit non ex falsa relatione facta a Capitulo, sed quia partes ita voluerunt; sicuti etiam advocatus dicit esse respuendum quod nunc Archipresbyter dictitat nempe se ex errore tunc consensum dedisse: nam hic error non tam facile est praesumendus, cum ipse iam a plusquam 25 annis reperiatur inter Capitulares Cathedralis Laudensis, et insuper an. 1888 causam uti Capituli procurator defendit contra suum decessorem Archipresbyterum Cavallini contendentem coram H. S. C. pro recessu a decisis diei 7 Iulii 1860.

Nec minus, ait advocatus, destituitur fundamento altera Episcopi assertio circa interpretationem datam resolutioni S. C. nempe de re definienda per amicabilem compositionem et de partium consensu. Nam in minuta relationis factae a R. P. D. Secretario S. C. in congressu hebdomadali super appellatione an. 1860 promota ab Archipresbytero edicitur « che la risolutione è pedissequa al decreto che si emanò « pel Capitolo di Padova (8 Marzo 1823) » et cuius exemplar iam fuerat eidem Secretario transmissum ab Episcopo anno praecedenti ipsi resolutioni, seu mense Februarii 1857. Atqui iuxta decretum in causa *Patavina* (prout idem Secretarius referebat) S. C. « in ordine alla percezione degli emolumenti « funerari, attribuì tutte le facoltà al Vescovo... di disporre « come meglio avesse ravvisato convenire nel caso ». Ergo si resolutio data die 7 Iulii 1860, pedissequa est decisioni editae in causa *Patavina*, omnes facultates in themate tributae fuerant Episcopo Benaglia, et praetensa compositio de partium consensu in tenues resolvitur auras.

Quo vero ad aliud Episcopi assertum, quod scilicet rescriptum diei 18 Septembris 1860 fuerit nullum ex formae vitio, animadvertit id incongrue dici. Nam vel id intelligendum venit de consensus Archipresbyteri defectu, et hoc nihil implicat, quia iuxta verba resolutionis, *auditis interesse habentibus*, Archipresbyter erat tantum audiendus non vero requirebatur eius consensus: vel intelligi debet de non servata forma citationis iudicialis et hoc profecto necessarium non erat, quia Episcopus ad rem componendam de bono et aequo erat delegatus. Caeterum Archipresbyter non semel ab Episcopo fuit accitus per epistolam ad suas deferendas rationes; quod si Archipresbyter in sua contumacia permansit respondere renuens, non ideo sequitur Episcopi provisionem esse infirmandam, cum contumacia iusta potius sit causa ut quis iure privetur.

Neque item exacte affirmari posse ait, decretum praefatum ab Archipresbytero fuisse reiectum, et non fuisse executioni mandatum ante subsecutam initam conventionem: nam Archipresbyter contra ipsum neque appellavit aut movit querelam, et quoad executionem ea non fuit possibilis, quia interea temporis nempe durante anno a Decreto ad conventionem defuit occasio pro eius applicatione, uti ex libris parochialibus probatur.

Demum advocatus impugnandum aggreditur tertium assertum Episcopi « che non può dubitarsi del valore della « convenzione 22 Ottobre 1861, perchè approvata con de« creto Benaglia, accettata dalle parti, e confermata con « decreto Gelmini 1883, e praticata fino al 1896 », cuius conventionis validitate firmata et alterum Episcopi Benaglia Decretum de an. 1860 ruere et aboleri necesse erat.

Quoad acceptationem conventionis factam a Capitulo in sessione Capitulari mensis Octobris an. 1861, advocatus expendit, eum locum habuisse sub quadam morali coactione et deceptione ex parte Archipresbyteri, qui per 15 menses Canonicos vexare non destitit: ut aiunt canonici, conventio inita fuit – per rabbonire l'imbronciato Arciprete. – Insuper schema conventionis exhibitum a duobus canonicis, caeteris insciis, et non sine conniventia trium canonicorum de patronatu, qui erant extra massam et Capitulo infensi, sine matura deliberatione, non ab omnibus sed tantum a maiori Capituli parte fuit approbatum, nempe a sex tantum Canonicis, tribus absentibus et duobus contrariis.

Atqui haec conventio erat damnosa Canonicis non solum uti Capitulum efformantibus, sed etiam uti singulis. Hinc non sufficiebat approbatio maioris partis Capituli, dato etiam et non concesso quod fuerit regularis, sed erat necessarius consensus singulorum interesse habentium. Hinc acceptatio conventionis facta a Capitulo, utpote non facta ab omnibus eius membris, nulla est censenda.

Quod si vero admitti velit, caeteros Canonicos postea conventioni acquievisse, quod tamen demonstratione indiget, ad

summum, ait advocatus, ea spectari posset uti temporanea, seu obligans tantum illos, qui Convento adhaeserunt, cum beneficiorum possessores nequeant facto proprio praeiudicare suis successoribus in beneficio. Reapse conventionem ad tempus stipulatam fuisse eruitur primo ex verbis additis pro *art. 2.*

Idem deinde pro tota conventione, erui advocatus contendit ex precibus a successore Archipresbytero Cavallini directis H. S. C. pro obtinenda restitutione in integrum contra resolutionem eiusdem S. C. sub die 7 Iulii 1860.

Itaque Archipresbyter Cavallini ex errore adhaesit conventioni, quatenus nempe eam putavit esse primum Episcopi Benaglia Decretum an 1860. Quin aliquid obstet quod haec conventio approbata fuit ab Episcopo Gelmini. Nam advocatus reponit, Episcopum id fecisse deceptum a Cavallini, uti ex sequenti ipsius Cavallini expositione constat. At prima conventio facta post S. C. resolutionem non fuit illa an. 1861, sed potius Decretum de an. 1860.

Neque meliori omine, subdit Capituli patronus, adversarii sese tuentur invocantes approbationem datam transactioni an. 1861 ab Episcopo Benaglia. Nam Episcopus vel id egit tamquam S. C. delegatus, vel potestate utens ordinaria. Si primum admittitur, ratificatio facta iuridico valore est destituta, tum quia ipse approbando primam conventionem, iam uti delegatus cessaverat, et conventio ita firmata amplius retractari nequibat, tum quia, elapso iam anno ab accepta delegatione, ista potestas iam desierat iuxta *cap. 26, tit. 29, de offic. et pot. iud. deleg.*

Vel admittitur secundum, et eadem fluit conclusio. Nam ut observat Capitulum « un simile potere che non era competente in una causa già portata alla Congregazione Romana, non era sufficiente a sanzionare quella transazione « in maniera da obbligare i successori. Infatti, *transactio « speciem alienationis continet,* e il Vescovo l'aveva notato. « *I Canonici,* disse, *rinunciano all'imprescrittibile loro diritto* ». Ora le *alienationes* se d'una data entità, non han « valore se non accompagnate dalle solennità del diritto. « Queste richiedonsi anche trattandosi di cessioni tra chiesa « e chiesa, beneficio e beneficio, dovendosi i benefici conservare distinti. Per tali *alienationes* la solennità del diritto « è il beneplacito apostolico, di cui nella transazione del 1866 « non è parola, e si sa che non fu richiesto. Nè si può invocar la delegazione data a Mons. Vescovo nel Luglio « 1860; perchè il Vescovo aveva il mandato di stabilire « una misura *ex aequitate,* non già di approvare una rinuncia, come, per confessione del Vescovo, fu la transazione ».

Si itaque, concludit advocatus, ex enucleatis, motiva adducta ab hodierno Episcopo in sua praeliminari relatione non sustinentur, et ipsum Decretum in vigorem revocans transactionem an. 1861 super ipsis fundatum corruat necesse est. Eo vel magis id in themate obtinere debet, tum quia Archipresbyter Cavallini an. 1888 petendo a S. C. restitutionem in integrum contra ab ipsa latam decisionem, transactioni praefatae valedixit, tum quia actualis Archipresbyter eam uti nullam et erroneam nuncupavit, declarans se « ben « lieto che a lui sia dato di riparare a tale errore ». Si itaque transactio ab actuali Archipresbytero uti nulla traducitur, id potiori iure invocat Capitulum, cum ea quae licent actori licere debeant reo iuxta *regul. Iuris 32, in VI, cfr. inibi Reiffenstuel in appendice ad reg. iuris.*

Demum advocatus, quo magis elucescat quam damnosa sit transactio, subiicit disparitatem, quae intercedit inter redditus singulorum Canonicorum, et redditum praebendae Archipresbyteralis, qui redditus a Capitulo ita describuntur...

Transiens deinde advocatus ad ultimam suae orationis partem, probare nititur, Decretum Episcopi Laudensis, diei 13 Feb. 1904, neque sustineri quoad secundam partem.

Hanc dispositionem ut non iustitiae consonam impetit. Sane actualis Archipresbyter libere Decretum Episcopi Benaglia an. 1860 accepto habuerat, quin imo institerat ut illud instauraretur, uti liquet ex Episcopi epistola diei 24 Aprilis 1903.

Insuper Decretum diei 1 Aprilis 1896, non adhuc erat revocatum, et statuta capitularia non difformia quoad obventionum divisionem ab hoc Decreto et ab illo an. 1860, in viridi erant observantia. Non desunt igitur tituli in Capitulo ad arguendam bonam eius fidem, qua maiorem cerae quotam sibi vindicare poterat, non obstante transactione, quae, uti iam visum fuit, nulla erat: non igitur ipsum adstringi potest ad restitutionem faciendam. Nec obstat, ait advocatus, quod haec quota fuit deposito obnoxia, nam hoc fuit tantum Episcopi consilium, cui Capitulum libere annuere censuit.

Hisce utrinque relatis, modo EE. VV. sequens diluere dignentur

DUBIUM

An sustineatur Decretum Episcopi Laudensis diei 13 Februarii 1904, tum quoad primam, tum quoad secundam partem in casu.

Responsum fuit: *Affirmative in omnibus.*

Declaratio circa Sanctuarium B. Mariae Virg. in Valle Pompeia.

Il Santuario della B. V. del Rosario in Valle di Pompei, sorto con l'approvazione e favore dell'autorità ecclesiastica, costruito con le offerte generosissime dei fedeli di tutto il mondo e dedicato al culto divino, per questa sua stessa condizione (come è noto) appartiene alla Chiesa Cattolica, e per Lei al suo Capo, il Romano Pontefice. La Santa Sede lo ha onorato del titolo di Basilica (1), l'ha sottoposto immediatamente a sè (2), affidandone la cura ai Religiosi di S. Domenico, zelanti propagatori della divozione del Rosario, ivi chiamati fin da parecchi anni addietro con plauso generale; e oggidì vi esercita per mezzo di questi piena e libera giurisdizione, avendo lo stesso comm. Bartolo Longo, iniziatore dell'opera e promotore e direttore della costruzione del sacro edificio, con ripetuti atti fatto cessione alla Santa Sede di ogni ingerenza che gli potesse competere.

A questi Religiosi pertanto, ossia al P. Rettore del Santuario od al Religioso che lo rappresenta, dovranno d'ora in poi rivolgersi i fedeli per tutto ciò che ha attinenza al Santuario; ed ai medesimi dovranno indirizzarsi e presentarsi le offerte pel culto e per le sacre funzioni, le elemosine per la celebrazione di S. Messe, i donativi e i voti in onore della B.ma Vergine del Rosario, che ivi si venera; dichiarandosi che altrimenti l'amministrazione del Santuario non risponde dell'esatto adempimento della volontà degli offerenti.

Inoltre la Basilica è stata donata alla Santa Sede senza dotazione, e, al momento presente, anche senza camere adiacenti e senza abitazione pei Religiosi; poichè dell'edificio a ciò destinato la Santa Sede non ha per ora che la nuda proprietà. Il Santuario, quindi, è attualmente sprov-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. X, p. 482.
(2) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. II, p. 11.

visto di ogni rendita pel mantenimento della fabbrica, per le spese di culto, per il sostentamento e l'abitazione di chi lo serve, e si sostiene unicamente con l'obolo che può venire dalla fede e dalla pietà dei devoti.

Tanto per pubblica norma, e con preghiera ai giornali cattolici di riprodurre la presente dichiarazione.

E SACRA CONGREGATIONE PROPAGANDAE FIDEI

Decretum laudis pro Instituto Sororum Tertii Ordinis S. Dominici Congregationis S. Catharinae Senensis in Archidioc. Milwaukiensi.

Quum Reverenda Mater Maria Aemilia a SS. Angelis, Priorissa Generalis Instituti Sororum Tertii Ordinis S. Dominici Congregationis Sanctae Catharinae Senensis, quarum domus princeps est in loco Archidioecesis Milwaukiensis Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis qui vulgo dicitur *Racine*, enixe petierit, ut Sancta Sedes praedictum Institutum illiusque Constitutiones adprobare dignaretur, eius petitio Romanae Commissioni pro examine Constitutionum novorum Institutorum ab hac S. Congregatione dependentium institutae, cui Eminentissimus Card. Franciscus Satolli praeest, prout opus erat delata fuit. Praelaudata vera Reverendissima Commissio, attenta huius Instituti pro Missionibus in supradicta Regione utilitate, de qua litterae commendatitiae Ordinariorum, in quorum Dioecesibus Sororum domus exstant, fidem faciunt, et attenta etiam illius Congregatione ad Tertium Ordinem Sancti Dominici a R. P. Magistro Generali peracta, idem Institutum interim laudandum, eiusque Constitutiones iuxta schema exhibitum, introductis tamen modificationibus prout in adnexo exemplari habetur, ad quinquennium per modum experimenti adprobandas censuit. Quare Sacra haec Congregatio de Propaganda Fide, iuxta votum Reverendissimae Congregationis, decretum laudis praefato Instituto et temporaneam praedictam adprobationem eius Constitutionibus dare decrevit, sperans ipsum tale incrementum consecuturum, ut Sedis Apostolicae adprobationem suo tempore obtinere valeat. Quam S. Congregationis sententiam ab infrascripto eiusdem Secretario, in audientia diei 9 Maii 1905 SS. D. N. Pio divina Providentia PP. X relatam, eadem Sanctitas Sua in omnibus ratam habere et confirmare dignata est et super his praesens decretum fieri mandavit.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 10 Maii 1905.

FR. HIERONYMUS Card. GOTTI, *Praef.*

ALOYSIUS VECCIA, *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

I.

PONENTE EMO AC RMO
Cardinali CASIMIRO GENNARI
Die 5 Maii 1905.

Agennen. — Solutionis.

Eximitur Curia Agennen. ab onere restituendi summam lib. 62,000 acceptam ab Archiepo Fonteneau; tum quia non constat de mala fide praedicti Archiepi, tum quia non constat de dubia fide ipsius Curiae Agennen., quae acceptam pecuniam consumpsit, quin ullum ex ea reportaverit lucrum.

Dum R.mus D.nus Fonteneau Agennensi dioecesi praeerat, libellas 62,000 pro novae Ecclesiae S. Cordis Iesu cum schola aedificatione, ac pro se suaque familia mutuavit, eiusdem summae loco syngraphas ab ipso subscriptas in arca dioecesana Agennen. substituens. Quum autem vacaret a. 1885 dioecesis Agennensis per translationem Episcopi Fonteneau ad Albiensem Archidioecesim, ad illam promotus fuit R.mus Cœuret-Varin. Ille vero, statim ac praefatas syngraphas in praedicta dioecesana arca invenit, de re certiorem fecit neo-Archiepiscopum Fonteneau, qui per quatuor Status nummularias schedulas proprium debitum extinguere curavit.

Defuncto a. 1899 Archiepiscopo Fonteneau, illius successori R.mo Mignot notum fuit quod in arca Associationis presbyterorum pauperum Albiensium, civiliter tantum erectae, deerant quaedam Status schedulae, earumque loco chirographum defuncti Archiepiscopi reperiebatur quo ipse, consentiente Can. Puel eiusdem Associationis thesaurario, sed irrequisita Commissione administrativa, fidem suam pro summa libell. 65,000 obligaverat, ut hoc modo suum debitum cum dioecesana arca Agennensi contractum extingueret. Vix ac omnia haec et ipsa Associatio cognovit, quum suum creditum ab haeredibus defunctorum Archiepiscopi et arcarii utpote insolvibilibus exigere nequiret, ad H. S. C. recursum obtulit, petens ut Curia Agennen. cogeretur ad sibi restituendas dictas Status schedulas, vel saltem ad rependendam aequipollentem summam, eo quod indebite et fraudulenter ab Archiepiscopo Fonteneau hanc summam perceperat.

Associatio presbyterorum pauperum Albiensium iura sua per adlectum Advocatum ita defendit. Imprimis eiusdem advocatus tamquam fundamentum suae ratiocinationis duas ponit facti circumstantias, scilicet primo, schedularum Status traditionem Curiae Agennensi quin prius in pecuniam illae converterentur, quod et ipsa Curia admittit; secundo, syngrapham debiti ab Archiepiscopo Fonteneau confectam, quae schedularum amissioni ex parte Associationis respondet, sicuti constat ex eo quod dicta debiti declaratio facta fuit eadem die traditionis schedularum Curiae Agennensi, ac perfecte aequivalet illarum valori. Unde, ait, tum syngrapha debiti tum subductio schedularum inter se necessario connectuntur, et insuper praedictae schedulae ab arca Associationis ad Curiam Agennen. directe transmearunt.

Quibus sic positis juxta patronum substitutio syngra-

phae debiti in locum schedularum Status earumque cessio, fuit actus iuridice nullus quin imo fortasse etiam dolosus. Dum enim deerat consensus mutuantis seu Associationis, quae imo schedularum cessionem prorsus ignorabat, Archiepiscopus Albiensis sciebat se schedulas in casu accepisse absque domini consensu et cum dubitatione imo, prout in foro externo iudicari potest, cum voluntate non amplius restituendi. Unde Schedulae e contra tamquam res furtiva adiudicandae sunt, quum res furtiva sensu latissimo accipiatur pro re qualibet, quam citra domini voluntatem quis, alienam sciens, contrectaverit seu alienaverit. Hinc Associatio, utpote re propria expoliata, illam ubique repetere valet, quin debitor se reficere possit pretio soluto seu, ut habet D'Annibale *(Summ. theol. mor., part. 2, n. 234)*, « si rem emerat, non repetit quanti emit ». Unde Curia Agennen. tenetur ad restituendas schedulas, quae in casu res alienae sunt, quin inspiciatur, iuxta D'Annibale *(loc. cit., n. 232)*, « a quo rem possideat, nec... utrum bona an mala fide ».

Patronus asserit hanc conclusionem esse sustinendam etiamsi Agennensis Curia pretium schedularum in operas pias erogaverit; possessor enim tunc solum a restitutione exoneratur, quando neque directe neque indirecte aliquod emolumentum traxerit; ait enim D'Annibale *(loc. cit., n. 233)*: « Restitutio competit ab eo qui ex re aliena, v. g., a se distracta, consumpta factus est locupletior. Porro locupletior seu ditior ex re aliena factus is dicitur, qui ex ea aliquid lucri fecit, idest qui ex ea patrimonium suum auxit..., vel illud non diminuit, idest si ex re aliena erogavit, impendit quod alias de suo impensurus erogaturus fuisset ». Cfr. etiam Gury-Ballerini *(Comp. theol. mor., tom. 1, n. 635)* et Scavini *(Theol. mor., lib. 2, n. 589)*. Porro Curia Agennen. pretium erogavit pro aedificanda Ecclesia S. Cordis Iesu, quod est utile indirectum, quum ipsa non amplius impendit quod alias fuisset de suo impensura vel erogatura in hunc scopum.

Insuper, iuxta advocatum, Curia Agennensis in dubia saltem fide extitit, quia dubitare debuit de vitioso possessionis initio. Quum enim schedulas ab Archiepiscopo Fonteneau accepit, sciebat modum habitualem Rmi Fonteneau immittendi manus in arca dioecesana necnon praxim operarum piarum convertendi pecunias in schedulas Status, unde sibi explicare nesciens ubinam tanta pecunia subito inventa sit, tamen nullam inquisitionem fecit. Porro possessor dubiae fidei, iuxta Ballerini *(loc. cit., n. 652 et 654)* « serio inquirere tenetur, ut dubium deponat...; secus enim tractandus est ut possessor malae fidei, et obligandus est non solum ad rem domino reddendam sed etiam ad omnia damna ei resarcienda ». Unde non solum Curia Agennen. tenetur ad schedulas vel aequipollentem pecuniam reddendam, sed etiam ad damna Associationi resarcienda omnino obligatur.

Tandem patronus quibusdam obiectionibus respondet. Denegat imprimis schedulas traditas fuisse ad extinguendum debitum stricte personale Archiepiscopi; quia hic se obligavit non tantum ut persona, sed ut Episcopus. Asserit deinde quod, quamvis procedi possit contra administratores Associationis actione personali, tamen haec non impedit actionem realem contra possessorem. Demum addit in casu locum non esse praescriptioni; sive quia bona fides desideratur; sive quia agitur de rebus furtivis, quae nunquam praescribuntur; sive quia tandem non modo non habetur praescriptio quadragenaria, quae requireretur ut praescribi possit contra piam ecclesiasticorum Associationem, sed neque decennalis adest vel triennalis, quum ipsa sit computanda a die habitae notitiae subreptionis schedularum nempe a. 1899 post Archiepiscopi Fonteneau mortem.

Ex adverso advocatus Curiae Agennensis contendit hanc Curiam ad nihil teneri erga Associationem sacerdotum pauperum Albiensum. Et cum patronus partis adversae orationem suam in duobus suppositis fundet, nempe in fraude Archiepiscopi Fonteneau necnon et in dubia saltem fide Curiae Agennensis, orator utrumque reiicere conatur.

Ad primum quod attinet, asserit omnia ab adversariis prolata, praeter declarationem debiti ab eodem Archiepiscopo confectam, nonnisi suppositiones et inductiones esse. Hoc plene confirmat pluribus adductis testibus, qui negant Rmum Fonteneau dum in dioecesi Agennen. versabatur fuisse aeris alieni onustum, ipsumque fuisse incapacem contrahendi aliquod mutuum dum in impossibilitate constitueretur illud restituendi, quinimo declarant eum pium, irreprehensibilem et gloriae Dei zelatorem, eiusque privatam vitam exemplarem et modestam fuisse. Insuper fraus et dolus etiam ex eo excluditur quod ipse declarationem reliquerat arcario Associationis, qua obligabat sese ad summam libell. 65,000 quotannis gradatim una cum foenoribus solvendam.

Quoad secundum punctum advocatus observat quod, in tuto posita perfecta bona fide ex parte Archiepiscopi in schedulis Status subtrahendis, nulla adest ratio eamdem bonam fidem non admittendi etiam ex parte Curiae Agennensis in illis accipiendis, adeoque valet principium: « Possessor bonae fidei ille est, qui invincibiliter ignorat rem a se possessam esse alienam ». Curia enim Agennensis perbelle credere poterat Archiepiscopo summam ab aliquo amico fuisse commodatam nec ex alia parte ab eodem exquirere tenebatur originem illarum schedularum, eo vel magis quod Episcopi sunt omnium operarum piarum administratores nati. Unde in casu verificatur id quod tradit De Angelis (*Prael. iur. can., tom. ult., lib. 2, tit. 26, § 3, pag. 196*): « Bona fides intelligitur, cum aliquis credit tradentem esse dominum, vel habere ius distrahendi, licet erret in facto ». Cfr. De Luca (*De donat., disc. 38, n. 12*).

Ex quibus concludit orator, quod Curia Agennensis nullimode tenetur ad praedictam summam tradendam, sive quia non aliud accepit nisi quod ei debitum erat, sive quia illud bona fide accepit, sive quia absque ullo emolumento illud consumpsit in aedificanda Ecclesia S. Cordis Iesu, sive quia contra Associationem stat praescriptio. In casu enim invocari potest axioma quod: « Possessor bonae fidei ad nihil prorsus tenetur si, durante bona fide, rem alienam consumpserit, amiserit, vel etiam destruxerit, modo ditior inde non evaserit ». Et quoad praescriptionem De Angelis *(loc. cit., § 6)* ait quod « ad res mobiles refertur numerata pecunia...; res autem mobiles cum titulo et bona fide praescribuntur per triennium »; porro casu pacifica plus quam 14 annorum possessio invocari potest.

Quibus ex utraque parte deductis, proposita fuerunt solvenda

DUBIA

I. *An arca sacerdotum pauperum Albiensium repetere possit a Curia Agennen. summam lib. 62,000 acceptam ab Archiepiscopo Fonteneau in solutionem sui debiti, vel potius illam repetere debeat ab haeredibus Archiepiscopi defuncti, vel ab Administratoribus arcae praedictae.*

II. *An arca sacerdotum pauperum Albiensium possit, praeter summam capitalem, repetere etiam foenora pro annis in quibus non fuerunt soluta.*

Sacra porro Congregatio, reformatis dubiis hoc modo: *An Curia Agennen. solvere teneatur arcae presbyterorum pauperum Albiensium summam lib. 62,000 in casu*, respondendum censuit: *Negative:*

Causa haec, ad instantiam Societatis Sacerdotum Pauperum Albiensium, iterum discussa fuit die 12 Ianuarii 1906 in Comitiis generalibus huius Sacrae Congregationis. Ad propositum

DUBIUM

An et quomodo confirmanda sit decisio ab H. S. Congregatione Episcoporum et Regularium prolata sub die 5 Iulii 1905 in casu?

E.mi Patres rescripserunt, die 12 Ianuarii 1906: *In decisis et ad mentem.*

II.

Indultum pro Monialibus Conceptionistis de divino officio persolvendo.

Beatissime Pater,

Abbatissae Monasteriorum Monialium Conceptionistarum nuncupatarum in parochiis Iamedensi et Bastionensi, Dioecesis Namurcensis, sub iurisdictione Ordinarii constitutorum, R.mo D. Episcopo Namurcensi approbante, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutae, humillime exponunt et postulant ut sequitur:

In praefatarum Monialium Regula, a Iulio Pp. II, anno 1511 approbata, circa recitationem Divini Officii in choro sic praescribitur, nempe: « Sorores, quae recipiuntur ad chorum, teneantur dicere Divinum Officium, quoad solemnes festivitates in quibus non laboratur et octavas earum, et Dominicas primo ponendas et necessario recitandas, secundum Breviarium Romanum quod Fratres Minores recitant. Octava Seraphici S. Patris Francisci celebretur et nulla alia Ordinis eiusdem. Omnibus autem festis simplicibus et Dominicis non primo ponendis, dicent Officium Conceptionis cum commemoratione Dominicae secundum formam Breviarii ad hoc illis deputati ».

Porro, ut ea quae dubia erant et incerta declararentur, prodiit, die 8 Iulii anni 1893, a S. Congregatione E.morum et R.morum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, Rescriptum, quo vigore specialium facultatum a SS. D.no Nostro concessarum, de modo ordinandi Officium in choro statuebatur: 1° Ut quotidie per annum legatur Officium Immaculatae Conceptionis B. M. V., exceptis scilicet: prima dominica Adventus; Vigilia, Festo et octava Nativitatis D. N. I. C.; Vigilia, Festo et octava Epiphaniae Domini; Feria IV Cinerum; prima Dominica Quadragesimae; Dominica Passionis; Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive; Festo et octava Ascensionis Domini; Vigilia, Festo et octava Pentecostes cum Dominica SS.mae Trinitatis; Festo et octava SS. Corporis Domini; Festo Sacratissimi Cordis Iesu; Festo Nativitatis S. Ioannis Baptistae cum eius octava; Festo Ss. Apost. Petri et Pauli cum octava; Festo et octava Assumptionis B. M. V.; Festo et octava Omnium Sanctorum; Dedicatione omnium Ecclesiarum cum eius octava; Festo S. Ioseph patroni Belgici Regni; Festo S. Albani Martyris Patroni civitatis et dioecesis Namurcensis; Festo S. Symphoriani Mart. Patroni Iamedensis parochiae; Festo S. Patris Seraphici Francisci cum eius octava; Caeteris quibuslibet festis primae vel secundae classis in Kalendario Fratrum Minorum assignatis; quibus omnibus diebus et festis idem Officium recitatur quod Fratres Minores recitant.

2° Ut illud Officium assumatur, quod a SS. D. N. Pio Pp. IX anno 1863 praescriptum fuit.

3° Ut sub eodem ritu celebretur, quo Officium huius diei apud Fratres Minores, cum commemorationibus de iure.

Animadvertendum est, praedictum Rescriptum, expresse iuxta vigentem in Monasterio usum, postulatum fuisse, ac porro secundum eumdem usum ab initio interpretatum fuisse, nimirum ita ut si festum duplex non tamen classicum inter octavas ex praedictis non privilegiatas incideret, Officium Immaculatae Conceptionis per se non impediret.

Animadvertendum etiam est, Dominicas quae in Regula primo ponendae et necessario recitandae nuncupantur, posse iure merito recenseri non modo Dominicas primae classis, sed omnes Dominicas classicas, quum praesertim festa omnia classica, licet minus exclusiva quam Dominica, in Rescripto recenseantur ut celebranda. Et revera contraria dispositio anomaliam inducit, quam videre est quum v. gr. festum Purificationis incidit in Dominicam secundae classis.

Praeterea, Beatissime Pater, Moniales Conceptionistae, quo sua erga B. M. V. pietas et devotio novum inde sumat alimentum, valde cupiunt posse a se celebrari festa particularia B. M. V. quae Kalendario Franciscano inscribuntur, ut festum Septem Dolorum B. M. V., S. Nominis Mariae, Patrocinii eiusdem B. M. V., et similia.

Ac porro, congrua ratione, postulant ut ipsis etiam concedantur Officia festorum D. N. I. C. sub ritu duplici maiori in eodem Kalendario assignata.

Tandem nonnulla necessario statuenda videntur, ne quis deinceps anceps dubiusque haereat in divino Conceptionistarum Officio ordinando.

Quae quum ita sint, praefatae Abbatissae et Moniales Beatitudini Vestrae humillime ac instantissime supplicant ut, de speciali gratia, fausto recurrente quinquagenario a dogmatica Immaculatae Conceptionis B. M. V. Definitione Iubilaei anno, indulgere, concedere ac declarare dignetur quemadmodum sequitur:

1° Moniales Conceptionistae quotidie per annum legant Officium Immaculatae Conceptionis a SS. D. N. Pio Pp. IX anno 1863 approbatum – exceptis scilicet omnibus diebus Dominicis primae et secundae classis: Vigilia, Festo et octava Nativitatis D. N. I. C.; Vigilia, Festo et octava Epiphaniae Domini; Feria IV Cinerum; Tota Hebdomada Sancta et tota octava Festi Resurrectionis D. N. I. C. cum Dominica in Albis; Festo et octava Ascensionis D.ni; Vigilia, Festo et octava Pentecostes cum Dominica SS.mae Trinitatis; Festo et octava Festi Corporis Christi; Festo Sacratissimi Cordis Iesu; Festo Nativitatis S. Ioannis Baptistae cum eius octava; Festo Ss. Apost. Petri et Pauli cum octava; Festo et octava Assumptionis B. M. V.; Festo et octava Omnium Sanctorum, Anniversario Dedicationis omnium Ecclesiarum cum eius octava (quod festum sumatur proprium Ordinis); Festis

S. Patroni Dioecesis et S. Patroni loci; Festo Seraphici S. Patris Francisci cum eius octava; quibuslibet festis ritus duplicis primae aut secundae classis in Kalendario Fratrum Minorum assignatis; Festis D. N. I. C. aut B. M. V. quae in eodem Kalendario sub ritu duplici maiori recoluntur. Quibus dominicis, feriis, festis, octavisque privilegiatis, et etiam diebus infra octavas ex supradictis non privilegiatas, modo in istis fiat Officium de octava, recitetur Officium diei secundum Breviarium Romanum quod Fratres Minores recitant. Si vero infra octavam non privilegiatam recolatur festum cuius Officium a Conceptionistis non est celebrandum, non impediat Officium de Immaculata Conceptione;

2° Kalendarii Universalis Ecclesiae octavae non omittantur; Ordinis autem Fratrum Minorum, S. Patris Seraphici Francisci octava celebretur, et nulla alia;

3° Immaculatae Conceptionis Officium, diebus indultis, sub eodem ritu celebretur quo apud Fratres Minores festum seu Officium cui illud subrogatur, non tamen ritu minore quam semiduplici;

4° Fiat commemoratio Officii occurrentis, caeteraeque de iure, non omissa commemoratione de octava, de feria, de vigilia etc., iuxta Rubricas Generales Breviarii.

Insuper ad praescindendas suborientes difficultates, dignetur Sanctitas Vestra declarare et concedere ut sequitur, pro Conceptionistis:

1° Missa Immaculatae Conceptionis, Officio conformis, dicitur cum *Gloria* et *Credo*. In secreta dicitur: « *quam in commemoratione Immaculatae Conceptionis;*

2° Die 14 Augusti et die 7 Decembris, si sinit occurrens festum, Officium fit de Immaculata, sed Missa erit de Vigilia cum commemorationibus occurrentibus;

3° Per octavam Assumptionis et Nativitatis B. M. V., Officium octavae fiat loco Officii Immaculatae Conceptionis, cum pari privilegio;

4° Lectiones primi Nocturni, etiam in ritu duplici maiori, erunt de Scriptura occurrente; qua deficiente, erunt « *De libro Genesis; Serpens* »;

5° Quum successivis diebus fit de Immaculata Conceptione, secundae usque aguntur Vesperae; quando vero post aliud recitatum Officium, resumitur Officium Immaculatae Conceptionis, locus fit primis ipsius Vesperis;

6° Festa quae non Officio, sed sola semper a Conceptionistis commemoratione recoluntur, dummodo propria die commemorari possint, non sunt transferenda, si accidentaliter impediantur; sed neque important translationem alterius Officii, licet inferioris qualitatis, cuius recitatio ex Indulto concessa est;

7° In concurrentia cum aliis Officiis, Immaculatae Conceptionis Officium ut primarium habeatur. Cesset tamen privilegium recitandi de Immaculata Conceptione, ubi concurreret hoc Officium cum alio festo B. M. V. vel cum die octava festi eiusdem B. M. V., cuius saltem commemoratio facienda sit.

Et velit Deus etc.

« Vigore specialium facultatum a SS.mo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio E.morum et R.morum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis facultatem benigne tribuit Episcopo Namurcen. indulgendi ut Moniales Oratrices Officium divinum in omnibus iuxta preces recitare valeant. Quo vero ad celebrationem Missae, Eadem S. Congregatio mandavit rescribi: Recurrendum esse ad Sacram Congregationem Rituum. Romae, 13 Martii 1905 ».

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

PH. GIUSTINI, *Secret.*

III.

Post novitiatum debent moniales novitiae statim admitti ad professionem votorum simplicium, quae sunt perpetua ex parte voventis.

Beatissimo Padre,

P. Silvestro Scaramucci dell'Ordine dei Frati Minori, Confessore ordinario delle Monache Clarisse Cappuccine di S. Flora, Diocesi di Città di Pieve, premesso il bacio del S. Piede, espone umilmente alla S. V. la seguente prassi che egli ha trovata nel detto Monastero relativamente alle professioni delle Novizie:

Dopo l'anno del Noviziato, le Novizie hanno sempre fatto fino ad oggi ancora un anno del così detto « Giovanato » prima di fare voti di qualunque sorta; al termine del quale emettevano i voti semplici temporanei per tre anni. Terminato poi il triennio di questi voti semplici temporanei, erano ammesse alla Professione solenne. Tale prassi è stata continuata anche dopo il Decreto della S. Congregazione dei VV. e RR. del 3 maggio 1902 (1), in virtù del quale, prima della Professione solenne, le Monache devono fare i voti semplici *ad triennium*, i quali, per parte della vovente, non sono più temporanei, ma perpetui. Per la qual cosa, nel lodato Monastero, anche al presente, si trovano alcune giovani con voti semplici fatti non a norma del mentovato Decreto Apostolico, cioè perpetui per parte della vovente, ma secondo l'antica consuetudine del Monastero, cioè temporanei.

Ora, tali giovani essendo prossime a terminare il triennio dei voti semplici temporanei e dovendosi ammettere alla Professione solenne, a tranquillità sua e a rimuovere qualsiasi equivoco, supplica la S. V. per la soluzione dei seguenti dubbi.

I. Può tollerarsi l'anno del così detto « Giovanato » dopo quello del Noviziato; oppure, appena terminato il Noviziato, se nulla osta, devonsi ammettere le Novizie alla Professione dei voti semplici secondo il tenore del Decreto Apostolico del 3 maggio 1902?

II. Quelle giovani che al presente hanno voti semplici temporanei, secondo l'antica consuetudine, prima di fare la Professione solenne, è necessario che facciano i voti semplici a norma ed in esecuzione del citato Decreto Apostolico, oppure è sufficiente il triennio dei voti temporanei fatti secondo l'antica consuetudine?

III. Nel caso negativo alla seconda parte del secondo dubbio, e che cioè il triennio dei voti semplici temporanei non fosse sufficiente, l'Oratore implora la dispensa del citato Decreto del 3 maggio 1902, con la facoltà di ammettere le mentovate giovani alla Professione solenne col solo triennio dei voti semplici temporanei, rimanendo troppo gravosa la ripetizione di un altro triennio di voti semplici, nonchè una benigna sanatoria, qualora occorra, per quelle

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. X, p. 204.

giovani che, dalla data del più volte citato decreto fino ad oggi, hanno fatta la Professione solenne, non osservata la forma e il tenore del Decreto medesimo, essendo ciò avvenuto in buona fede.

Che della grazia, ecc.

Vigore specialium facultatum a SS.mo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio E.morum et R.morum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus EE. et RR. praepositis dubiis respondendum censuit prout respondet: Ad I. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam; ad II. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam; ad III. provisum in secundo.

Romae, 4 Decembris 1905.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

PHILIPPUS GIUSTINI, *Secret.*

IV.

Conceditur Ministro Gen. FF. Capuccinorum ut aggregare possit primo et secundo Ordini, cum participatione bonorum spiritualium, Congregationes Tertii Ord. S. Francisci.

Beatissime Pater,

Infrascriptus Minister Generalis Ordinis FF. Minorum Capuccinorum, ad osculum S. Pedis prostratus, humiliter exponit, quod ipsi interdum a Congregationibus Tertiariorum S. Francisci in Communitate viventium et vota simplicia emittentium porriguntur preces eo tendentes, ut primo et secundo Ordini ab ipso dependenti aggregentur, et sic vi decreti Apostolici sub die 28 Augusti anni 1893 editi a S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, Indulgentiarum et spiritualium gratiarum eiusdem primi et secundi Ordinis, quantum concedere fas est, participes efficiantur. Porro inter has Congregationes inveniuntur etiam tales, quae non dicti primi et secundi Ordinis habitum, nec nomen Capuccinorum mutuantur, licet tamen, uti relatum fuit, ad magnam Familiam Franciscanam pertineant. Quapropter idem Minister Generalis, ad obsecundandum piis enunciatarum Congregationum votis, ad praecavendas invalidas Tertiariorum regularium aggregationes, et etiam ad sui Ordinis bonum spirituale promovendum, Sanctitati V. humiliter supplicatur pro gratia:

1°) Ut tam ipse quam sui Successores, Congregationes Tertiariorum ac Tertiariarum Tertii Ordinis S. Francisci Regulam a Leone XIII approbatam quoad substantiam profitentium, in communitate viventium, et vota simplicia emittentium sive primi et secundi Ordinis habitum et nomen mutuentur, sive non, eidem primo et secundo Ordini aggregare possint ac valeant.

2°) Ut earumdem Congregationum Sodales, si id petant, ut quandoque evenit, participes reddere valeant omnium bonorum operum, quae in dicto primo et secundo Ordine a singulis membris peraguntur, utque vicissim primi et secundi Ordinis membra participare possint omnibus bonis operibus, quae a Sodalibus Congregationum ut supra aggregatarum perficiuntur.

Et Deus etc.

Vigore specialium facultatum a SS.mo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio E.morum et R.morum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, benigne annuit precibus P. Ministri Generalis Oratoris pro gratia, dummodo enunciatae Societates sint rite Tertio Ordini Franciscali addictae, nec alterius Familiae Franciscalis seu Fratrum Minorum vel Fratrum Minorum Conventualium directioni subiaceant. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae 18 Novembris 1905.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

PH. GIUSTINI, *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

TERGESTINA ET IUSTINOPOLITANA.

Tria solvuntur dubia.

R.mus D.nus Franciscus Nagl, Episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus, Sacrorum Rituum Congregationi sequentes quaestiones solvendas humillime proposuit, nimirum:

I. An fideles absolutione in articulo mortis in lingua vernacula peracta, sicuti modo pluries fit, indulgentias lucrari queant?

II. In Missis de Requie post elevationem loco *Benedictus,* Litaniae uti ex Rituali Romano in ordine commendationis animae, vel Lauretanae, canuntur, et huiusmodi Missae fiunt lectae. Insuper in Missis cantatis de die, intonato *Credo* sacerdos prosequitur Missam ut lectam usque ad Praefationem. Quaeritur an haec tolerari possint?

III. An sacerdos in lingua vernacula Officium divinum Breviarii Romani ex. gr. Nativitatis Domini, defunctorum, etc., cum populo peragens, vel Litanias Sanctorum in Processionibus Rogationum eadem lingua persolvens, teneatur has partes Breviarii Romani in lingua latina iterum recitare?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. *Negative,* quia haec benedictio in articulo mortis est precatio stricto sensu liturgica.

Ad II. *Negative*, et hos abusus omnino esse eliminandos.

Ad III. *Affirmative;* nam qui ad recitationem divini Officii et cuiusque partis Breviarii Romani sunt obligati, tantum in lingua latina haec recitare debent, alias non satisfaciunt obligationi.

Atque ita rescripsit. Die 3 Iulii 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

ORDINIS CARMEL. ANTIQUAE OBSERVANTIAE.

Tria solvuntur dubia circa liturgiam Ord. Carmel. Antiq. Observ.

Rmus P. Pius Maria Mayer, Prior Generalis Carmelitarum Antiquae Observantiae, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium Dubiorum, liturgiam Ordinis respicientium, solutionem humillime postulavit, videlicet:

I. An in festo S. Familiae ad Matutinum ante Lectiones dicendae sint Benedictiones communes, an vero propriae festorum B. M. V.?

II. An in eodem festo ad « *Nunc dimittis* » in Completorio dicenda sit Antiphona « *Alleluia, Verbum caro factum est, Alleluia: et habitavit in nobis Alleluia, Alleluia* »?

III. An praeter eas quae in Breviario Ordinis edito anno 1886 iam sunt inscriptae, Lectiones primi nocturni in festis dupl. min. I. Class. legendae sint de Communi, vel de Scriptura occurrente?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito suffragio Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam.

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 1 Decembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

III.

RHEMEN.

De festis in quibus prohibentur exequiae defunctorum.

Sacra Rituum Congregatio per decretum *Parentin. et Polen.*, die 8 Ianuarii 1904 (1), rescripsit dies quibus prohibentur exsequiae pro defuncto, cum effertur corpus, esse « omnia festa quae uti primaria sub ritu duplici I classis et quidem de praecepto celebrantur; et si non sint de praecepto, illae Dominicae ad quas praefatorum festorum solemnitas transfertur ». Exorta autem controversia de sensu quo intelligenda et dicenda sint festa de praecepto, R.mus Canonicus Calendarii Rhemensis ordinator, de consensu R.mi D.ni Vicarii Capitularis, Sede vacante, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii resolutionem humillime flagitavit; nimirum:

I. An festa de praecepto illa sint in quibus, praeter obligationem a parocho adimplendam, adest quoque altera et quidem duplex obligatio parochianis imposita, nempe tum Missam audiendi, tum ab operibus servilibus cessandi?

II. An exsequiae cum Missa, praesente corpore, fieri possint in festis suppressis, quorum solemnitas in Dominicam sequentem non transfertur.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative* iuxta decretum n. 4003, *Carcassonen.*, quaest. 1, ad II et III.

Atque ita rescripsit. Die 1 Decembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. XII, p. 25.

IV.

MONIALIUM CONCEPTIONISTARUM.

De Missa Immac. Conceptionis celebranda in Monasteriis Monialium Conceptionistarum.

Abbatissae Monasteriorum Monialium vulgo Conceptionistarum in Regnis Hispaniae et Belgii existentium, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuerunt: Moniales Conceptionistae quotidie per annum legunt Officium Immaculatae Conceptionis B. M. V. a sa. me. Pio Papa IX anno 1863 approbatum, exceptis quibusdam diebus, in quibus Officium diei recitant secundum Breviarium Romanum ad usum Fratrum Minorum. Officium vero Immaculatae Conceptionis, diebus indultis, sub eodem ritu persolvunt quo apud Fratres Minores Festum seu Officium cui illud subrogatur, non tamen ritu minore quam semiduplici, non omissa commemoratione diei currentis aliisque de iure faciendis iuxta Rubricas. Haec omnia enucleate et distincte patent ex Rescripto Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium d. d. 13 Martii vertentis anni 1905 (1).

Attamen quoad Missae de Immaculata Conceptione Officio respondentis celebrationem et relativa postulata, Sacra eadem Congregatio rescribi mandavit « recurrendum esse ad Sacram Congregationem Rituum ». Hinc Abbatissae Oratrices ab hac Sacra Congregatione suppliciter expostularunt ut declarare et concedere dignaretur:

I. Ut Missa Immaculatae Conceptionis, Officio conformis, dicatur cum *Gloria* et *Credo*; et in Secreta dicatur: « Quam in commemoratione Immaculatae Conceptionis ».

II. Ut die 14 Augusti et die 7 Decembris, si iuxta indultum fiat Officium de Immaculata, Missa tamen legatur de Vigilia cum commemorationibus occurrentibus.

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X tributis, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, propositis postulatis ita respondere censuit:

Ad I. Quoad primam partem, Affirmative pro gratia, verum quoad Symboli additionem, dummodo Officium sub ritu saltem duplici celebretur; quoad secundam partem, Affirmative.

Ad II. Negative, die 14 Augusti, in qua Officium et Missa de Vigilia Assumptionis, loco Officii et Missae de Immaculata Conceptione Deiparae peragatur, iisdem iuribus, at sub ritu feriali: Affirmative, die 7 Decembris, sed Missa Vigiliae sub ritu feriali et colore violaceo celebretur.

Atque ita rescripsit, declaravit et indulsit, die 11 Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) *Vide supra* p. 18.

V.

ORDINIS S. BENEDICTI — DECRETUM

Confirmationis cultus praestiti Placido Martyri et Sigisberto Abbati, Monasterii Desertinen. fundatoribus, Beatis et Sanctis nuncupatis, seu casus excepti a Decretis s. m. Urbani Papae VIII.

Ad humillimas preces R.mi D.ni Benedicti Prevost, Ordinis S. Benedicti, Abbatis monasterii Desertinensis, intra fines Curien. dioeceseos, Sanctissimus Dominus Noster PIUS PAPA X per decretum Sacrorum Rituum Congregationis die 7 Iulii, hoc labente anno 1905, dispensare dignatus est a forma consueta Inquisitionis Ordinariae super cultu praedictis Beatis et Sanctis nuncupatis Placido M. et Sigisberto Abb. exhibito seu super casu excepto a decretis Urbanianis; dummodo huiusmodi cultus seu casus exceptus rite comprobetur. Perhibent autem Actores S. Sigisberti Abbatis an. 636 defuncti corpus in sepulchro S. Placidi quadriennio vel sexennio antea interempti depositum fuisse, ut, qui in vita, religione et virtute erant coniuncti, post mortem tumulo et veneratione haud forent separati. Exinde incoepit cultus simultaneus qui asseritur utrique sancto per ultra duodecim saecula praestitus. Fama prodigiorum ad tumulum increbrescente, veneranda corpora ab Abbate Adalberone an. 663 in S. Martini templum translata et an. 670, ob belli periculum, in oppidum Thuregum traducta, paulo post Desertinensi monasterio restituta fuerunt. Haec sacrorum pignorum translatio, die 30 Iulii, peculiari festo immemoriali ibidem recolitur. Tello autem Abb. Desertin. et Episcopus Curien. pro sacris illis exuviis custodiendis novum sarcophagum an. 760 extrui curavit, ex cupro inaurato, figuris Placidi et Sigisberti gesta referentibus decoratum. Hic sarcophagus cum reliquiis ab Uldarico Abbate an. 1048, securitatis causa, ita terra obrutus fuit, ut, lapsu temporis, ab hominum memoria pene exciderit. Instaurata a Ioanne VII Brugger Abbate Ecclesia S. Martini, thesaurus ille an. 1498 die 14 Februarii inventus est. Inde sacrarum reliquiarum translationis festo alterum quoque inventionis adiectum fuit, praedicta die quotannis recolendum, atque utrumque festum respectivo officio proprio ab Apostolica Sede an. 1893 adprobato condecoratum est. Praeter haec festa secundaria quorum origines antiquissimae descriptae sunt, festum primarium statutum et die 11 Iulii affixum in synopsi Annal. Desertin. ad an. 784 ita exhibetur: « Moritur Tello, qui creditur B. Placidum martyrem et Sigisbertum confessorem in numero sanctorum retulisse, facultate eo tempore Ordinariis locorum competente, eorumdemque festum ut annua solemnitate et publico cultu recolatur ad V Idus Iulii instituisse ». Ad probationem casus excepti conficiendam alia quoque in medium producta sunt argumenta desumpta ex antiquis et recentibus Kalendariis Librisque liturgicis Curien. Beronen. et Einsiedeln., ex ecclesiis, altaribus et simulacris honori horum sanctorum dicatis, ex fidelium peregrinationibus ad sacras eorum exuvias, quas etiam cum pietatis affectu et venerationis signis visitarunt inter alios praestantissimos viros Carolus Magnus, Lotarius postea Imperator, Otto I Imp. et S. Carolus Card. Borromaeus; praesertim vero ex Bulla Callisti Papae III d. d. XVII Kalend. Augusti an. 1456, in qua Placidus et Sigisbertus vocantur sancti et monasterii Desertinen. patroni aeque praecipui cum Sancto Martino et conceditur indulgentia unius anni omnibus vere poenitentibus et confessis qui ecclesiam eiusdem monasterii devote visitaverint annuatim *in eorumdem sanctorum Martini, Placidi et Sigisberti patronorum solemnitate.* Quibus caeterisque documentis authenticis Sacrorum Rituum Congregationis examini subiectis, ad enixas iteratasque preces praelaudati R.mi P. D. Benedicti Prevost, monasterii Desertinen. Abbatis, attentisque obsequentissimis litteris commendatitiis plurium R.morum Helvetiae Episcoporum et Abbatum Benedictinorum una cum R.mo P. D. Hildebrando de Hemptinne Abbate Primate, E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Andreas Steinhuber huius Causae Ponens seu Relator in Ordinariis Sacrae eiusdem Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit: « An constet de casu excepto a decretis s. m. Urbani Papae VIII in casu et ad effectum, de quo agitur? ». Et E.mi ac R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem E.mi Cardinalis Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuerunt: *Affirmative seu constare.* Die 5 Decembris 1905.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro PIO PAPAE X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Congregationi Rituum Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et probavit die 6 eisdem mense et anno.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

✝ DIOMEDES PANICI, Archiep. Laod., *S. R. C. Secretarius.*

VI.

DIVIONEN. — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Margaritae a SS.mo Sacramento, Monialis professae Ordinis Carmelitarum Excalceatorum.

SUPER DUBIO

« An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Charitate in Deum et proximum; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ».

Praecelsa mulierum, Deipara Virgo, cui *gloria Libani data est et decor Carmeli,* tot ex adscita sibi Familia Carmelitica virgines numerat suarum virtutum imitatrices, ut iure Ipsi accommodentur Ecclesiastici verba: *Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiae.* Salutiferae illius plantae sub umbra crevit Ven. Dei Serva MARGARITA A SS.MO SACRAMENTO, fructusque dedit plane dignos, quibus *laetetur mons Sion et exsultent filiae Iudae.*

Venerabilis MARGARITA, religionis nomen adepta a SS.mo Sacramento propter singularem quo flagravit amorem in divinum Infantem, orta est Belnis in Gallia VIII Id. Februar. an. MDCXIX. Ab ineunte aetate caelestis gratiae donis ita est cumulata, ut apparerent in ipsa quasi semina

innata christianae virtutis. Mature quippe in puella fulserunt et pietas in Deum et in proximos charitas. Nondum septennis plures horas, etiam nocturnas, ipsaque in hiemis asperitate, precibus vacabat; pauperibus obsonia aliaque sibi collata munera distribuebat; aegrotis non solum domi, sed etiam in valetudinariis adsidebat; eorum curare vulnera deoscularique minime verita.

Mortua parente, Deiparam sibi matrem elegit eiusque religioni in Belnensi Familia Carmelitidum Sororum sese devovit. Hoc pacis et virtutis asylum ingressa est undecim annos nata; eoque fuit illi laetior eventus, quod, qui dies ad caenobium, idem ad caeleste pabulum primitus degustandum aditum patefecit. Quum tyrocinium, tum reliquum tempus post nuncupata vota solemnia ea religiosae vitae perfectione traduxit, tam altae caelestium rerum contemplationi animum intendit, ut angeli speciem potius, quam puellae praeseferret. Divinum Infantem, cui se totam sacraverat, fervido amore prosequuta est, nihilque praetermisit, quod illi gratum esse putaret eiusque voluntati consentaneum. Tali sibi proposito exemplo, mirum non est quod in eius omni vita nihil fuerit deprehensum, quod ullo pacto notari posset, nihil immo quod non summopere laudandum videretur. Provehendi autem eiusmodi cultus maxime sollicita, sodalitium instituit, cui adscripti fidelés annos duodecim Iesu adolescentis certis precibus prosequerentur. Quae religio brevi, non modo Galliam, sed exteras quoque gentes ita est pervagata, ut a s. m. Pio IX Pont. Max. institutum illud auctum fuerit Archisodalitii titulo ac privilegiis. Supernis donis praedives mirabiles raptus ac visiones experta est, animorum latebras perspexit, longinqua et futura praenunciavit.

Sanctissimum finem non tam atrocitas morbi, qui solidos duos menses MARGARITAM excruciavit, quam referta meritis vita maturavit. Extremis doloribus mira patientia toleratis ubi sensit novissimam imminere horam, Ecclesiae sacramenta, fune ad collum alligata et petita singulis adstantibus venia, recepit. Post haec, inter Sororum effusas lacrymas atque complexus, animam efflavit placidissime V Cal. Iunias an. MDCXLVIII, aetatis suae anno trigesimo.

Mortuae virginis os nova quadam pulchritudine statim circumfundi visum est, et olere suavissime corpus. Eius autem obitus nuntio commota universa civitas ad funeris pompam eo devotionis impetu accurrit, ut militibus opus fuerit ad ipsam continendam. Haec fama sanctitatis, bis iam saecularis, intermissa nunquam est, ne Gallicarum quidem perturbationum tempore; quin etiam vulgatiorem in dies factam esse testantur quotidianae ad eius tumulum peregrinationes. Cui famae magis magisque illustrandae quum prodigia complura, quae de ipsa ferebantur, accessissent, anno MDCCCLX ordinarii processus instituti sunt; quibus expletis et ad SS. Rituum Congregationem delatis, idem Pius PP. IX die XIX mensis Iunii an. MDCCCLXXIII Commissionem introductionis causae sua manu signavit. Consecuti deinde sunt penes eamdem SS. Rituum Congregationem anno MDCCCXCV Apostolici processus de gradu *heroico* virtutum Ven. Dei Servae MARGARITAE. Ac primum acta res est in antepraeparatorio coetu apud R.mum Cardinalem Caietanum Aloisium Masella cl. me. causae relatorem, pridie Nonas Apriles an. MDCCCXCIX; mox in duplici praeparatorio, Vaticanis in aedibus, pridie Nonas Februarias anno MDCCCCII, et decimo Cal. Septembres an. MDCCCCIV; postremo in Congregatione generali ibidem, apud SS.mum D. N. PIUM PP. X, coacta quinto Idus sextil. volventis anni. Quo in conventu quum R.mus Cardinalis Aloisius Tripepi pro R.mo Card. Dominico Ferrata cui munus Causae referendae a Pontifice Maximo fuit delatum, discutiendum proposuisset dubium: *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Charitate in Deum et proximum; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis Ven. Servae Dei* MARGARITAE A SS.MO SACRAMENTO, *in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur;* R.mi Cardinales et Patres Consultores sua quisque suffragia tulerunt. Quibus perpensis SS.mus Dominus supremum iudicium suum differendum censuit, hortatusque praesentes est, ut in re tanti momenti caeleste lumen implorarent.

Hodierno vero die, quo domus Sanctae Virginis apud Picentes in Loreto apparuit et Dominica secunda sacri Adventus, Sacro religiosissime litato nobiliorem aulam Vaticanae aedis ingressus et pontificio solio assidens, ad se accivit R.mos Cardinales Aloisium Tripepi S. RR. Congregationi Pro-Praefectum et Dominicum Ferrata causae Ponentem; itemque R. P. Alexandrum Verde S. Fidei Promotorem et me infrascriptum Secretarium, iisque adstantibus solemniter pronunciavit: *Ita constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Charitate in Deum et proximum; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis Ven. Servae Dei* MARGARITAE A SS.MO SACRAMENTO, *in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur, ut procedi possit ad ulteriora, idest ad quatuor miraculorum discussionem.*

Hoc autem Decretum evulgari et in SS. RR. acta referri iussit, quarto Idus Decembres anno MDCCCCV.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., S. R. C. *Secret.*

VII.

NAMURCEN. — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Iuliae Billiart, Institutricis Congregationis Sororum B. M. Virginis

SUPER DUBIO

« *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur* ».

Anxiis bonorum animis de sorte iuventutis utriusque sexus, tot obnoxiae periculis ex impiorum hominum diuturno molimine, admirando sane non minus quam iucundo spectaculo sunt lectissimae illae foeminae, quae virginum animis, ceu teneris virgultis, excolendis et ad solidam pietatem doctrinamque informandis, quasi positae custodes in vineis, animum adiecerunt, iuxta illud Eccl. XXIV, 42: *Rigabo hortum meum plantationum et inebriabo prati mei fructum.* Huiusmodi laudem sibi comparavit saeculo XVIII Gallici coeli lucidum sidus, Ven. Dei Famula IULIA BILLIART ex oppido Cuvilly Bellovacensis dioecesis, Mater legifera Congregationis Sororum B. Mariae Virginis.

Dignam aptamque perarduo ministerio iuventutis insti-

tuendae IULIAM effecerunt et acta aetas innocentissime, et singularis vel a prima aetatula pietas, et qua valuit abunde religionis doctrina, et effusa in proximos charitas, praesertim in pauperes colonos, quos inter adolescens ob rei familiaris angustias versata est, et mira patientia, qua quum crurium paralysim toleravit adfixa lectulo per annos duos ac viginti, tum etiam conflatum in se capitale odium sustinuit pessimorum hominum. Tot adversis exercita planeque erudita, adiutore ac duce R. P. Varin S. I., Congregationem instituit Sororum B. Mariae Virginis, proposita sibi maxime christiana puellarum educatione; frugiferum sane opus, quod per tot ardua initia, per tot adversantium obiecta impedimenta, per tot exantlatos omne genus labores longe lateque propagatum, ad nostros usque dies florentissimum viget ad Ecclesiae decus et christianae solatium societatis, siquidem: *In bonis iustorum exultabit civitas* (PROV. XI, 10). Praeclaris, quas vix attigimus, ornata virtutibus ac meritis cumulatae, tandem ab nunquam intermissis laboribus requievit VI Id. Apriles an. MDCCCXVI.

Eximiam IULIAE sanctitatem sequuta etiam post eius obitum miracula confirmarunt, eius precatu ab Ipso patrata, qui: *voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet* (Ps. CXLIV, 19). Itaque post editum a sa. me. Leone XIII Decretum VIII Id. Ianuar. anno MDCCCCIII (1) de approbatione virtutum Ven. Servae Dei IULIAE BILLIART, de tribus miraculis, quae de ipsa ferebantur, actum est in SS. Rituum Congregatione, ab eadem de more diligenter excussis recognitis ad ultimum ac probatis tabulis.

Primum horum accidit miraculum in oppido Oteppe dioecesis Namurcensis, anno MDCCCLXXXII. Armandus Hubin, vixdum sexennis claudicare coepit, dolore correptus in laevo crure, cuius ex aperto vulnere cruor manabat et sanies. Morbo in dies crescente, pueri conditio post sexdecim menses adeo deterior facta est, ut actum de illo medici iudicarent. Tunc infirmi mater, cui spes nulla sanationis nisi divinitus impetrandae iam superesset, Namurcum se ad Ven. IULIAE sepulcrum contulit, ubi fervidas pro filio preces effudit. Domum reversa, vestium fragmen Ven. Servae Dei ulceri apposuit. Altero die ab inchoatis novendialibus repente sanatus est puer, nec anteacti morbi quidquam remansit nisi vulneris obducta cicatrix.

Alterum, haud priori absimile, miraculum contigit Ioanni Natali Grégoire e Namurcensi oppido Iambe. Huic a puero, post gravem lapsum, tumefieri crus coepit, aperiri subinde vulnus, induci caries in tibia; tum ossium fragmenta educi putridosque humores profluere. Morbum plus minusve latentem perduxit Ioannes ad usque vicesimum aetatis annum, donec ineunte anno MDCCCLXXXI longe gravius excruciari coepit ac debilitari sic ut macie consumi videretur. Tunc omni sanationis intercisa spe, invocatum est Ven. IULIAE patrocinium, cuius apposita cruri reliquia, primo ipso novendialium supplicationum die, morbum omnem illico propulsavit.

Tertium contigit miraculum Ludovico Waelens, agricolae in oppido Kuysselède Brugensis dioecesis anno MDCCCLXXXVI. Hic octo ferme et viginti annos saevissimis torquebatur stomachi cruciatibus cum perdifficili digestione et magna sanguinis vomitione, propter conceptum in eo viscere ulcus. Cumque iam cibos retinere nullos posset, ac deficientibus in dies viribus, extrema macie conficeretur, supremam vitae horam imminere sibi sentiebat. Inter haec Ven. IULIAE patrocinium imploratum est; novendiales incoeptae preces et Ludovici pectori altera ex Ven. Servae Dei reliquiis admota. Ecce autem primo ipso supplicationum die, ac statim ut appositae reliquiae sunt, infirmus perfectam sanitatem est consequutus.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XI, p. 28.

De tribus hisce miraculis diligenti inquisitione instituta, confectis Apostolicis tabulis earumque agnita probataque validitate, instaurata est deinde actio; primum in antipraeparatorio Conventu, in Ædibus R.mi Cardinalis Dominici Ferrata Causae Relatoris habito octavo Idus Decembris anno MDCCCIV; iterum in praeparatorio ad Apostolicum Palatium Vaticanum, coacto Kal. Augusti huius anni; tertio denique in generali Congregatione decimoctavo Kal. Decembres eiusdem anni coram SS.mo D. N. Pio Papa X. Quo in coetu ab eodem R.mo Card. Dominico Ferrata propositum est dubium: *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* SS.mus Pater, suffragiis Consultorum et PP. Cardinalium exceptis, supremum iudicium distulit in alium diem, hortatusque omnes est ut in re tam gravi divinum lumen implorarent.

Hodierno autem die, Dominica secunda Adventus qua Mariae Sanctae Lauretanae festum percolitur, Idem SS.mus Pater, Sacro pientissime litato in privato Suo Sacello, in Vaticanam hanc nobiliorem aulam inde ingressus et pontificio solio assidens ad se accivit R.mos Cardinales Aloisium Tripepi S. RR. Congregationi Pro-Praefectum et Dominicum Ferrata Causae Ponentem, una cum R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemniter edixit: *Constare de tribus propositis miraculis;* scilicet de primo: *Instantaneae perfectaeque sanationis Armandi Hubin a carie tuberculari ossium laevi cruris;* de altero: *Instantaneae perfectaeque sanationis Natalis Grégoire a chronica inferioris dexterae tibiae condili osteite quam chronica praecesserat osteo-periostites;* de tertio: *Instantaneae perfectaeque sanationis Ludovici Waelens a chronico ulcere e chronica stomachi flogosi cum gravi anemia et consumptionis ad marasmum usque perductae phaenomenis sociata.*

Hoc autem Decretum promulgari et in SS. RR. Congregationis acta referri iussit quarto Idus Decembres, anno MDCCCCV.

ALOYSIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praef.*
L. ✠ S.
† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

VIII.

TUNQUINEN. — DECRETUM

Beatificationis seu declarationis martyrii VV. Servorum Dei Ord. Praedicatorum Francisci Gil De Federich, Matthaei Alonso Leziniana, Hyacinthi Castaneda, Vincentii Liem a Pace, Sacerdotum Missionariorum, itemque Hieronymi Hermosilla, Valentini Berrio-Ochoa, Episcoporum et Vicariorum Apostolicorum, Petri Almato, Sacerdotis Missionarii, et Ven. Servi Dei Iosephi Khang, indigenae

SUPER DUBIO

« *An stante approbatione martyrii, pluribus signis, seu*

miraculis a Deo illustrati et confirmati TUTO procedi possit ad solemnem VV. Servorum Dei beatificationem ».

De catholica Ecclesia ac de civili societate praeclare meritus Ordo FF. Praedicatorum, inter complures evangelii praecones a se datos, qui, uti loquitur S. Ioannes Chrysostomus, « *et laborando fortiores et moriendo victores effecti sunt* » (serm 1° de martyr.); novum eumdemque duplicem hodie manipulum exhibet, alterum eorum qui XVIII, alterum qui XIX saeculo, in regno Tunquinensi, « *tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia* ». Una enim eademque sub insectationis procella occubuisse dicendi sunt; quippe ab exeunte saeculo XVIII ad annum MDCCCLXII, odium contra christianam fidem in Tunquini regionibus usque desaeviit.

Prioris aciei pugiles fuerunt FRANCISCUS GIL DE FEDERICH, MATHAEUS ALONSO LEZINIANA, HYACINTHUS CASTANEDA et VINCENTIUS LIEM A PACE. Primi duo hispani, post varias, apostolatus causa, peragratas regiones, in Tunquinum appulsi, atrocissima quaeque pro Christo passi sunt, alter alteri aemulus in poena capitis appetenda, quam fortiter subierunt, obtruncati una simul XI Cal. Febr. an. MDCCXLV. Vix triginta post annos, HYACINTHUS CASTANEDA, hispanus, et VINCENTIUS LIEM A PACE, Tunquinensis, martyrii palmas pari aemulatione consociarunt, immanes post saevitias decollati VII Id. Nov. an. MDCCLXXIII.

Alterius agminis officii dignitate, praecipui sunt HIERONYMUS HERMOSILLA, Episcopus Miletopolitanus, et VALENTINUS BERRIO-OCHOA, Episcopus Centuriensis, quos pariter Hispania protulit, sanctorum martyrum, Confessorum ac Virginum foecunda parens, Vicarii Apostolici Tunquini orientalis ille, centralis hic, munere suscepto, nihil praetermiserunt, ut messem quam possent uberrimam ex efferatis iis incolis referrent, adiutoribus PETRO ALMATO, Sacerdote eiusdem regionis et ordinis, et IOSEPHO KHANG, Catechista. Hi singuli mira patientia enituerunt in perferendis iniuriis usque ad vincula, ad verbera et ad necem crudelissimam, quam invicto animo substinuerunt Cal. Nov. an. MDCCCLXI.

Gloriosi horum omnium interitus pervulgata fama variisque illustrata prodigiis, Pius X, P. M., ex SS. Rituum Congregationis consulto, de VV. Servorum Dei martyrio eiusque causa, itemque de signis martyrium ipsum confirmantibus constare edixit duplici seiuncto Decreto, altero edito XV Cal. Maias anno MCMIV (1), altero VIII Cal. Iul. anno MCMV (2). Id unum inquirendum supererat, utrum Caelitum Beatorum honores iisdem martyribus TUTO decerni possent. Quamobrem in generali Conventu habito coram eodem SS.mo D. N. XVIII Cal. Decembres volventis anni, R.mus Cardinalis Dominicus Ferrata loco et vice Card. Seraphini Cretoni, Causae Relatoris, dubium proposuit: *An stante approbatione martyrii eiusque causae, signis et miraculis a Deo illustrati et confirmati*, TUTO *procedi possit ad solemnem horum Venerabilium Servorum Dei beatificationem.* R.mi Cardinales et PP. Consultores suo quisque suffragio favorabilem edidere sententiam, quam tamen suprema auctoritate sua confirmare SS.mus D. N. distulit in alium diem.

Hodierna vero die, Virgini Sanctissimae Lauretanae Opiferae dicata ac Dominica secunda Adventus Idem SS.mus Dominus, Sacro devotissime litato, nobiliorem aulam Vaticanae aedis ingressus ac pontificio solio assidens ad Se accivit R.mos Cardinales Aloisium Tripepi SS. Rituum Congregationi Pro-Praefectum, et Dominicum Ferrata, una cum R. P. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto a secretis, iisque praesentibus, unico Decreto sanxit: TUTO procedi posse ad solemnem Venerabilium Servorum Dei FRANCISCI GIL DE FEDERICH, MATTHAEI ALONSO LEZINIANA, HYACINTHI CASTANEDA, VINCENTII LIEM A PACE, HIERONYMI HERMOSILLA, VALENTINI BERRIO-OCHOA, PETRI ALMATO, IOSEPHI KHANG Beatificationem.

Hoc autem Decretum evulgari et in acta SS. RR. Congregationis referri Litterasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificatione quandocumque celebranda expediri iussit quarto Idus Decembres, anno MCMV.

A. Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. XII, p. 207.
(2) *Item*, vol. XIII, p. 254.

IX.

PARISIEN. ET BELLOVACEN. — DECRETUM

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Venerabilium Servarum Dei Theresiae a S. Augustino et Sociarum eius Monialium e Coenobio Compendiensi Ordinis Carmelitarum Excalceatarum

SUPER DUBIO

« *An stante approbatione martyrii eiusque causae, pluribus signis ac miraculis a Deo illustrati et confirmati*, TUTO *procedi possit ad solemnem Venerabilium Servarum Dei beatificationem* ».

Martyrum victorias non prisca modo Ecclesiae tempora recensent, nec eorum sanguine dissitae tantum regiones barbaraeque rubent. Vel excultissimae gentes exemplo suo edocent, quo crudelitatis devenire possint pravis doctrinis excaecati homines, et quanti aestimanda sit, remoto Deo, civilis humanitas. Viget enim pene recens memoria supplicii, cui sub exitu saeculi XVIII traditae sunt ab inimicis religionis sexdecim sorores inter Carmelitides excalceatas monasterii Compendiensis in Gallia: Venerabilis Dei Serva THERESIA a S. Augustino eiusque sodales, aemulatae antiquos martyres, de quibus Cyprianus (Ep. XV, col. LXVIII): *Evangelicam disciplinam sincero fidei vigore tenuerunt et incorrupto honore virtutis cum praeceptis Domini et cum apostolis eius fortiter stantes, nutantem multorum fidem martyrii sui veritate solidarunt.*

Harum virginum fama, longe quidem lateque diffusa, sed Compendienses apud cives multo etiam vividior, testatur adhuc, ipsarum charitatem, paupertatem, severam disciplinae custodiam, omnium sibi amorem conciliasse. Atque ea profecto vitae sanctitas effecit, ut ipsae dignae haberentur *pro nomine Jesu contumeliam pati.* A nequissimis tyrannis per vim claustris ereptae tantam ostenderunt in fide puritatem et in infortunio animi magnitudinem, ut vel segniores in sui admirationem raperent. Difficillimis temporibus terrifici eius regiminis potuerunt et religiosi instituti observantiam cum studio proximorum salutis procurandae componere, et pias industrias in utroque officio summa cum

prudentia modestiaque coniungere. Comprehensae atque in vincula detrusae, non aliam ob causam nisi quod etiam coenobio depulsae pergerent religioso more vivere et Cor Iesu sacratissimum fervido, ut ante, cultu prosequi, acerbissima quaeque pertulerunt, non modo patientia singulari, sed etiam vultu ad laetitiam composito et labiis ad piissimos cantus reclusis, donec, sese mutuo cohortantes, caeso singulis capite, victimae nobiles ceciderunt XVI Cal. Sextil. anno MDCCXCIV, insigni exemplo et incitamento futurae quamplurimis, qui, hac etiam aetate, *persecutionem patiuntur propter iustitiam*. Namque, uti habet Ambrosius: *martyr, quum patitur, non sibi tantum patitur, sed et civibus; sibi enim patitur ad praemium, civibus ad exemplum: sibi patitur ad regnum, civibus ad salutem.*

Praeclari huius triumphi rumore, non modo per Galliam, sed per maximam Europae partem adhuc personante, conspicuis identidem accedentibus signis atque prodigiis, Pius X P. M. ex SS. Rituum Congregationis consulto tertio Idus Iunii volventis anni, de martyrio eiusque causa et signis ipsum confirmantibus constare edixit (1). Unum supererat inquirendum, utrum Coelitum Beatorum honores possent memoratis martyribus TUTO decerni. Itaque in conventu generali habito coram Sanctissimo Domino Nostro decimo octavo Cal. Decembres labentis anni R.mus Cardinalis Vincentius Vannutelli Episcopus Praenestinus, Causae relator, dubium proposuit: *An, stante approbatione martyrii eiusque causae, pluribus signis ac miraculis a Deo illustrati et confirmati*, TUTO *procedi possit ad solemnem harum Venerabilium Servarum Dei Beatificationem.* R.mi Cardinales et PP. Consultores suam singuli protulere sententiam; qua etsi comperta legitima et assertorum signorum veritate in tuto posita, nihilominus Sanctissimo Domino Nostro in re tam gravi placuit supremum iudicium differre in alium diem.

Hoc vero die, quo Almae Domus Lauretanae B. Mariae Virginis Immaculatae translationem celebrat Ecclesia ac Dominica secunda Adventus idem Sanctissimus Dominus, sacris devotissime operatus, nobiliorem aulam Vaticanae aedis ingressus ac pontificio solio assidens, ad se accivit R.mos Cardinales Aloisium Tripepi SS. RR. Congregationi Pro-Praefectum et Vincentium Vannutelli Episcopum Praenestinum Causae Relatorem, una cum R. P. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore meque infrascripto a secretis, iisque adstantibus solemni decreto sanxit: TUTO *procedi posse ad solemnem Venerabilium Servarum Dei* THERESIAE *a S. Augustino*, MARIAE FRANCISCAE *a S. Aloisio*, MARIAE *a Iesu Crucifixo*, MARIAE *a Resurrectione*, EUPHRASIAE *ab Immaculata Conceptione*, GABRIELLAE HENRICAE *a Iesu*, THERESIAE *a SS.mo Corde Mariae*, MARIAE GABRIELLAE *a S. Ignatio*, IULIAE ALOISIAE *a Iesu*, MARIAE HENRICAE *a Providentia*, MARIAE *a Sancto Spiritu*, MARIAE *a S. Martha*, STEPHANAE IOANNAE *a S. Francisco Xaverio*, CONSTANTIAE MEUNIER *et germanarum sororum* CATHARINAE *et* THERESIAE SOIRON *beatificationem.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, in Acta SS. RR. Congregationis referri, Litterasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificatione quandocumque celebranda expediri iussit, quarto Idus Decembres an. MDCCCCV.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. XIII p. 255.

X.

POLICASTREN. — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Dominici Lentini, Sacerdotis saecularis.

INFORMATIO ADVOCATI.

(Vide supra p. 461, explicit).

CAPUT XV.

DE DONIS SUPERNATURALIBUS.

104. Etsi certissimum verae sanctimoniae signum in sedulo, constanti et eximio virtutum exercitio consistat, quod per se tam pulchrum et luculentum est ut adsciticiis non egeat ornamentis; solet tamen amantissimus Deus in Servis suis splendidius virtutum decus efficere, additis supernis charismatibus, quibus permoti homines intentius suspiciant et revereantur illos, quos tamquam exemplaria sibi proposita debent intueri atque imitari. Quantum vero ea conferant ad vitae sanctimoniam confirmandam, et quantum ipsam splendidiorem efficiant, S. Laurentius Iustiniani docet inquiens: « *Haec dona coelestis gratiae impertiuntur ad* « *ornatum, persuadentque intuentibus et intelligentibus* « *hominem esse Sanctum, spiritualibus muneribus plenum,* « *et cum Deo intima charitate coniunctum* » (1). Iamvero Dominico Lentini non defuit hic supernaturalium munerum ornatus.

105. Haud pauca in actis extant testimonia, quae Dei Famulum spirituum discretione et prophetiae dono apprime insignitum fuisse evincunt. Experimentum in se fecisse candide fatetur Testis XXVIII, qui adolescens cum esset iussus a patre ut Servum Dei in confessarium adhiberet, suam huic in peragenda homologesi conscientiam pandere verebatur. Compertum hoc habuit Dei Famulus, et adolescentulum ita admonuit: « Dite a vostro padre che non vi mandi più da « me a confessare, perchè essendo stato mio discepolo vi « vergognate di dire le vostre mancanze, e la vostra con« fessione non sarà mai intiera ». Huic simile est illud, quod refert Testis LXX de sorore sua.

106. Prophetico spiritu illustratus saepe futura prospexit, et prout sanitatem vel obitum infirmis praedicebat, amussim fiebat. Laureae est in more ut aegrotantes pueros matres sistant Sacerdotibus, qui coram illis initium evangelii S. Ioannis recitare solent. Iamvero Servus Dei, « dopo di averlo « recitato, a talune madri diceva: — questo ragazzo è pel « paradiso; ad altre diceva: — questo ragazzo viverà. Le « profezie si verificavano ». Sacerdoti graviter aegrotanti cum benedixisset, eum adhuc esse Ecclesiae necessarium et certo valetudinem recuperaturum adstantibus praenunciavit; item alteri, qui a triennio gravi morbo vexabatur, se brevi bene habiturum praedixit; quod revera utrisque contigit. Similiter ingressus olim domum Testis LXIV imbecillae valetudinis puerum sanatum iri, eiusdem vero fratris bene valentis mortem praefatus est. Utrumque, uti praedixerat, factum est. Plures etiam alterius generis praedictiones a testibus relatae in Summario prostant, prout videre cuique est; unum adhuc animadvertere praestat, obitum suum, qui imminebat, Dei Famulum haud ignorasse, sed omnia extremi morbi et obitus adiuncta, et ea quae post eius mortem erant eventura aperte praecinuisse. Haec illi innotuisse caelesti luce illustrato eventus demonstravit.

107. Eodem divino lumine, quo ventura praevidebat, Dei Famulus, etiam ea quae dissito loco fierent perspecta interdum habebat. Ideo solari potuit uxorem Testis XXVIII, cui allatum fuerat nuncium virum suum, dum Neapolim

(1) Lib. de Humil., cap. 10.

pergeret, in praedonum manus incidisse. Item eum non latuit mulieris crimen, quae dormiens filiolum suum in lectulo suffocaverat. Quare eam admonuit, ut de morte filio illata veniam a Domino exposceret.

108. Salutarem infirmis opem Servi Dei fuisse ex eo potest argui, quod Testis VIII de septenni nepte a viscerum inflammatione consanata refert. Item ex iis quae alii narrant de fusis ab eo ad Deum precibus, quibus suam vitam pro aegrotantium salute immolari impetravit. Huc etiam referri debent publicae supplicationes, quas optimo semper exitu Dei Famulus peragere solebat, ut imbrem de caelo in sitientem terram avocaret.

109. De mirabili mutatione in Dei Famuli concionantis vel sacra peragentis adspectu iam plura disserui quum explicarem eius heroicam fidem et charitatem in Deum. Hic praestat adiicere, ipsum fuisse ad sublimem orationis gradum evectum, siquidem nonnumquam in hac animi elevatione ad Deum in ecstasim trahebatur, prout testatum in actis legimus.

CAPUT XVI.

De fama sanctitatis in vita.

110. Cum in sedula et nunquam intermissa sacerdotalium munerum perfunctione versata apprime sit vita Servi Dei, pronum erat ut pleraque ex iis quae sunt exposita de heroicis eius virtutibus ac donis supernaturalibus hominibus innotescerent, atque ita praenobilem sanctimoniae famam ei conciliarent. Atque ita plane usuvenit: nam opinio quae de eo viguit « mentre visse fu di essere stato un sacerdote « modello, un sacerdote esemplare ed esattissimo negli adem- « pimenti dei suoi doveri, e come tale la sua fama fu di « un sacerdote santo, ed a lui si prestava un ossequio ed « un rispetto singolarissimo da ogni classe di persone. » Tantus inest virtuti iubar ut non modo intuentium, sed et coecutientium oculos suo splendore percellat.

111. Coeperat haec fama invalescere apud eos qui Dei Famulum noverunt ex eo tempore quo adolescens ecclesiasticae militiae nomen dedit; magis vero increverat quum sacerdotio initiatus sacri muneris partes obire suscepit. Nec tantum in patria, quam iugiter apostolicis laboribus excoluit, Dei Famulus uti sanctus censebatur, « ma veniva ri- « putato tale anche nei paesi ove andava a predicare, e ciò « per le sue luminose virtù ». Quae postrema verba nos admonent eiusmodi famam heroico virtutum exercitio inniti, quae eam pepererunt sponte et diffuderunt, absque ullo studio vel humana industria, quemadmodum luculentius asserit Testis XXI. Immo mirum est Dei Famulum non modo nullam artem adhibuisse, ut hanc opinionem foveret; sed curiose sategisse ut vitam suam oculis hominum subduceret, seque maximum peccatorem profiteretur; nihilosecius haec fama perduravit semper, quin ullam exceptionem passa sit unquam. Quare maxime gestiebant omnes eius manus deosculari, consilia audire.

112. Communis erat haec de sanctimonia Servi Dei existimatio inter cuiusvis ordinis aetatisque cives, quorum omnium una sententia, una vox erat. Constans fuit haec fama semperque aucta est ad extremum usque eius vitae diem, de quo nunc est disserendum.

CAPUT XVII.

De pretioso obitu.

113. Servi Dei ex hoc mundo migratio talis profecto oportebat esse, quae sanctissimae vitae in Domini suo amore et animarum zelo exactae responderet. Nam, uti docet S. Augustinus, « *non potest male mori qui bene vixerit* » (1) vulgatumque est illud « *mors est echo vitae; si vita di-* « *xerit bonum, bonum respondebit et mors* » (1). Quartum supra quinquagesimum in assidua virtutum exercitatione, munerumque sacerdotalium sedula perfunctione attigerat annum, quum infirmitate urgeri coepit, qua brevi sublatus est, quaeque fuit a medicis « caratterizzata per una infiam- « mazione delle meningi », ceu eorum alter testatur. Communi tamen omnium sententia non morbo, sed flagrantissimo desiderio, quo citius Deo coniungeretur, absumptus esse fertur, quemadmodum edixit Rmus Episcopus Laudisio.

114. Ex quibus Praesulis pientissimi verbis inferri iam licet singularia prorsus in eo postremo morbo fidei, spei, charitatis, ceterarumque virtutum specimina fuisse edita, quae earumdem habitum in Dei Famulo ex hac vita discedenti praeclarissime ostenderint. Assidue de christiana fide loquebatur, et ad eius praecepta omnium mores componi voluisset. Hinc adeuntes haud percontari cessabat num veram Christi fidem profiterentur, num eidem adhaererent ex animo. Divinae voluntati totus conquiescens, preces ingeminabat, et psalmorum formulas identidem usurpabat, quin unquam querelae vocem ederet.

115. Rigente hieme, bis in die, nivali aqua immergi ex medicorum praescripto iussus est. Corporis sensus abhorrebant, « ma quando se gli diceva che Gesù Cristo è stato « alla colonna, egli vi si tuffava immediatamente ». Et quum, deficientibus viribus, nequiret ipsemet medicorum praescripta peragere, eorumdem subsidia in id petebat.

116. Paucis diebus quos eum tenuit infirmitas nullum aliud ab ipso quaesitum est solatium quam Ecclesiae Sacramenta. Sacra homologesi peracta cubiculum instrui et ornari iussit, « perchè doveva venire il Santissimo Sacra- « mento ». Tanto desiderio et amore SSmam Eucharistiam recipiendi flagrabat, ut ad tinnitum aeris Eius transitum, dum ad infirmos deferebatur, praenunciantibus, « credendo « essere il Viatico che andava a lui, si buttò dal letto e si « pose in ginocchioni nella stanza », ibique « si tratteneva « in fervoroso apparecchio ». Huiusmodi autem flagrantissimo desiderio, ut ipsemet Dei Famulus iam praedixerat, etsi pluries patefacto, nunquam satisfactum est, « perchè i « medici non credettero così prossima la sua morte ». Sacro etiam Oleo inungi optavit atque petiit; quod tamen paullo ante obitum est assequutus.

117. Quo magis suprema adventaret hora, eo ferventius orationi ac rerum caelestium contemplationi instabat. In agone autem positus, cum sensibus omnino destitutus videretur, porrectam sibi Christi crucifixi imaginem tam devote et amanter est deosculatus ut maxime mirarentur adstantes. Et in hoc suavissimo osculo animam placidissime efflavit, 5 Kalendas Martias anno 1827. Quare iure Testis LXXVII asserere potuit « che la sua morte fu la morte del giusto, « cioè una morte santa, perchè spirò proprio nel bacio del « Signore, come spirano e muoiono i Santi ».

118. Vix de eius obitu civitatem fama pervasit, veluti in publica calamitate collacrimatum est ab omnibus. Hoc unum moerentes animos recreabat, quod eum in caelis cum Deo regnare autumarent. Illico tum ex finitimis, excitante nemine, tum ex dissitis locis ad eum confluxere cives.

119. Huic universali opinioni egregie suffragabantur tum notitia sanctissimi eius obitus, tum mirifica signa in defuncti corpore fulgentia, ac si Deus confluentium fidelium oculis quodammodo exhibere voluisset beatitatem eius, qui multa atque magna pro nomine suo fuerat operatus. Erat adspectus eius iucundus, dormienti magis quam mortuo similis, flexibiles erant artus, calentia membra, suavis odor e corpore

(1) De Doctr. Christ.

(1) Card. Bona: De praep. ad mort., § 2, num. 1.

manabat. Bis iusta funebria solemniter sunt persoluta, at populorum veneratio in defunctum contineri non poterat.

120. Nova exinde excita sunt studia, quae augebantur in horas, aliquid ex eius reliquiis arripiendi; quapropter ex inexplebilis populi conspectu sacrum avelli corpus opus fuit, quod sequenti die reconditum est in arca.

121. Tandem ad humationem deventum est, sacrumque corpus seorsum a caeteris in Ecclesia paroeciali conditum est in loculo, quem inter sacella S. Antonio ac Elisabethae dicata iam apte in pariete cavatum structor reperit. « E « questa distinzione (adnotat Testis XLIX) fu perchè il Servo « di Dio era vissuto come un santo, era morto come un « santo, ed il suo cadavere fu considerato come quello di « un santo ». Modesta inscriptio inibi apponitur, quae brevi a fidelibus sepulchri pulverem auferendi cupidis abrasa, marmoreo lapide dein insculpta fuit.

CAPUT XVIII.

De fama sanctitatis post obitum.

122. Ea quae post obitum Servi Dei contigisse nuper memoravi perspicue ostendunt eam sanctimoniae famam, qua vivens floruerat, illustriorem ex morte evasisse. Quotquot enim eius consuetudine, dum in humanis adversaretur, usi sunt, quotquot virtutum eius notitiam acceperunt, concordi voce eum laudibus exornant quibus sanctos viros cohonestare solemus, hocce nomine ipsum decorare gaudent, eiusque opem passim exposcunt. Neque hisce limitibus, licet amplissimis, circumclusa fuit, sed oceanum transversa insignis haec fama Americae incolis etiam innotuit, « da dove si man« dano al Servo di Dio delle offerte e chieggono delle sue « immagini ed altri suoi ricordi ».

123. Nec vulgi aequanda rumoribus, quasi fallaci innixa origini, sed solido freta fundamento virtutum, firmissima et unanimi opinione populi, ac novis etiam prodigiis adaucta latius usque diffusa est et confirmata. Quare nemo unquam est ausus ei adversari, vel contrariam sententiam expromere. Quid igitur mirum si et mundani homines suum obsequium erga Dei Famulum testarentur? Quid mirum si etiam viri qui ab ea pietate et virtute, quas ipse coluit, abhorrebant, venerationem erga illum et fiduciam profiterentur?

124. Difficile relatu est qua pietate ac fiducia ad Servi Dei sepulchrum ex dissitis etiam locis accedant fideles, ut eius opem implorent. Eo peregrinatio veluti quaedam est omnium circumquaque pagorum. Tabellas, anathemata, lumina, aliaque id genus donaria saepe afferunt fideles, quae numero plurima inibi inspicerentur veluti acceptorum beneficiorum monumenta, nisi pervigil Ecclesiae auctoritas, ne in vetitum cultum prodeat incauta pietas, ea identidem amoveret.

125. Hisce plaeclarissimis famae sanctitatis argumentis adde reliquias et imagines passim et assidue quaesitas, prout fatetur Testis LVI hisce diribendis praepositus; adde solemne testimonium eius memoriae redditum ab eiusdem patria; adde etiam commune desiderium, quo quisque « aspetta con ansia il momento di venerarlo come santo « sugli altari », iamque eam gloriam Dei Famulum assequutum praedicabis quae Christi sectatorum est, quae morte non moritur, sed omnium memoria ac laude augescit et splendet. Iure propterea de Servo Dei, humili loco nato et inter suos ferme iugiter conversato, dicendum quod de Pammachio senatore romano scribit S. Hieronymus: « *Antequam* « *Christo Pammachius tota mente serviret, notus erat in* « *Senatu. Sed multi alii habebant infulas proconsulares.* « *Praecedebat alios dignitate, sed et alii sequebantur. At* « *nunc omnes Christi Ecclesiae Pammachium loquuntur.* « *Miratur orbis pauperem, quem huc usque divitem ne*« *sciebat* » (1).

CAPUT XIX.

De miraculis post obitum.

126. Ad augendam provehendamque famam sanctitatis, de qua hactenus disserui, non modicum contulisse illustria signa, quae mortem Servi Dei comitata sunt, nempe corporis calorem, flexibilitatem et odorem, vivumque sanguinem ex sectis venis effluentem, quaeque omnia haud immerito praesentium admirationem excitarunt, libenter fatebor, testibus praeeuntibus; ast praeter haec, quibus ultro Deus Servi sui sanctimoniam ostendit, plura memorantur in actis miracula vel eventus prodigio similes qui ad invocationem petentium contigere. Nonnullorum tantum narrationes in Summarii tabulas inserendas curavi, ne titulus hic maiorem in molem excresceret quam praesentis disceptationis ratio ferat.

127. Nondum humi conditum erat Dei Famuli cadaver, iamque ipse opem suam implorantibus praebebat. Eo enim tempore quo expositum iacebat in templo quaedam mulier, Maria Iosepha Filardi, demortui manum strumae admovit qua ipsa laborat, et illico ingens tumor evanuit dum illius oculi reserantur. Eodem ferme tempore filius Testis XL graviter aegrotans, applicitis capillis Servi Dei, « ricuperò « la sanità, si alzò dal letto, ed ebbe la felice sorte di an« darlo a visitare, giacchè non ancora si era seppellito ». Eiusdem validissimum patrocinium expertus est Vitus Reali, cuius filius e piscina, in quam deciderat, mortuus extractus, Dominico implorato, statim revixit. Item experiri potuit valga mulier, quae ad Dominici sepulchrum super asellum devecta rectis pedibus domum rediit. Oculis captus puer gemebat dolens. Ipse quoque ad Dei Famuli tumulum defertur, et sacrum pro luce imploranda litatur. « Miracolo di Dio!... il ragazzo aprì gli occhi... e giulivo si prostrò alla detta tomba... ».

128. Ruricula quidam filium, auribus linguaque captum, lapide forte offenderat. Summa animi anxietate correptus, in simplicitate sua, ovem Dominico devovet si huic nato audiendi, loquendique sensus donasset. O mirum! obstupescentibus omnibus, patri matrique optata contingunt. Profuit etiam Dei Famuli invocatio structori cuidam Laureae, qui, sub saxea mole implicato capite, vix nomen Dominici inclamaverat, quum sospitem se atque incolumem omnino persensit. Pariter Angela Maiolino, omnibus membris capta, parentum moerorem in gaudium vertit, quod fusis ad Servi Dei sepulchrum precibus, eiusque cilicio tacto, illico ex diutina morbi vexatione convaluit. Alios complures praetereo qui huius invocationis vel reliquiarum ope a variis infirmitatibus consanati sunt.

129. Aliquando etiam post mortem Dei Famulus cultoribus suis per visum attulit imploratam opem. Ita apparuit seni cuidam, quem de anxietatibus liberat, atque de proximo monet obitu. In somniis a Laurentio Vitali gradiendi impote visus est, atque restitutam valetudinem eidem nunciat. Itemque sub noctem per speciem se ostendit Iacopo Gallo, eiusque moerorem detersit. Vix animam exalaverat dum Testis LIX matri in somniis apparuit, eamque monuit ut ea pararet quae ad operiendum feretrum necessaria erant, quaeque reapse paulo post quaesita fuere. Huc quoque referenda sunt quae narrant testes de caelesti rore ex Servi Dei sepulchro manante, deque igneis globulis quos tamquam lucida sidera inibi insidentes conspexerunt. Quanti autem omnia haec valeant ad sanctitatis famam qua pollet Dei Famulus confirmandam, compertum exploratumque est Emis Patribus, quippe plane adhaerent Angelico Doctori scribenti: « *Deus*

(1) Epist. ad Pammach.

« operatur miracula ad demonstrandam sanctitatem alicuius, quem vult proponere in exemplum virtutum » (1).

130. Spes itaque in nobis maxime augetur fore ut aliquando Ecclesiae iudicio Servus Dei tamquam exemplar imitandum solemniter clero et populo exhibeatur; atque interim magis magisque Sacer Ordo moveatur, ut pro signanda Commissione introductionis causae propitium ferat suffragium, quemadmodum cum tot amplissimis viris qui hac super re supplices dedere litteras, ac praesertim cum pervigili causae Postulatore Equite Caio Firrao obsequentissime deposcimus.

Quare, etc.

ANGELUS MARIANI.

Revisa

IO. BAPTISTA LUGARI, *S. C. Adv.*
S. R. Assessor et S. Fidei Subpromotor.

XI.

Nota Congregationum pro anno 1906.

Gennaio. — 16. Congregazione preparatoria sui miracoli del Ven. Bonaventura da Barcelona. — 30. Congregazione generale sulle virtù della Ven. Anna Maria Taigi.

Febbraio. — 20. Congregazione ordinaria.

Marzo. — 13. Congregazione Rotale. — 27. Congregazione preparatoria sulle virtù del Ven. Gennaro Maria Sarnelli.

Aprile. — 24. Congregazione generale.

Maggio. — 8. Congregazione antipreparatoria sulle virtù del Ven. Francesco Maria Libermann. — 15. Congregazione ordinaria. — 29. Congregazione nuova-preparatoria sui miracoli del Beato Pierluigi Chanel.

Giugno. — 19. Congregazione antipreparatoria sui miracoli della Ven. Maria Maddalena Postel. — 26. Congregazione Rotale.

Luglio. — Congregazione preparatoria sulle virtù del Ven. Giovanni Nepomuceno de Tschiderer. — 31. Congregazione antipreparatoria sulle virtù della Ven. Florida Cevoli.

Agosto. — 7. Congregazione ordinaria. — 21. Congregazione preparatoria.

Settembre. — 4. Congregazione antipreparatoria sui miracoli della Ven. Maddalena Sofia Barat.

Novembre. — 13. Congregazione generale. — 20. Congregazione rotale. — 27. Congregazione antipreparatoria sui miracoli del Ven. Giovanni Eudes.

Dicembre. — 4. Congregazione ordinaria. — 18. Congregazione antipreparatoria sui miracoli del Ven. Fr. Gabriele dell'Addolorata.

(1) S. Thom. 22, quaest. 178, art. 2.

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

Indulg. conceditur Archiconfrat. a S. Antonio in Basilica Patavina erectae.

Beatissimo Padre,

Il Direttore dell'Arciconfraternita di S. Antonio in Padova (1), umilmente prostrato al bacio del S. Piede, implora per la detta Arciconfraternita e per le Confraternite ad essa aggregate le seguenti grazie spirituali:

1° Indulgenza di *cento giorni*, applicabile ai defunti, per ogni opera di pietà e carità compiuta con cuore almeno contrito dagli Ascritti;

2° Che tutte le Messe, dovunque celebrate in suffragio degli Ascritti, godano della stessa indulgenza, come se fossero celebrate in altare privilegiato;

3° Che gli Ascritti dimoranti nei luoghi, dove non esiste la Chiesa, in cui è eretta la Confraternita, possano lucrare le indulgenze per le quali è prescritta la visita di detta Chiesa, visitando una Chiesa qualunque o pubblico Oratorio, purchè adempiano alle altre opere ingiunte;

Che della grazia ecc.

SS.mus Dom.us N.er Pius PP. X, in Audientia habita die 21 Ianuarii 1904 ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in perpetuum; absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 21 Ianuarii 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*
Pro R. P. D. FRANC. Archiep. AMID. *Secret.*
IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Subst.*

II.

PATAVINA.

Plura solvuntur dubia quoad indulgentias lucrandas.

Ad S. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam a Moderatore Archisodalitatis a S. Antonio, erectae in Ecclesia Eidem dicata in civitate Patavina, sequentia dubia dirimenda sunt delata:

I. An qui nomen dedit pluribus Confraternitatibus, quae gaudent indulto lucrandi indulgentias, quas Stationales appellant, eas lucrari valeat tot vicibus, quot sunt sodalitates, quibus est adscriptus?

II. Quando conceditur plenaria indulgentia pro festo alicuius Sancti, lucranda a christifidelibus in omnibus Ecclesiis alicuius Ordinis vel dioeceseos, haec indulgentia acquiri potest tot vicibus, quot visitentur Ecclesiae eiusdem Ordinis vel Dioeceseos?

III. Cum diversi Ordines, ex gr., Benedictini, Franciscales, etc., pro uno vel altero festo gaudeant plenaria indulgentia, tributa christifidelibus visitantibus proprias Ec-

(1) Vide supra p. 3 circa erectionem dictae Archiconfraternitatis. *N. D.*

clesias, huiusmodi indulgentia potestne pluries acquiri, visitando singulas Ecclesias eorumdem Ordinum, praesertim si haec indulgentia dictis Ordinibus fuerit concessa a distinctis Pontificibus?

IV. Quando ad indulgentias lucrandas praescribitur visitatio Ecclesiae parochialis, haec debetne esse Ecclesia parochialis propria illius qui vult indulgentias lucrari, an alia quaecumque?

V. An sub nomine Ecclesiae parochialis propriae veniat tantummodo illa domicilii vel etiam quasi-domicilii aut morae transitoriae, uti contingit tempore itineris?

Et E.mi Patres in generali Congregatione ad Vaticanum habita, die 31 Augusti 1905, respondendum mandarunt:

Ad I^um^ Negative, iuxta Decretum « Delatae saepius », diei 7 Martii 1678.

Ad II^um^ Affirmative, id est acquiri potest indulgentia una vice tantum sed in singulis Ecclesiis eiusdem Ordinis seu Dioeceseos.

*Ad III^um^* Provisum in praecedenti.

Ad IV^um^ Affirmative quoad 1^am^ partem; *Negative* quoad 2^am^.

Ad V^um^ Negative quoad 1^am^ partem; *Affirmative* quoad 2^am^ et 3^am^.

De quibus facta relatione SS.mo D.no N.ro Pio PP. X, in audientia habita die 13 Septembris 1905, ab infrascripto Card. Praefecto S. Cong.nis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, SS.mus E.morum Patrum resolutiones ratas habuit et confirmavit.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. C., die 13 Septembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

Indulg. 300 d. adnectitur duabus peculiaribus orationibus.

B.mo Padre,

Gabriele Mallet, Procuratore Generale della Congregazione di Gesù e Maria (Eûdisti), prostrato ai piedi della S. V., umilmente implora a favore di tutti quelli che aggiungeranno al « *Sacrosanctae* », dopo la recita dell'Ufficio divino o dell'Ufficio della B. V., la preghiera infrascritta « *O clementissime Iesu* », l'indulgenza di trecento giorni una volta al giorno, e la plenaria in ogni mese colle condizioni ordinarie.

Inoltre implora umilmente gli stessi favori per tutti coloro che reciteranno l'altra preghiera « *Benedictum sit* ».

« O clementissime Iesu, gratias ago tibi ex toto corde meo. Propitius esto mihi vilissimo peccatori. Ego hanc actionem offero divino Cordi tuo emendandam atque perficiendam ad laudem et gloriam sanctissimi Nominis tui et Beatissimae Matris tuae, ad salutem animae meae totiusque Ecclesiae tuae. Amen ».

« Benedictum sit Cor amantissimum et dulcissimum Nomen Domini Nostri Iesu Christi et gloriosissimae Virginis Mariae Matris eius in aeternum et ultra ».

Iuxta preces.

Die 30 Novembris 1905.

PIUS PP. X.

Praesens rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae S. Cong. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem, etc.

Datum Romae, ex eadem Sec.ria, die 2 Decembris 1905.

IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Substitutus.*

L. ✠ S.

IV.

Indulg. 300 d. conceditur recitantibus orationem ad S. Ioseph pro sanctificatione dierum festorum.

PREGHIERA.

Gloriosissimo Patriarca S. Giuseppe, impetrate, vi supplichiamo, da nostro Signor Gesù Cristo, copiosissime benedizioni sopra tutti i santificatori del giorno festivo; e fate che i profanatori, mentre sono in tempo, conoscano il gran male che commettono ed i castighi che si attirano nella vita presente e nella futura, e prontamente si convertano.

O fedelissimo S. Giuseppe, voi che nel giorno del Signore cessavate da ogni lavoro della vostra officina, ed in compagnia di Gesù e di Maria con divozione vivissima adempivate i doveri religiosi, benedite la pia Opera della santificazione delle Feste, eretta sotto il vostro potente patrocinio; fatela dilatare in ogni casa, negozio, laboratorio, affinchè venga presto il giorno nel quale tutto il popolo cristiano, nei giorni festivi, si astenga da ogni lavoro proibito, attenda seriamente alla salvezza dell'anima sua e dia gloria a Dio che vive e regna in tutti i secoli dei secoli. Così sia.

Ex Audientia SS.mi, die 30 Maii 1905.

SS.mus D. N. Pius PP. X, auditis expositis, omnibus Christifidelibus praefatam precem corde saltem contrito recitantibus, quoties id egerint, indulgentiam tercentum dierum, Animabus etiam in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit, contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesens exemplar exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulg. Sacrisq. Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secria eiusdem S. C., die 1 Dec. 1905.

Pro Secretario, Ios. M. Can.cus COSELLI, *Subst.*

V.

Indulg. 300 d. conceditur recitantibus iacul. « *N. D. a SSmo Sacramento, ora pro nobis.*

Cunctis qui coram SS.mo Sacramento publicae adorationi exposito recitaverint hanc iaculatoriam: « *Domina Nostra SS.mi Sacramenti, ora pro nobis* », Indulgentiam trecentorum dierum concedimus.

Die 30 mensis Decembris, an. 1905.

PIUS PP. X.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem, etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria, die 10 Ianuarii 1906.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

VI.

Indulg. 300 d. conceditur pro infrascripta iaculatoria.

Maria, speranza nostra,
Abbi di noi pietà.

A tutti quelli che reciteranno questa giaculatoria, concediamo l'indulgenza di trecento giorni.

Li 3 gennaio 1906.

PIUS PP. X.

Praesentis rescripti documentum a Sanctitate Sua, manu propria, exaratum, exhibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulg. Sacrisque Reliquiis praepositae.

Die 8 Ianuarii 1906.

L. ✠ S.

† D. PANICI Arch. Laodicen., *Secret.*

VII.

Indulg. 300 d. conceditur recitantibus precationem pro obtinenda bona morte.

PRECATIO.

« Beati mortui qui in Domino moriuntur. O mi Deus! moriendum mihi est certo, sed nescio quando, quomodo, ubi moriar: hoc unum scio, me in aeternum periturum, si in peccato lethali expirem. Beatissima Virgo Maria, Mater Dei Sancta, ora pro me peccatore nunc et in hora mortis meae. Amen. »

SSmus D. N. Pius PP. X, in audientia, die 14 Decembris 1905, ab infrascripto Episcopo oratore habita, istam precationem corde contrito recitantibus, indulgentiam tercentum dierum toties quoties lucrandam concedere dignatus est.

† GUSTAVUS CAROLUS MAJLATH, *Ep. Transylvaniae.*

Praesens rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae S. Cong.nis Indulg. Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem, etc.

Datum Romae, ex eadem Sec.ria, die 12 Ianuarii 1906.

† D. PANICI, Arch. Laodicen., *Sec.rius.*

L. ✠ S.

VIII.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Privilegium lucrandi quinquies in anno absolutionem Gen. extenditur ad universas Ord. S. Ben. Monialium familias.

Beatissime Pater,

Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Primas O. S. B., ad pedes S. V. provolutus, humillime petit, ut S. V. privilegium, a b. m. Leone XIII, per Breve Apostolicum de die 28 Martii 1903, Ordinis S. Benedicti monachis concessum, ut scilicet in perpetuum « quinquies in anno, diebus semel tantum a Primate eiusdem Ordinis designandis, Absolutionem Generalem seu Benedictionem cum adnexa plenaria indulgentia recipere valeant », benigne extendere dignetur ad universas Ordinis S. Benedicti Monialium familias.

Et Deus....

SS. D. N. Pius Pp. X, in audientia habita die 10 Ianuarii 1906, ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces, servatis conditionibus, quae in memoratis Apostolicis Litteris praescriptae sunt. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C. die 10 Ianuarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

Pro Secr. Ios. M. Can. COSELLI, *Substit.*

Nota. — Dies, ab Rev.mo Abbate Primate O. S. B. in perpetuum designati, sunt: Vigilia Nativitatis Domini, Caput Quadragesimae, Vigilia Pentecostes, Vigilia Assumptionis B. Mariae Virg. et Vigilia Omnium Sanctorum.

E SECRETARIA STATUS

I.

Pius X gratulatur E.mo Archie.po Lugdunen. de mox celebranda anniversaria centenaria commemoratione instaurationis Basilicae vulgo *Fourvières*.

Eminentissime et Révérendissime Seigneur,

Il me serait bien difficile d'exprimer, au gré du Saint-Père, la profonde et intime consolation éprouvée par Sa Sainteté en apprenant l'empressement apporté par l'archidiocèse de Lyon, fidèle écho de la grande piété de Votre Eminence, à recevoir la salutaire invitation du Souverain Pontife à la prière. *Si le Pape, dans les amères tristesses de l'heure présente, n'a pas cru devoir adresser à sa chère Fille aînée d'autre conseil et d'autre ordre que celui de la prière publique, c'est qu'il attendait le secours du Ciel et non des hommes.* La noble France, toujours catholique dans son âme nationale, ne pouvait se refuser à suivre, avec son élan traditionnel, un appel répondant, comme celui de la prière, à un besoin si universellement ressenti. C'est pourquoi le Saint-Père, saisissant bien volontiers cette nouvelle occasion, se plait à décerner une fois de plus à Votre Eminence l'éloge, depuis longtemps si bien mérité, de maintenir noblement la florissante Eglise de Lyon à l'avant-garde de la piété publique et de l'inébranlable respect envers le Pontife romain.

Et comme, cette année, se présente très à propos le centenaire de la solennelle réouverture du sanctuaire de Notre-Dame de Fourvière, réouverture qui fut honorée et réjouie par la présence de l'immortel Pontife Pie VII, Sa Sainteté

en adresse de très vives actions de grâces au Très-Haut, à qui il a plu de disposer un tel événement de façon à en tirer cet enseignement immuable, *que l'horizon religieux d'un peuple s'éclaircit seulement à l'aube de la prière publique.*

Accompagnant donc de ses vœux ces fêtes historiques, Sa Sainteté, afin d'encourager et de réconforter ses enfants chéris, leur ouvre libéralement le trésor des célestes Indulgences, et à tous les fidèles qui, s'étant confessés et ayant communié, visiteront pendant les jours solennels de l'Octave la Basilique de Fourvière ou de la Primatiale de Lyon, accorde, avec la Bénédiction Apostolique, une indulgence plénière.

Plein de vénération pour votre personne, je vous baise humblement les mains et me déclare de nouveau,

de Votre Eminence,

le très humble et dévoué serviteur,

R. Cardinal MERRY DEL VAL.

II.

Instructio S. Sedis circa liberalismi doctrinas.

Ill.mo ac Rev.mo Domino Archiepiscopo Bogotensi in Columbia.

Ill.me ac Rev.me Domine,

Plures e Columbiae Antistitibus non semel retulerunt in ista regione, sicuti et in nonnullis aliis accidit, catholicos viros, quum de ratione agendi in re publica agitur, in contraria distrahi studia, gravibusque exagitari dissensionibus, quae plerumque ex diverso doctrinae catholicae circa *Liberalismum* intellectu oriuntur; ideoque expostularunt, ut peculiaris hac in re ipsis ab Apostolica Sede daretur instructio. Porro, quum, ex SS.mi Domini Nostri Papae Leonis XIII sententia, « nullo unquam tempore tanta fuerit concordiae « inter omnes fideles conciliandae et servandae necessitas, « quantum hoc nostro quo Christiani nominis hostes una- « nimi impetu Ecclesiam undique adoriuntur » (1); opportunum visum est Sanctitati Suae hisce postulationibus satisfieri, ut populus clare atque adamussim erudiatur de iis, quae malam *Liberalismi* notam, ac proinde S. Sedis improbationem merentur.

Quae autem mens ac sententia sit Apostolicae Sedis hac in re, facile dignoscere possunt Episcopi et fideles ex doctrinis explicatis in actis plurimis, quae ab Eadem prodiere, praesertim vero in Litteris Encyclicis a SS.mo Domino Nostro, die 28 Iunii 1888 datis, quae speciatim et fuse de « Libertate humana » agunt. Ibi enim Summus Pontifex docet, *Liberalismi* principium ac fundamentum repudiationem esse divinae legis. « Quo spectant in philosophia *Na-* « *turalistae* seu *Rationalistae*, eodem in re morali ac civili « spectant *Liberalismi* fautores, qui posita a *Naturalistis* « principia in mores actionemque vitae deducunt. Iamvero, « totius *rationalismi* humanae principatus rationis caput « est; quae obedientiam divinae aeternaeque rationi debitam « recusans, suique se iuris esse decernens, ipsa sibi sola « efficitur summum principium et fons et iudex veritatis. « Ita illi quos diximus *Liberalismi* sectatores in actione « vitae nullam contendunt esse, cui parendum sit, divinam « potestatem, sed sibi quemque esse legem; unde ea philo- « sophia morum gignitur quam *independentem* vocant, quae « sub specie libertatis ab observantia divinorum praecepto- « rum voluntatem removens infinitam licentiam solet ho- « mini dare ». Et hic quidem primus ac teterrimus est *Liberalismi* gradus; qui dum ex altera parte omnem auctoritatem et legem divinam sive naturalem sive supernaturalem reiicit, immo poenitus evertit; ex altera societatis constitutionem affirmat quaerendam esse in singulorum voluntate, summamque potestatem a multitudine veluti a primo fonte esse repetendam. — Secundus *Liberalismi* gradus eorum est, qui legem Dei naturalem quidem admittunt, immo et necessitatem eius agnoscunt, positivam tamen et supernaturalem prorsus reiiciunt. Ad rem Summus Pontifex: « Quin compulsi veritatis viribus, plures eorum haud ve- « rentur fateri, immo etiam ultro affirmant, in vitio esse « et plane in licentiam cadere libertatem, si gerere se in- « temperantius ausit, veritate iustitiaque posthabita; quo- « circa regendam gubernandamque recta ratione esse et, « quod consequens est, iuri naturali sempiternaeque legi « divinae subiectam esse oportere. Sed hic consistendum « rati, liberum hominem subesse negant debere legibus, « quas imponere Deus velit, alia praeter rationem natu- « ralem via ». — Sequitur tertius *Liberalismi* gradus, quo ii detinentur qui aiunt « nutu legum divinarum dirigendam « utique vitam ac mores esse privatorum, non tamen civi- « tatis; in rebus publicis fas esse a iussis Dei discedere, « nec ad ea ullo modo in condendis legibus intueri. Ex quo « perniciosum illud gignitur consectarium, civitatis Eccle- « siaeque rationes dissociari oportere ». Quamobrem, qui ita sentiunt auctoritatem ecclesiasticam et qualemcumque ipsius in civilibus rebus actionem, plane respuunt, sive ex eo quod Ecclesiam non admittant, sive quod ipsam tamquam Societatem perfectam ac sui iuris non agnoscant. — Non pauci, denique, sunt qui « rei sacrae a re civili distractio- « nem non probant, sed tamen faciendum censent, ut Ec- « clesia obsequatur tempori et flectat se atque accommodet « ad ea, quae in administrandis imperiis hodierna prudentia « desiderat ». Haec quidem sententia a Pontifice declaratur honesta « si de quadam intelligatur aequa ratione, quae « consistere cum veritate iustitiaque possit, nimirum ut, « explorata spe magni alicuius boni, indulgentem Ecclesiam « sese impertiat, idque temporibus largiatur, quod salva « officii sanctitate potest ». E contra vero tamquam immoderata et iniqua habenda est, si velint ut Ecclesia « quod « falsum est vel iniustum dissimulanter ferat aut in iis « quae sunt religioni noxia conniveat ».

Ex hisce autem principiis, quae ut falsa ac doctrinae catholicae opposita Sedes Apostolica saepe saepius damnavit, tamquam ab impuro fonte sponte sua procedunt eae, quae dicuntur *libertates modernae*, nimirum *libertas cultuum, libertas loquendi, libertas docendi*, ac *libertas conscientiae.* Qua ratione istarum libertatum, ubi vigent, usus sit reiiciendus, qua, e contra, in quibusdam temporum, locorum et personarum adiunctis sit tollerandus immo appetendus, non quidem ut immodicae ac vitiosae libertati faveatur, sed pro veritate ac iustitia tuenda; id tum in memoratis Apostolicis Litteris, ubi de Libertate Humana agitur (1) tum

(1) Litterae *Licet* ad Archiepiscopum Mechliniensem, 3 Augusti 1881.

(1) Cf. pag. 220 et seqq., edit. Vaticanae.

in aliis Litteris, ubi « de Civitatum Constitutione Christiana » disseritur (1), tam perlucide absoluteque ostenditur, ut in re tanti momenti nullus amplius dubitationi locus supersit.

Itaque illud Episcopis et fidelibus summopere cordi esse oportet « ut una sit mens eademque sententia in quibus « Apostolicae Sedis auctoritas dissentiendi libertatem non « relinquit. In his autem, quae sapientium disputationibus « libere permittuntur, ita ingenia exerceantur ut sententia- « rum diversitas animorum unitatem et voluntatum con- « cordiam non abrumpat » (2). Quapropter, in re praesenti, illud prae oculis habendum est quod Suprema Congregatio S. Officii, die 29 Augusti 1877, Episcopis Canadiensibus edixit: videlicet, Ecclesiam, in damnando liberalismo omnes et singulas politicas partes, quae forte liberales nominentur, damnare non intendisse (3). Idipsum et in epistola ad Episcopum Salmanticensem a me, Pontificis iussu, die 17 Februarii 1891 data, iterum declaratum fuit, adiectis tamen hisce conditionibus, ut nempe, catholici, qui se liberales dicunt, imprimis, ea omnia doctrinae capita, quae ab Ecclesia tradita sunt, sincere accipiant atque ea, quae forte Ecclesia ipsa in posterum tradet, suscipere sint parati; nihil, insuper, sibi proponant quod ab Ecclesia explicite vel implicite fuerit damnatum; quoties, denique, adiuncta id requisierint, mentem suam Ecclesiae doctrinis plene congruentem aperte significare, uti oportet, non detrectent. In eadem epistola et illud additum fuit, nimirum, optandum esse ut, ad designandas proprias politicas partes, catholici aliam seligant atque assumant denominationem, ne forte nomen liberalium sibi adscitum aequivocationis vel admirationis occasionem fidelibus praebeat; de caetero, autem, non licere censura theologica liberalismum notare multoque minus veluti haereticum traducere, sensu quidem diverso illum sumendo ab eo, quem Ecclesia in eius damnatione determinavit, donec aliud ipsa significaverit.

Item pensanda quoque sunt sapientissima illa verba, quae SS.mus Dominus ad catholicos hispanos scribebat, nimirum: « In hoc universi conveniant, rem catholicam in civitate « salvam esse oportere. Et ad istud nobile propositum quot- « quot amant catholicum nomen debent, veluti foedere icto, « studiose incumbere, silere paulisper iussis diversis de « causa politica sententiis, quas tamen suo loco honeste « legitimeque tueri licet » (4). Id autem facilius catholici adipiscentur si fugiant illorum opinionem praeposteram « qui religionem cum aliqua parte civili permiscent ac velut « in unum confundunt, usque adeo ut eos, qui sint ex al- « tera parte, prope descivisse a catholico nomine decernant. « Hoc quidem est factiones politicas in augustum religionis « campum perperam compellere, fraternam concordiam velle « dirimere, funestaeque incommodorum multitudini aditum « ianuamque patefacere » (5).

Quod vero speciatim ad catholicos attinet viros, qui vacant ephemeridum scriptioni, ne obliviscantur paterna monita, quae Pontifex ad eosdem Hispanos in memoratis litteris dabat. « Scriptores monemus, ut amotis lenitate et « mansuetudine dissidiis, coniunctionem animorum cum ipsi « inter se tum in multitudine tueantur; quia multum pollet « scriptorum opera in utramque partem. Concordiae vero « cum nihil tam sit contrarium quam dictorum acerbitas, « suspicionum temeritas, insimulationum iniquitas, quidquid « est huiusmodi summa animi provisione fugere et odisse « necesse est. Pro sacris Ecclesiae iuribus, pro catholicis « doctrinis non litigiosa disputatio sit, sed moderata et « temperans quae potius rationum pondere quam stylo nimis « vehementi et aspero victorem certaminis scriptorem effi- « ciat ». Quibus et aliud monitum addendum, quod in memorata Epistola ad Card. Archiep. Mechliniensem continetur: « Illud insuper in controversiis agitandis cavendum « est, ne modus transiliatur quem aequitatis charitatisque « leges praescribunt; neve temere insimulentur vel in su- « spicionem adducantur viri caeteroquin Ecclesiae doctrinis « addicti, maxime autem qui in Ecclesiae dignitate ac po- « testate praecellunt ».

Denique ne benefica catholicorum hominum cooperatio in rebus publicis desideretur, studeant Episcopi singulorum animis illud altius defigere: « Nullam velle rerum publi- « carum partem attingere tam esset in vitio quam nihil « ad communem utilitatem afferre studii, nihil operae: eo « vel magis quod catholici homines ipsius, quam profi- « tentur, admonitione doctrinae ad rem integre et ex fide « gerendam impelluntur. Contra, ipsis otiosis, facile habenas « accepturi sunt ii, quorum opiniones spem salutis haud « sane magnam afferunt. Idque esset etiam cum pernicie « coniunctum christiani nominis, propterea quod plurimum « possent qui male essent in Ecclesiam animati: minimum « qui bene » (1). Quare fideles sedulo edocendi: « Ubi id « postulent religionis rationes nec ulla iusta ac peculiaris « causa impediat, par esse ut ad rem publicam capessen- « dam accedant, ut eorum industria et auctoritate institu- « tiones ac leges ad iustitiae normam exigantur, ac reli- « gionis spiritus et benefica vis in universam reipublicae « compaginem influat » (2).

Quae omnia Sanctitas Sua Tibi, R.me Domine, scribi et a Te cum caeteris Columbianis Episcopis communicari iussit eum in finem ut dioecesium Praesules, collatis inter se consiliis, concordem agendi loquendique rationem constituant, eamque communi epistola ipsi ovibus sibi concreditis adhibendam proponant.

Interim fausta omnia Tibi ex animo adprecatus me libenter profiteor

Ampl. Tuae

Addictissimum

M. Card. RAMPOLLA.

Romae, die 6 Aprilis 1900.

II.

Altera Instructio circa liberalismi doctrinas, pro clero Columbiano.

Ill.me ac R.me Domine,

Generalibus regulis quibus catholicorum hominum officia erga rem publicam in adnexis litteris delibavi, quasdam alias hic adiiciam, quae speciatim Columbianum clerum

(1) Encyclica *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.

(2) Epistola *Licet*, ad Card. Archiep. Mechliniensem, 3 Augusti 1881.

(3) Cf. Collectaneam S. C. de Propaganda Fide, pag. 833, n. 1665.

(4) et (5) Litterae *Cum multa*, 8 Decembris 1882.

(1) Litterae *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.

(2) Epistola *Redditae mihi*, ad Episcopum S. Florii, 16 Nov. 1890.

respiciunt, ex actis Apostolicae Sedis depromptas, praesertim vero ex Instructione Supremae Congregationis S. Officii ad Episcopos Canadienses, anno 1897 data, quae cum praesentibus istius regionis adiunctis aptissime congruere videntur.

Veluti fundamentum illud statuendum est: ut desiderata mentium voluntatumque concordia inter catholicos laicos haberi possit, eam imprimis inter Ecclesiae ministros colendam esse atque servandam; plus enim ad mores actusque fidelium formandos proficiet sacerdotum exemplum quam doctrina. Sacerdotes omnes, igitur, tam e saeculari quam e regulari clero, qui forma gregis esse debent, oportet a politicis exagitationibus alienos esse, ac dignitatis suae memores, populares concertationes veluti e superiori et sereno loco inspicere. Sese autem sic mutuo, ut decet fratres, observent ac diligant, ut nec alter alterius dicta factave carpat publice, nec, si quid in aliena dioecesi sive iussu sive permissu Episcopi fuerit editum, notet ac damnet.

Praeterea Sacerdotes ipsi primo ac praecipue modestiam atque obedientiam erga suos Praelatos tenere pro officio studeant. Etenim « sicut Pontifex Romanus totius est Ecclesiae magister et princeps, ita Episcopi rectores et capita sunt ecclesiarum, quas rite singuli ad gerendum susceperunt. Eos in sua quemque ditione ius est praeesse, praecipere, corrigere, generatimque de iis quae e re christiana esse videantur, decernere... Ex quibus apparet adhibendam esse adversus Episcopos reverentiam praestantiae muneris consentaneam, in iisque rebus quae ipsorum potestatis sunt, omnino obtemperari debere... Quod igitur in muneribus suis insumunt operae (sacerdotes) tunc sciant maxime fructuosum, proximisque salubre futurum, si se ad imperium eius nutumque finxerint, qui dioecesis gubernacula tenet » (1). Caeterum, quamvis Ecclesiae ministris interdictum non sit, immo vero aliquando necessarium esse possit, iuribus civilibus uti sive in ferendis suffragiis occasione electionum, sive in exercendis publicis muniis quae dignitati sacerdotali non adversantur; tamen ipsis sedulo cavendum est « ne se penitus tradant partium studiis ut plus humana quam caelestia curare videantur, nec prodeant extra gravitatem et modum » (2). Quibus vero consiliis ad populum in hac re utantur, ea apte traduntur in decreto IX Synodi Quebecensis IV; quod quidem decretum, utpote S. Sedis mentem omnino referens, quamvis a suprema S. Officii Congregatione pro Canadiensibus latum fuerit, tamen et ad Columbienses, pro circumstantiarum paritate, merito aptandum est. Decreti autem verba haec sunt: « Nihil omittant animarum Pastores ut fideles sibi commissos praemuniant contra seductiones, scandala et omnia pericula horum dierum malorum; ipsisque longe ante, maxime vero tempore ipso electionum, sedulo in memoriam revocent quod Deus dominator et dominus electionum est et quod ipse est qui aliquando et dictos electores et candidatos et electos iudicabit atque — *unicuique reddet iuxta opera sua* (3) — nec magis parcet eis qui intra quam illis qui extra tumultum electionum peccaverint. Edoceant eos diligenter officia sua quoad praefatas electiones, ipsis inculcando fortiter quod eadem lex quae civibus tribuit ius suffragii iisdem gravem imponit obligationem ferendi suffragium suum quando oportet, atque hoc semper iuxta conscientiam suam, coram Deo, pro maiori bono tum religionis tum reipublicae, patriaeque suae; proindeque quod semper coram Deo ex conscientia tenentur suffragium suum dare illi candidato, quem prudenter iudicant vere probum et idoneum ad implendum illud magni momenti munus sibi demandatum, invigilandi, scilicet, bono religionis et reipublicae atque adlaborandi fideliter ad illud promovendum ac servandum. Unde evidenter sequitur eos omnes peccare non tantum coram hominibus, sed coram Deo, qui vel suffragium suum vendunt vel quacumque ex causa dant candidato sibi cognito prout indigno vel denique alios inducunt ad idem faciendum. Haec fideliter doceant populum suum pastores, tamquam fideles ministri Christi, in iis insistant, sistantque in omni charitate et patientia, nec ultra procedant in circumstantiis consuetis. Et si quae particulares aut extraordinariae occurrunt circumstantiae, maxime caveant ne quidquam moliantur inconsulto Episcopo ».

(1) Encyclica *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.

(2) Encyclica *Cum multa* ad Hispanos, 8 Dec. 1882.

(3) Rom. II, 6.

Attamen tria maxime Sacerdotibus sunt fugienda: alterum ne e factionibus alioquin honestis aliam prae alia ardore nimio sustineant; alterum ne e sacro suggestu vel in S. Poenitentiae tribunali adversariorum mentionem iniiciant vel nominatim eos aggrediantur, animosque contra determinatam personam instigare audeant; alterum ne sacramentalem absolutionem poenitentibus denegent vel ab ipso Sacro tribunali repellant ex eo tantum, quod in adversa militent factione, dum alioquin omnia quae Ecclesia docet ipsi admittant et amplectantur. Memores enim esse debent, se pastores omnium animarum esse constitutos ac pro ipsarum salute rationem esse reddituros. Si quis autem privatim vel in ipso Poenitentiae tribunali vel extra de agendi ratione in rebus publicis consilium petat, sacerdotes iuxta communes prudentiae regulas respondeant, ut nulla inde sacerdotali muneri confletur invidia.

Clericis demum, qui vel cooptationem suam in coetum oratorum legibus ferendis prosequuntur, vel munia publica suscipiunt, ea prae oculis sunt habenda quae SS.mus Dominus nuper in Litteris ad Episcopos Brasiliae, die 18 Septembris 1899 (1) datis, edixit: « Adscisci etiam aliquando in eos coetus Sacri Ordinis viros haud inopportunum videtur; quin etiam iis praesidiis et quasi Religionis excubiis optime licet Ecclesiae iura tueri. Verum illud cavendum maxime, ne ad haec fiat tanta contentio, ut misera ambitione magis aut partium caeco studio, quam rei catholicae cura impelli videantur. Quid enim indignius, quam digladiari sacros ministros ut ex procuratione reipublicae rem perniciosissimam in civitatem inducant, seditionem atque discordiam? Quid vero si in deteriorum consilia ruentes constitutae auctoritati perpetuo adversentur? Quae omnia mirum quantum offensionis habent in populo et quantum invidiae conflant in clerum. Modeste igitur utendum iure suffragii; vitanda omnis suspicio ambitionis; reipublicae munia capessenda prudenter; a supremae vero auctoritatis obsequio desciscendum nunquam ».

Mens est SS.mi Patris ut de hisce omnibus Amplitudo Tua Episcopos Suffraganeos certiores faciat, ac deinde singuli antistites suum clerum prudenter et caute instruant.

Vult, insuper, Sanctitas Sua, ut Eadem Amplitudo Tua, quoties opus fuerit, Suffraganeos convocet cum ipsis con-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. VII, p. 333.

silia initurus ad communem agendi, loquendique normam statuendam, eamque servandam, et Suffraganei vicissim cum Metropolitano suo consilia conferant ut in eadem sententia permaneant.

Superest ut Tibi, R.me Praesul, perfectae existimationis meae sensus tester meque profitear

Amplitudini Tuae Addictissimum

M. Card. RAMPOLLA.

Romae, die 6 Aprilis 1900.

E VICARIATU URBIS

Normae pro examinibus praedicatorum, iuxta Notificationem diei 10 Augusti 1905 (1).

Art. I. — Gli esami per ottenere la facoltà di predicare avranno luogo nel palazzo della Nostra Residenza ogni giovedì dal novembre a tutto giugno, nelle ore della mattina dalle 9 alle 12 e nel pomeriggio due ore prima dell'*Ave Maria*.

Art. II. — L'esame consterà di tre parti, cioè: 1° nozioni fondamentali di Sacra Eloquenza, secondo il sommario che si pubblica qui unito; 2° cultura generale teologica così dommatica come morale, parimenti secondo il sommario che si aggiunge; 3° esercitazione pratica che potrà consistere: *a*) in una spiegazione catechistica sopra un brano del Catechismo « ad parochos »; *b*) in una omelia sopra un brano del Santo Vangelo; *c*) in un discorso sopra un tema religioso o morale.

Art. III. — Dall'esame sulla seconda parte del programma sono dispensati quelli che hanno conseguito la laurea in S. Teologia.

Art. IV. — Per ottenere poi la dispensa da tutto l'esame, si presentino alla Segreteria del Vicariato quei titoli che ciascuno crede sufficienti e dei quali Noi ci riserviamo di giudicare.

Roma, dalla Nostra Residenza, 31 ottobre 1905.

P. CARD. VICARIO.

FRANCESCO Can. FABERI, *Segretario*.

Sommario per l'esame di cultura generale teologica.

La Fede e le prove della sua credibilità, preteso dissidio tra la ragione e la fede. — Possibilità dei miracoli. — L'ateismo nella legislazione civile e nella scuola. — Necessità del culto esterno. — Ispirazione divina delle Sacre Scritture e loro uso. — Tradizione divina; valore e uso dell'autorità dei Padri e dei Dottori. — Unità della persona e distinzione delle nature in Gesù Cristo ed efficacia della Redenzione. — Natura, eccellenza e necessità della grazia. — Istituzione divina dei Sacramenti. — La transustanziazione. — La Santa Messa è vero sacrificio salutare per i vivi e per i morti. — La confessione auricolare è necessaria per il perdono dei peccati commessi dopo il Battesimo ed è stata sempre in uso nella Chiesa. — Le indulgenze. – Essenza e specie diverse del peccato e condizioni richieste a peccare mortalmente. — Occasioni del peccato e obbligo di fuggirle. — Obblighi di giustizia e obblighi di carità verso il prossimo. — Diritto di proprietà. — La restituzione dell'onore e della roba. — In che consiste l'essenza del Matrimonio fra cristiani. — La Chiesa Cattolica Romana è la sola vera Chiesa stabilita da Gesù Cristo. — Primato di universale giurisdizione ed infallibilità dottrinale. — Diritto del Papa di dirigere il pensiero e l'azione dei cattolici nelle questioni sociali. — Libertà di coscienza. — Libertà di stampa. — Tolleranza civile e religiosa. — Diritto di associazione. — I precetti della Chiesa. — Le censure. — Preghiera e culto dei Santi. — Il Purgatorio. — L'inferno e l'eternità delle pene.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Henri Grazioli, Arch. Tit. de Nicopolis; — et Mgr Antoine Valbonesi, Ev. d'Urbania et S. Angelo in Vado.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Sébastien Martinelli est nommé Protecteur des Sœurs de St-Aignan, à Orléans.

16 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Antoine-Marie Grasselli, Arch.-Ev. de Viterbe; — et Mgr Guido Conforti, Arch. Tit. de Stauropoli.

— Congr. Prép. des S. Rites, tenue au Vatican, pour

examiner les deux miracles proposés pour la Béatification du Vén. Serv. de Dieu Fr. Bonaventure de Barcelone, de l'Ordre des Mineurs.

18 Jeudi.

Sa Béatitude Mgr Paul-Pierre XII Sabbaghian, Patriarche de Cilicie pour les Arméniens, accompagné d'une nombreuse suite, est reçu en audience solennelle par le St-Père.

19 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: Le Rme P. Bernardin Balzari, Sup. Gén. de l'Institut de la Charité; — et le T. R. Dom Ferdinand Folli, Abbé de Vallombreuse.

20 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Louis Morando, Arch. de Brindes; — et Mgr Paul Emile Le Camus, Ev. de La Rochelle.

— S. Em. le Cardinal Marcel Spinola y Maestre, Arch. de Séville, rend son âme à Dieu. Il était né le 14 janvier 1835 dans le diocèse de Cadix. Dans le Consistoire du 16 déc. 1880, il fut préconisé Ev. Tit. de Milo, et nommé Auxiliaire du Cardinal de Séville. Le 10 nov. 1884, il fut préconisé Ev. de Coria; le 10 juin 1886, il fut transféré au siège de Malaga; et le 2 décembre 1896 il fut promu à l'archevêché de Séville. Dans le Consistoire du 11 décembre 1905, il avait été créé Cardinal.

21 Dimanche.

Le St-Père bénit solennellement les *Agnus Dei*, selon l'habitude des Souverains Pontifes, au début de leur Pontificat.

— Les agneaux bénits à Ste-Agnès hors les Murs, selon le rite traditionnel, sont offerts au St-Père, qui les confie aux Religieuses du Monastère de Ste-Cécile.

23 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Raphaël Rossi, Arch. d'Acerenza et Matera; — Mgr Septime Caracciolo di Torchiarolo, Ev. de Piedimonte d'Alife; — et Mgr Patrice Fergo Mac Evay, Ev. de London (Canada).

24 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Alfred Peri-Morosini, Ev. Tit. d'Arca, Admin. Apost. de Lugano; — et le Rme P. Hyacinthe Cormier, Maître Général des Frères Prêcheurs.

25 Jeudi.

S. Em. le Card. Pierre Lambert Goossens, Arch. de Malines, rend son âme à Dieu. Né à Perk, dans l'Archidiocèse de Malines, le 18 juillet 1827, après avoir été longtemps Vicaire général de Malines, le 1er juin 1883 il fut nommé Ev. Tit. d'Abdera, et le 16 juillet de la même année, il succéda à l'Evêque de Namur, en qualité de Coadjuteur. Le 24 mars 1884 il était promu à l'Archevêché de Malines. Dans le Concistoire du 24 mars 1889 il fut créé Cardinal du Titre de Ste-Croix de Jérusalem. Il faisait partie des Congrégations suivantes: Concile, Index, Discipline Régulière et Cérémoniale.

29 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. B. Mgr Pierre Paul XII Sabbaghian, Patriarche de Cilicie pour les Arméniens; — S. G. Mgr Emile-Auguste Allgeyer, Ev. Tit. de Ticella, Vic. Ap. du Zanguebar Septent.; — et Mgr Buguet, Protonotaire Apost., Directeur général de l'*Œuvre Expiatoire* de Montligeon.

30 Mardi.

Congr. générale des S. Rites, tenue au Vatican, concernant:

1° La question de *Tuto* pour la Béatification de la Vén. Serv. de Dieu Julie Billiart;

2° l'héroïcité de vertus de la Vén. Serv. de Dieu Anne-Marie Taïgi.

31 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Raniero Sarnari, Ev. de Macerata; — Mgr François Giacci, Ev. des Marsi; — et Mgr Paul-Marc Tei, Ev. de Pesaro.

F. C.

BIBLIOGRAPHIA

Dr. Philipp Hergenröther: Lehrbuch des Katholischen Kirchenrechts. Zweite neu bearbeitete Auflage. Von Dr. Joseph Hollweck, Professor des Kirchenrechts am bischöflichen Lyceum in Eichstätt. — Freiburg, Herder, 1905. (Compendium iuris Ecclesiae catholicae a Dr. Philippo Kergenröther primo editum, nunc auctum et emendatum a Dr. Josepho Hollweck iuris ecclesiastici in episcopali Eystettensi seminario prof. Pag. XX et 948).

Opus ab Hollweck, iuris canonici in Seminario Eystettensi professore, conscriptum, quamquam altera editio eius compendii esse dicatur, quod a Philippo Hergenröther anno 1888 editum erat, novum tamen opus constituit atque duplo fere maioris quam illud est molis. Integrum exhibet Ecclesiae catholicae ius tam illud quod privatum, quam quod publicum vocamus, etsi ab horum terminorum usu auctor abstineat. Uti caeterae omnes, ita etiam quae in publico iure de Ecclesiae potestate proferuntur sententiae, dogmaticae Theologiae doctrinis exacte sunt conformatae, unde fit, ut e. g. explicitis verbis auctor doctrinam de indirecta Ecclesiae in saecularia ac proinde in civilia seu politica negotia potestate proponat et defendat. Brevibus quidem at perspicuis verbis lectori non tantum principaliores notiones ac doctrinas canonici iuris, sed etiam difficiliores intimioresque quaestiones, quae adhuc inter iuris canonici peritos controvertuntur, exhibet suum etiam de ipsis iudicium paucis indicando, atque ita ad earum solutionem aliquid conferendo. Ex Germanicorum auctorum valde commendando more largissimus est in fontibus litterariis exhibendis, ex quibus etiam lector uberiorem singularum quaestionum cognitionem haurire potest. Sanis et solidis fulcitas rationibus dat doctrinas. Systematicum sequitur ordinem, non eum, qui in Gregorii IX Decretalibus habetur atque in scholis textus iuris canonici observatur, sed meliorem atque rerum tractandarum naturae magis conformem. Ne unum quidem locum inveni, quo auctor recentissimas etiam leges atque competentium magistratuum decisiones non attulerit. Ut paucis dicam, opus doctissimi Hollweck optimis quibusque iuris canonici *Institutionibus* est adnumerandum. Unum doleo, quod idioma Germanicum, quo est conscriptum, multis ipsum reddit impervium.

Romae. Jos. Biederlack S. J.

Annuaire Pontifical catholique, par Mgr Albert Battandier, IXe année, 1906. Paris, Maison de la *Bonne Presse*.

Iam de aliis octo voluminibus, laudatorium, suo tempore, delibavimus verbum. Nonam editionem eo libentius nunc commendamus, quod caeteris, nec notitiarum copia, nec quaestionum varietate eruditioneque, cedere videtur. Re quidem vera, plura inibi continentur argumenta, peropportune digesta, quorum praecipua haec sunt: partes quas viri ecclesiastici iam ab uno circiter saeculo, habuerunt in administratione et legislatione variorum Statuum; de novis Bullis; de Doctoribus ecclesiasticis; de Calendariis dioecesanis; de Ritu Ambrosiano; de R. Pontificibus octavi saeculi; de statu Ecclesiae catholicae in Russiaco Imperio, etc.

F. C.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente*.

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS QUARTUS

FASCICULUS SECUNDUS - FEBRUARIUS 1906

SUMMARIUM

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Pius X reprobat ac damnat nuper sancitam legem quae Rempublicam Gallicanam seorsum ab Ecclesia separat(1).

Sanctissimi Domini Nostri Pii divina Providentia Papae X, Epistola Encyclica ad Archiepiscopos et Episcopos universumque clerum et populum Galliae.

Dilectis Filiis Nostris Francisco Mariae S. R. E. Presb. Card. Richard, Archiepiscopo Parisiensi; - Victori Luciano S. R. E. Presb. Card. Lécot, Archiepiscopo Burdigalensi; - Petro Hectori S. R. E. Presb. Card. Coullié, Archiepiscopo Lugdunensi; - Iosepho Guilelmo S. R. E. Presb. Card. Labouré, Archiepiscopo Rhedonensi, caeterisque Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis atque universo Clero et populo Galliae.

PIVS PP. X.

Venerabiles Fratres et dilecti Filii, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Vehementer Nos esse sollicitos et praecipuo quodam dolore angi, rerum vestrarum causa, vix attinet dicere; quando ea perlata lex est, quae quum pervetustam civitatis vestrae cum Apostolica Sede necessitudinem violenter dirimit, tum vero indignam miserrimamque Ecclesiae in Gallia conditionem importat. Gravissimum sane facinus, idemque, ob ea quae civili societati allaturum est aeque ac religioni detrimenta, omnibus bonis deplorandum. Quod tamen nemini arbitramur inopinatum accidisse, qui quidem postremis temporibus, quemadmodum sese adversus Ecclesiam rei publicae moderatores gererent attenderit. Vobis certe nec subitum accidit nec novum, Venerabiles Fratres, quibus ipsis testibus, christiana instituta plagas tam multas tamque magnas, alias ex aliis, accepere publice. Vidistis violatam legibus christiani sanctitudinem ac stabilitatem coniugii; dimotam de scholis de valetudinariis publicis religionem; abstractos a sacra studiorum et virtutum disciplina clericos et sub arma compulsos; disiectas spoliatasque bonis religiosas Familias, earumque sodales ad inopiam plerumque redactos rerum omnium. Illa etiam decreta nostis: ut aboleretur consuetudo vetus vel auspicandi, propitiato Deo, legumlatorum ac iudicum coetus, vel ob memoriam mortis Christi lugubria induendi navibus; ut sacramentis in iure dicendis forma speciesque abrogaretur religiosae rei; ut in iudiciis, in gymnasiis, in terrestribus maritimisque copiis, in rebus denique omnibus ditionis publicae, ne quid esset aut fieret, quod significationem aliquam christianae professionis daret. Iamvero ista quidem et id genus caetera, quum ab Ecclesia sensim rem publicam seiungerent, nihil fuisse aliud apparet, nisi gradus quosdam consulto iactos ad plenum

(1) Cfr. in fasc. praec., p. 41, tenorem praedictae legis. *N. D.*

discidium lege propria inducendum: id quod ipsi harum rerum auctores profiteri plus semel et prae se ferre non dubitarunt. — Huic tanto malo ut occurreret Apostolica Sedes, quanto in se habuit facultatis, totum eo contulit. Nam ex una parte admonere atque hortari gubernatores Galliae non destitit, etiam atque etiam considerarent, hunc quem instituissent discessionis cursum, quanta esset incommodorum consecutura moles; ex altera autem suae in Galliam indulgentiae benevolentiaeque singularis illustria duplicavit documenta; non absurde confisa, se ita posse, qui praeerant, tamquam iniecto officii gratiaeque vinculo retinere in declivi, atque ab incoeptis demum abducere. — At huiusmodi studia, officia, conata et Decessoris et Nostra recidisse ad nihilum omnia cernimus; siquidem inimica religioni vis, quod contra iura catholicae gentis vestrae ac vota recte sentientium diu contenderat expugnavit. Hoc igitur tam gravi Ecclesiae tempore, ut conscientia Nos officii sanctissimi iubet, Apostolicam vocem tollimus, et mentem animumque Nostrum vobis, Venerabiles Fratres et dilecti Filii, patefacimus: quos quidem universos omnes semper consuevimus peculiari quadam charitate prosequi, nunc vero, uti par est, eo vel amantius complectimur.

Civitatis rationes a rationibus Ecclesiae segregari oportere, profecto falsissima, maximeque perniciosa sententia est. — Primum enim, quum hoc nitatur fundamento, religionem nullo pacto debere civitati esse curae, magnam infert iniuriam Deo: qui ipse humanae societatis non minus quam hominum singulorum conditor et conservator est; propterea que non privatim tantummodo colatur necesse est, sed etiam publice. — Deinde, quidquam esse supra naturam, non obscure negat. Etenim actionem civitatis sola vitae mortalis prosperitate metitur, in qua consistit causa proxima civilis societatis: causam ultimam civium, quae est sempiterna beatitudo extra hanc brevitatem vitae hominibus proposita, tamquam alienam reipublicae, plane negligit. Quod contra, ad adeptionem summi illius absolutique boni, ut hic totus est fluxarum rerum ordo dispositus, ita verum est rempublicam non modo non obesse, sed prodesse oportere. — Praeterea descriptionem pervertit rerum humanarum a Deo sapientissime constitutam, quae profecto utriusque societatis, religiosae et civilis, concordiam requirit. Nam, quoniam ambae, tametsi in suo quaeque genere, in eosdem tamen imperium exercent, necessitate fit, ut causae inter eas saepe existant eiusmodi, quarum cognitio et diiudicatio utriusque sit. Iamvero, nisi civitas cum Ecclesia cohaereat, facile ex illis ipsis causis concertationum oritura sunt semina, utrinque acerbissimarum; quae iudicium veri, magna cum animorum anxietate, perturbent. — Postremo maximum importat ipsi societati civili detrimentum; haec enim florere aut stare diu, posthabita religione, quae summa dux ac magistra adest homini ad iura et officia sancte custodienda, non potest.

Itaque Romani Pontifices huiusmodi refellere atque improbare opiniones, quae ad dissociandam ab Ecclesia rempublicam pertinerent, quoties res tempusque tulit, non destiterunt. Nominatim Decessor illustris, Leo XIII, pluries magnificeque exposuit, quanta deberet esse, secundum christianae principia sapientiae, alterius societatis convenientia cum altera: inter quas « quaedam, ait, intercedat necesse « est ordinata colligatio, quae quidem coniunctioni non « immerito comparatur, per quam anima et corpus in ho« mine copulantur ». Addit autem: « Civitates non possunt, « citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non « esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profu« turam abiicere... Ecclesiam vero, quam Deus ipse consti« tuit, ab actione vitae excludere, a legibus, ab institutione « adolescentium, a societate domestica, magnus et perni« ciosus est error » (1).

Iamvero, si contra omne ius fasque agat quaevis christiana civitas, quae Ecclesiam ab se segreget ac removeat, quam non est probandum, egisse hoc ipsum Galliam, quod sibi minime omnium licuit! Galliam dicimus, quam longo saeculorum spatio haec Apostolica Sedes praecipuo quodam ac singulari semper amore dilexerit; Galliam, cuius fortuna omnis et amplitudo nominis et gloriae religioni humanitatique christianae cognata semper fuerit! Apte idem Pontifex: « Illud Gallia meminerit, quae sibi cum Apostolica « Sede sit, Dei providentis numine, coniunctio, arctiorem « esse vetustioremque, quam ut unquam audeat dissolvere. « Inde enim verissimae quaeque laudes, atque honestissima « decora profecta... Hanc velle turbari necessitudinem idem « foret sane, ac velle de auctoritate gratiaque nationis « Gallicae in populis non parum detrahi » (2).

Accedit autem quod haec ipsa summae necessitudinis vincula eo sanctiora iubebat esse sollemnis pactorum fides. Nempe Apostolicam Sedem inter et Rempublicam Gallicam conventio eiusmodi intercesserat, cuius ultro et citro constaret obligatio; cuiusmodi eae plane sunt, quae inter civitates legitime contrahi consueverunt. Quare et Romanus Pontifex et rei Gallicae moderator se et suos quisque successores sponsione obstrinxere, in iis quae pacta essent, constanter permansuros. Consequebatur igitur, ut ista pactio eodem iure, ac caeterae quae inter civitates fiunt, regeretur, hoc est, iure gentium; ideoque dissolvi ab alterutro dumtaxat eorum qui pepigerant, nequaquam posset. Apostolicam autem Sedem summa semper fide conditionibus stetisse, omnique tempore postulasse, ut fide pari staret eisdem civitas, nemo prudens suique iudicii homo negaverit. Ecce autem Respublica pactionem adeo sollemnem et legitimam suo tantum arbitrio rescindit; violandaque religione pactorum, nihil quidquam pensi habet, dum sese ab Ecclesiae complexu amicitiaque expediat, et insignem Apostolicae Sedi iniuriam imponere, et ius gentium frangere, et ipsam commovere graviter disciplinam socialem et politicam; siquidem nihil tam interest humani convictus et societatis ad secure explicandas rationes populorum mutuas, quam ut pacta publica sancte inviolateque serventur.

Ad magnitudinem autem iniuriae, quam Apostolica Sedes accepit, accessionem non mediocrem factam esse liquet, si modus inspiciatur, quo modo Respublica pactum resolvit. Est hoc ratum similiter iure gentium atque in moribus positum institutisque civilibus, ut non ante liceat conventa inter civitates solvi, quam civitas altera, quae hoc velit, alteri se id velle clare aperteque ipsi legitime denuntiarit. Iamvero hic voluntatis huiusmodi apud Apostolicam ipsam Sedem legitima, non modo denuntiatio, sed ne ulla quidem significatio intercessit. Ita non dubitarunt gubernatores Galliae adversus Apostolicam Sedem communia urbanitatis officia deserere, quae vel minimae cuique minimique momenti civitati praestari solent; neque iidem veriti sunt, quum na-

(1) Epist. Enc. *Immortale Dei*, data de 1 Nov. an. MDCCCLXXXV.
(2) In alloc. ad peregr. Gallos hab. die XIII Apr. an. MDCCCLXXXVIII.

tionis catholicae personam gererent, Pontificis, summi Ecclesiae catholicae Capitis, dignitatem potestatemque contemnere; quae quidem potestas eo maiorem ab iis verecundiam, quam civilis ulla potestas postulabat, quod aeterna animarum bona spectat, neque ullis locorum finibus circumscribitur.

Sed iam ipsam in se legem considerantibus, quae modo promulgata est, novae Nobis multoque gravioris querelae nascitur causa. Principio Respublica quum revulsis pactionis vinculis ab Ecclesia discederet, consequens omnino erat, ut eam quoque missam faceret et concessa iure communi frui libertate sineret. At nihil minus factum est: nam plura hic videmus esse constituta, quae, odiosum privilegium Ecclesiae irrogando, eam civili imperio subesse cogant. Nos vero cum graviter molesteque ferimus, quod hisce sanctionibus civilis potestas in eas res invasit, quarum iudicium et arbitrium unius est sacrae potestatis; tum etiam eoque magis dolemus, quod eadem, aequitatis iustitiaeque oblita, Ecclesiam Gallicam in conditionem ac fortunam coniecit duram incommodamque maxime, atque eam sacrosanctis ipsius iuribus adversissimam.

Nam primum huius decreta legis constitutionem ipsam offendunt, qua Christus Ecclesiam conformavit. Scriptura enim eloquitur et tradita a Patribus doctrina confirmat, Ecclesiam mysticum esse Christi corpus *pastorum* et *doctorum* auctoritate administratum (1), id est societatem hominum, in qua aliqui praesunt ceteris cum plena perfectaque regendi, docendi, iudicandi potestate (2). Est igitur haec societas, vi et natura sua, *inaequalis;* duplicem scilicet complectitur personarum ordinem, pastores et gregem, id est eos, qui in variis hierarchiae gradibus collocati sunt et multitudinem fidelium; atque hi ordines ita sunt inter se distincti, ut in sola hierarchia ius atque auctoritas resideat movendi ac dirigendi consociatos ad propositum societati finem; multitudinis autem officium sit, gubernari se pati, et rectorum sequi ductum obedienter. Praclare Cyprianus Martyr: « Dominus noster, cuius praecepta metuere et servare debemus, Episcopi honorem et Ecclesiae « suae rationem disponens, in Evangelio loquitur, et dicit « Petro: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus*, etc. Inde per « temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio « et Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos « constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem prae« positos gubernetur »; idque ait « divina lege funda« tum » (3). Contra ea, legis huius praescripto, administratio tuitioque cultus publici non hierarchiae divinitus constitutae relinquitur, sed certae cuidam defertur consociationi civium: cui quidem forma ratioque imponitur personae legitimae, quaeque in universo religiosi cultus genere sola habetur civilibus uti instructa iuribus, ita obligationibus obstricta. Igitur ad consociationem huiusmodi templorum aedificiorumque sacrorum usus, rerum ecclesiasticarum tum moventium tum solidarum possessio respiciet; ipsi de Episcoporum, de Curionum, de Seminariorum aedibus liberum, licet ad tempus, permittetur arbitrium; ipsius erit administrare bona, corrogare stipes, pecuniam et legata percipere, sacrorum causâ. De hierarchia vero silentium est.

(1) Ephes, IV, 11 seqq.

(2) Matth., XXVIII, 18-20; XVI, 18-19; XVIII, 17; Tit. II, 15; II Cor. X, 6; XIII, 10, et alibi.

(3) S. Cypr., Epist. XXXIII (al. XXVII, ad lapsos), n. I.

Statuitur quidem, istas consociationes ita conflandas esse, quemadmodum cultus religiosi, cuius exercendi gratiâ instituuntur, propria disciplina ratioque vult; verumtamen cavetur, ut si qua forte de ipsarum rebus controversia inciderit, eam dumtaxat apud *Consilium Status* diiudicari oporteat. Perspicuum est igitur ipsas consociationes adeo civili potestati obnoxias esse, nihil ut in eis ecclesiasticae auctoritati loci relinquatur. Quantopere haec omnia sint Ecclesiae aliena dignitati, contraria iuribus et constitutioni divinae, nemo non videt: eo magis, quod non certis definitisque formulis, verum tam vagis tamque late patentibus perscripta lex est in hoc capite, ut iure sint ex eius interpretatione peiora metuenda.

Praeterea nihil hac ipsa lege inimicius libertati Ecclesiae. — Etenim, si prohibentur sacri magistratus, ob interiectas consociationes quas diximus, plenam muneris sui exercere potestatem; si in easdem consociationes summa vindicatur *Consilio Status* auctoritas, eaeque parere alienissimis a iure communi statutis iubentur, ita ut difficile coalescere, difficilius queant consistere; si data divini cultus exercendi copia multiplici exceptione minuitur; erepta Ecclesiae studio vigilantiaeque, custodia templorum Reipublicae attribuitur; ipsum coërcetur Ecclesiae munus de fide ac morum sanctitate concionandi, et severiores irrogantur clericis poenae; si haec et talia sanciuntur, in quibus multum etiam libido interpretandi possit, quid hic aliud agitur, quam ut Ecclesia in humili abiectaque conditione locetur, et pacificorum civium, quae quidem est pars Galliae multo maxima, per speciem conservandi publici ordinis, sanctissimum ius violetur profitendae, uti velint, religionis suae? Quamquam Civitas non comprimenda solum divini cultus professione, qua totam vim rationemque definit religionis, Ecclesiam vulnerat: sed eius etiam vel virtuti beneficae intercludendo aditus ad populum, vel actionem multipliciter debilitando. Igitur satis non habuit, praeter cetera, Ordines submovisse religiosorum, unde in sacri ministerii perfunctione, in institutione atque eruditione adolescentis aetatis, in christianae procuratione beneficentiae praeclara adiumenta suppetebant Ecclesiae: nam humanis eam opibus, id est necessario quodam ad vitam et ad munus subsidio, intervertit.

Sane, ad ea quae conquesti sumus damna et iniurias, hoc accedit, ut ista de discidio lex ius Ecclesiae sua sibi habendi bona violet atque imminuat. Etenim de patrimonii, magnam partem, possessione, probatissimis quibusque titulis quaesiti, Ecclesiam, alte iustitia reclamante, deturbat; quidquid rite constitutum sit, addicta pecunia in divinum cultum aut in stata defunctorum solatia, tollit atque irritum iubet esse; quas facultates catholicorum liberalitas christianis utique scholis aut variis christianae beneficentiae institutis sustinendis destinarat, eas ad instituta laicorum transfert, ubi plerumque aliquod catholicae religionis vestigium frustra quaeras: in quo quidem patet, una cum Ecclesiae iuribus, testamenta voluntatesque apertas auctorum everti. Quod vero per summam iniuriam edicit, quibus aedificiis Ecclesia ante pactum conventum utebatur, ea posthac civitatis aut provinciarum aut municipiorum fore, singulari Nobis est sollicitudini. Nam si consociationibus divino cultui exercendo usus templorum, ut videmus, gratuitus nec definitus conceditur, concessum tamen huiusmodi tot tantisque exceptionibus extenuatur, ut reapse templorum arbitrium omne civiles magistratus obtineant. Vehe-

menter praeterea timemus sanctitati templorum: neque enim cernimus abesse periculum, ne augusta divinae maiestatis domicilia, eademque carissima memoriae religionique Gallorum loca, profanas in manus quum deciderint, profanis ritibus polluantur. In eo autem, quod Rempublicam lex officio solvit suppeditandi annuos sacrorum sumptus, simul fidem sollemni pacto obligatam, simul iustitiam laedit gravissime. Etenim nullam dubitationem hoc habet, quod ipsa rei gestae testantur monumenta, Rempublicam Gallicam, quum pacto convento sibi suscepit onus praebendi Clero unde vitam decenter ipse agere, ac publicam religionis dignitatem curare posset, non id fecisse comitatis benignitatisque gratia, verum ut eam, quam proximo tempore Ecclesia passa esset publice direptionem bonorum, saltem ex parte aliqua sarciret. Similiter eodem convento, quum Pontifex, concordiae studens, recepit, se successoresque suos nullam molestiam exhibituros iis, ad quos direpta Ecclesiae bona pervenissent, sub ea conditione constat recepisse, ut per ipsam Rempublicam perpetuo esset honestae et Cleri et divini cultus tuitioni consultum.

Postremo, ne illud quidem silebimus, hanc legem, praeterquam Ecclesiae rebus, vestrae etiam civitati non exiguo futurum damno. Neque enim potest esse dubium quin multum habitura sit facultatis ad eam labefactandam coniunctionem et conspirationem animorum, quae si desit, nulla stare aut vigere queat civitas; et quam, his maxime Europae temporibus, quisquis est in Gallia vir bonus vereque amans patriae, salvam et incolumem velle debet. Nos quidem, exemplo Decessoris, a quo exploratissimae erga nationem vestram charitatis eximiae cepimus hereditatem, quum avitae religionis tueri apud vos integritatem iurium niteremur, hoc simul spectavimus semper et contendimus, communem omnium vestrum pacem concordiamque, cuius nullum vinculum arctius quam religio, confirmare. Quapropter intelligere sine magno angore non possumus, eam auctoritate publica patratam esse rem, quae, concitatis iam populi studiis funestarum de rebus religiosis contentionum faces adiiciendo, perturbare funditus civitatem posse videatur.

Itaque, Apostolici Nostri officii memores, quo sacrosancta Ecclesiae iura a quavis impugnatione defendere ac servare integra debemus, Nos pro suprema, quam obtinemus divinitus, auctoritate, sancitam legem, quae Rempublicam Gallicanam seorsum ab Ecclesia separat, reprobamus ac damnamus; idque ob eas quas exposuimus causas: quod maxima afficit iniuria Deum, quem sollemniter eiurat, principio declarans Rempublicam cuiusvis religiosi cultus expertem; quod naturae ius gentiumque violat et publicam pactorum fidem; quod constitutioni divinae et rationibus intimis et libertati adversatur Ecclesiae; quod iustitiam evertit, ius opprimendo dominii, multiplici titulo ipsaque conventione legitime quaesitum; quod graviter Apostolicae Sedis dignitatem ac personam Nostram, Episcoporum Ordinem, Clerum et Catholicos Gallos offendit. Propterea de rogatione, latione, promulgatione eiusdem legis vehementissime expostulamus; in eaque testamur nihil quidquam inesse momenti ad infirmanda Ecclesiae iura, nulla hominum vi ausuque mutabilia.

Haec ad istius detestationem facti vobis, Venerabiles Fratres, Gallicano populo, atque adeo christiani nominis universitati edicere habuimus. — Equidem molestissime, ut diximus, afficimur, mala prospicientes quae ab hac lege dilectae nationi impendent, maximeque commovemur miseriis, aerumnis, laboribus omne genus, in quibus fore vos, Venerabiles Fratres, Clerumque vestrum cernimus. Attamen, ne his tantis curis affligi Nos frangique patiamur, prohibet divinae benignitatis providentiaeque cogitatio, atque exploratissima spes, nunquam fore ut Ecclesiam Iesus Christus ope praesentiaque sua destituat. Itaque longe id abest a Nobis, ut quidquam formidemus, Ecclesiae causa. Divina est virtutis eius stabilitas atque constantia, eaque satis, opinamur, tot saeculorum experimento cognita. Nemo enim unus ignorat, asperitates rerum hac temporis diuturnitate in eam incubuisse et plurimas et maximas; atque, ubi virtutem non humana maiorem deficere necesse fuisset, Ecclesiam inde validiorem semper auctioremque emersisse. Ac de legibus in perniciem Ecclesiae conditis, hoc ferme usuvenire, historia teste, scimus, ut quas invidia conflaverit, eas postea, utpote noxias in primis civitati, prudentia resolvat: idque ipsum in Gallia haud ita veteri memoria constat contigisse. Quod insigne maiorum exemplum utinam sequi inducant animum, qui rerum potiuntur: matureque religionem, effectricem humanitatis, fautricem prosperitatis publicae, in possessionem dignitatis libertatisque suae, omnibus plaudentibus bonis, restituant.

Interea tamen, dum opprimendi exagitandi libido dominabitur, filii Ecclesiae, si unquam alias, oportet, *induti arma lucis* (1), pro veritate ac iustitia, omni qua possunt ope nitantur. In quo vos, magistri auctoresque caeterorum, profecto, Venerabiles Fratres, omnem eam studii alacritatem, vigilantiam, constantiamque praestabitis, quae Galliae Episcoporum vetus ac spectatissima laus est. Sed hoc potissime studere vos volumus, quod maxime rem continet, ut omnium vestrum in tutandis Ecclesiae rationibus summa sit sententiarum consiliorumque consensio. Nobis quidem certum deliberatumque est, qua norma dirigendam esse in his rerum difficultatibus operam vestram arbitremur, opportune vobis praescribere; nec dubitandum, quin praescripta vos Nostra diligentissime executuri sitis. Pergite porro, ut instituistis, atque eo etiam impensius, roborare pietatem communem; praeceptionem doctrinae christianae promovere vulgatioremque facere; errorum fallacias, corruptelarum illecebras, tam late hodie fusas, a vestro cuiusque grege defendere; eidem ad docendum, monendum, hortandum, solandum adesse, omnia denique pastoralis charitatis officia conferre. — Nec vero elaborantibus vobis non se adiutorem strenuissimum praebebit Clerus vester; quem quidem, viris affluentem pietate, eruditione, obsequio in Apostolicam Sedem eximiis, promptum paratumque esse novimus, se totum vobis pro Ecclesia sempiternaque animorum salute dedere. Certe autem, qui sunt huius Ordinis, in hac tempestate sentient sic se animatos esse oportere, quemadmodum fuisse Apostolos accepimus: « *gaudentes..., quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati* » (2). Itaque iura libertatemque Ecclesiae fortiter vindicabunt, omni tamen adversus quempiam asperitate remota: quin imo, charitatis memores, ut Christi ministros in primis addecet, aequitate iniuriam, lenitate contumaciam, beneficiis maleficia pensabunt.

Iam vos compellamus, catholici quotquot estis in Gallia;

(1) Rom. XIII, 12.
(2) Act. V, 41.

vobisque vox Nostra tum testimonio effusissimae benevolentiae, qua gentem vestram dirigere non desinimus, tum in calamitosissimis rebus quae imminent, solatio sit. — Hoc sibi destinasse pravas hominum sectas, cervicibus vestris impositas, imo hoc denuntiasse insigni audacia se velle, nostis: delere catholicum in Gallia nomen. Eam nempe contendunt extrahere radicitus ex animis vestris fidem, quae avis et maioribus gloriam, patriae prosperitatem verendamque amplitudinem peperit, vobis levamenta aerumnarum ministrat, pacem tuetur tranquillitatemque domesticam, viam munit ad beatitatem adipiscendam sine fine mansuram. In huius defensionem fidei summa vi incumbendum vobis putatis esse scilicet: sed hoc habete, inani vos nisu laboraturos, si dissociatis viribus propulsare hostiles impetus nitemini. Abiicite igitur, si quae insident inter vos, discordiarum semina: ac date operam, ut tanta omnes conspiratione voluntatum et agendi similitudine coniuncti sitis, quanta esse decet homines, quibus una eademque est causa propugnanda, atque ea causa, pro qua quisque non invite debeat, si opus fuerit, aliquam privati iudicii iacturam facere. — Omnino magna generosae virtutis exempla detis oportet, si, quantum est in vobis, vultis, ut officium est, avitam religionem a praesenti discrimine eripere: in quo benigne facientes ministris Dei, divinam peculiari modo benignitatem vobis conciliabitis.

At vobis ad patrocinium religionis digne suscipiendum, recte utiliterque sustinendum, illa esse maxima arbitremini: christianae sapientiae praeceptis vosmetipsos conformari adeo, ut ex moribus atque omni vita professio catholica eluceat; et arctissime cum iis cohaerere, quorum propria est religiosae rei procuratio, cum sacerdotibus nimirum et Episcopis vestris et, quod caput est, cum hac Apostolica Sede, in qua, tamquam centro, catholicorum fides et conveniens fidei actio nititur. Sic ergo parati atque instructi, ad hanc pro Ecclesia propugnationem fidenter accedite; sed videte, ut fiduciae vestrae tota ratio in Deo consistat, cuius agitis causam: eius idcirco opportunitatem auxilii implorare ne cessetis. Nos vero, quamdiu ita vobis erit periclitandum, vobiscum praesentes cogitatione animoque versabimur; laborum, curarum, dolorum participes: simulque prece atque obsecratione humili ac supplici apud Auctorem Statoremque Ecclesiae instabimus, ut respiciat Galliam misericors, eamque tantis iactatam fluctibus celeriter, deprecante MARIA IMMACULATA, in tranquillum redigat.

Auspicem divinorum munerum, ac testem praecipuae benevolentiae Nostrae, vobis, Venerabiles Fratres ac dilecti Filii, Apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XI Februarii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X.

II.

Pius X ad Epos Longobardos rescribit, aegre reprobans opiniones nuper editas ab Episcopo Cremonensi, circa relationes Ecclesiam inter ac Status (1).

Al Nostro Diletto Figlio Andrea del Titolo di S. Anastasia Cardinale Ferrari, Arcivescovo di Milano.

Signor Cardinale,

Le siamo grati, Signor Cardinale, dei sentimenti espressi nella lettera che Ella ci ha diretta insieme coi Vescovi raccolti a Milano per la preparazione degli atti del Concilio Provinciale. Nella grande commozione pei mali che sovrastano ai cattolici della Francia, Ci sentiamo confortati dal pensiero, che alla Nostra voce Apostolica fanno eco i Pastori delle anime e si uniscono in tal modo a Noi, che non potendo accompagnare personalmente quei generosi fedeli disposti a grandi sacrifizi, abbiamo dato loro una prova del Nostro particolare affetto, invocando sui novelli loro Vescovi i divini carismi.

Siamo poi vivamente riconoscenti a Lei, signor Cardinale, ed ai venerandi Fratelli per la parte presa all'acerbo dolore, ond'è pieno l'animo Nostro, per una recente pubblicazione intorno ai rapporti fra la Chiesa e gli Stati: pubblicazione veramente deplorevole in sè e per le luttuose circostanze nelle quali si è fatta: più deplorevole ancora per le tristi conseguenze, da Lei, signor Cardinale, e dai suoi Colleghi con profondo rammarico lamentate nella citata lettera, come pure hanno fatto non pochi altri Vescovi italiani; vogliamo dire pel danno gravissimo che ne deriva in mezzo alla grande moltitudine di coloro che, tratti dalle opinioni del moderno liberalismo e alieni da distinzioni e da sottigliezze, guardano unicamente alla fonte, creduta talora autorevole, d'onde emanano certi scritti, e bevono poscia, col concorso di una stampa perversa, il veleno micidiale di certe massime che non potranno essere mai dalla Chiesa accettate.

Del resto, vegliando noi solleciti su quanto riguarda la retta dottrina e la disciplina ecclesiastica, tanto Ella, signor Cardinale, come gli altri egregi Pastori possono essere

(1) *Beatissimo Padre,*

Raccolti noi sottoscritti per la preparazione degli atti del Concilio Provinciale, ci troviamo unanimemente compresi della profonda impressione che esercita in questo momento sugli animi di tutti i figli della Chiesa Cattolica la voce di Vostra Santità, che deplora i mali inflitti alla Chiesa in Francia, e l'attestato di paterna benevolenza che la medesima Santità Vostra si accinge a dare a quella nobile nazione. La nostra commozione è tanto maggiore, in quanto che siamo costretti a vedere cogli occhi nostri l'effetto disastroso che intorno a noi, cioè anche nelle nostre diocesi, esercita una voce troppo dissonante dalla Vostra, e della quale la stampa liberale fa il massimo abuso che possa farne a detrimento della retta dottrina e della ecclesiastica disciplina. È perciò che non possiamo tacere, o Padre Santo, troppo desiderando noi, e di confortare il Vostro animo che deve esserne profondamente addolorato, e di manifestarvi che noi aderiamo pienamente ai Vostri insegnamenti, e partecipiamo ai Vostri dolori. Perdonateci, Padre Santo, questa effusione del cuore nostro filiale, e benedite a noi ed alle nostri diocesi, perchè si freni il male che si estende malauguratamente anche ad esse donde meno si dovrebbe.

Baciando il S. Piede, ci professiamo
Di Vostra Beatitudine
Milano, 23 febbraio 1906.

† ANDREA C. Card. Arcivescovo.

sicuri che non verranno meno, anche in questa circostanza, le cure dell'Apostolica Nostra provvidenza.

Intanto con effusione di cuore impartiamo a Lei, signor Cardinale, e ai Vescovi con Lei adunati per preparare gli atti del Concilio Provinciale, l'Apostolica benedizione.

Roma, 27 febbraio 1906.

PIUS PP. X.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

Romae, die 21 Februarii 1906.

Consistorium Secretum.

La Santità di Nostro Signore Pio Papa X questa mattina ha tenuto nel Palazzo Apostolico Vaticano il Concistoro Segreto, nel quale l'E.mo e R.mo signor Cardinale Mathieu, terminato l'officio di Camerlengo del Sacro Collegio, ha presentato la solita Borsa a Sua Beatitudine, che si è degnata passarla all'E.mo e R.mo signor Card. Respighi. Quindi Sua Santità ha pronunziata la seguente Allocuzione:

Allocutio SSmi.

Venerabiles Fratres,

Gravissimum apostolici muneris officium impleturi, vos hodierno die ad Nos convocandos censuimus. — Multa profecto acerba aeque atque iniusta, per calamitosissimam hanc tempestatem, Ecclesiae quotidie inferuntur ac Nobis, qui, quantumvis immeriti, illius regimen, Christi vice, tenemus. At memores tamen eiusdem Christi patientiae, certisque illius promissis tuti, adversa quaeque miti animo tolerare nitimur, ut sicut ille ambulavit et Nos ambulemus in spe gloriae filiorum Dei. — Sed enim, tam grave atque vehemens Ecclesiae ac Nobis impositum nuperrime est vulnus, ut illud nequeamus silentio premere, nec, si velimus, nisi neglecto officio, liceret. Praecipitis plane, Venerabiles Fratres, de ea lege velle Nos loqui, iniuriae plena atque in perniciem catholici nominis excogitata, quae paullo ante de seiuganda civitate ab Ecclesia in Galliis sancita est. Equidem in encyclicis litteris, quas paucis ante diebus ad Galliarum Episcopos, Clerum ac populum dedimus (1), fusius iam ostendimus, quam ea invidiosa sit, ac Dei atque Ecclesiae infesta iuribus. Sed ne muneris apostolici quotamcumque praeterivisse partem videamur, propositum est ea quae ediximus, in amplissimo conspectu vestro strictim persequi, graviterque confirmare.

Enimvero qui eam non reprobare legem possimus, quam ipsa, quam praefert, inscriptio malitiae convincit ac damnat? Agitur, Venerabiles Fratres, de civitatis ab Ecclesia invehendo discidio. Lex igitur tota quanta est in aeterni summique Dei contemptu nititur, cum nullum deberi Illi a civitate honorem pietatis contendat. Atqui non singularium modo hominum dominus ac dominator, sed gentium etiam ac civitatum Deus est: quem proinde agnoscere, vereri, colere ipsas nationes, quique illis praesunt, oportet publice. — Quae si quidem oblivio ac discessio iniuriose adversus divini Numinis maiestatem ubique fieret; in Galliis vero ingrate magis longeque perniciosius. Nam si veteres Gallorum laudes pro veritate quis aestimet, eas partem longe maximam ex religione profluxisse fatebitur atque ex perpetua, quae inde oriebatur, cum Sede hac Apostolica necessitudine.

Accedit, civitatis cum Ecclesia coniunctionem solemni in Galliis pactorum fide fuisse firmatam. At vero, quod nulli civitatum fere usuvenit, tametsi dignitatis perexiguae, id factum est cum Apostolica Sede, cuius tanta est in orbe auctoritas et amplitudo. Etenim pactio illa solemnis adeo ac legitima, nullo servato urbanitatis officio, nulla, quod tamen iure gentium cavetur atque in civilibus institutis est positum, nulla, inquimus, solvendae conventionis significatione, unius tantum partis arbitrio, violata fidei religione rescissa est.

Nunc autem si porro legis ipsius decreta spectamus, ecquis non videt eius rogatione constitutionem ipsam labefactari, qua Christus acquisitam sanguine Ecclesiam conformavit? Nimirum nulla in ea Romani Pontificis, nulla Episcoporum incidit mentio: e contra administratio tota publicique cultus tuitio civium consociationibus defertur, quas unas in universo religioso genere Respublica civilibus instructas iuribus agnoscit. Quod si inter ipsas controversiam contigerit oriri, illa non Episcoporum iudicio, non Nostro, sed ab uno *Status Consilio* cognoscenda est ac dirimenda.

Quid insuper, hac lege lata, de libertate Ecclesiae censendum sit, Venerabiles Fratres, in memoratis encyclicis litteris uberius exposuimus. Heic autem ut pressius dicamus; prohibentur, ex parte altera, Antistites sacrorum christianum populum pro plena muneris potestate regere; ex altera, christiano populo profitendae libere, uti debet, religionis suae sanctissimum ius adimitur: actio vero Ecclesiae in hominum consociationem multiplici ex capite debilitatur aut omnino intercipitur.

Quae profecto violatio iurium ac libertatis diminutio postremam inde accessionem habet non levem quod, uno legis imperio, frustra reclamante iustitia, frustra obsistente pactorum fide, Ecclesia de patrimonii sui legitima possessione deturbatur. Respublica vero omni solvitur officio annuos suppeditandi religionis sumptus, quos pacto convento, ad sarciendam publicae direptionis iniuriam, suppeditandos susceperat.

His igitur vobiscum pro gravitate rei communicatis, apostolici memores officii, quo sanctissima Ecclesiae iura tutari omni ope ac propugnare tenemur, sententiam Nostram de lege hac, in amplissimo etiam coetu vestro, solemniter proferimus. Eam videlicet, suprema auctoritate qua Christi vice fungimur, uti Deo optimo maximo iniuriosam, divinae constitutioni Ecclesiae infestam, schismati faventem, Nostrae ac legitimorum pastorum auctoritati adversam, bonorum Ecclesiae direptricem, iuri gentium oppositam, Nobis et Apostolicae Sedi invidiosam, Episcopis, clero et catholicis Galliarum universis, infensissimam, damnamus et reprobamus; simulque edicimus et declaramus, eamdem legem nunquam nulloque in eventu adversus perpetua Ecclesiae iura esse valituram.

(1) Vide supra p. 53.

Nunc vero ad catholicam Gallorum gentem patet cor Nostrum: cum afflicta affligimur, cum flente flemus. Nullus esto, qui, quod tam acerbe simus habiti, charitatem Nostram erga illos deferbuisse putet. Religiosorum familias, suis extorres aedibus et patria, sollicite cogitamus: adolescentium agmina, christianam institutionem desiderantia, paterna trepidatione prosequimur: Episcopos fratres Nostros et clerum omnem in tribulatione positos et graviora metuentes, in oculis ferimus: fideles ea lege oppressos diligimus: universos denique paterno amantissimoque corde complectimur. Praeclara, per aetates omnes, Galliarum in Religionem sanctissimam merita nullorum audacia ac nequitia obliterabit unquam: spes autem est, mitescente tempore praeclariora fore. — Interea filios dilectissimos vehementissime hortamur ne, per asperitates et angustias rerum, fracto demissove sint animo. Vigilent, stent in fide, viriliter agant, maiorum sententiae memores; *Christus amat Francos.* Aderit illis semper Apostolica haec Sedes, quae primigenam Ecclesiae filiam providentiam charitatemque suam desiderare nunquam permittet.

Provisiones Ecclesiarum.

Sua Santità ha quindi proposto le seguenti Chiese:

Chiesa Metropolitana di Reims, per Mons. Lodovico Enrico Luçon, promosso dalla Sede Cattedrale di Belley.

Chiesa Metropolitana di Auch, per Mons. Cristoforo Enard, promosso dalla Sede Cattedrale di Cahors.

Chiesa titolare Arcivescovile di Side, per Mons. Leone Adolfo Amette, promosso dalla Sede Cattedrale di Bayeux e deputato Coadiutore con successione dell'E.mo e R.mo signor Card. Francesco Maria Beniamino Richard, Arcivescovo di Parigi.

Chiesa Metropolitana di Malines, per Mons. Desiderato Mercier, Prelato Domestico di Sua Santità, Arcidiocesano di Malines, dottore in filosofia e in sacra teologia, Preside dell'Istituto filosofico di S. Tommaso in Lovanio.

Chiesa Metropolitana di Gorizia, pel R. D. Francesco Sedej, della stessa arcidiocesi, dottore in sacra teologia, Canonico Parroco della Metropolitana.

Chiesa Cattedrale di Chartres, per Mons. Lodovico Enrico Bouquet, translato dalla Sede Cattedrale di Mende.

Chiesa Cattedrale di Rodez, per Mons. Carlo de Ligonnès, diocesano di Mende, Protonotario Apostolico *ad instar participantium,* Vicario generale e Superiore del Seminario maggiore di Mende.

Chiesa Cattedrale di Digione, per Mons. Pietro Dadolle, arcidiocesano di Lione, Protonotario Apostolico *ad instar participantium,* dottore in sacra teologia e in diritto canonico, Rettore dell'Istituto Cattolico di Lione e Vicario generale onorario.

Chiesa Cattedrale di Ajaccio, per Mons. Giuseppe Maria Ollivier, diocesano di Marsiglia, già Professore dei Collegi di Belzunce e di S. Ignazio, Vicario generale di Marsiglia.

Chiesa Cattedrale di S. Giovanni di Moriana, pel R. D. Adriano Alessio Fodéré, della stessa diocesi, dottore in sacra teologia e in diritto canonico, Vicario Capitolare di Moriana.

Chiesa Cattedrale di Aire, pel R. D. Eugenio Francesco Touzet, arcidiocesano di Tolosa, Vicario Generale di questa arcidiocesi.

Chiesa Cattedrale di Nevers, pel R. D. Leone Gauthey, diocesano di Autun, ivi Vicario Capitolare.

Chiesa Cattedrale di Agen, pel R. D. Paolo Sagot du Vauroux, diocesano di La Rochelle, Canonico Teologo della Cattedrale di La Rochelle.

Chiesa Cattedrale di Versailles, pel R. D. Carlo Gibier, diocesano di Orléans, baccelliere in sacra teologia, Parroco di S. Paterno nella diocesi di Orléans.

Chiesa Cattedrale di Valence, pel R. D. Giovanni Vittore Emilio Chesnelong, arcidiocesano di Parigi, dottore in sacra teologia e in diritto canonico, Parroco della Maddalena in Parigi.

Chiesa Cattedrale di Baiona, pel R. D. Giulio Francesco Antonio Gieure, diocesano di Aire, ivi Superiore del Seminario maggiore.

Chiesa Cattedrale di Fréjus, pel R. D. Felice Guillibert, arcidiocesano di Aix, ex Vicario Generale e Parroco della Maddalena in Aix.

Chiesa Cattedrale di Vannes, pel R. D. Alcimo Gouraud, diocesano di Nantes, ivi Canonico onorario della Cattedrale e Direttore della Scuola Superiore libera.

Chiesa Cattedrale di Laval, pel R. D. Eugenio Giacomo Grellier, diocesano di Angers, ivi Vicario generale e Superiore del Seminario maggiore.

Chiesa Cattedrale di Mende, pel R. D. Giacomo Gély, diocesano di Rodez, ivi Vicario Capitolare.

Chiesa titolare Vescovile di Pentacomia, pel R. D. Giuseppe Antonio Pimenta, diocesano di Diamantina, Parroco di Theophilo Ottoni, deputato Coadiutore con futura successione di Mons. Claudio Giuseppe Gonçalves Ponse de Leao, Vescovo di S. Pietro nel Rio Grande.

Chiesa titolare Vescovile di Geropoli, per Mons. Luigi Giovanni Déchelette, Protonotario Apostolico *ad instar participantium,* arcidiocesano di Lione, ivi Vicario Generale, deputato Ausiliare dell'E.mo e R.mo Sig. Card. Pietro Ettore Coullié, Arcivescovo di Lione.

Ha poi il Santo Padre pubblicata la provvista delle seguenti Chiese fatta per Breve:

Chiesa titolare Arcivescovile di Costanza, per Mons. Guglielmo O' Connel, promosso dalla Sede Cattedrale di Portland e deputato Coadiutore con successione di Mons. Giovanni Giuseppe Williams, Arcivescovo di Boston.

Chiesa Metropolitana di Brindisi, cui è unita l'Amministrazione perpetua di Ostuni, pel R. D. Luigi Morando, della Congregazione degli Stimattini, diocesano di Verona, in Roma Rettore di S. Maria dei Miracoli e Professore emerito di teologia morale nel Pontificio Seminario Romano.

Chiesa Cattedrale di Bosa, cui è unita l'Amministrazione perpetua della diocesi di Alghero, pel R. D. Giovanni Battista Vinati, di Piacenza, dottore in sacra teologia e in diritto canonico, in Piacenza Professore di sacra scrittura nel Seminario, Arcidiacono della Basilica Cattedrale e Vicario Generale.

Chiesa Cattedrale della SS.ma Concezione del Chilì, pel R. D. Luigi Enrico Izquiesdo y Vargas, di Santiago del Chilì, Governatore Ecclesiastico e Vicario Generale di Valparaiso.

Chiesa Cattedrale di S. Giacinto del Chilì, per Monsignor Alessio Sisto Bernard, Vicario Capitolare della stessa diocesi.

Finalmente si è fatta la postulazione del Sacro Pallio per le Chiese Metropolitane di *Reims, Auch, Malines, Gorizia* e *Brindisi.*

Dopo il Concistoro Segreto, tenuto stamane, Sua Santità recavasi nella Sala del Trono, dove, assisasi, circondata dalla Sua Nobile Corte, imponeva il rocchetto ai Vescovi presenti in Curia, preconizzati nel suddetto odierno Concistoro.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 17 Februarii 1906, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda:

A. — Per Summaria precum.

I. WRATISLAVIEN. ET ALIARUM. — Matrimonialis. — R. *Ad mentem.* (Reservata).

II. ROMANA ET ALIARUM. — Dubium de alienatione. — R. *Ad 1.um Affirmative. Ad 2.um Affirmative excepto casu urgentis necessitatis in quo periculum sit in mora, et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, habito tamen in his adiunctis Ordinarii beneplacito, et sub lege ut permutatio fiat in titulis quam maxime tutis. Ad 3.um Affirmative quoad poenas in* Extravag. Ambitiosae.... *et Constit.* Apostol. Sedis..... *statutas.*

III. BERGOMEN. — Circa pia relicta fiduciaria. — R. *Iuxta mentem.* (Sub-secreto).

IV. ORTHONEN. — Adiudicationis proventuum et summae. — R. *Decretum Archiepiscopi ad 1.um esse confirmandum, ad 2um esse infirmandum.*

B. — In folio.

I. PARISIEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

II. PORTUGALLIEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

III. MECHLINIEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

IV. MEXICANA. Nullitatis matrimonii. — R. *In decisis.*

V. ROSSANEN. — Iurisdictionis. — R. *Ad mentem.*

VI. MEDIOLANEN. — Delimitationis finium parochialium. R. *Dilata.*

VII. AQUILANA. — Nominationis ad capellaniam. — R. *Negative ad 1am partem; affirmative ad 2am idest Archiepiscopo et amplius.*

VIII. SORANA. — Nullitatis matrimonii. — R. *In decisis.* (Extra-ordinem).

A. — Per Summaria precum.

2516/5

I.

Romana et aliarum. — Dubium de alienatione.

Pro alienatione et permutatione titulorum versurarum publicarum, vulgo " titoli pubblici di credito al portatore ", requiruntur solemnitates iuris, quando agitur de bonis ecclesiasticis.

Quaesitum nuper fuit « 1° Se per le alienazioni dei valori « al portatore spettanti ad enti ecclesiastici, od a case pie « soggette alla tutela della Chiesa, sia necessario il bene« placito apostolico, come per le alienazioni dei beni immo« bili e delle cose preziose. 2° Se egual facoltà si richiede « per la permuta dei medesimi in altri titoli o valori, anche « immobili. 3° Se i venditori e gli acquirenti siano soggetti « alle pene ecclesiastiche sancite dal Tridentino al *capo 11,* « *sess. XXII de reform.* e dalla *Extrav. Ambitiosae* e dalla « Costit. *Apostolicae Sedis* ».

Ut nonnulla de more dicam circa proposita dubia breviter hic innuo.

Quod attinet ad primum dubium quaestio huc recidit, utrum nimirum versurae publicae, vulgo *titoli pubblici di credito al portatore,* cadant sub dispositione celebris Const. Pauli II *Ambitiosae cupiditati,* qua prohibetur alienare sine beneplacito apostolico bona ecclesiastica *immobilia et mobilia pretiosa.* (*Extrav. Ambitiosae* un. tit. De rebus Ecc. non alienandis inter Comm.). Iamvero Doctores tenent unanimiter hanc Constitutionem late, id est favore Ecclesiae, interpretandam esse; atque ideo nomine bonorum immobilium vel rerum mobilium pretiosarum venire etiam « iura incorpo« ralia et servitutes... Item *nomina debitorum,* obligationes, « actiones, etc. ». (Pichler III, XIII, § 1, n. 2; S. Alph., lib. IV, n. 187; et alii passim). Atqui nomina debitorum sunt privata vel publica, prout debitor est privata persona vel publicum institutum aut gubernium. Ergo versurae publicae cadunt sub dispositione Paulinae Constitutionis. Haud tamen argumentatione opus est ad hoc asserendum cum Doctores expresse etiam de huiusmodi versuris loquantur. Ita v. g. Ferraris v. *Alienatio,* art. IV, n. 25 de locis montium, quae olim aequivalebant modernis titulis publicis, ait: « Sine beneplacito nequeunt alienari loca montium, seu pecunia collocata in montibus; quia pecunia sic applicata est fructifera, cum pariat ius exigendi quotannis certae pecuniae summam, adeo ut talis pecunia collocata in montibus, seu ipsa loca montium, connumerentur inter bona immobilia, quae sine Beneplacito alienari non possunt. Et Card. De Luca, *De alienation.* disc. 1, n. 17, dicit cadere sub dispositione praefatae Extravagantis « bona stabilia per veritatem, idest soli; ut sunt praedia rustica vel urbana » et bona stabilia quae talia habentur per fictionem iuris « ut sunt census activi per Ecclesiam possessi..... ac etiam iura cum Principe vel Republica, quae in Urbe, et frequentius per Italiam, loca montium dicuntur; nam *receptum est* ea quoque venire tum quoad omnimodam alienationem, quam reductionem, vulgo abassationem ». Pro recentioribus DD. sufficiat citasse doctissimum Card. D'Annibale qui in Summ., p. 111, § 78, docet: « Bona immobilia accipere debemus et quae fundo tenentur (et)..... iura realia, uti census, *redditus ex versuris publicis,* et pecunia praediis vel mobilibus pretiosis acquirendis destinata ». Id autem eo magis valet nostris hisce temporibus: cum enim satanicae leges civiles, quas eversivas vocant, plerisque ecclesiasticis institutis denegent iuridicam entitatem, aut saltem facultatem possidendi bona immobilia, acquisitio titulorum debiti publici, quae olim erat modus subsidiarius investiendi Ecclesiae pecuniam, quo scilicet uti decebat quando praesto non esset investimentum *in stabilibus tutis et fructiferis* aut, iis deficientibus, *in censu,* acquisitio, inquam, titulorum huiusmodi evasit titulus investiendi primarius, quem S. Sedes nedum permittit, sed suadet, et aliquando etiam praecipit. Ad rem Card. Gennari: « Le leggi eversive d'Italia impediscono la « costituzione di nuove cappellanie, di nuovi benefizi e di

« qualsivoglia ente a scopo di culto. Nè si può aver molta « fiducia su gli enti fin qui conservati, come le congrue « parrocchiali, cui si possono annettere le somme imponendo « ai parroci di erogarne la rendita a persone designate o a « designare. Imperocchè, a prescindere dalle gravose falcidie « governative, a prescindere dalla precarietà di detti enti « conservati, cui si minaccia di convertirli come gli altri, « ad ogni piè sospinto, la stessa perpetuità della nuova fon- « dazione e l'uso al quale è destinata costituirebbero un « ente per se stante e perciò soggetto a soppressione secondo « varie sentenze delle Corti del Regno.

« *Non rimane perciò altro mezzo più facile e meno « esposto a pericoli, per le pie fondazioni oggidì, che « quello di consegnare al Vescovo le somme perchè le in- « vesta in titoli al portatore e delle rendite faccia l'uso « che vien dichiarato dall'offerente* ». (*Monit. Eccl.*, volume VIII, pag. 271). Non est, itaque, vel minime ambigendum quod tituli, de quibus in proposito dubio, cadant sub dispositione *Extrav. Ambitiosae*, atque ideo non possint sine beneplacito apostolico alienari.

Quod spectat alterum dubium, convenit apud omnes alienationis nomine venire etiam permutationem. Ita v. g. Schmalzgrueber, III, XIII, § 1, n. 9, ait: « Quaeritur quinam contractus et actus, in specie, nomine alienationis, prohibeantur clericis circa res ecclesiarum? Resp. 1° prohibetur donatio, venditio, *permutatio*, constitutio pignoris etc. ». Idem tenet, cum aliis recentioribus, Wernz, qui tom. III, n. 154 haec habet: « Alienatio bonorum ecclesiasticorum hoc loco sumitur sensu lato... Hinc actus alienationis sunt, donatio, venditio, *permutatio*, solutio, cessio iuris, v. g. crediti vel litis vel actionis iam quaesitae etc. ». Quod cum ita sit, patet permutationem titulorum publicorum cum aliis titulis publicis, aut cum bonis immobilibus, absque apostolico beneplacito fieri non posse. Consulto, tamen, advertit Wernz, l. c. « in casibus plane extraordinariis, non esse insistendum litterae legis, ubi periculum est in mora, et propter urgentem necessitatem ad Romanum Pontificem (pro apostolico beneplacito) fieri nequit ».

Hisce praehabitis, iam plana sese affert tertii dubii solutio: scilicet, cum tituli nominales (al portatore) debiti publici eorumque alienationes aut permutationes cadant sub dispositione *Extrav. Ambitiosae*, quae relata est in Const. Pii IX, *Apostolicae Sedis*, his verbis: « Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus... alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis « Ambitiosae » *De Reb. Eccl. non alienandis* » facile quisque poterit, de poena quae manet huiusmodi alienantes et recipere praesumentes, sese certiorari probatos consulendo auctores.

Haec, pro mea tenuitate, animadvertenda censui. Modo, vestrum erit EE. PP. praefata dubia, sapienti iudicio, diluere.

Responsum fuit: *Ad 1.um Affirmative. Ad 2.um Affirmative excepto casu urgentis necessitatis in quo periculum sit in mora, et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, habito tamen in his adiunctis Ordinarii beneplacito, et sub lege ut permutatio fiat in titulis quam maxime tutis. Ad 3.um Affirmative quoad poenas in* Extravag. Ambitiosae... *et Constit.* Apostol. Sedis... *statutas.*

DECRETUM

de quotidiana SS. Eucharistiae sumptione.

Sacra Tridentina Synodus, perspectas habens ineffabiles quae Christifidelibus obveniunt gratiarum divitias, sanctissimam Eucharistiam sumentibus (*Sess. 22, cap. 6*) ait: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent.* Quae verba satis aperte produnt Ecclesiae desiderium ut omnes Christifideles illo coelesti convivio quotidie reficiantur, et pleniores ex eo sanctificationis hauriant effectus.

Huiusmodi vero vota cum illo cohaerent desiderio, quo Christus Dominus incensus hoc divinum Sacramentum instituit. Ipse enim nec semel nec obscure necessitatem innuit suae carnis crebro manducandae suique sanguinis bibendi, praesertim his verbis: *Hic est panis de coelo descendens; non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt: qui manducat hunc panem vivet in aeternum* (Ioan., VI, 59). Ex qua comparatione cibi angelici cum pane et manna facile a discipulis intelligi poterat, quemadmodum pane corpus quotidie nutritur, et manna in deserto Hebraei quotidie refecti sunt, ita animam christianam caelesti pane vesci posse quotidie ac recreari. Insuper quod in oratione Dominica exposci iubet *panem nostrum quotidianum*, per id SS. Ecclesiae Patres fere unanimes docent, non tam materialem panem, corporis escam, quam panem eucharisticum quotidie sumendum intelligi debere.

Desiderium vero Iesu Christi et Ecclesiae, ut omnes Christifideles quotidie ad sacrum convivium accedant, in eo potissimum est ut Christifideles, per sacramentum Deo coniuncti, robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas quae quotidie occurrunt abluendas, et ad graviora peccata, quibus humana fragilitas est obnoxia, praecavenda; non autem praecipue ut Domini honori, ac venerationi consulatur, nec ut sumentibus id quasi merces aut praemium sit suarum virtutum (S. August. *Serm. 57 in Matth. De Orat. Dom., v. 7*). Unde S. Tridentinum Concilium Eucharistiam vocat *antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur* (*Sess. 13, cap. 2*).

Hanc Dei voluntatem priores Christifideles probe intelligentes, quotidie ad hanc vitae ac fortitudinis mensam accurrebant. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis* (*Act.*, II, 42). Quod saeculis posterioribus etiam factum esse, non sine magno perfectionis ac sanctitatis emolumento, Sancti Patres atque ecclesiastici Scriptores tradiderunt.

Defervescente interim pietate, ac potissimum postea Ianseniana lue undequaque grassante, disputari coeptum est de dispositionibus, quibus ad frequentem et quotidianam Communionem accedere oporteat, atque alii prae aliis maiores ac difficiliores, tamquam necessarias, expostularunt. Huiusmodi disceptationes id effecerunt, ut perpauci digni haberentur qui SS. Eucharistiam quotidie sumerent, et ex tam salutifero sacramento pleniores effectus haurirent; contentis caeteris eo refici aut semel in anno, aut singulis mensibus, vel unaquaque ad summum hebdomada. Quin etiam eo severitatis ventum est, ut a frequentanda caelesti mensa integri coetus excluderentur, uti mercatorum, aut eorum *qui essent matrimonio coniuncti.*

Nonnulli tamen in contrariam abierunt sententiam. Hi arbitrati Communionem quotidianam iure divino esse praeceptam, ne dies ulla praeteriret a Communione vacua, praeter alia a probato Ecclesiae usu aliena, etiam feria VI in Parasceve Eucharistiam sumendam censebant, et ministrabant.

Ad haec Sancta Sedes officio proprio non defuit. Nam per

decretum huius Sacri Ordinis, quod incipit *Cum ad aures*, diei 12 mensis Februarii anni 1679, Innocentio Pp. XI adprobante, errores huiusmodi damnavit et abusus compescuit, simul declarans omnes cuiusvis coetus, mercatoribus atque coniugatis minime exceptis, ad Communionis frequentiam admitti posse, iuxta singulorum pietatem et sui cuiusque Confessarii iudicium. Die vero 7 mensis Decembris a. 1690, per decretum *Sanctissimus Dominus noster* Alexandri Pp. VIII, propositio Baii, purissimum Dei amorem absque ullius defectus mixtione requirens ab iis qui ad sacram mensam vellent accedere, proscripta fuit.

Virus tamen iansenianum, quod bonorum etiam animos infecerat, sub specie honoris ac venerationis Eucharistiae debiti, haud penitus evanuit. Quaestio de dispositionibus ad frequentandam recte ac legitime Communionem Sanctae Sedis declarationibus supervixit; quo factum est ut nonnulli etiam boni nominis Theologi, raro et positis compluribus conditionibus, quotidianam Communionem fidelibus permitti posse censuerint.

Non defuerunt aliunde viri doctrina ac pietate praediti, qui faciliorem aditum praeberent huic tam salubri Deoque accepto usui, docentes, autoritate Patrum, nullum Ecclesiae praeceptum esse circa maiores dispositiones ad quotidianam, quam ad hebdomadariam aut menstruam Communionem; fructus vero uberiores longe fore ex quotidiana Communione, quam ex hebdomadaria aut menstrua.

Quaestiones super hac re diebus nostris adauctae sunt et non sine acrimonia exagitatae; quibus Confessariorum mentes atque fidelium conscientiae perturbantur, cum christianae pietatis ac fervoris haud mediocri detrimento. A viris idcirco praeclarissimis ac animarum Pastoribus SS.mo D.no Nostro Pio Pp. X enixae preces porrectae sunt, ut suprema Sua auctoritate quaestionem de dispositionibus ad Eucharistiam quotidie sumendam dirimere dignaretur; ita ut haec saluberrima ac Deo acceptissima consuetudo non modo non minuatur inter fideles, sed potius augeatur et ubique propagetur, hisce diebus potissimum, quibus Religio ac fides catholica undequaque impetitur, ac vera Dei charitas et pietas haud parum desideratur. Sanctitas vero Sua, cum Ipsi maxime cordi sit, ea qua pollet sollicitudine ac studio, ut christianus populus ad Sacrum convivium perquam frequenter et etiam quotidie advocetur eiusque fructibus amplissimis potiatur, quaestionem praedictam huic Sacro Ordini examinandam ac definiendam commisit.

Sacra igitur Concilii Congregatio in plenariis Comitiis diei 16 mensis Dec. 1905 hanc rem ad examen accuratissimum revocavit, et rationibus hinc inde adductis sedula maturitate perpensis, ea quae sequuntur statuit ac declaravit:

1° Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

2° Recta autem mens in eo est, ut qui ad S. Mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius charitate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

3° Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana Communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se nunquam in posterum peccaturos; quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant.

4° Cum vero Sacramenta Novae Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad Sacram Communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia.

5° Ut frequens et quotidiana Communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.

6° Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu quotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et concionatores, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam *(Part. II, n. 60)*, christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.

7° Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur; pro quibus tamen firmum sit decretum *Quemadmodum* diei 17 mensis Decembris 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum. Quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

8° Si quae sint Instituta, sive votorum solemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam calendariis, Communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tamquam mere *directivae* non tamquam *praeceptivae* putandae sunt. Praescriptus vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro Religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eisdem patere semper debebit, iuxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi.

9° Denique post promulgatum hoc Decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam Communionem abstineant.

Relatis autem his omnibus ad SS.mum D. N. Pium PP. X per infrascriptum S. C. Secretarium in audientia diei 17 mens. Dec. 1905, Sanctitas Sua hoc E.morum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi iussit contrariis quibuscumque minime obstantibus. Mandavit insuper ut mittatur ad omnes locorum Ordinarios et Praelatos Regulares, ad hoc ut illud cum suis Seminariis, Parochis, institutis religiosis et sacerdotibus respective communicent, et de executione eorum quae in eo statuta sunt S. Sedem edoceant in suis relationibus de dioecesis seu instituti statu.

Datum Romae, die 20 Decembris 1905.

† VINCENTIUS Card. Episc. Praenest., *Praef.*

C. De Lai, *Secretarius.*

DECRETUM DE SEMINARIORUM ALUMNIS.

De alumnis ex uno Seminario vel ex uno instituto religioso dimissis, in alterum seminarium non recipiendis.

Vetuit S. Tridentina Synodus ad sacros ordines ascendere, vel ordines iam susceptos exercere eos omnes qui a

suo Episcopo fuerint etiam extraiudicialiter prohibiti. Ita namque in *cap. I, sess. 14, de reform.* statuitur:

« Cum honestius ac tutius sit subiecto, debitam Praepositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum Praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo Praelato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus, seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores, restitutio suffragetur ».

Cum vero generalis haec lex Seminariorum quoque alumnos comprehendat, si quis eorum, sive clericus, sive clericatui adhuc non initiatus, e pio loco dimittatur eo quod certa vocationis signa non praebeat, aut qualitatibus ad ecclesiasticum statum requisitis non videatur instructus, hic certe deberet, iuxta grave S. Concilii monitum, sui Pastoris iudicio subesse et acquiescere.

At contra saepe contingit ut e Seminario dimissi, eorum qui praesunt iudicium parvipendentes et in sua potius opinione confisi, ad sacerdotium nihilominus ascendere studeant. Quaeritant itaque aliud Seminarium, in quod recipiantur, ubi studiorum cursum expleant, ac denique aliquo exhibito plus minusve sincero ac legitimo domicilii aut incardinationis titulo, ordinationem assequuntur. Sanctuarium autem ingressi haud recta via, quam saepissime fit ut Ecclesiae utilitati minime sint. Passim vero utrumque Ordinarium, et originis et ordinationis, diu fastidioseque vexant ut sibi liceat ad natale solum regredi, ibique consistere, dioecesi in qua et pro qua ordinati sunt derelicta, et alia optata, pro cuius necessitate aut utilitate minime assumpti sunt, ubi imo eorum praesentia otiosa est et quandoque etiam damnosa: unde Episcopi in graves angustias coniiciuntur.

His itaque de causis nonnullarum provinciarum Episcopi inter se convenerunt statuentes in sua Seminaria neminem admittere qui ante fuerit a propria dimissus.

Sed cum particularis haec conventio non plene neque undique sufficeret, complures Ordinarii S. Sedem rogaverunt ut generalem legem ferret, qua malum radicitus tolleretur.

His itaque attentis et omnibus ad rem mature perpensis, SSmus D. N. Pius PP. X, cui cordi quam maxime est ecclesiasticam disciplinam integram conservare, et a sacris avertere quemlibet qui probatissimus non sit, accedente etiam voto Em. S. C. Concilii Patrum in Congregatione diei 16 mensis Decembris 1905 emisso, praesentibus litteris statuit atque decernit.:

1°. Ut in posterum nullus loci Ordinarius alterius dioecesis subditum sive clericum sive laicum in suum Seminarium admittat, nisi prius secretis litteris ab Episcopo Oratoris proprio expetierit et cognoverit, utrum hic fuerit olim e suo Seminario dimissus. Quod si constiterit, omittens iudicare de causis, aut determinare utrum iuste an iniuste alius Episcopus egerit, aditum in suum Seminarium postulanti praecludat.

2° Qui vero bona fide admissi sunt, eo quod reticuerint se antea in alio Seminario versatos esse et ab eo deinde dimissos, statim ut haec eorum conditio cognoscatur, admonendi sunt ut discedant. Quodsi permanere velint, et ab Ordinario id eis permittatur, eo ipso huic dioecesi adscripti maneant, servatis tamen canonicis regulis pro eorum incardinatione et ordinatione; sed aucti sacerdotio in dioecesim, e cuius Seminario dimissi fuerint, regredi ibique stabile domicilium habere prohibentur.

3°. Pariter cum similis ferme ratio vigeat, qui dimissi ex Seminariis aliquod religiosum Institutum ingrediuntur, si inde exeant postquam sacris initiati sunt, vetantur in dioecesim redire, e cuius Seminario dimissi fuerint.

4°. Dimissi vero ex aliquo religioso Instituto in Seminarium ne admittantur, nisi prius Episcopus secretis litteris a moderatoribus eiusdem Instituti notitias requisierit de moribus, indole et ingenio dimissorum, et constiterit nil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat.

Denique meminerint Episcopi fas sibi non esse, nomine proprio manus cuiquam imponere qui subditus sibi non sit eo modo et uno ex iis titulis, qui in Constitutione *Speculatores* Innocentii XII et in decreto S. C. Concilii quod incipit *A primis* die XX m. Iulii 1898 (1) statuuntur. Ac pariter neminem ordinari posse qui non sit utilis aut necessarius pro ecclesia aut pio loco pro quo assumitur iuxta praescripta a S. Tridentino Concilio in *cap. 16, Sess. 23 de reform.*

Vult autem Sanctitas Sua ut statuta haec et cautelae omnes a sacris canonibus in re tam gravi adiectae, ab omnibus Ordinariis ad unguem serventur; idque ipsorum conscientiae et sollicitudini quam maxime commendat.

Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 22 m. Decembris 1905.

† VINCENTIUS Card. Ep. Praenest., *Praefectus.*

L. ✠ S.

CAIETANUS DE LAI, *Secretarius.*

E SACRA CONGREGATIONE
EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Ordinarius, iustis de causis, limitare potest, etiam quoad Regulares, durationem pulsationum in sonitu campanarum.

Beatissime Pater,

Episcopus Sanctae Fidei in Republica Argentina humiliter ac reverenter exponit quod, attentis querelis sive privatim sive publice sive etiam per ephemerides excitatis ex abusu circa campanarum sonitum, necnon iure meritoque metuens auctoritatis civilis aut municipalis interventum, quem opera sui Vicarii Generalis semel vitare potuit, decretum edere statuit, vi cuius, campanarum sono diebus Dominicis festivis aliisque anni temporibus haud prohibito, earumdem campanarum usus tantummodo moderatur et limitatur. Quum vero Fratres Praedicatores, qui in hac Sanctae Fidei civitate Conventum habent, contra praefatum episcopale decretum

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. VI, p. 351.

opponant privilegium ipsis a S. Pio V Constitutione *Etsi Mendicantium* diei 16 Maii 1567 concessum, atque a resolutione S. Congr. Episcoporum et Regularium diei 11 Martii 1892 confirmatum, duo sequentia dubia resolvenda proponit:

I. Utrum, attentis gravibus adiunctis supra relatis, dicti Fratres Praedicatores obtemperare teneantur dispositionibus in citato episcopali decreto contentis? Et quatenus negative:

II. Quomodo se gerere debeat Ordinarius ad interventum civilis vel municipalis auctoritatis vitandum?

Sacra Congregatio E.morum ac R.morum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, re sedulo perpensa, praefatis dubiis respondendum censuit, prout respondet:

Firmo remanente Fratrum Praedicatorum privilegio pulsandi campanas quando eis placuerit, ad tramitem Constitutionis S. Pii V *Etsi Mendicantium*, Episcopus potest, propter specialia loci et temporum adiuncta, pulsationum durationem ad certum tempus limitare.

Romae, 15 Novembris 1905.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. ✠ S.

PHILIPPUS GIUSTINI, *Secretarius*

E SACRA CONGREGATIONE PROPAGANDAE FIDEI

Missiones Insularum Carolinarum Orient. ac Occid. eriguntur in unicam Praef. Apl. quae committitur PP. Capuccinis Prov. Westfaliensis.

Decreto S. huius Congregationis Fidei Propagandae praepositae, die 15 Maii anni 1886 dato, Leo f. r. PP. XIII, duas Missiones instituit in Insulis Carolinis, unam nempe Carolinarum Orientalium, Occidentalium alteram, easque Minoribus Capulatis Hispanis excolendas commisit. Cum nuper autem praelaudati Ordinis Minister Generalis ab hoc S. Consilio petierit ut in illis insulis quae hodie germanicae dominationi subsunt, loco duarum Missionum, unica erigeretur Praefectura Apostolica, quae Provinciae Westfaliensis eiusdem Ordinis curis traderetur, Eminentissimi huius Sacrae Congregationis Propagandae Fidei Patres, in comitiis generalibus die 4 vertentis mensis Decembris habitis, hoc negotium pertractandum suscepere. Re itaque mature perpensa, iidem Eminentissimi Patres ad maius rei catholicae incrementum in illis insulis procurandum decreverunt ut loco duarum Missionum illic existentium, Insularum nempe Carolinarum Orientalium atque Carolinarum Occidentalium unica constitueretur Praefectura Apostolica Insularum Carolinarum nuncupata, atque Provinciae Westfaliensis Ordinis Minorum Capulatorum curis excolenda committeretur.

Hanc autem Eminentissimorum Patrum sententiam Sanctissimo Domino Nostro Pio divina providentia PP. X relatam in Audientia insequentis diei ab infrascripto eiusdem Sacrae Congregationis Secretario, Sanctitas Sua benigne adprobavit ratamque habuit, et praesens ea de re Decretum edi praecepit.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. de Propag. Fide, die 18 Decembris an. 1905.

Fr. H. M. Card. GOTTI, *Praef.*

L. ✠ S.

ALOISIUS VECCIA, *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

ORDINIS FRATRUM MINORUM PROV. S. LEOPOLDI.

Sacerdos impertiendo Tertiariis absolutionem generalem uti debet stola coloris violacei.

Frater Pirminius Hasenoehrl, sacerdos Ordinis Fratrum Minorum, solemniter professus in Regulari Provincia Sancti Leopoldi et Director Tertii Ordinis saecularis Sancti Francisci, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expostulavit:

Utrum Director Tertii Ordinis vel Sacerdos facultate praeditus, qui Tertiariis saecularibus congregatis Benedictionem cum Indulgentia plenaria, sic dictam absolutionem generalem impertitur, uti debeat stola coloris diei, vel albi, vel violacei?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: *Utatur stola coloris violacei.*

Atque ita rescripsit, die 22 Decembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

L. ✠ S.

II.

DECRETUM

seu declaratio S. Rituum Congr., circa modum interpretandi dispositiones art II et IV. Instructionum diei 11 Aug. 1905.

A nonnullis Editoribus proponitur subinde quaestio de modo interpretandi Dispositiones Art. II et IV Decreti seu Instructionum Sacrae Rituum Congregationis, diei XI Augusti MCMV, (1) circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum Gregorianum continentium. Ad hanc autem quaestionem solvendam eadem Sacra Congregatio, de mandato Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X, quae sequuntur declarat:

1. Forma notularum cantus sic debet integra servari, ut omnes ex eis quae eamdem habent rationem vel significa-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIII, p. 345.

tionem, ac proinde in editione typica Vaticana unam eamdemque figuram referunt, pariter in alia editione, quae ab Ordinario possit approbari, necessario quoad formam omnino inter se similes extent et coaequales. Ideoque signa quae forte fuerint, permittente Ordinario, superinducta, nullatenus notularum formam, vel modum quo ipsae coniunguntur, afficere debent.

2. Quamvis editio aliqua fuerit recognita, ab Ordinario vel ab ipsa Sacra Rituum Congregatione, tamquam de caetero, videlicet exceptis signis, cum typica conformis, oportet tamen ut deinceps normas supra statutas exacte servet; quatenus, inter notulas typicas et signa quae superveniunt, iam amplius confusio oriri nequeat. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 14 Februarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† Diomedes Panici, Archiep. Laod., *S. R. C. Secretarius.*

III.

ORDINIS S. BENEDICTI.

De translatione Festorum dupliciorum primae vel secundae classis, in toto Ordine S. Benedicti.

Rev.mus D. Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Primas Ordinis S. Benedicti, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X supplex rogavit, ut Indultum Apostolicum diei 24 Februarii 1905 Congregationi eiusdem Ordinis Casinensi a primaeva observantia concessum, quo festa duplicia primae vel secundae classis quoties a digniori Officio impedita occurrerint, in diem primam respective sequentem transferri valeant, redacto ad ritum simplicem Officio ritus duplicis minoris (non tamen alicuius Sancti Doctoris) aut semiduplicis occurrente, benigne extendere dignaretur ad omnia Coenobia seu Monasteria sui Ordinis, quae eodem indulto iusta de causa uti voluerint.

Sacra porro Rituum Congregatio utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, petitam enunciati privilegii extensionem benigne indulsit iuxta preces, servatis rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 26 Ianuarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

Indulg. plen. conceditur die 24 cuiuslibet mensis iis qui intersunt piis exercitationibus peractis in honorem Deiparae Opiferae, in ecclesiis Salesianorum.

Beatissimo Padre,

Il sacerdote Michele Rua, superiore della Società salesiana, prostrato al bacio del sacro piede, espone umilmente, che venne da qualche tempo introdotta la pia pratica di onorare nelle pubbliche Chiese salesiane la Vergine Santissima Ausiliatrice, il 24 di ogni mese, in memoria dell'annua festa patronale, occorrente il 24 maggio, con particolari preghiere e divoti esercizi di pietà, a fine di ottenere più facilmente la speciale di Lei assistenza e protezione nei presenti bisogni di S. Chiesa e del Sommo Pontefice.

Ora l'umile esponente, a promuovere maggiormente la gloria di Dio e il vantaggio spirituale dei fedeli cristiani, supplica la S. V. affinchè si degni concedere a tutti quelli che in detto giorno di ciascun mese, confessati e comunicati, prenderanno parte al predetto esercizio, possano lucrare l'Indulgenza plenaria, applicabile eziandio ai fedeli defunti.

Che, ecc.

SS.mus D.nus N. Pius Pp. X in audientia habita, die 24 Ianuarii 1906, ab infrascripto Card. Praef. S. Cong.nis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces, dummodo tamen praefatum pium exercitium de consensu respectivorum Ordinariorum peragatur. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Sec.ria eiusdem S. C., die 24 Ianuarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

Iosephus M. Can. Coselli, *Subst.*

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

XXXV. **Die Sabbati 14 Ianuarii 1679.**

Lauretana. — Iurisdictionis tertia. — R.

Firmana. — Iurium Parochialium. — R. *Ad primum, affirmative, quatenus decimae sint praediales. Ad secundum, maiorum. Ad tertium, maiorum. Ad quartum, ad iudices suos. Ad quintum, affirmative ad primam partem et quo ad tempus, explicet casus particulares. Ad sextum, dabitur resolutio in casibus particularibus. Ad septimum, negative. Ad octavum, dilata, et videantur decreta.*

Lucana. — Unionis. — R. *Pro gratia, dummodo praescribatur assistentia et servitium ad instar aliarum collegiatarum praescribendum per Sacram Congregationem.*

Sarzanen. — Professionis fidei. — R. *Ad primum, affirmative. Ad secundum, negative.*

Viterbien. — Incisionis silvae. — R. *Negative.*

Mediolanen. — Concordiae. — R. *Pro concordia in formam coram E.mo Archiepiscopo, deleto 4° tamen capite; et quoad secundum, expresse taxentur, arbitrio eiusdem Eminentissimi.*

De Communione quotidiana et de domestica. — R.

117. **Firmana. — Iurium parochialium.**

1. An regulares moniales conf. Cappellani perpetua beneficia obtinentes etc.

2. An filii sepultura non electa decedentes sepeliendi sint etc.

3. An parvuli decedentes ante usum rationis sepeliendi sint in sepultura maiorum vel in parochiali, etc.

4. An Cappella S. Thomae in Ecclesia Minorum Conventualium cui praetenduntur subiectae duo familiae etc.

5. An dictae collegiatae curatae debeatur quarta funeralium quae fiunt in Ecclesiis Regularium etc.

6. An Regulares teneantur solvere dictae Collegiatae etc.

7. An Regulares vocati ad funus possint non expectato etc.

8. An Regulares possint, sive per se, sive per alios etc.

9. An et ad quem spectent quaestuationes factae per laicos etc.

R. *Ad primum, affirmative quatenus decimae sint praediales. Ad secundum, maiorum. Ad tertium, maiorum. Ad quartum, ad iudices suos. Ad quintum, affirmative ad primam partem et quo ad tempus explicet casus particulares. Ad sextum, dabitur resolutio in casibus particularibus. Ad septimum, negative. Ad octavum, dilata; et videantur decreta.*

118. **Lucana. — Unionis.**

Extat in Civitate Lucana Collegiata Sanctorum Paulini et Donati, quae constat decem Canonicatibus, quorum electio in quatuor mensibus spectat ad Capitulum, in reliquis octo apostolicis sunt liberae collationis. Isti Canonicatus non habent aliam obligationem, quam unius missae in hebdomada et vesperarum in diebus festis. Ex iisdem unus tantum habet praebendam ducatorum sexdecim auri de Camera, reliqui praebenda carent. Distributiones vero consistunt in rubris tredecim frumenti repartiendis inter omnes decem Canonicos ad ratam servitii, quod tamen stante tenuitate negligitur. Ad consulendum igitur tenuitati huiusmodi et ad augendum cultum divinum, promovente capitulo, respublica decrevit a Sancta Sede infrascriptam unionem procurare.

Spectabat ad rem publicam iuspatronatus simplicis beneficii, seu Capellaniae existentis in eadem Ecclesia, sed propter difficultatem nominationis in tanto suffragiorum numero tota praesentandi potestas, approbante, Clemente VII, s. m., transfusa fuit in confalonerium pro tempore. Cum itaque redditus istius Capellaniae excedentes ducatos bicentum auri de camera existimarentur apti pro subventione collegiatae, determinatum fuit de ea partienda in distributionibus cum primum vacasset, cum obligatione tamen Capitulo celebrandi in Capella palatii missam quotidianam, et anniversarium annuum in suffragium animarum Senatorum, et cum conditione, quod ipsi decem canonicatus remaneant subrogati iuripatronatus Confalonerii in quocumque casu, et tempore vacaverint.

Sed antequam ad Sanctam Sedem recursus haberetur, possessore Capellaniae morte inopina e vivis sublato, confalonerius filium suum ad eam praesentavit et Ordinarius non obstante oppositione Capituli instituit. In tali statu respublica per libellum a SS.mo remissum pro voto supplicat pro unione et gratia praemissis.

E.mus D. Cardinalis Episcopus pro informatione requisitus respondet singula exposita consentire veritati ac postmodum subdit: – fù ammessa la presentata, essendosi stimato che fino a tanto che non veniva rivocato l'indulto suddetto di Clemente VII da Sua Santità non si poteva levare il possesso che avevano da più d'un secolo li Confalonieri pro tempore, e che il Capitolo della suddetta Collegiata, che allegava nulla questa presentazione, non fosse legittimo contradittore. Che però successivamente e servatis serv. fu anco al presentato concessa l'instituzione in vigore della quale prese possesso il d.° beneficio. Per altro, quando fosse stato convalidato il decreto del Senato dall'autorità apostolica, stimò giustificatissimo quanto si deduce in detto memoriale, che ridondarebbe in aumento del Culto del detto glorioso martire e primo Vescovo S. Paolino se con l'accrescimento dell'entrata sopra espressa venisse anco ordinato che fossero i Canonici obbligati all'offiziatura della Chiesa ed a sostenere tutti i pesi che spettano ai Canonici delle Collegiate. – Additur ad haec, quod institutus ad dictum beneficium, in supplicatione porrecta magistratui declarat intentionis suae fuisse dictum beneficium loco depositi recipere, ac promptum se exhibet ad libere dimittendum quotiescumque Sanctissimus unionem concedat.

Haec per summarium relata, EE. VV. mandarunt describi in folio ut posset examinari prout nunc quaeritur: An praemissis reipublicae precibus sit annuendum?

R. *Pro gratia, dummodo praescribatur assistentia, et servitium ad instar aliarum collegiatarum praescribendum per Sacram Congregationem.*

119. **Sarzanen. — Professionis fidei.**

Paulus Franciscus de Podiis, provisus de Archidiaconatu, fidei professionem emisit in Capitulo, in quo praesens erat Vicarius, qui erat etiam Canonicus; sed quoniam is sedebat in stallo canonicali, non autem Vicarii, imo in instrumento actus professionis dictus Canonicus recensetur simplici nomine proprio nulla facta mentione de Vicariatu, Episcopus existimat non fuisse satisfactum Concilio requirenti, ut emittatur etiam coram Episcopo sive eius Vicario. Itaque ob hanc omissionem, ac etiam ob non residentiam, fructibus archidiaconatus sequestrum apposuit. E contra archidiaconus credens satis adimplevisse, instat sequestrum removeri. Cum que res videretur habere hinc inde rationum momenta EE. PP. mandarunt describi in folio. Ideo quaeritur:

1. An quoad emissionem professionis fidei modo, ut supra sequuto, satisfactum fuerit dispositioni Concilii Cap. 12, Sess. 24, de reform.

2. An sequestrum sit removendum.

R. *Ad primum, affirmative. Ad secundum, negative.*

120. **Viterbien. — Incisionis silvae.**

Ad mensam episcopalem Viterbien. inter caetera bona spectat silva, seu nemus vulgo Paranzana; tres periti fide digni, quorum primus est aetatis annorum 82, alter 92, tertius 78, iuxta ipsorum peritiam deponunt silvam de sua natura esse caeduam tum ratione situs, tum quia arbores quercuum, castanearum, et cerrorum nullo ordine plantatae videntur, sed potius in confuso ita natae et ad caedendum destinatae. Imo ipsos vidisse illam ad cedendum fuisse venditam tempore R.mi Mattheucci, et E.mi Card, Brancaccii clar. mem. Episcopi de anno 1639, et ex oculari inspectione apparere semper fuisse caesam; idque etiam a maioribus audivisse. In dictis venditionum instrumentis legitur reservatum Apostolicum beneplacitum, sed non expeditum. Moder-

nus Episcopus eamdem silvam ad caedendum vendidit pacta solutione in plures pagas ad ratam scut. sexcentum quolibet anno, ac reservato Apostolico beneplacito quatenus opus sit, quo ipse quidem opus esse non credit, dum agitur de silva caedua, cuius cessio cum sit in fructu, sub prohibitione de non alienando haud videtur comprehensa. At quoniam agitur de causa propria, ne suo tantum iudicio fidere videatur, Eminentiarum VV. sapientiam consulit. Ideoque humillime supplicat declarari :

An in alienatione arborum silvae praefatae ad caedendum, requiratur Apostolicum beneplacitum.

R. *Negative.*

121. De Communione quotidiana et de domestica.

Dignentur E.mi PP. afferre minutam decreti in hac materia exarati, et cum notis theologorum per manus transmissi. Tum quidquid sentiant proferre pro celeri eiusdem expeditione.

R.

ANALECTA VARIA

Authentica expositio documentis comprobata, circa separationem Ecclesiam inter et Statum Gallicum.

La séparation de l'Eglise et de l'Etat en France Exposé et Documents.

I. — EXPOSITIO.

La Loi de séparation de l'Etat d'avec l'Eglise en France, qui entraîne avec elle la rupture du Concordat de 1801, a été promulguée au *Journal Officiel* de la République, le 11 décembre 1905 (1).

Les hommes politiques qui l'ont voulue à tout prix, n'ont cessé de répéter dans leurs écrits et leurs discours, au Parlement et au dehors, que cette loi a été rendue inévitable par l'attitude du Saint-Siège. L'intérêt qu'ils ont à répandre cette opinion est évident. La France ne voulait pas la séparation ; la séparation, surtout si en pratique elle prend nettement un caractère de persécution, aura des conséquences non moins graves pour la France que pour l'Eglise. D'où l'opportunité d'en faire retomber devant l'opinion publique la responsabilité sur le Saint-Siège.

Mais, à la lumière des documents et des faits, il ne sera pas difficile de montrer à qui revient effectivement cette responsabilité. C'est l'objet de ce travail.

Les trois premiers chapitres exposeront à grands traits la politique antireligieuse qu'ont suivie les derniers Cabinets français; les chapitres suivants discuteront les accusations portées contre le Saint-Siège ; un appendice traitera du protectorat catholique de la France en Orient et en Extrême-Orient.

Cette publication n'a point pour but de répondre à des injures personnelles, ni d'offenser qui que ce soit, et encore moins la Nation française, que le Saint-Siège considère toujours comme la Fille aînée de l'Eglise. Elle tend uniquement à éclairer l'opinion publique, spécialement en France, et à empêcher que la vérité historique ne reste altérée dans un événement d'une si grande importance.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, fasc. praec. p. 41.

CHAPITRE I.

Politique séparatiste.

Pour déterminer à laquelle des deux puissances signataires du Concordat de 1801 revient la responsabilité de la rupture et de la séparation de l'Etat d'avec l'Eglise, il ne sera pas inutile, en premier lieu, de rechercher laquelle des deux en a manifesté le propos délibéré.

Quand on observe l'attitude du Gouvernement français, spécialement dans les dernières années, on ne peut se refuser à reconnaître que sa politique religieuse a été constamment orientée vers cet objectif. Mais, outre des faits, il y a des déclarations explicites.

M. Waldeck-Rousseau lui-même, dans la séance de la Chambre du 7 décembre 1899, tout en repoussant, comme prématurée, la séparation de l'Etat d'avec l'Eglise, l'admettait cependant en principe, d'accord, disait-il, avec M. Goblet, « après que le Parlement aurait voté une loi sur les « associations. J'ai d'autant mieux le droit de rappeler « cette formule, ajoutait-il, que le projet dont nous avons « saisi la Chambre — j'éprouve quelque regret à le dire — « je l'avais déjà déposé après le Ministère Gambetta en 1882; « je l'ai déposé de nouveau au moment du ministère Ferry. « Je considère en effet que le vote de cette loi sur les as- « sociations est une préface nécessaire ». M. Waldeck-Rousseau, après avoir écrit cette préface, en obtenant la loi sur le droit d'association, refusa, en novembre 1901, de s'aventurer jusqu'à la séparation; il se trouva quelqu'un pour le faire à sa place.

M. Combes, du jour où il prit le pouvoir (juin 1902), voulut la séparation ; et comme la France n'était pas disposée à l'accepter, il se proposa d'y préparer le pays, de façon à le conduire à la séparation, tout en persuadant l'opinion publique que la responsabilité en retombait sur le Saint-Siège.

C'est M. Combes lui-même qui a exposé ce plan en termes nets et formels.

Dans son discours au Sénat, le 21 mars 1903, il faisait clairement entendre quelle était son opinion sur la dénonciation du Concordat, et il ajoutait : « Le dénoncer en ce

« moment, sans avoir préparé suffisamment les esprits à « cette dénonciation, sans avoir établi manifestement et avec « preuves multipliées à l'appui, que c'est le clergé catho- « lique lui-même qui la provoque et la veut, en la rendant « inévitable, serait d'une mauvaise politique, à raison des « ressentiments, même immérités, qui pourraient s'ensuivre « dans le pays contre le Gouvernement républicain. Je ne « dis pas que la rupture des liens qui existent entre l'Etat « et l'Eglise catholique ne se produira pas à un jour donné; « je ne dis même pas que ce jour n'est pas prochain; je « dis simplement qu'il n'est pas arrivé ». Ainsi encore dans la séance du 14 janvier 1905 à la Chambre des députés: « J'ai toujours été partisan de la séparation des Eglises « et de l'Etat. Mais quand j'ai pris le pouvoir, j'ai jugé « que l'opinion publique était insuffisamment préparée à « cette réforme. J'ai jugé qu'il était nécessaire de l'y ame- « ner... ». Et plus longuement encore, dans la *National Review* de Londres (mars 1905): « Ce n'est pas que personnel- « lement je fusse hostile à la séparation des Eglises et de « l'Etat. Bien au contraire, je professais cette doctrine, « ainsi que la plupart de mes collègues du Cabinet, et « j'étais en communion d'idées sur ce point avec tout le « parti républicain, qui a considéré de tout temps la sépa- « ration des Eglises et de l'Etat comme le terme naturel « et logique du progrès à accomplir vers une société laïque, « débarrassée de toute sujétion cléricale.

« Mais je sentais, à cette époque, comme les collègues « dont je parle, qu'il y aurait inopportunité et imprudence « à inscrire dans la déclaration ministérielle une réforme de « cette gravité, sans y avoir préparé suffisamment le pays. « Toutefois, j'avais conscience de l'amorcer par les mesures « que je me proposais de prendre. Si je me montrais dé- « cidé à observer le Concordat dans les dispositions qui « procurent à l'Eglise catholique, avec la liberté du culte, « de grands avantages matériels, je ne l'étais pas moins à « le faire observer par l'Eglise catholique dans les disposi- « tions qui garantissent à l'Etat ses droits de souveraineté.

« Or, il ne m'avait pas échappé, en examinant le texte « du pacte concordataire, que ces droits du pouvoir civil « étaient inconciliables avec la doctrine catholique, solen- « nellement promulguée dans les encycliques papales, et je « m'expliquais ainsi le perpétuel désaccord qui se remar- « quait, depuis l'avènement de la République, dans les re- « lations de l'autorité civile avec l'autorité religieuse. Il « n'y avait, selon moi, qu'à prendre acte de ces désaccords « inévitables, à mesure qu'ils se produisaient, pour inciter « naturellement le pays à se tourner vers la séparation de « l'Eglise catholique et de l'Etat, comme vers le remède « efficace à un mal constitutionnel et chronique, qui ne « pouvait être guéri autrement. De fait, les événements ont « réalisé pleinement cette vue de mon esprit ».

Il faut observer tout de suite que cette opposition prétendue entre le Concordat, et la « doctrine catholique solennellement promulguée dans les encycliques pontificales », n'existe point en réalité. Les droits de l'Etat, dont parle l'ex-président du Conseil, ne peuvent être que le droit de nomination aux évêchés vacants; pour s'en convaincre, il suffit simplement de lire le texte du Concordat. Or, ce droit n'est évidemment opposé à aucune doctrine catholique; d'autre part, l'expérience l'a démontré non seulement pour la France, mais pour tous les pays concordataires, ce droit peut être exercé pratiquement sans difficultés sérieuses, pourvu que l'Etat, en exerçant son droit, remplisse son devoir, qui est de nommer des candidats dignes, et respecte le droit et le devoir du Saint-Siège qui sont d'examiner les titres des candidats proposés et de ne point admettre ceux qui manqueraient des qualités requises pour l'épiscopat. Il n'y a de conflit possible que si le gouvernement nomme des candidats canoniquement inacceptables, et persiste ensuite à les imposer; le conflit, alors, ne provient pas du Concordat, mais de ce qu'il est mal observé par le gouvernement. Le *chapitre VII* traitera particulièrement ce point.

En attendant, des citations faites, et d'autres qui pourraient facilement s'y ajouter, résulte la vérité de ce qui a été dit: M. Combes, dès le début de son ministère, voulut formellement la séparation; il ne la mit pas dans son programme pour cet unique motif que l'opinion publique n'y était point favorable; mais, dès ce moment, il se proposa de préparer la nation à ce grave événement, en faisant croire que c'était le Saint-Siège qui le rendait inévitable.

Pour disposer l'opinion publique à la séparation et à la rupture du Concordat, M. Combes mit en œuvre des moyens divers.

PIO PAPA X.

Venerabile fratello, salute ed apostolica benedizione,

Giudichiamo che la recente pubblicazione del vostro lavoro sull'*Opera degli Apostoli*, in tre volumi, non potrebbe giungere meglio a proposito, e vi siamo riconoscenti di avercene fatto omaggio.

Giacchè non è più permesso di conservare la minima illusione su un fatto ormai evidentissimo, che cioè il disprezzo, anzi l'odio contro la fede ed i costumi dei veri cristiani si accentuano sì tristamente ai giorni nostri, che in grandissimo numero purtroppo, Noi vediamo uomini sforzarsi di mettere in onore nella vita privata o pubblica, quanto fu l'onta dell'antichità pagana. Che si poteva immaginare di più efficace per reprimere un sì gran male che presentare ad un mondo che invecchia e va in decadenza, la descrizione della Chiesa nascente e risvegliare così nelle anime, mostrando ciò che i nostri padri hanno fatto e detto, il santo ardore che è necessario spiegare per rispondere agli attacchi diretti contro i saggi insegnamenti e le virtù della religione cristiana?

Questo è incontestabilmente lo scopo del vostro lavoro, nel quale voi studiate le origini cristiane per modo che vi dimostrate non solo uomo pieno di dottrina e di competenza chiaroveggente, ma anche completamente compenetrato di quella pietà che caratterizza i tempi antichi.

Ciò poi che nel vostro lavoro è specialmente degno di elogio, è, che nella vostra maniera di esporre i testi sacri, avete cercato di seguire, per rispetto della verità e per l'onore della dottrina cattolica, la via, dalla quale, sotto la direzione della Chiesa, non bisogna mai deviare. In quella guisa, infatti che si deve condannare la temerità di coloro, che, preoccupandosi molto più di seguire il gusto della novità che l'insegnamento della Chiesa, non esitano a ricorrere a dei processi critici di una eccessiva libertà, conviene parimenti disapprovare l'attitudine di coloro che non osano, in alcun modo, romperla coll'esegesi scritturale vigente fino a ieri, anche quando, salva l'integrità della fede, il saggio progresso degli studi li invita coraggiosamente a farlo.

Voi camminate felicemente fra questi due estremi. Coll'esempio che voi date, provate che non v'ha nulla a temere per i nostri Libri Santi dalla vera marcia in avanti realizzata dalla scienza critica e che anzi si può aver gran vantaggio per essi Libri, ricorrendo ai lumi apportati da quella scienza. E, difatti, ciò accade tutte le volte che si sa utilizzarlo con prudenza e saggio discernimento, come Noi constatiamo che avete fatto voi stesso. Non v'ha dunque nulla di sorprendente nel grande successo che ottenne, fino dalla sua apparizione nel mondo dei sapienti, il primo volume del vostro elaborato studio, e non v'ha dubbio che gli stessi giudici competenti renderanno giustizia alla vostra opera completa.

Quanto a Noi, venerabile Fratello, vi felicitiamo di tutto cuore e facciamo i voti più ardenti che molti lettori ritraggano dal vostro tanto importante lavoro tutti quei frutti che si ha diritto di attenderne. Come pegno dei favori divini e testimonianza del Nostro affetto, impartiamo, tenerissimamente nel Signore, a voi, al vostro clero e al vostro popolo, la Nostra Apostolica Benedizione.

Dato a Roma, in San Pietro, l'11 gennaio 1906, terzo anno del Nostro Pontificato.

PIO PP. X.

V.

Allocutio. Pii X ad Patriarcham Ciliciae Armenorum, de unione Ecclesiarum Orientalium cum Latina Ecclesia, pro viribus fovenda.

I sentimenti, che Voi, Venerabile Fratello, mi avete espressi in nome vostro, dei vescovi, del clero e dei fedeli di Armenia sono certamente una grande consolazione per me, perchè mi assicurano, che come avete dato per il passato prove manifeste del vostro inalterabile attaccamento a questa Santa Sede Apostolica, ora promosso ad un grado più eminente continuerete a mostrarlo con maggiore ardore, adoperandovi sopra tutto con ogni pazienza e con sana dottrina a richiamare sul retto sentiero quelli della vostra Nazione, che miseramente ne deviarono. Chè purtroppo l'Oriente, il privilegiato della Provvidenza, che ha visto nascere il primo ed il secondo Adamo, che per 40 secoli fu favorito dal Cielo tanto nell'ordine della natura come in quello della grazia, il teatro delle più grandi manifestazioni del Signore durante il regno della legge primitiva, della legge scritta e nel principio della legge di grazia, le cui città, i monti, le valli, e i fiumi sono consacrati dalle più sante memorie dei patriarchi, dei giudici, dei re, dei profeti; l'Oriente che ha la gloria di essere stato la culla del nostro Signor Gesù Cristo, di conservarne il sepolcro e di diventar forse

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. XII. p. 63.

la tomba del mondo quando il giudice eterno verrà a giudicare i vivi e i morti nella valle di Giosafat, l'Oriente ha dimenticato le antiche sue glorie fino a misconoscerne i beneficii della Provvidenza che gli venivano elargiti dalla Chiesa cattolica.

Procurate pertanto, Ven. Fratello, di raccomandare in modo speciale ai Vescovi, che insieme con Voi hanno ricevuto da questa Sede Apostolica il mandato di governare il popolo armeno, e a tutti i sacerdoti da Voi e da loro dipendenti di lavorare con zelo, non solo a mantenere viva la fede e la santità del costume in tutti che si professano cristiani cattolici, ma di adoperarsi in tutti i modi e a costo anche di sacrifici per richiamare all'unico ovile di Cristo i dissidenti. Predichino a loro che, come per il passato tutti i Romani Pontefici hanno sempre trattato con bontà e predilezione le Chiese d'Oriente, hanno salvaguardati e difesi i loro privilegi, e si sono persino opposti allo zelo troppo ardente dei neofiti, che avrebbero voluto soltanto la latina liturgia, così anche adesso il Padre universale dei credenti stende a loro le braccia e li prega e li scongiura a ritornare al seno della madre, male abbandonata, per consentire in tutto con la Sede Apostolica e conservare con la Cattedra del B. Pietro, non sole la comunione e l'unità di fede, ma anche quella della disciplina tanto congiunta col dogma e tanto influente a conservarne la purezza. Ecco il campo, nel quale con Voi, Venerabile Fratello, devono lavorare con zelo indefesso i Vescovi Vostri suffraganei e tutti i Sacerdoti per avere un altro dì il premio, che pei lavoratori nella sua mistica vigna tiene Iddio preparato. Voglia il Cielo, che alle vostre esortazioni infiammate dalla carità rispondano tutti i fratelli dissidenti, cosicchè possiate cantare un bel giorno con le parole dei salmi: *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.* E di questo sia caparra la benedizione Apostolica, che con effusione di cuore impartisco a Voi, Ven. Fratello, ai Venerandi Vescovi suffraganei e ai dilettissimi del clero e del popolo d'Armenia.

VI.

Die 29 Feb. 1906 Pius X alloquitur 14 Epos Gallos, quibus modo consecrationem ep.alem manu propria contulerat.

Pastorali animo Nostro, acerba aegritudine iampridem affecto, opportunum sane solatium et quasi iucunditatem affert, hodierna die, conspectus vester; ipsis enim vos amantissimis Pauli Apostoli verbis consalutare libet: *Fratres mei carissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea* (Philipp., IV 1). *Gaudium* quidem, quia una Nobiscum ad sustinendos apostolici ministerii labores vocati, adiutricem Nobismetipsis operam strenue naviterque, Deo bene iuvante, praestabitis. *Corona* item; namque doctrinae laude, pietate, caeterisque virtutibus, quibus quisque vestrum praefulget, splendidum Ecclesiae Dei ornamentum affertis. — Ergo sic state in Domino, carissimi, et gaudete. Hoc enim divinae proprium est Providentiae efficere, ut quos ipsa animarum pastores instituat, ii etiam appareant et emergant divinitus confirmati, et tamquam induti ab alto incredibili quadam virtute, quae nullo unquam hominum impetu vel rerum vicissitudine frangi possit aut debilitari. — Verum quidem est, episcopale officium, angelicis humeris formidandum, innumeris sane, quovis tempore, tum laboribus, tum curis, tum anxietatibus obnoxium esse; in praesenti autem plura extare, quae huius ministerii muneribus augeant gravitatem. Est enim in luce atque in oculis omnium posita, cunctisque explorata et cognita, luctuosa Ecclesiae ac religionis conditio. Magna nimirum tristitiae caussa, tam esse multos, quos errorum pravitates atque in Deum protervia longe abducant agantque praecipites; tam multos, qui ad quamlibet religionis formam se aeque habentes, divinam iam iam exuere fidem videantur; neque ita paucos etiam inter homines catholicos esse, qui nomine quidem religionem retineant, re tamen debitisque officiis nequaquam colant. — Multo autem gravius angit et vexat animum calamitosa malorum pernicies, inde potissimum orta, quod passim in temperatione civitatum non solum ullo iam loco censetur Ecclesia, sed virtuti eius, multis modis saluberrimae, dedita opera, repugnatur: qua in re apparet magna quidem et iusta vindicis Dei animadversio, qui recedentes a se nationes miserrima mentium caecitate sinit hebescere.

Quapropter, si tot tantisque prementibus malis, apostolici ministerii onus modo vobis imponere per Christi Iesu verba compellimur: *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum* (Matth. X, 16); ea vos semper memineritis vehementer hortamur, quae hoc ipso loco idem Christus Apostolos suos edocuit. Estis *oves;* sed quum ovium propria sit lenitas, videte quibus velut armis in ipso Religionis vestraeque dignitatis osores constanter uti debeatis, videlicet benignitate, charitate, patientia. *Estote*, subdidit Ille, *simplices sicut columbae.* Verum eiusmodi simplicitas, uti perspicuum est, calliditates omnes, simulationes ac dolos, quae Ecclesiae hostibus communia sunt, nimisque apta ad nocendum auxilia, prorsus excludit. Nec tamen Magister optimus id reticuit: *Estote prudentes, sicut serpentes;* nempe in omnibus assidue vigilantes; versutas adversariorum artes caute metuentes; providentes sedulo ne ulla causa speciesve ad calumniam vel offensionem ex actibus vestris arripi queat; iustitiam denique, fidem et innocentiam, non modo cum bonorum iactura, sed et cum vitae ipsius despectu tuentes magnanimi.

Summopere autem oportet, ut Ecclesiae pastores solliciti sint eum inter se omni studio omnique ope servare animorum consensum, cuius vi nullus seorsim velle possit quod universim omnes felici quadam necessitate non velint. Neminem enim latet, eiusmodi animorum voluntatumque consensionem maximum veluti praesidium ac vere robur nostrum efficere, ex eaque, uberi copia, quae maxime necessaria sunt ad ministerii nostri munia perficienda, adiumenta manare. — Christus enim ita Ecclesiam constituit, ut ex unitate ipsa, qua invicem membra connectuntur, usquequaque fortis evaderet; ideoque in Scripturis sanctis Ecclesia exercitui comparatur ad bellum instructo, et terribilis commendatur ut acies ordinata castrorum: quum ex adverso, teste Augustino, triumphus daemonum est dissensio christianorum; luculenteque ex oraculo Christi: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur* (Luc. XI, 17). Et reapse, quum acerrimi Ecclesiae fideique hostes in id potissimum animum intendant, ut mira haec unitas dissolvatur, nihil est quod infectum deserant ad oves a pastoribus disiungendas; atque eo nequitiae procedunt, ut ipsos inter pastores dissidia optent exurgere.

Haec itaque vobis ante omnia cordi sit, tam excellentium

bonorum effectrix, unitas. Stemus simul, auspice summo Pastorum Principe, ut invalescentes quotidie Crucis inimicos felicius concordi oppugnatione profligemus, et sacrosanctum Fidei depositum, facto velut agmine, quaquaversus circumvallemus. — Neque dubitamus, quin inclita Gallorum gens, communium rerum misere nutantium cogitatione permota, Ecclesiae pastoribus ex animo adhaerescens, iisque, ut par est, obtemperans, id pro viribus actura sit, ut nempe patribus illis maioribusque suis, generosis Ecclesiae catholicae filiis, sese plane dignam exhibeat.

Quod si in trepidis afflictisque christiani nominis rebus unicum aerumnarum ac sollicitudinum perfugium in Omnipotenti Deo quaerendum, ut laboranti Ecclesiae suae praesens opituletur, eique depugnandi virtutem et triumphandi potestatem impertiat; hoc superest, ut Dei ipsius opem certatim omnes imploremus, precatoresque ad Eum adhibeamus gloriosissimam Virginem Mariam, caelitesque Galliae Patronos. — Communibus ipse votis benignus annuat; ipse optatissimo tranquillae libertatis munere Ecclesiam soletur; ipse cunctis Galliae catholicis, quos paterna charitate complectimur, veram ex fide solidamque pacem et prosperitatem restituat.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 24 Martii 1906, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda:

A. — Per Summaria precum.

I. THEATINA. — Iurium cappellanorum Confraternitatum. — R. *Ad 1.um Per se et generatim loquendo, affirmative ad 1am partem, negative ad 2am, et ad mentem, quae est, ut quoties missa solemnis cum ministris in aliquo loco habitualiter haberi non possit ob cleri defectum, et missa cum cantu sine ministris ordinario stet loco missae solemnis, Archiepiscopus opportunis ordinationibus caveat ne ex hoc rerum statu spiritus legis seu decreti anni 1703 frustretur et abusus subrepant. Ad 2.um Affirmative ad 1am partem, negative ad 2am. Ad 3.um Affirmative sub dependentia Episcopi.*

II. AQUILANA. — Cathedratici et Missae pro populo. — R. *Ad utrumque teneri.*

III. ANNECIEN. — Super eleemosynis Missarum. — R. *Ad utrumque affirmative ad 1am partem, negative ad 2am, quoties morali certitudine constet augmentum communis eleemosynae datum fuisse ob maiorem laborem vel incommodum ad quae aliunde parochus obligatus non sit.*

B. — In folio.

I. RUPELLEN. — Nullitatis matrimonii. — R. *Attentis noviter deductis, praevia sanatione actorum, recedendum a decisis et sententiam esse confirmandam.* (Sub-secreto).

II. PARISIEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

III. LUGDUNEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Ex deductis non satis constare de inconsummatione matrimonii.*

IV. S. SALVATORIS IN BRASILIA. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative ad cautelam.*

V. ANDRIEN. — Pensionis. — R. *In decisis.* (Reservata).

VI. METEN. — Venditionis et redditionis rationum. — R. *Ad 1.um Affirmative. Ad 2um providebitur in tertio. Ad 3um Prout proponitur negative et ad mentem, quae est ut sac. Thilmont Episcopum adeat, ipsique prout decet rationem administrationis reddat, sin minus eam reddat S. C. Ad 4um Dilata.*

VII. ALBINGANEN. — Iurium parochialium. — R. *Decretum esse confirmandum; et ad mentem, quae est, decere ut vice-parochus in concursu cum aliquo canonico, ipsi honoris causa cedat stolae delationem, salvis caeteris eius iuribus.*

VIII. NEOCASTREN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative ad cautelam.* (Extra-ordinem).

A. — Per Summaria precum.

176/6 I.

Theatina — Iurium Cappellanorum Confraternitatum.

Tria solvuntur dubia: 1° Circa celebrationem missarum solemnium, in ecclesiis Confraternitatum; 2° circa ius parochi ad peragendum officium funebre super cadaveribus propriorum subditorum, in ecclesiis confr.; 3° circa ius competens cappellanis peragendi novenas ceterasque functiones in ecclesiis confraternitatum.

Cum nonnullis in locis Theatinae Archidioeceseos praeter parochum et cappellanum confraternitatis ibidem erectae nulli sacerdotes reperirentur, Pro-vicarius generalis, ex mandato sui Archiepiscopi, in libello S. Rituum Cong. oblato exposuit saepe contingere ut cappellanus, aetate plerumque iunior, ad fere omnes functiones sacras in ecclesia confraternitatis peragendas adnitatur, dum parochus continenter ex eo refragatur, quod nil vel admodum parum adventitiorum emolumentorum ipsi cedat. In his adiunctis ut certa norma ad controversias huiusmodi dirimendas habeatur, Provicarius, trium dubiorum solutionem humiliter expostulavit.

Quum vero Sacra Rituum Congregatio audita Commissione liturgica, quae exquisito voto R. Consultoris inhaesit, rem H. S. O. remisisset, quaestio hodie Vobis, EE. PP. resolvenda proponitur.

En autem quibus verbis facta dubia sunt proposita: quaesitum scilicet est. « 1° Se la risposta al quesito 10° del « decreto emanato da cotesta S. C. in data 12 Gennaio 1704, « intorno ai diritti dei parroci e delle confraternite, riguardi « soltanto le messe parate, quelle cioè che si celebrano con « l'assistenza dei ministri, come pare doversi dedurre dal« l'aggettivo *solenne* aggiunto a Messa, o anche le Messe « cantate semplici, come pretendono i parroci ».

« 2° Se la risposta al quesito 20° dello stesso decreto si « riferisca indistintamente a tutti i sudditi del parroco, o « solamente a quelli che sono ascritti alle confraternite ».

« 3° Se i cappellani possono liberamente celebrare tridui

« e novene nelle chiese delle confraternite, anche nei giorni « non contemplati negli statuti ».

Ex his dubiis, uti patet, duo priora ad interpretationem sese referunt responsionum quae sunt in celebri decreto S. RR. C. « *Urbis et Orbis* » n. 2123, dato sub die 10 mensis Decembris a. 1703, et a Clemente Papa XI die 12 Ianuarii 1704 approbato; postremum vero dubium versatur circa triduanas et novendiales preces, de quibus in decreto specialis mentio non habetur.

Interim noto quod Consultor a S. RR. C. sententiam apposite rogatus, votum hisce verbis conclusit.

« Ad quaestiones propositas solvendas, prius notandum est sequens decretum S. C. Concilii diei 13 Ianuarii 1844 (apud Thesaur. resolut. S. C. Concilii, tom. 104, pag. 8-13) *Reatina, ss. functionum.*

Quaesitum est: Dub. I. « *An liceat cappellano novenas, « triduos et alias functiones cum expositione et benedi- « ctione SSmi Sacramenti explere in Oratorio S. Domi- « nici independenter a parocho in casu* »

Dub. II. « *An liceat eidem cappellano missam solemniter « canere independenter a parocho in casu?* » Et S. Cong. Concilii respondit: « Ad I^um^ et II^um^ Affirmative in omnibus « ad formam decretorum *Urbis et Orbis* S. Congr. Rituum « diei 10 Dec. 1703 (scil. num. 2123), salvo tamen iure « Episcopi super licentiam benedicendi populum solemniter « cum SSmo Sacramento prout de iure ».

« Itaque ad I^am^ quaest. respondeo *Affirmative* ad primam « partem, *Negative* ad secundam. Ad II^am^ quaest. *Affir- « mative* ad primam, *Negative* ad secundam partem. Ad « III^am^ quaest. *Affirmative*, salvo tamen etc., ut supra ».

Nunc ut pro meo munere nonnulla attingam quae propius ad rem faciant et aliqua rationum momenta hinc inde adducam, primum quod proponitur dubium, vertitur super responso dato ad 10^m^ in praefato decreto a. 1703. Cum nempe tunc quaesitum esset: « 10° *An celebratio missarum so- « lemnium per annum, sive pro vivis sive pro defunctis, « sit de dictis iuribus parochialibus* », responsum fuit: « « *Negative*, prout iacet, sed licere confratribus dumtaxat « in festivitatibus solemnioribus eiusdem ecclesiae vel ora- « torii, ut in *Brundusina*, sub die 1 Iunii 1601 ».

Quae responsio ex parte cappellanorum videretur quod tantummodo respiciat missas quae cum ministrorum adsistentia canantur, cum ipsa responsio se quidem referat ad dubium ita tunc concinnatum: « *An celebratio missarum* solemnium « *per annum... sit de dictis iuribus parochialibus* ». Iamvero ipse « ritus servandus in celebratione missae » qui Missali Romano praemittitur, supponere videtur solemnem missam esse quae cantetur cum ministris. Ita e. g. « de principio Missae », n. 6, pronuntiata antiphona « Introibo ad altare Dei », edicitur: « Minister retro post eum (sacer- « dotem) ad sinistram genuflexus, et *in Missa solemni mi- « nistri hinc inde stantes* prosequuntur, etc. », itemque pro toto celebrandi ritu distinguitur.

Quod si ad solemnitatem non opus est concursu populi et apparatu extrinseco, necessarium tamen videtur ut missa cum diacono et subdiacono canatur, ut scribit Emus Gennari in *Consultazioni morali-canoniche-liturgiche*, edit. 2^a^, vol. II, part. III, consultatio LXXVII, n. 2: « Perchè la « messa si canti solennemente, non si richiede che vi sia « concorso di fedeli e pompa esteriore, come opinava il Ca- « valieri (in Tit. V, n. 3); ma basta che la messa si canti « col diacono e subdiacono (S. RR. C., 16 Apr. 1853, in *Ord. « Min. S. Francisci*, ad 22^m^ ».

Opportune hoc decretum an. 1703 Benedictus Papae XIV commentans, discrimen agnoscit inter missam solemnem et missam cum cantu, intrinseca etiam ratione discriminis allata, et decretum illud ad missas cum ministris refert, in *Institutionibus Ecclesiasticis*, Inst. 105, n. 119:

« Equidem discrimen agnoscimus inter solemne sacrifi- « cium missae et illud quod cum cantu celebratur. Nam « solemnitas intrinsecus cum ritu implicita est, et in pluribus « ministris, nempe diacono et subdiacono, collocatur. Cantus « autem extrinsecus sacrificio missae adiungitur, neque mo- « dum et rationem offerendi eiusdem sacrificii constituit (Pasqualigo, *De Sacrificio novae legis*, quaest. 344, n. 4) ».

Et ibidem, n. 120. « Quum haec ita sint, de iure statuen- « dum videretur nullo modo labefactari ius parochiale, si « quandoque absque diacono et subdiacono missarum sacri- « ficia in ecclesiis aut oratoriis sodalium cum cantu indi- « cantur ».

Atque heic animadverti etiam posset quod ex responsione ad 10^m^ videretur celebrationem ipsarum missarum solemnium non esse per se de parochialibus iuribus, quia ad interrogationem hac in re respondetur « *Negative* per se prout iacet »; eo minus igitur dicenda erit de parochialibus iuribus missa quae cum cantu ab uno sacerdote celebratur.

In quam sententiam et Curia Theatina inclinare videtur dubio ita confecto: « Se la risposta... riguardi soltanto le « messe parate, quelle cioè che si celebrano con l'assistenza « dei ministri, *come pare doversi dedurre dall'aggettivo « solenne*, aggiunto a messa, o anche le messe semplici, « *come pretendono i parroci* ».

In specie vero quoad missas de requie cum cantu adest dilucidum decretum S. RR. C. diei 10 Maii 1879; « *An liceat « in aliena Ecclesia et apud regulares cantare missam « de requie, quam fideles celebrari petunt pro parentibus « vel amicis defunctis, postquam funeralia in Ecclesia « parochiali persoluta fuerint, etiamsi missa exequialis « in Ecclesia parochiali non celebratur* ». Resp. « *Affir- « mative*, servatis tamen rubricarum regulis ».

E contra ex parochorum parte videretur quod responsum ad 10^m^ quamlibet missam cum cantu respiciat, quia secus ipsius responsionis finis frustraretur, qui fuit confratribus limites hac in re imponere, adhibitis hisce verbis: « licere « confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus eius- « dem Ecclesiae vel oratorii ».

Praeterea dum missa cum adsistentia diaconi et subdiaconi, quia maiores expensas exigit, fit rarior, quibusdam in locis frequens est usus ut sacerdos sine ministris sacrum cum cantu conficiat, quo in casu eleemosyna ipsi celebranti fere integra cedit. Cum vero parochi onus animarum curae persentiant, congruum iustitiae non esset frequentioribus emolumentis ipsos privare.

Parochi autem argumentum adducunt quod eis taxae super lucris adventitiis imponuntur, utpote Curia Theatina exponit: « Gli arcipreti reclamano continuamente, non solo « perchè ritengono spettare a loro esclusivamente i diritti « di stola bianca e nera, ma anche perchè l'agente fiscale, « senza tener conto della rivela fatta per la liquidazione « del supplemento di congrua, aumenta incessantemente la « tassa di ricchezza mobile su gl'incerti ».

Quod si etiam stricto iure missa cum cantu confraternitatibus non fuerit praefato decreto interdicta, tamen id ex aequitate inducendum videretur, adiunctis saltem inspectis dioecesis de qua agitur. Ita Benedictus XIV pro Bononiensi Archidioecesi, cui tunc praeerat, cum magnopere concordiam inter parochos et sodalitia expeteret, et quoniam dubitandum erat ne paulatim parochi a missis canendis in ecclesiis sodalium amoverentur, praecepit, loco cit. n. 170: « Ne in po- « sterum absque diacono et subdiacono sacra fiant in ora- « torio sodalium, nisi facultas nostra aut vicarii nostri ge- « neralis intercesserit ».

Secundum autem dubium est circa responsum ad 20[m] eiusdem decreti a. 1703. Cum enim quaesitum esset sub n. 20°: « *An ad parochum spectet facere officium funebre super* « *cadaveribus sepeliendis in saepedictis ecclesiis et ora-* « *toriis publicis confraternitatum* », responsum fuit « *Af-* « *firmative*, quando tumulandus est subiectus parocho intra « cuius fines est ecclesia vel oratorium ». Nunc vero proponitur dubium. « *Se la risposta al quesito 20° dello stesso* « *decreto si riferisca indistintamente a tutti i sudditi del* « *parroco, o solamente a quelli che sono ascritti alle con-* « *fraternite* ».

Quoad nempe eos qui confraternitati sint adscripti, propatula sunt verba decreti, quod ius peragendi funus in ipsa confraternitatis ecclesia competat parocho, intra cuius paroeciae fines est ecclesia confraternitatis, si tumulandus eidem parocho est subiectus; quod in aliis decisionibus SS. CC. confirmatum fuit, praesertim a S. RR. C. in *Casertana*, 7 Iulii 1877; « Stetur decreto diei 10 Dec. 1703 » et in *Isclana*, 20 Novembris 1885; ad 4[um] « Negative et detur decretum diei 10 Decembris 1703 ad 20[um] »; si vero tumulandus non est subditus parocho intra cuius paroeciae limites est ecclesia confraternitatis, tunc ius funerandi pertinet ad cappellanum, ut ex S. RR. Cong. in citata *Casertana*, cfr. Monit. eccles., vol. 2, part. 2, pag. 54, et ex H. S. C. in una *Cassanen.* 10 Maii 1767.

Videretur autem quod responsio ad 20[um] non referatur ad casum in quo quis e vita functus non sit sodalitio adscriptus, quacumque alia de causa cadaver in ecclesia sodalitii exponatur. Tunc enim cum nulla iurgiorum causa inter parochum et confraternitatem adesse posset (cappellanus quippe non ex iure adscriptionis in sodalitium ageret), arguendum esset quod rector ecclesiae funus peragere debeat, parocho quidem quarta funeraria reservata.

At ex adverso quod spectat ad ipsam formam qua proponitur dubium, adnotandum videtur quod si responsio ad 20[um] valet quoad confratres e vita functos, eo magis valet quoad reliquos parochi subditos. Contrario quidem ordine servato alias proposita fuerunt huiusmodi dubia ad H. S. C., et responsum hoc in sensu prodiit, ut in *Aprutina* 28 Ianuarii 1893 (1), *Iuris funerandi* in qua ad dubia: « 1[um] *An con* « *fraternitates de quibus supra exemptae sint, a paro-* « *chiali iurisdictione, et ius habeant funerandi super ca-* « *daveribus illorum qui ad eorum ecclesiam pro funere* « *exponi elegerunt, et ab ipsis deferri ad coemeterium vo-* « *luerunt, salva tamen parocho quarta funeraria in casu.* « 2[um] *An confraternitates quae ordinibus religiosis non* « *successerunt ius habeant funerandi independenter a pa-* « *rocho solummodo super cadaveribus confratrum, salva* « *semper eidem quarta funeraria in casu* » rescriptum fuit: Ad 1[um] et 2[um] *Negative et amplius.*

Hoc enim eruitur ex ipsa parochiali iurisdictione ut commentatur *Monitore Eccl.* in hanc causam, vol. VIII, part. I, n. 4: « Il Parroco non solo nella parrocchiale, ma in tutte « le chiese contenute nel suo territorio ha positivamente il « diritto ai funerali dei suoi filiani, con intenzione, come « dicesi, fondata nel diritto ». Cap. 1 et 4, *De sepulturis;* cap. 2 *Clement.* Dudum *de sepult.*

Quoad denique tertium dubium, ex parte parochorum denegandum videretur quod cappellani triduanas et novendiales preces caeterasque functiones sacras in ecclesiis confraternitatum libere exercere possint. Et parochorum rationes in communi iure nituntur, quia ipsi auctoritatem in omnibus ecclesiis et oratoriis habent, ex eo quod in solo et ambitu paroeciae continentur, cap. *Dilectus.* 2 de *cappellis monachorum;* quum e contra confraternitates non ad hoc sint institutae, ut ecclesiasticas functiones obeant et hierarchicum ordinem in Ecclesia perturbent, sed ut, sociatis viribus, actus poenitentiae ac misericordiae opera impendant. Quod eo magis patet, si quis consideret quam caute Apostolica Sedes privilegia regularibus concesserit, quorum merita a laicorum sodalitiis longissime absunt.

Adde quod sacras functiones a digniori peragi convenit, et quidem ab eo qui ex officio vocatur, non vero a mercenario et conductitio operario, qui auctoritatem suam a laicis recipit et non raro rebus novis studere solet. Quae sententia etiam responsionibus SS. CC. comprobatur, eamque explicant, Bassus, *Tractatus de sodalitiis et confraternitatibus*, quaestio XII; Pignatelli, *Consultationes*, V, 10, cons. 103, n. 16 et seqq.; Monacelli, *Formularium legale practicum*, tom. 2, tit. 13, form. 1, n. 54 et seqq.

Quod si decretum S. RR. C. a. 1703 edixerit functiones quasdam ex iuribus stricte parochialibus non esse, non ideo eruendum est eas cuilibet sacerdoti competere. Ut enim habet Monacelli *loc. cit. n. 54*, praeter iura parochialia distinguenda sunt etiam parochialia munia, quae Parocho pertinent vel saltem illi conveniunt, aut quia cum ipsis iuribus coniunguntur, aut quia cum pastorali officio necessario copulantur.

Insuper decretum a. 1703 auctoritatem Episcopi in confraternitates non imminuit, prout docet Ben. XIV *l. c. n. 74:* « S. C. eam non fuisse mentem, ut Episcoporum iurisdictio- « nem infringeret aut ipsos impediret ne unquam a decretis « ipsis recederent, etiamsi legitima causa interveniat et dioe- « cesis utilitas aliud exposcere videatur ».

Hoc quidem Pontifex arguit ex quibusdam decreti responsionibus in quibus fit salva auctoritas Episcopi aliter decernendi, e. g. ex responsione ad 14[um], qua edicitur confraternitates horas canonicas recitare posse, « nisi aliter Episcopus statuat ex rationabili causa »; et confirmat sententiis H. S. C. post praedictum decretum promulgatis.

Ita quum in decreto a. 1703, quaest. 17. « An Parochus, « invitis confraternitatibus docere possit doctrinam christia- « nam in praedictis ecclesiis et oratoriis publicis et privatis « a parochiali divisis et separatis », responsum fuisset « Negative », tamen H. S. C. in una *Asculana*, 29 Aug. 1733, dubio « *An idem rector teneatur permittere ut Parochus* « *doceat in dicto oratorio doctrinam christianam vel possit* « *hoc impedire* » responsum fuit: « *Arbitrio Ordinarii* ».

Et quidem Episcopus specialia locorum adiuncta considerare tenetur ut confraternitates intra fines debitos coërceat auctoritate sua ordinaria, vel forte coacta quoque synodo, ne cultum qui in parochiali Ecclesia iam ex tempore et consuetudine praestatur, confraternitates impediant vel imminuant. Decernitur enim in decreto a. 1703: « Et ita salvis « tamen conventionibus et pactis in erectione confraternitatis « forsan factis: concordiis inter partes initis, et a Sancta « Sede approbatis, indultis, constitutionibus synodalibus ac « provincialibus, consuetudinibus immemorabilibus vel sal- « tem centenariis ».

Neque in casu praetereunda est Pro-vicarii generalis relatio quoad ne honestas quidem artes, quibus cappellani ad suas ecclesias functiones trahunt, et quoad frequentia nec parva emolumenta quae ita auferuntur parochis.

At ex parte cappellanorum videretur quod triduanas et novendiales preces caeterasque functiones sacras in suis ecclesiis libere peragere possint etiam diebus quae in statutis praescribuntur, nulla quaestio esse potest, cum statuta confirmata fuerint superioris auctoritate.

Revera ex *cap. ult. de officio archidiaconi* iam eruitur ecclesias positas intra limites parochialis ecclesiae subesse ei tantum in parochialibus iuribus, non quoad alia nisi

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. I p. 67.

paroecia causas et rationes suae petitionis afferat, ut argumentatur Benedictus XIV *loco cit. num. 108;* non apparet autem qua de causa triduanae et novendiales preces parochialibus iuribus pertineant.

Examussim vero decretum a. 1703 in resp. ad 3m et 4m statuit quod confraternitates erectae in ecclesiis et oratoriis a parochiali ecclesia seiunctis quoad functiones non parochiales parocho non subsint. Et in specie definivit complures sacras functiones de parochialibus iuribus non esse, cuiusmodi sunt benedictiones et distributiones candelarum, cinerum et palmarum, ignis, seminis, ovorum et similium, functiones hebdomadae Sanctae, expositio quae fit cum reliquiis vel sacris imaginibus et benedictiones quae cum eis super populo fiunt; multo autem minus dici possunt de parochialibus iuribus tridui et novenae.

Nec distinctione invecta iura parochorum inter et munia, sustineri potest quod nonnullae functiones quas S. RR. C. declaravit non esse de parochialibus iuribus, tamen competunt parochis ut ipsorum munia; iuxta enim id quod Ben. XIV adnotat, *l. c. n. 102*, haec sententia finem S. RR. C. frustrare videtur, qui initio ipsius decreti ita conscribitur: « Ad debitum imponendum finem controversiis quae inter « parochos et confraternitates saeculares earumque cappel« lanos et officiales super iuribus parochialibus et functio« nibus ecclesiasticis nonnullisque praeeminentiis seu praero« gativis frequentes exoriri solent ». Huc accedit, ut prosequitur Pontifex, quod discrimen illud iam adverterunt advocati concistoriales quos S. RR. C. consulendos accivit, idemque discrimen in ipso decreto cognitum apparet, dicitur enim ibi ad 6m et 8m quod benedictiones mulierum et fontis baptismalis ut celebratio missae solemnis in feria V in Cœna Domini, non sunt de parochialibus iuribus, et tamen a parochis fieri debent. Et ad rem Emus Gennari scribit; vol. II consult. XLIII not. ad num. 7: « Il Monacelli come pure « l'Ursaya, non ostante i chiarissimi decreti generali del « 10 dicembre 1703, che attribuiscono alle confraternite « erette in oratorii separati dalle chiese parrocchiali, il « diritto delle funzioni non parrocchiali, pur pretendono di « sostenere che questo diritto non si debba loro integral« mente consentire. Ma tale strana opinione è meritamente « confutata da Bened. XIV, il quale nella cit. Inst. 105, « n. 102 chiaramente dice: Attamen huic adhaerere sen« tentiae nullo modo possumus etc. ».

Decisiones autem SS. CC. huic thesi pro cappellanis adstipulantur. Neque decisiones quae prodiere ante decretum a. 1703 attendi debent, sed potius responsiones quae ex tunc datae fuerunt seu post praefatum decretum et in quo sit sequendum indicarunt.

Ita S. RR. C. in decreto *Nicien.*, 30 Martii 1878 respon. « Standum est decreto generali diei 10 Dec. 1703; propterea « sodalitas praefata missas tam pro vivis quam pro defun« ctis per proprium cappellanum canere licite potest, caete« rasque functiones peragere quae, in memorato decreto « definiuntur, nulla praemissa licentia Parochi Cathedralis ».

Item H. S. C., praesertim in *Reatina*, 13 Ianuarii 1844, *SS. functionum*, dubiis et responsionibus quae supra retuli; in una *Isclana*, 5 Dec. 1863 et 25 Ian. 1864, ad 5um « *An « et quas functiones peragere possit sodalitium indepen« denter a Parocho in casu?* Resp. *Affirmative* in omnibus « quoad functiones non parochiales ad formam praedicti de« creti (S. RR. C. a. 1703) »; et in *S. Agatae Gothorum*, 3 Aug. 1889: ad 1um « *An sodalitas per suum rectorem « sacras functiones sive simplices sive solemnes, tam pro « vivis quam pro defunctis, in sua Ecclesia independenter « a duobus parochis peragere valeat in casu?* Respondit: « Ad 1um *Affirmative*, ad formam decreti *Urbis et Orbis* « anno 1703 »; et etiam *Hortona*. 5 Iulii 1788, *iurium par.*; *Cassanen.*, 10 Maii 1767; *Cuneen.*, 16 Maii 1894, *iurium confraternitatum.*

Neque aliter tradit S. Congr. EE. et RR., ut in *Iur. paroch.*, 2 Sept. 1870 et 5 Sept. 1879; et S. Rota, ut in Dec. 988 coram Lancetta haec addit: « Quatenus vero (ius « parochorum) ad alias extendi praetendatur functiones, « quae parochiales non sunt, utique nullum Parochus ius « habet eas prohibendi rectori alterius Ecclesiae, nisi ita ex « aliquo privilegio aut pacto in fundatione posito statutum « esse docuerit ».

His decisionibus quae in idem consentiunt adductis, quippe huiusmodi controversiae hodie non raro excitari solent, in praesentiarum addi etiam posset quod, urgente nequitia temporum, nulli medio parcendum esset ut foveatur pietas laicorum, praesertim in pia sodalitia coëuntium, promotione inter ipsos SS. functionum.

His utrinque adnotatis, sapientiae et prudentiae vestrae, EE. PP., erit proposita dimittere dubia congruo responso.

Quare, etc.

Responsum fuit: *Ad 1.um Per se et generatim loquendo, affirmative ad 1am partem, negative ad 2am, et ad mentem quae est, ut quoties missa solemnis cum ministris in aliquo loco habitualiter haberi non possit ob cleri defectum, et missa cum cantu sine ministris ordinario stet loco missae solemnis, Archiepiscopus opportunis ordinationibus caveat ne ex hoc rerum statu spiritus legis seu decreti anni 1703 frustretur et abusus subrepant. Ad 2.um Affirmative ad 1am partem, negative ad 2am. Ad 3.um Affirmative sub dependentia Episcopi.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

ORDINIS FRATRUM MINORUM PROVINCIAE APULIAE

Quatuor solvuntur dubia.

Hodiernus Redactor Kalendarii Fratrum Minorum in Regulari Provincia Apuliae, de consensu sui Reverendissimi Procuratoris Generalis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit; nimirum:

I. — An Collectae ab Episcopo seu Ordinario loci imperatae, quae simul cum Orationibus a Rubrica praescriptis septenarium numerum excedunt, omitti debeant?

II. — An Missa Conventualis, quae sine cantu celebratur in Ecclesiis Regularium, debeat aequiparari Missae solemni, sive quoad omittendam Commemorationem Simplicis et reticendas Collectas ordinarias ab Ordinario loci praescriptas, sive quoad praetermittendas Orationes post Missam iniunctas: idque etiamsi postea alia Missa de die concinatur?

III. — An Sacerdos sacris vestibus Sacrificii indutus, possit administrare Sacram Communionem, data rationabili causa, ante vel post Missam solemnem aut cantatam aut

etiam Conventualem, sicuti permittitur ante vel post Missam privatam?

IV. — An in processione, quae die prima Augusti sub Vesperis fit per Ecclesiam et ante Conventum per aliquot passus, ad annuntiandam sive incipiendam Indulgentiam Portiunculae, Sacerdos pluviali albo indutus gestare possit Reliquiam Sancti Patris Francisci, vel tabellam cum inscriptione Indulgentiae Plenariae: et quae, silente Caeremoniali Ordinis, in eadem processione preces recitandae sint?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. Servetur Decretum num. 3697. *Ordinis Minorum Capuccinorum Sancti Francisci*, 7 Decembris 1888 ad VII; et alterum num. 2740. *Tridentina*, 12 Martii 1836 ad VII.

Ad III. *Negative.*

Ad IV. Nihil obstat in casu quominus Reliquia Sancti Francisci in hac processione gestetur, recitando vel cantando aliquem hymnum in honorem eiusdem Sancti: tabula autem Indulgentiae Plenariae non deferatur in processione, sed affigatur, si placeat, ante portam Ecclesiae.

Atque ita rescripsit die 19 Ianuarii 1906.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., S. R. C. *Secret.*

II.

SOCIETATIS SALESIANAE

Circa genuflectiones et inclinationes a S. Ministris faciendas in Benedictionibus cum SS. Sacramento, circa tempus imponendi incensum et circa clericos adsistentes pluvialibus indutos.

Quum circa reverentias a sacris ministris faciendas in expositione ac repositione SSmi Eucharistiae Sacramenti dissideant probati S. Liturgiae interpretes, hodiernus Rmus Procurator Generalis Piae Salesianae Societatis, sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna declaratione humillime subiecit; nimirum:

I. Cum flectendum est utrumque genu ad Sacramentum adorandum (puta in accessu ad altare ubi expositum est SS. Sacramentum et in recessu ab eodem), flectioni genuum estne addenda profunda inclinatio totius corporis an solius capitis?

II. Cum expositor, aperto ostiolo Tabernaculi, genuflectit priusquam SS. Sacramentum extrahat et cum, reposito Sacramento, genuflectit priusquam ostiolum claudat, debentne caeteri qui genuflexi adsunt adorare cum profunda inclinatione corporis, an cum inclinatione solius capitis, an, utpote iam genuflexi, nullam praeterea reverentiam exhibere?

III. An et quam reverentiam exhibere debeat minister genuflexus antequam surgat aliquid facturus? Videlicet 1) Celebrans antequam surgat recitaturus orationem *Deus qui nobis sub Sacramento* etc. debetne omittere quamlibet reverentiam, an inclinare caput, an corporis inclinatione adorare? 2) Idem quaeritur de Celebrante ac ministris surrecturis ad imponendum incensum; 3) De Celebrante antequam surgat ad altare ascensurus ut populo benedicat; 4) De expositore antequam surgat ascensurus ad altare ad deponendum e throno SS. Sacramentum; 5) De acolytho antequam surgat iturus ad abacum ad velum accipiendum.

IV. Celebrans postquam, Benedictione impertita, ab altari descendit et genua flexit in infimo gradu, debetne omittere quamlibet inclinationem an inclinare caput, an totius corporis inclinatione adorare?

V. More apud Subalpinos recepto, secundo thus imponitur post cantatam orationem *Deus qui nobis* etc. Iam quaeritur: 1) an mos servari possit? Et quatenus affirmative, quaeritur: 2) an sacerdos, cantata oratione, debeat ante impositionem incensi aliquam praestare reverentiam et qualem?

VI. Utrum sacerdos qui SS. Sacramentum exposuit et ab altari descendit thus impositurus debeat ante impositionem adorare uno genu flexo, an utroque, an statim absque genuflexione incensum imponere ut quidam eruunt ex Memoriali Rituum Benedicti XIII, c. 2, § 3, n. 5?

VII. Iuxta Caeremoniale Episcoporum, dum Celebrans canit orationem *Deus qui nobis* etc. ministri librum sustinent genuflexi: contra Liturgiae expositores eos surgere iubent vel saltem id eis permittunt. Quaeritur qua norma utendum?

VIII. An Celebranti in impertienda Benedictione cum SS. Sacramento ministrare nequeant, loco diaconi et subdiaconi, duo clerici pluvialibus induti? An diacono et subdiacono dalmatica et tunicella indutis adiungi queant duo vel quatuor clerici induti pluviali?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Inclinatio mediocris, id est capitis, et modica humerorum inclinatio, quae in casu habetur uti profunda.

Ad II. Nulla reverentia facienda est.

Ad III. Quoad 1um. Nullam reverentiam debet facere;

Quoad 2um. Inclinationem mediocrem faciant;

Quoad 3um., 4um. et 5um. Nulla reverentia facienda est; at si acolythus transeat ante altare genuflectat in medio.

Ad IV. Nulla reverentia facienda est.

Ad V. Quoad 1um. Negative.

Quoad 2um. Provisum in praecedenti.

Ad VI. Ambo genua flectat in infimo gradu, inclinationem mediocrem faciat, assurgat et ponat incensum in thuribulo.

Ad VII. Ministri genuflexi maneant, librum sustinendo iuxta Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap. 33, n. 27.

Ad VIII. Quoad 1um. Affirmative si Benedictio cum SSmo Sacramento fiat immediate post Vesperas solemnes, id est si Celebrans cum Pluvialistis non recedat ab altari: dummodo alter sacerdos vel diaconus exponat et reponat SSmum Sacramentum, illudque Celebranti tradat et ab eo recipiat.

Quoad 2um. Negative.

Atque ita rescripsit. Die 16 Februarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

ORDINIS S. FRANCISCI CAPUCCINORUM.

In Ecclesiis vel Oratoriis Tertiariorum habentium coniunctionem cum Ordine Capuccinorum, conceditur usus Kalendarii, Missalis et Martyrologii Ordinis.

Beatissime Pater,

Procurator Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum, nomine Ministri Generalis eiusdem Ordinis, ad genua Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter supplicat pro gratia ut ad normas similis privilegii a Summo Pontifice Pio VI. (Const. « Religiosos Ordines » diei 6 Septembris 1785) Ordini Fratrum Minorum concessi, et declarationum a Sacrorum Rituum Congregatione sub die 8 Augusti 1835 (*Decret. authen. S. R. C.* n. 2735 ad VI), et 15 Aprilis 1904 (1) editarum, non solum Moniales Capuccinae secundi et tertii Ordinis Regularis, quae iam vigore privilegii Sacrorum Rituum Congregationis diei 24 Ianuarii 1688 (*Decret. authen.* n. 1790 ad II), hanc gratiam consecutae sunt, sed etiam omnes utriusque sexus Tertiarii in communitate viventes, et vota simplicia emittentes, qui sint Instituti aliquam coniunctionem in sua origine aut progressu cum Ordine Minorum Capuccinorum habentis, aut qui ad tramitem Decreti Sacrae Congregationis Indulgentiarum diei 28 Augusti 1903 (2) et Rescripti Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium diei 18 Novembris 1905, eidem aggregati fuerunt, aut in futuro aggregabuntur, licet etiam non divinum Officium quotidie recitent, sed Officium Deiparae parvum aliasque preces, dumtaxat persolvant in suis Ecclesiis et Oratoriis, ut valeant Kalendario, Missali ac Martyrologio ad usum Fratrum Minorum Capuccinorum a Summo Pontifice Leone XIII, sub die 4 Decembris 1894 approbatis, ita tamen ut si sint Sacerdotes, Ecclesiae sive simplici sive Parochiali canonice mancipati, in festis Patroni Principalis tituli ac Dedicationis Ecclesiae tam propriae quam Cathedralis, necnon quibus diebus Missam applicare debent pro populo teneantur in Officio et Missa sequi Kalendarium Dioecesis prouti Fratres primi Ordinis, ac deinde recurrente iuxta Kalendarium primi Ordinis aliquo Officio secundum Ordinem Dioecesanum iam recitato, prouti fit in eodem primo Ordine, impeditorum festorum repositionem seu translationem disponere.

Et Deus etc.

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X tributis, attentis expositis, benigne precibus annuit: exceptis tamen Tertiariis Franciscalibus tam saecularibus quam Regularibus, qui Kalendarium Ordinis Fratrum Minorum seu Conventualium in Horis Canonicis persolvendis Sacroque litando iam assumpserint. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 Ianuarii 1906.

ALOYSIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 249.
(2) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XI, p. 489.

IV.

WILNEN.

Circa peculiarem Missam votivam « Rorate », expositionem pyxidis post Missam solemnem, et reliquias in sepulcho altaris includendas.

Hodiernus Rmus Dnus Episcopus Wilnensis a Sacrorum Rituum Congregatione solutionem sequentium dubiorum humillime petiit; videlicet:

I. Pro dioecesi Wilnensi habetur Decretum, quo permittitur Missa votiva cantata dicta *Rorate* tempore Adventus. Missa ista, quae celebratur cum magna solemnitate magnoque concursu populi, cantatur; vi antiquissimae consuetudinis, cum *Gloria* et *Credo*. — Quaeritur, utrum haec consuetudo possit servari, cum in Decreto supradicto nihil de modo cantandi tales Missas dicatur?

II. In eadem dioecesi solent cantari, post Missam solemnem, invocationes *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis* etc. coram Sanctissimo Eucharistiae Sacramento exposito in Pyxide. — Quaeritur utrum expositio haec fieri possit per expositionem Pyxidis in superiori parte Tabernaculi, eo fine ut Pyxis possit a frequenti populo bene videri, an Sanctissimum Sacramentum non possit e Tabernaculo tolli?

III. Quaeritur, utrum pro valida consecratione altaris fixi vel portatilis sufficiat, ut in Sepulchro includantur Reliquiae unius Martyris et Confessorum aut Virginum, vel utrum unius solummodo Martyris; an sit omnino necessarium, ut in Sepulchro deponantur Reliquiae plurimorum Martyrum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Iuxta Decreta, Missa *Rorate* cantari potest in casu, cum *Gloria* et *Credo*, solummodo in Novendiali ante festum Nativitatis Domini ratione consuetudinis et concursus populi; in praecedentibus vero diebus Adventus cantari debet sine *Gloria* (praeterquam in Sabbatis et infra Octavam festi B. Mariae Virginis) et sine *Credo*.

Ad II. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Ad III. Affirmative ad primam partem quoad utrumque; Negative ad secundam.

Atque ita rescripsit. Die 16 Februarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

L. ✠ S.

V.

ORDINIS FRATRUM MINORUM PROVINCIAE APULIAE

Dubia circa celebrationem nonnullorum festorum a Regularibus, in Regno Neapolitano.

Hodiernus Redactor Kalendarii Fratrum Minorum in Regulari Apuliae Provincia commorantium, de consensu tam Ministri Provincialis sui quam Procuratoris Generalis, sequentia dubia pro opportuna solutione exposuit; nimirum:

I. Num Fratres Minores degentes in toto Regno Neapo-

litano teneantur ad recitandum Officium proprium cum respectiva Missa item propria de Sancto Ianuario Episcopo et Martyre in die 19 Septembris sub ritu duplici primae classis sine Octava, ut de Patrono olim totius Regni Neapolitani?

II. Num iidem Fratres Minores degentes in Provincia civili Barensi teneantur ad persolvendum Officium proprium cum Missa item propria de Sancto Nicolao Episcopo in die 6 Decembris sub ritu duplici primae classis sine Octava, ut de Patrono principali totius Provinciae Barensis?

III. Num ipsi Fratres Minores, celebrantes Patronum principalem Provinciae civilis, dispensentur a Patrono principali Regni celebrando; quemadmodum nempe non obligantur ad celebrandum Patronum dioecesis ii, qui recolunt Patronum Loci?

IV. Num praefati Religiosi, in celebrando Patrono principali Regni, Provinciae civilis, Loci seu dioecesis, attendere etiam debeant si Patronus feriationem habeat, vel saltem habuit, quae tamen de Apostolico indulto modo sit sublata?

V. Num si requiritur feriatio, festum Patroni sub nomine *principalis* in Kalendario Cleri saecularis designatum et sub ritu duplici primae classis cum Octava, censeri debeat ornatum feriatione, eo quod idem festum quotannis tamquam mobile in die Dominica recolatur?

1. Immacolata Concezione di M. V.; 2. Natale di N. S. G. C.; 3. Circoncisione; 4. Epifania; 5. Purificazione della B. V.; 6. S. Giuseppe; 7. Annunziazione della B. V.; 8. Settimana Santa; 9. Pasqua di Resurrezione; 10. Ascensione di N. S. G. C.; 11. Pentecoste; 12. Corpus Domini; 13. S. Pietro; 14. Tutte le Domeniche dell'anno, eccetto le Domeniche dal 1° luglio al 31 ottobre, e la 1ª 2ª e 3ª Domenica dopo Pasqua; 15. Anniversario della morte del Sommo Pontefice defunto; 16. Anniversario della Incoronazione del Sommo Pontefice; 17. Concistori pubblici; 18. Funerali dei Sovrani e degli E.mi Cardinali; 19. Tutte le cerimonie solite a farsi prima, durante e dopo il Conclave; 20. Qualunque altra funzione, anche straordinaria, indetta per ordine di Sua Santità.

XII. — Degli attuali componenti la Cappella.

Art. 29. Gli attuali componenti la Cappella, dal giorno in cui sarà ad essi comunicato il presente Motu-Proprio, saranno sottoposti al nuovo regolamento (conservando gli onorarî fin qui percepiti) finchè spiri il trentennio del loro servizio; dopo il qual tempo godranno della pensione intera.

XIII. — Propine e Cassa di sovvenzioni.

Art. 30. Le propine, solite a percepirsi dai Cantori, saranno d'ora innanzi divise nel modo seguente; della somma in ciascuna circostanza dovuta alla Cappella, otto parti andranno alla scuola dei ragazzi, tre parti al Maestro Direttore, due parti al Vice-Maestro, due a ciascheduno dei primi tenori e primi bassi presenti, due al segretario ed una per ciascheduno agli altri cantori pontificî presenti.

Art. 31. Mons. Maggiordomo, o il Prefetto dei Sacri Palazzi Apostolici, amministrerà il fondo della Cassa sovvenzioni già esistente, e ne regolerà la distribuzione della rendita, come per il passato.

Dato dal Nostro Palazzo Apostolico al Vaticano, il giorno 20 giugno 1905, del Nostro Pontificato anno secondo.

PIVS PP. X.

VI.

Pius X congratulatur consociationi vulgo: « *Ligue patriotique des Françaises* » de navitate in religione tuenda.

A la noble baronne de Brigode, présidente de la « Ligue patriotique des Françaises » auxiliaire de l' « Action libérale populaire ».

A vous, fille bien-aimée, et à toutes vos compagnes qui Nous sont également chères, à vous qui exercez dans votre patrie, avec un courage invincible, un saint apostolat, Notre salut affectueux.

Dignes filles de ces femmes qui, au commencement du siècle dernier, ont entretenu la vitalité de la foi et sauvé la France de l'abîme dans lequel on voulait l'ensevelir, à leur exemple vous proclamez par vos œuvres que sans les principes religieux et sans la pratique des devoirs chrétiens la chute est irréparable. Ce sont là les seuls moyens de conjurer le mal universel et de sauver le monde. Vos mères, malgré les mépris et les sarcasmes dont elles furent accablées, non seulement gardèrent dans leur cœur et dans la pratique de leur vie la religion de Jésus-Christ, mais encore aidèrent merveilleusement à restaurer et à embellir les temples qu'on avait juré de détruire; grâce à elles, le culte catholique ne fut pas proscrit de la France. La même gloire vous est réservée et aussi l'approbation de ceux qui semblent vous combattre.

Ceux-là mêmes, en effet, qui paraissent méchants gardent, au fond de leur cœur, un sentiment d'admiration pour la vertu. Elle s'impose tellement à leur respect, qu'ils désirent la trouver dans leur famille; ils sont fiers d'avoir pour épouse une femme incomparable, à la piété industrieuse, à la foi vigilante, à l'esprit de douceur et d'abnégation; celle-là du moins élèvera ses fils de manière à les rendre plus chrétiens que leurs pères et par là même plus heureux.

Dans les dures épreuves que traverse l'Église, Nous remercions donc le Seigneur, ô filles bien-aimées, de ce que la foi et la piété trouvent un refuge dans votre cœur comme dans une arche sacrée, et Nous formons le vœu très ardent que par vos sacrifices vous puissiez non seulement conserver intact ce trésor, mais le transmettre comme un germe de vie aux générations futures. Aussi, Nous vous accordons, avec effusion de cœur, à vous, à vos familles et à toutes vos œuvres, la bénédiction apostolique.

Du Vatican, le premier jour du mois de Marie 1905.

PIE X. PAPE.

VII.

Pius X reformat et approbat constitutiones Ven. Archiconfraternitatis Doctrinae Christianae, canonice erectae in Urbe, anno 1607.

PIUS PP. X

Ad perpetuam rei memoriam.

In Litteris Nostris Encyclicis *Acerbo nimis* (1) quas de Christiana Doctrina tradenda ad universos Sacrorum Antistites hoc anno dedimus, cum alia praescripta sunt, tum illud, ut *in omnibus et singulis paroeciis consociatio canonice instituatur; cui vulgo nomen Congregatio Doctrinae Christianae*. Consociationum id genus cum Archisodalitas, a Paulo V Decessore Nostro instituta in Urbe, princeps et caput sit, peculiarem quamdam in hac locare curam, opportunum intelligimus. Itaque, comperto disciplinam temperationemque, qua uteretur Archisodalitas iam non adiunctis novis rerum ita congruere, constitutiones ipsius veteres corrigere et reformare Nobis visum est; easque sic reformatas, quemadmodum infra scriptae sunt, ratas haberi et ab omnibus, ad quos pertinent, religiose servari volumus et iubemus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 5 Decembris anno 1905, Pontificatus nostri tertio.

L. ✠ S.

ALOIS. Card. MACCHI.

Constitutiones Ven. Archisodalitatis Doctrinae Christianae a sa. me. Pontifice Paulo V canonice in Urbe constitutae anno 1607, a Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. X reformatae et approbatae apostolicis litteris in forma brevis diei 5 Decembris 1905.

TITULUS I.

DE FINE ET NATURA ARCHISODALITATIS.

I. - Propositus Archisodalitati finis est religiosam christianae plebis institutionem provehere ac moderari per catechesis praeceptionem.

II. - Sedes est Archisodalitatis in Urbe.

III. - Archisodalitas est proxime obnoxia auctoritati Cardinalis vice sacra Urbis antistitis pro tempore, utpote personam gerentis Pontificis Maximi.

IV. - Ad Sodalitium, natura ipsa rei, pertinent omnes parochi Urbis.

Ipsis petentibus possunt praeterea eiusdem Sodalitii societatem inire quotquot sibi constituunt catechesis disciplinae favere eamque expeditiorem efficere opera sua vel pecunia.

V. - Archisodalitas regitur a Congregatione, quae constat solis delegatis ecclesiasticis viris, Praeside Vices gerente Cardinalis in Urbe Vicarii.

Ad id munus delegati eligi non possunt nisi ecclesiastici viri ad ipsam Archisodalitatem pertinentes.

TITULUS II.

DE CONGREGATIONE.

VI. - Congregatio constat Praeside, sacerdotibus octo e clero romano et parochis octo, quorum quatuor e clero saeculari, quatuor e regulari.

VII. - Eadem Congregatio, pro maiore numero tacitorum suffragiorum, nominat pro-praesidem, a secretis, curatorem pecuniae, seu *Camerlingum*, tabularii praefectum, rationum exactores duos, seu *Syndicos*; qui omnes ex eorum numero eligendi erunt, qui ad ipsam Congregationem pertinent.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. XIII, p. 145.

VIII. - Munera et officia exercentur non ultra triennium; nec proxima electio in eosdem cadere potest.

IX. - Exacto triennio, dimidia pars Congregationis alterna vice renovatur; hoc est, sufficiuntur e clero romano novi sacerdotes quatuor, parochi totidem, quorum duo e clero saeculari, e regulari duo.

X. - Ad memorata munia novi eliguntur pro maiore numero suffragiorum, quae ab ipsa Congregatione occulta feruntur super numero virorum sexdecim a Praeside proponendorum, quo in numero comprehenduntur octo qui de officio decedunt.

XI. - Congregatio semel in mense habet ordinarios coetus. Integrum tamen est Praesidi extraordinarios cogere, si opportunum duxerit, vel si saltem quatuor Congregationis Delegati scripto petierint.

XII. - Ad ratos legitimosque coetus habendos adstare necessario debent saltem duodecim socii cum Praeside.

In secunda convocatione, quae saltem tridui spatio a priore distabit, ratus legitimusque coetus erit, quovis numero adstantium.

XIII. - Ut rata et probata sint, quae in coetu proponuntur, maior suffragiorum numerus requiritur. Paribus suffragiis, Praesidi ius esto alterius ferendi suffragii.

XIV. - Quidquid consilii, sive de viris sive de officiis alicui deferendis, erit ineundum, id ne decernatur nisi tacitis suffragiis.

XV. - Dies coetibus habendis resque ad deliberandum propositae, scripto significabuntur per scribam, qui est a secretis, ab eoque triduo ante constitutum tempus diribebuntur.

XVI. - Unicuique Congregationis Delegato quaestiones proponendi ius esto, quas tamen agitare non ante licebit, quam inscriptae fuerint elencho rerum excutiendarum.

Urgente necessitate, de qua iudicium feret Congregatio, poterit, non interposita mora, de propositis rebus deliberari.

XVII. - Qui ter, non intermissa vice, coetus non adierit, nec se de absentia purgaverit, recessisse censebitur, eiusque loco sufficietur alius.

Absentiae causa rata debet haberi a Congregatione.

TITULUS III.

DE ACTIONE ARCHISODALITATIS.

XVIII. - Archisodalitas, auspicio ductuque suo, proposito sibi fini prospicit, curando ut scholae catechesis constituantur, piae habeantur conciones, excitetur aemulatio per certamina ad praemia, et per alia quae pro temporis ratione visa fuerint opportuna.

XIX. - Praeter scholas catechesis a parochis constitutas sub eorumque disciplina directas, haud poterit alia ulla constitui, nisi adsentiente parocho loci et approbante Archisodalitate. Ad hanc autem iudicium pertinet de illorum peritia qui ad huiusmodi magisterium proponuntur.

XX. - Ad unam eamdemque docendi viam disciplinamque tuendam, Archisodalitas pleno iure pollet advigilandi scholis catecheseos etiam privatis.

Ea vigilantia ab Archisodalitate exercebitur per parochos ac delegatos suae quosque Curiae assignandos. Advigilandi vero munus implebitur menstruis visitationibus atque inspectionibus, quarum scripta documenta ad Archisodalitatem bimestria deferentur.

XXI. - Ad normam num. XIX, nemini e populo licebit magisterium catechesis assumere, nisi diploma fuerit ab Archisodalitate consecutus.

XXII. - Diploma remittitur facto speciali periculo iuxta normas certa lege constituendas.

XXIII. - Ad efficacius exsequenda superius praescripta et ad propositum finem facilius assequendum, lex ab Archiso-

dalitate proponetur, vim habitura postquam Cardinali vice sacra Urbis antistiti fuerit probata.

TITULUS IV.

DE ADMINISTRATIONE.

XXIV. - Congregatio per Curatorem pecuniae, seu *Camerlingum*, una cum rationum exactoribus, seu *Syndicis*, providebit administrationi proventuum, genus omne, quos habere sibi poterit.

TITULUS V.

DE IIS QUAE INTER ARCHISODALITATEM ET PAROECIAS URBIS INTERCEDUNT.

XXV. - In unaquaque Urbis paroecia constituetur Sodalitas Doctrinae Christianae, ad normam Epistolae Encyclicae *Acerbo nimis*, die XV mensis Aprilis anni MCMV, quasi sectio Archisodalitatis. Sodalitates parochiales habebunt Consilium dirigens, cui praeerit parochus. Idem Consilium constabit duodecim sodalibus, quorum quatuor sacri ordinis viri, e populo viri quatuor totidemque mulieres.

Hic vero numerus aut augeri poterit aut minui pro peculiaribus cuiusque paroeciae conditionibus.

XXVI. - Excepto primo e quatuor ecclesiasticis viris, qui ab Archisodalitate dabitur tamquam ipsius delegatus, caeteri omnes a suis quisque parochis proponentur cum approbatione Praesidis Archisodalitatis.

XXVII. - Consilium dirigens Sodalitatum Parochialium semel in bimestri spatio apud parochum rite congregabitur, ut proponat agitetque si quae utiliora visa fuerint ad maius frequentiae et profectus incrementum.

Crebrius etiam iidem poterunt haberi coetus, si vel parochus vel Archisodalitatis Delegatus id opportunum iudicaverint.

TITULUS VI.

DE IURE AGGREGANDI

XXVIII. - Archisodalitati ius est constitutas ubivis per catholicum terrarum orbem Doctrinae Christianae sodalitates aggregandi, easque admittendi ad communionem indulgentiarum, bonorum spiritualium ac privilegiorum, quibus directa concessione ipsa fruitur.

XXIX. - Ut sodalitas aggregari possit, necessario requiritur: 1) ut eadem canonice fuerit constituta decreto Ordinarii loci: 2) ut ad Archisodalitatem deferatur una cum supplici libello, authenticum exemplar decreti, quo fuit constituta Sodalitas atque Ordinarii commendaticiae litterae (1).

XXX. - In qualibet dioecesi eam doctrinae christianae sodalitatem aggregare Archisodalitati Romanae satis erit, quam sodalitatem Ordinarius statuerit esse centrum caeterarum eiusdem generis: hac enim aggregata, simul aggregatae censebuntur aliae omnes sodalitates, quae aut constitutae iam, aut deinceps constituendae sint in eadem dioecesi.

INDULGENTIAE

VEN. ARCHISODALITATI DOCTRINAE CHRISTIANAE A SA. ME. PONTIFICE PAULO V CONCESSAE

(Ex Constit. *Ex credito Nobis*, 6 oct. 1607).

1. Indulgentiae Plenariae:

a) Omnibus et singulis ex utroque sexu christifidelibus, confessis ac sacra communione refectis, qui uti ministri, operarii et confratres dictam Archiconfraternitatem ingredientur, die primo illorum ingressus seu eo die quo dictae Archiconfraternitati adscripti fuerint.

b) Sodalibus qui confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in festo, quod ab ipsa Archiconfraternitate et aliis Confraternitatibus aggregatis seu aggregandis pro earum praecipuo et principali respective eligetur, sumpserint.

c) Eisdem in mortis articulo constitutis, si, uti supra dispositi, vel saltem contriti, SSmum Iesu Nomen ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint.

2. Indulgentiae Stationales:

Sodales, qui diebus stationum in Missali Romano descriptis doctrinam christianam in Ecclesiis docuerint, ac etiam omnes et singuli christifideles, qui ad eamdem discendam accesserint, easdem indulgentias consequantur, quas consequerentur si Ecclesias Stationum Urbis vel extra Urbem personaliter visitarent. Easdem etiam indulgentias consequuntur visitatores dictae Archiconfraternitatis, qui ex commisso sibi officio visitabunt illas scholas, quas in illo die visitare poterunt.

3. Indulgentiae partiales:

a) 10 annorum Confratribus qui extra civitatem ad doctrinam docendam per castella et villas exierint.

b) 7 annorum et totidem quadragenarum Confratribus, confessis ac S. Communione refectis, eo die quo congregatio in quavis civitate vel terra publicabitur.

c) 7 ann. et tot. quadrag. Confratribus qui semel quolibet mense Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint.

d) 7 ann. Sacerdotibus dictae Archiconfraternitati adscriptis, qui in Ecclesia seu Oratorio Confraternitatis verbum Dei praedicaverint aut collationes fecerint (licet illo die non intervenerint in aliqua schola docendi causa).

e) 7 ann. Confratribus, qui per civitatem viros, mulieres aut pueros ad eamdem doctrinam christianam ducendi causa circumierint.

f) 7 ann. quoties Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, dum ad infirmos defertur, comitati fuerint.

g) 3 ann. Sodalibus qui corpora Confratrum et Consororum defunctorum ad sepulturam associaverint aut exequiis, anniversariis officiisve, quae pro eis celebrantur, pro eorum animabus preces fundentes, interfuerint.

h) 200 dierum Confratribus *a*) qui causa fuerint ut pueri, famuli aut quaevis aliae personae ad discendam doctrinam christianam eant: *b*) qui disputationibus, quae in scholis dictae Archiconfraternitatis fieri solent, interfuerint: *c*) qui infirmos dictae Archiconfraternitatis visitaverint, quoties id fecerint: *d*) qui divinis officiis et congregationibus publicis vel secretis dictae Archiconfraternitatis necnon processionibus a locorum Ordinariis sub vexillo dictae Archiconfraternitatis praescribendis interfuerint.

i) 100 dier. Confratribus qui diebus feriatis doctrinam christianam aut publice aut privatim explanaverint.

INDULGENTIAE

CONCESSAE OMNIBUS UTRIUSQUE SEXUS CHRISTIFIDELIBUS SIVE DOCENTIBUS SIVE DISCENTIBUS CHRISTIANAM CATECHESIM.

(Ex Coll. Auth. *Precum et Piarum Operum*, a S. C. Indulg. edita ann. 1898, p. 558, n. 316).

1) 7 ann. omnibus et singulis praeceptoribus, qui diebus festivis discipulos suos ad doctrinam christianam duxerint eosque illam docuerint.

2) 100 dier. iis praeceptoribus, qui diebus feriatis in propriis scholis eamdem doctrinam explicaverint.

3) 100 dier. omnibus et singulis patribus et matribus familias, quoties in suis domibus, liberis, famulis et familiaribus utriusque sexus doctrinam christianam explanaverint.

4) 100 dier. omnibus et singulis christifidelibus, qui per mediam horam doctrinae aut docendi aut discendi gratia studuerint.

5) 7 ann. totidemque quadrag. adultis viris vel mulieribus,

(1) Epistolae dirigantur ad secretarium Archiconfraternitatis, Rev. D. Franciscum Pascucci, 36 via dei Bresciani.

quoties pio exercitio catechismi, quando pueris in ecclesiis seu oratoriis explanabitur, interfuerint.

6) Plenaria in festis Nativitatis Dni, Paschatis Resurrectionis necnon Ss. Apostolorum Petri et Pauli iisdem viris vel mulieribus adultis, qui praefato pio exercitio vel discendi vel docendi causa interesse consueverint, dummodo dictis diebus confessi ac Sacra Synaxi refecti, ad mentem Summi Pontificis oraverint.

7) Omnibus et singulis utriusque sexus et cuiuslibet aetatis christifidelibus ad doctrinam christianam discendam in scholis Archiconfraternitatis convenire solitis, qui peccata sua quolibet festo B. M. Virginis aut alio festo a Superioribus dictae Congregationis determinando confessi fuerint, tres annos: iis vero qui praefatis diebus insuper ad Sacram Synaxim accesserint, quinque annos.

VIII.

Pius X gratulatur Fr. Vichehoff de eruditione in illustrandis codicibus qui in bibliothecis Austriae custodiuntur.

Ad dilectum filium Franciscum Vichehoff, Doctorem decurialem Instituti Vindobonensis Historiae Austriacae excolendae. — Vindobonam.

PIVS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem,

Universos illustrare codices, quotquot in bibliothecis Austriae custodiuntur, figuris minioque ornatas, id quod ipse curas publice, magnum sane opus est, atque, ut ex editis binis voluminibus apparet, tua et doctorum virorum, qui tecum elaborant, eruditione, dignum. Idem autem Nobis peculiari quodam et proprio nomine videtur commendabile. Primum enim, quae res hic afferuntur, ignorat nemo, ab sedulitate fere et sollertia hominum sacri ordinis profectas esse. Deinde, quum eiusmodi codices, partem longe maximam, in usum sacrorum media aetatis tulerit, natura fiet, ut iste a vobis susceptus labor praecipue ad illuminandam eorum temporum liturgiam Ecclesiae pertineat. Quapropter intelliges, et quam grate habuerimus, quos humaniter Nobis obtulistis muneri, primus industriae vestrae fructus, et quantopere cupiamus, ut bene coepta adducatis ad exitum, favente Deo, feliciter. Testem vero propensae voluntatis Nostrae tibi, dilecte Fili, adiutoribusque tuis Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XVIII Decembris anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

IX.

Ad universum hodiernum Imperium Germaniae extenditur lex Tridentina de clandestinitate, necnon declaratio Benedictina ad Hollandos.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Provida sapientique cura quavis aetate Sancta Ecclesia legibus latis ea disposuit, quae ad christianorum connubiorum firmitatem et sanctitatem pertinerent. In quibus legibus illa eminentem locum habet, qua Sancta Synodus Tridentina clandestinorum matrimoniorum pestem abolere et ex populo christiano extirpare contendit. Magnam ex hoc Tridentino Decreto utilitatem in universam rempublicam christianam promanasse et hodie quoque promanare apud omnes in confesso est. Nihilominus, ut sunt res humanae, contigit alicubi, et praesertim in Imperio Germanico, propter lamentabilem maximamque in religione divisionem et catholicorum cum haereticis permixtionem in dies augescentem, ut cum praedictae legis observantia incommoda etiam quaedam nec levia coniungerentur. Nimirum cum ex voluntate Concilii caput *Tametsi* non antea in singulis paroeciis vim obligandi habere coeperit quam in illis rite esset promulgatum, et cum haec ipsa promulgatio an facta sit multis in locis dubitetur, incertum quoque non raro sit an lex Concilii obliget etiam acatholicos, uno aliove in loco morantes, maxima inde ac molestissima in plurimis Imperii Germanici locis nata est iuris diversitas et dissimilitudo, plurimaeque et spinosae exortae sunt quaestiones quae in iudicibus quidem persaepe perplexitatem, in populo fideli quamdam legis irreverentiam, in acatholicis perpetuas cierent querelas et criminationes. Non omisit quidem Sedes Apostolica pro nonnullis Germaniae dioecesibus opportunas edere dispositiones et declarationes, quae tamen iuris discrepantiam minime sustulerunt.

Atque haec moverunt complures Germaniae Episcopos ut iterum iterumque Sedem Apostolicam adirent communibus precibus huic rerum conditioni remedium petentes. Quorum preces Decessor Noster f. r. Leo XIII benigne excipiens praecepit, ut caeterorum quoque Germaniae Praesulum vota exquirerentur. Quibus acceptis et toto negotio in Suprema Congregatione Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis mature discusso, Nostrum esse officium intelleximus praesenti rerum statui efficax et universale levamen afferre. Itaque ex certa scientia et plenitudine Nostrae potestatis, ut consulamus sanctitati firmitatique matrimonii, disciplinae unitati et constantiae, certitudini iuris, faciliori reconciliationi poenitentium, ipsi quoque paci et tranquillitati publicae, declaramus, decernimus ac mandamus:

I. — In universo hodierno Imperio Germaniae caput *Tametsi* Concilii Tridentini quamvis in pluribus locis, sive per expressam publicationem sive per legitimam observantiam, nondum fuerit certo promulgatum et inductum, tamen inde a die festo Paschae (idest a die decimaquinta Aprilis) huius anni millesimi nongentesimi sexti omnes catholicos, etiam hucusque immunes a forma Tridentina servanda, ita adstringat ut inter se non aliter quam coram parocho et duobus vel tribus testibus validum matrimonium celebrare possint.

II. — Matrimonia mixta, quae a catholicis cum haereticis vel schismaticis contrahuntur, graviter sunt manentque prohibita, nisi accedente iusta gravique causa canonica datis integre, formiter, utrimque legitimis cautionibus per partem catholicam dispensatio super impedimento mixtae religionis rite fuerit obtenta. Quae quidem matrimonia, dispensatione licet impetrata, omnino in facie Ecclesiae coram parocho ac duobus tribusve testibus celebranda sunt, adeo ut graviter delinquant qui coram ministro acatholico vel coram solo civili magistratu vel alio quolibet modo clandestino contrahunt. Imo si qui catholici in matrimoniis istis mixtis celebrandis ministri acatholici operam exquirunt vel admittunt, aliud patrant delictum et canonicis censuris subiacent.

Nihilominus matrimonia mixta in quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis, etiam in iis quae iuxta Romanarum Congregationum decisiones vi irritanti capitis *Tametsi* certo hucusque subiecta fuerunt, non servata forma Tridentina iam contracta vel (quod Deus avertat) in posterum contrahenda, dummodo nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante diem festum Paschae huius anni legitime lata fuerit, et mutuus coniugum consensus usque ad dictam diem perseveraverit, pro validis omnino haberi volumus, idque expresse declaramus, definimus atque decernimus.

III. — Ut autem iudicibus Ecclesiasticis tuta norma praesto sit, hoc idem iisdemque sub conditionibus et restrictionibus declaramus, statuimus ac decernimus de matrimoniis acatholicorum, sive haereticorum sive schismaticorum, inter se in iisdem regionibus non servata forma Tridentina hucusque contractis vel in posterum contrahendis; ita ut si alter vel uterque acatholicorum coniugum ad fidem catholicam convertatur, vel in foro ecclesiastico controversia incidat de validitate matrimonii duorum acatholicorum cum quaestione validitatis matrimonii ab aliquo catholico contracti vel contrahendi connexa, eadem matrimonia, caeteris paribus, pro omnino validis pariter habenda sint.

IV. — Ut demum Decretum hoc Nostrum ad publicam notitiam perveniat, praecipimus Imperii Germanici Ordinariis ut illud per ephemerides dioecesanas aliosque opportuniores modos ante diem Paschaè anni currentis cum clero populoque fideli communicent.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVIII Ianuarii MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X.

X.

In Italia et in insulis Italicae ditioni subiectis, omnes religiosi ne ante ad S. Ordines promoveantur, quam ab Epo loci, diligenti doctrinae examine probati sint idonei.

PIVS PP. X.

MOTV PROPRIO.

Religiosorum Ordinum familias, utpote quae praeclaro semper et adiumento et ornamento fuerint Ecclesiae, peculiari quadam Nos providentia studioque prosequimur; in primisque dandam operam arbitramur, ut constanter pergant, pro necessitatibus temporum, salutares esse ac frugiferae. Hanc ob causam, quoniam ipsae, praeterquam sanctarum exercitatione virtutum, etiam doctrinae laude floreant necesse est, Nos e re esse haud ita pridem duximus, aliquid in hoc genere statuere. Etenim, noveramus quidem Sacram Congregationem, Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositam, auctoritate decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII, die IV Novembris MDCCCXCII, prudentissime praescripsisse, ut « professi tum votorum solemnium, tum votorum simplicium ab Ordinariis locorum « ad sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a « Iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem « per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur « de subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo ». Sed praescriptiones huiusmodi non aliter videbantur suos omnes fructus efferre posse, quam si candidati ad sacros Ordines legitimo experimento probare deberent, se in constitutis doctrinae studiis satis profecisse. Id quod caeteroqui sacrosancta Tridentina Synodus iusserat: nam Sess. XXIII, Cap. VII, *de Reform.*, haec habet generatim: « Episcopus ordinandorum omnium mores et doctrinam diligenter investiget et « examinet »; nominatim autem de Regularibus eiusd. Sess. Cap. XII: « Regulares non sine diligenti Episcopi examine « ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus « exclusis ». Opportunum igitur apparebat esse, hanc Tridentini Concilii legem revocari, quae diuturnitate obsolevisset: idque Nos anno superiore praestitimus pro Urbe, quum die XVI mensis Iulii (1) Motu proprio decrevimus, ut quicumque sive de saeculari sive de regulari clero ad sacros Ordines promovendi essent, omnes, excepto nemine, doctrinae periculum facerent in Curia Cardinalis Vicarii Nostri.

Nunc vero placet, etiam ex consulto Moderatorum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, memoratum Nostrum decretum per has litteras extendere. Quare Nos Motu item proprio, volumus ac iubemus, ut in Italia et in insulis Italiae ditioni subiectis, Religiosi omnes, vel ad Instituta votorum simplicium, vel ad votorum solemnium pertinentes, ne ante ad sacros Ordines promoveantur, quam ab Episcopo loci, diligenti doctrinae examine probati sint idonei: sublato, ad hunc tantummodo effectum, quocumque contrario privilegio, etiam specialissima et individua mentione digno, abrogataque quacumque contraria consuetudine, etiam centenaria et immemoriali, quam in futurum quoque induci prohibemus. Id examen qua ratione instituendum sit, Episcopi definient: hique vero curabunt, quemadmodum Nos eo pro Urbe Motu proprio constituimus, ut candidati non solum in iis rebus, quae ad Ordinem adeundum pertinent, sed in aliis quoque de theologia dogmatica tractationibus periculum faciant. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIX Martii anno millesimo noningentesimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X.

XI.

Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae X Litterae Apostolicae de ratione studiorum Sacrae Scripturae in Seminariis clericorum servanda.

PIVS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam in re biblica tantum est hodie momenti, quantum fortasse nunquam antea, omnino necesse est, adolescentes clericos scientia Scripturarum imbui diligenter; ita nempe, ut non modo vim rationemque et doctrinam Bibliorum habeant ipsi perceptam et cognitam, sed etiam scite probeque possint et in divini verbi ministerio versari, et

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIII, p. 321,

conscriptos Deo afflante libros ab oppugnationibus horum hominum defendere, qui quidquam divinitus traditum esse negant. Propterea in Litt. Encycl. *Providentissimus* (1) recte decessor Noster illustris edixit: « Prima cura sit, ut in « sacris Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur di- « vinae Litterae, quemadmodum et ipsius gravitas discipli- « nae et temporum necessitas admonent ». In eamdem autem rem haec Nos, quae magnopere videntur profutura, praescribimus:

I. Sacrae Scripturae praeceptio, in quoque Seminario impertienda, ista complectatur oportet: primum, notiones de inspiratione praecipuas, canonem Bibliorum, textum primigenium potissimasque versiones, leges hermeneuticas; deinde historiam utriusque Testamenti; tum singulorum, pro cuiusque gravitate, Librorum analysim et exegesim.

II. Disciplinae biblicae curriculum in totidem annos partiendum est, quot annos debent alumni Ecclesiae intra Seminarii septa commorari ob sacrarum disciplinarum studia; ita ut, horum studiorum emenso spatio, quisque alumnus id curriculum integrum confecerit.

III. Magisteria Scripturae tradendae ita constituentur, quemadmodum cuiusque Seminarii conditio et facultates ferent: ubique tamen cavebitur, ut alumnis copia suppetat eas res percipiendi, quas ignorare sacerdoti non licet.

IV. Quum ex una parte fieri non possit, ut omnium Scripturarum accurata explicatio in schola detur, ex altera necesse sit omnes divinas Litteras sacerdoti esse aliquo pacto cognitas, praeceptoris erit, peculiares et proprios habere tractatus seu *introductiones* in singulos Libros, eorumque historicam auctoritatem, si res postulaverit, asserere, ac analysim tradere: qui tamen aliquanto plus, quam in caeteris, in eis Libris immorabitur ac Librorum partibus, quae graviores sunt.

V. Atque is ad Testamentum vetus quod attinet, fructum capiens ex iis rebus, quas recentiorum investigatio protulerit, seriem actarum rerum, quasque hebraeus populus cum aliis Orientalibus rationes habuit, edisseret; legem Moysi summatim exponet; potiora vaticinia explanabit.

VI. Praesertim curabit, ut in alumnis intelligentiam et studium Psalmorum, quos divino officio quotidie recitaturi sunt, excitet: nonnullosque Psalmos exempli causâ interpretando, monstrabit, quemadmodum ipsi alumni suapte industria reliquos interpretentur.

VII. Quod vero ad novum Testamentum, presse dilucideque docebit, quatuor Evangelia quas habeant singula proprias tamquam notas, et quomodo authentica esse ostendantur; item totius evangelicae historiae complexionem, ac doctrinam in Epistolis caeterisque Libris comprehensam exponet.

VIII. Singularem quamdam curam adhibebit in iis illustrandis utriusque Testamenti locis, qui ad fidem moresque christianos pertinent.

IX. Illud semper, maxime vero in novi Testamenti expositione meminerit, suis se praeceptis conformare eos, qui postea voce et exemplo vitae erudire ad sempiternam salutem populum debeant. Igitur inter docendum commonefacere discipulos studebit, quae sit optima via Evangelii praedicandi: eosque ex occasione ad exequenda diligenter Christi Domini et Apostolorum praescripta alliciet.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. II, p. 3.

X. Alumni, qui meliorem de se spem facient, hebraeo sermone et graeco biblico, atque etiam quoad eius fieri possit, aliqua alia lingua semitica, ut syriaca aut araba erunt excolendi. « Sacrae Scripturae magistris necesse est « atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere, « quibus libri canonici sunt primitus ab agiographis exarati, « easdemque optimum factu erit si colant alumni Eccle- « siae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus « aspirant. Atque etiam curandum, ut omnibus in Acade- « miis de caeteris item antiquis linguis, maxime semiticis, « sint magisteria ». (Litt. Encycl. *Providentissimus)*.

XI. In Seminariis, quae iure gaudent academicos theologiae gradus conferendi, augeri praelectionum de Sacra Scriptura numerum; altiusque propterea generales specialesque pertractari quaestiones, ac biblicae vel archeologiae, vel geographiae, vel chronologiae, vel theologiae, itemque historiae exegesis plus temporis studiique tribui oportebit.

XII. Peculiaris diligentia in id insumenda erit, ut secundum leges a Commissione Biblica editas, delecti alumni ad academicos Sacrae Scripturae gradus comparentur: quod quidem ad idoneos divinarum Litterarum magistros Seminariis quaerendos non parum valebit.

XIII. Doctor Sacrae Scripturae tradendae sanctum habebit, nunquam a communi doctrina ac Traditione Ecclesiae vel minimum discedere: utique vera scientiae huius incrementa, quaecumque recentiorum sollertia peperit, in rem suam convertet, sed temeraria novatorum commenta negliget: idem eas dumtaxat quaestiones tractandas suscipiet, quarum tractatio ad intelligentiam et defensionem Scripturarum conducat: denique rationem magisterii sui ad eas normas diriget, prudentiae plenas, quae Litteris Encyclicis *Providentissimus* continentur.

XIV. Alumni autem quod scholae praelectionibus ad hanc assequendam disciplinam deerit, privato labore suppleant oportet. Quum enim particulatim omnem enarrare Scripturam magister prae angustiis temporis non possit, privatim ipsi, certo ad hanc rem constituto spatio in dies singulos, veteris novique Testamenti attentam lectionem continuabunt; in quo optimum factu erit, breve aliquod adhiberi commentarium, quod opportune obscuriores locos illustret, difficiliores explicet.

XV. Alumni in disciplina biblica, ut in caeteris theologiae, quantum nimirum e scholae praelectionibus profecerint, periculum subeant, antequam ex una in aliam classem promoveri et sacris ordinibus initiari possint.

XVI. Omnibus in Academiis quisque, candidatus ad academicos thologiae gradus, quibusdam de Scriptura quaestionibus, ad *introductionem* historicam et criticam, itemque ad exegesim pertinentibus, respondebit; atque experimento probabit, satis se interpretationis gnarum ac hebraei sermonis graecique biblici scientem.

XVII. Hortandi erunt divinarum Litterarum studiosi, ut, praeter interpretes, bonos lectitent auctores, qui de rebus cum hac disciplina coniunctis tractant; ut de historia utriusque Testamenti, de vita Christi Domini, de Apostolorum, de itineribus et peregrinationibus Palestinensibus; ex quibus facile locorum morumque biblicorum notitiam imbibent.

XVIII. Huius rei gratia, dabitur pro facultatibus opera, ut modica conficiatur in quoque Seminario bibliotheca, ubi volumina id genus alumnis in promptu sint.

Haec volumus et iubemus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die XXVII Martii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

ALOIS. Card. MACCHI.

XII.

Pius X paternae benevolentiae significatione ornat sollemnia quinquies saecularia ab initiis urbani Teutonum hospitii, vulgo *dell'Anima*.

DILECTO FILIO IOSEPHO LOHNINGER, PROTONOTARIO APOSTOLICO.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Exeunte, quod propediem fore ex tuis litteris accepimus, quinto saeculo ab initiis urbani Teutonum hospitii, cui praees, recte tu quidem et sacerdotes tui consilium cepistis faustam rei celebrare memoriam, atque in id convocare omnes, quotquot de gente vestra Urbem incolunt aut per eos dies in Urbem advenerint. Nam primum omnium decet vos beneficia commemorare, quae hoc tanto spatio multa et magna Instituto vestro Deus contulit, deque his sollemnes agere divinae bonitati gratias. Tum in conspicuo ponere aequum est, quantopere ad idem Institutum sustinendum provehendum non modo vestratium liberalitas vestrorumque Caesarum cura, sed etiam perpetua Pontificum Romanorum providentia valuerit.

Nominandus in his praesertim Pius IX fel. rec., cuius auctoritate amplificatum congruenter necessitatibus temporum Hospitium, id est, auctum collegio sacerdotum, qui sacris repolirentur doctrinis ac pontificii iuris prudentiam peritiamque perciperent, multo magis, quam antea, opportunum ac salutare esse coepit.

Nos vero, quum aeque, ac Decessores Nostri, erga vos vestraque affecti simus, libenter saecularia haec sollemnia significatione ornamus paternae benevolentiae Nostrae: cuius testem eamdemque divinorum munerum auspicem, tibi, dilecte Fili, atque omnibus, qui ex isto hospitio collegioque sunt fueruntve sacerdotes, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Aprilis anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

I.

DECRETVM

BELEMEN. DE PARA IN BRASILIANA REPVBLICA ERECTIONIS PRAELATVRAE NVLLIVS IN CIVITATE VVLGO SANTAREM NVNCVPATA.

Erigitur Praelatura Nullius Santarensis, in Brasiliana Republica.

Romani Pontifices ea decernere nunquam omiserunt, quae rei sacrae procurationi meliori ratione disponendae et animarum saluti promovendae, iuxta temporum et locorum adiuncta, utiliora esse intellexerunt. Hinc quoties opportuna se ipsis occasio obtulit, novas erigere dioeceses atque ecclesiasticas provincias, vel, si id fuerit impossibile, alio quovis modo spirituali fidelium regimini providere curarunt, ut iidem uberiora possent et promptiora percipere subsidia, quibus indigent ad spiritualem ipsorum utilitatem. Cuius quidem Romanorum Pontificum sollicitudinis America praesertim postremis hisce temporibus innumera persensit beneficia. In hac quippe mundi parte ea est regionum amplitudo, tam subita sunt civium civilisque progressus incrementa, ut christianae vitae et propaginis centra in ea augere et multiplicare peculiari quadam ratione magis quam alibi necesse sit. Atque exinde factum est, ut defunctus Pontifex Leo f. r. PP. XIII, praedecessorum suorum vestigiis inhaerens, pluribus in variis Americae regionibus constitutis dioecesibus, statim ac cognovit peramplum territorium in Brasilianae Reipublicae septentrionali parte prope trium Guinearum, Gallicae, Hollandicae et Anglicae fines situm, atque in spiritualibus iurisdictioni Episcopi Belemensis de Para subiectum, nimis longe a civitate dioecesis principe abesse, Apostolicas suas curas in id converterit, ut rei sacrae procurationi in eodem territorio, ratione loci conditionibus magis accommodata, consuleret. Quem in finem cum R. P. D. Franciscus do Rego Maia, dioecesis Belemensis de Para Praesul, Sanctitati Suae proposuerit, ut dictum territorium, praevia eiusdem a sua dioecesi separatione, in Praelaturam Nullius constituere vellet, donec novam in eo Episcopalem Sedem erigi posset, Sanctitas sua, exquisito antea, prout res tanti momenti expostulabat, Sacrae Congregationis negociis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositae consilio, omnibus mature perpensis, propositam Praelaturae Nullius erectionem religioni fideliumque spirituali saluti profuturam intelligens, vota Antistitis Belemensis de Para benigne excipere dignata est, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ex certa scientia, novae Praelaturae Nullius constitutionem exequendam decrevit in eum qui sequitur modum.

I.

Primum itaque Sanctitas Sua de apostolicae potestatis plenitudine, suppleto quatenus opus sit, omnium quorumcumque hac in re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, integrum peramplum territorium, quod prope trium Guinearum, Gallicae, Hollandicae et Anglicae fines, in parte septemtrionali Brasilianae Reipublicae protenditur, cuius limites erunt infra designandi, a territorio dioecesis

Belemensis de Para, ad quod hactenus pertinuit, cum omnibus paroeciis, quibus constat, divisit, separavit, seiunxit, illudque, suppreso atque extincto, quatenus opus sit, cuiusque alterius quaesito iure, qui in dicto territorio spiritualem iurisdictionem postremis hisce temporibus exercuerit, donec in dioecesim constitui possit, in Praelaturam a civitate Santarem dictam, ubi novus Praelatus eiusque legitimi successores residere debebunt, Santarensem nuncupandam, erexit atque instituit, decernens ut integrum praedictum territorium in Praelaturam, ut supra, erectum, usque dum aliter de eo disponere visum non fuerit, ad omnes iuris effectus sit vere et proprie Nullius dioecesis, Sedique Apostolicae immediate subiectum.

II.

Novae huius Praelaturae Santarensis fines hi erunt: ad Meridiem ipsa flumine, quod Amazonas vocant, circumscribetur, qua ex parte idem flumen ad orientem vergit usque ad Aequatorem, adiectis insuper civitate Santarem nuncupata, quae citra flumen exurgit, nec non insulis Caviana et Mexiana; ad Ortum: ab Aequatore iuxta Oceani Atlantici oras usque ad Orangicum seu Sancti Vincentii promontorium, ea tamen parte excepta, quae circa idem promontorium Gallicae Reipublicae dominationi subiacet; ad Boream: incipiendo ab eodem promontorio nova Praelatura flumine continebitur Oyapoc seu Vicente Pinzon, uti aiunt, usque ad montes quos Acaray dicunt, iuxta fines qui Rempublicam Brasilianam a Guianis Gallica, Hollandica et Anglica separant; ad Occasum tandem flumine Iamunda vocato circumscribetur usque dum in Amazonas flumen influit.

III.

Civitatem autem Santarem dictam, a qua, uti statutum est, nova Praelatura Nullius nuncupabitur, Sanctitas Sua in civitatem et Sedem praelaticiam erigere dignata est, eidemque honores, praerogativas, privilegia et iura omnia concedere, quibus civitates in Brasiliana Republica existentes pontificali Sede insignitae earumque cives fruuntur et gaudent.

IV.

Ecclesiam parochialem honori B. Mariae Virginis sine labe conceptae in civitate Santarensi dicatam Beatitudo Sua in Ecclesiam praelaticiam sub eadem B. M. V. sine labe conceptae invocatione parochialem uti antea exstituram constituit, et in ea sedem et dignitatem praelaticiam ad instar Episcopalis dignitatis erexit et instituit pro uno Praelato Santarensi vocando, qui eidem Ecclesiae eidemque civitati et Praelaturae praesit, et iura omnia, officia et munia habeat et exerceat cum suis mensa et Capitulo, iisdemque honoribus et praerogativis, quibus Praesules Cathedralium Ecclesiarum in Brasiliana Republica utuntur et gaudent, iis tantum exceptis, quae titulo oneroso aut ex indulto peculiari fuerint acquisita, aliisque, quae de iure privative ad Episcopos pertineant, atque expresse hoc in decreto non concedantur.

V.

Ut vero constitutus Santarensis Praelatus in suae Praelaturae territorio omnes sui ministerii partes, prout fidelium necessitates expostulant, plene explere possit ac valeat, atque munera omnia obire, quae Episcopi in suis dioecesibus, maxime cum nova haec Praelatura Nullius in Episcopalem Sedem, cum primum fieri poterit, sit erigenda; voluit Sanctitas Sua ut Santarensis Praelatus charactere et dignitate Episcopali sit insignitus; eidem proinde una cum Praelatura titulus Episcopalis ex Pontificis dispositione erit necessario conferendus.

VI.

Santarensis Praelatus ita Episcopali dignitate auctus, in suae Praelaturae territorio et supra personas in eo degentes ex Apostolico privilegio eamdem tum ordinis tum iurisdictionis exercebit potestatem, quam Episcopi in suis dioecesibus, ideoque ipsi ex indulto peculiari fas erit omnes ordines tam minores quam maiores suis subditis conferre, dimissoriales litteras ad ordines suscipiendos concedere, dioecesanam synodum celebrare atque concursum indicere ad parochiales Ecclesias, quae omnia sacri canones quominus a Praelatis Episcopo inferioribus, Nullius licet dioecesis, fiant, vetant. Sicut autem iisdem ac Episcopi iuribus fruetur, ita iisdem adstringetur officiis et legibus, residentiae praesertim ac suae Praelaturae visitationis.

VII.

Cum autem omnino necessarium sit ut congruis proventibus et redditibus dotationi novae huius Praelaturae consulatur, Sanctitas Sua pro Praelati mensa, Capituli et Clericorum Seminarii dote ac divini cultus expensis redditus et bona assignat et attribuit, quibus parochialis Ecclesia sub invocatione B. M. V. sine labe conceptae in civitate Santarensi existens, nunc ad honorem et dignitatem Ecclesiae praelaticiae evecta, potitur, ac fideles impense hortatur, ut ipsi, quorum utilitati Santarensis Praelaturae erectio decreta est, suis oblationibus opportuna conferant subsidia, quibus praedictis necessitatibus occurri possit, ad honorandum Deum de sua substantia, apud quem magnam sibi gratiam et copiosam mercedem comparabunt.

VIII.

Mandat praeterea Sanctitas Sua Santarensis Praelati sollicitudini, ut praelaticiae Ecclesiae Capitulum iuxta canonicas sanctiones, cum primum fieri poterit, erigendum curet, servato canonicorum numero, servatis iisdem dignitatibus, quibus Capitula Cathedralium Ecclesiarum in Republica Brasiliana existentium constant. Interea, donec praedictum Capitulum constitutum fuerit, Praelatus in maioribus suae Praelaturae negociis consilium sibi assumet ex prudentibus et probatis viris, itemque ad animarum curam in Ecclesia praelaticia exercendam, servatis de iure servandis, vicarium deputabit, cui ex redditibus eiusdem praelaticiae Ecclesiae, mensae Praelati assignatis, congruam attribuet portionem pro eius sustentatione.

IX.

Dignitatibus et Canonicis nec non Clero Ecclesiae praelaticiae Santarensis Sanctitas Sua onera eadem imponit, quibus dignitates et Canonici Capitulorum Cathedralium in Brasiliana Republica satisfacere tenentur, cum iisdem iuribus, privilegiis et insignibus, dummodo ex indulto peculiari aut titulo oneroso acquisita non fuerint.

X.

Ubi primum Capitulum constitutum fuerit, eorumdem Canonicorum erit capitularia statuta, ordinationes et decreta iuxta sacrorum canonum et praecipue Tridentini Concilii praescriptiones conficere, quae tamen Episcopi praelati cognitioni et approbationi erunt subiicienda, ut exinde vim legis habere possint ac valeant. Eadem namque veneratione et obsequio Capitulares Ecclesiae praelaticiae suum Praelatum prosequi tenentur, quo Canonici Cathedralium Ecclesiarum in dioecesibus suum Episcopum.

XI.

Dignitatum et Canonicatuum collatio fiet servatis de iure servandis iuxta canonicas sanctiones, sartis tectisque decretis Plenarii Concilii Latini Americani, eorumque declarationibus authenticis a Sacra Congregatione negotiis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositae editis, nec non Cancellariae Apostolicae legibus.

XII.

Clericorum pariter Seminarium, quo citius fieri possit, ad normam et iuxta Sacrosanctae Tridentinae Synodi decreta, erit erigendum, in quo excipiantur clerici, quos Santarensis Praelatus ex necessitate et utilitate Praelaturae admittendos esse censuerit. Et quoniam adest in Urbe Seminarium Pio-Latino-Americanum, in quo praeclari Evangelii praecones et animarum rectores ipsis sub oculis Romanorum Pontificum exculti sunt et excoluntur, praecipit Sanctitas Sua ut quemadmodum ab aliis Americae Latinae dioecesibus, ita etiam a neo-erecta Praelatura Santarensi bini in eo non intermissa vice collocentur adolescentes in Ecclesiae spem alendi.

XIII.

Statuit quoque Beatitudo Sua, ut omnia et singula documenta respicientia Paroecias et loca, quae novae Praelaturae Santarensi iuxta hoc consistoriale decretum addicta et attributa sunt, quaeque actu in Episcopalis Ecclesiae Belemensis de Para Cancellaria asservata reperiuntur, ab ea extrahantur, et Cancellariae neo-erectae Praelaturae Nullius tradantur, atque in ea in perpetuum conserventur.

XIV.

In hac nova Praelatura erigenda et finibus supra descriptis eidem attribuendis expresse Sibi et Apostolicae Sedi Sanctitas Sua facultatem reservavit dismembrationes quascumque, seu novam ipsius Praelaturae circumscriptionem libere decernendi, quandocumque id in Domino expedire visum fuerit, quin ullum in id Antistitis et Capituli praelaticiae Ecclesiae assensum exquiri aut territorialem ullam compensationem assignari aut attribui opus sit.

XV.

Ea autem omnia, quae res, iura et personas ecclesiasticas respiciunt, quorum expressa mentio in hoc consistoriali Decreto facta non est, vult Sanctitas Sua ut firma et rata iuxta canonicas regulas et catholicae Ecclesiae disciplinam maneant; si qua tamen difficultas aut controversia quoad praemissa in noviter erecta Praelatura Nullius oritura sit, ad Apostolicam Sedem deferenda erit, quae rebus accurate perpensis, prout de iure decernet.

XVI.

Ut autem omnia quae in hoc consistoriali decreto ex defuncti Pontificis mandato constituta sunt, feliciter ad exitum perducantur, SS.mus D. N. Pius PP. X, ea rata habens, ad decretum ipsum exequendum deputare dignatus est R. P. D. Iulium Tonti, Archiepiscopum titularem Ancyranum, in Brasiliana Republica Nuntium Apostolicum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, nec non definitive pronuntiandi super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione ad Apostolicam Sedem intra sex menses mittendi exemplar authentica forma exaratum actorum omnium, quae ad explendam commissam executionem erunt emittenda.

XVII.

Attentis temporum et locorum adiunctis, placuit Sanctitati Suae novam Praelaturam Nullius in florenos auri de camera triginta tres cum tertia floreni parte taxari, et huiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae de more describi iussit.

XVIII.

Hisce autem super rebus Beatitudo Sua praesens edi iussit consistoriale decretum, perinde valiturum ac si Litterae Apostolicae in forma Brevis vel sub plumbo super praemissis expeditae fuissent, et decretum ipsum referri mandavit inter acta Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die 21 Sept., anno Domini 1903.

✝ Raphaël Archiep. Nicaenus
S. C. Consistorialis et S. Collegii, *Secretarius.*

II.

DECRETVM
EPISCOPALIS ECCLESIAE
DE MIXTECAS IN MEXICANA REPVBLICA
NOVAE DENOMINATIONIS

Ecclesia epalis de Mixtecas, in Ditione Mexicana nuper erecta (1), vocetur in posterum *Huajuapamensis a Leone.*

Litteris Apostolicis sub plumbo, quarum initium « Apostolica Sedes » die 17 Martii hoc anno editis, aliquibus dismembratis regionibus, seu uti vulgo dicitur *Foranie* tum a territorio Metropolitanae Ecclesiae de Antequera tum a territorio dioecesis Tlascalensis seu Angelorum, ad Archidioecesis dignitatem nunc evectae, nova ex iisdem constituta fuit Episcopalis Ecclesia, cui ex denominatione provinciae seu comarchae, in qua erecta est, nomen impositum fuit « de Mixtecas ». Visum autem est nomen hoc ad novam dioecesim significandam iustis de causis minus aptum esse, ipsamque potius ex nomine civitatis Episcopalis Huajuapam de Leon vulgo dictae, quam ex nomine provinciae, ex qua constituitur, esse nuncupandam.

Re itaque ad SS.mum D.num Nostrum Pium Papam X delata, Sanctitas Sua, omnibus matura deliberatione perpensis, suppresso, auctoritate apostolica, veteri nomine, « de Mixtecas », quo hactenus neo-erecta dioecesis iuxta memoratas Apostolicas Litteras denominanda erat, eamdem in posterum « Huajuapamensem a Leone » ex nomine civitatis Episcopalis esse nuncupandam statuit, mandavitque praesens in hanc rem edi Decretum Consistoriale, perinde valiturum ac si Litterae Apostolicae in forma Brevis super praemissis expeditae fuissent, cuius executionem cum facultatibus opportunis et necessariis, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, committi voluit R. P. D. Prospero Iosepho Mariae Alarcon, Metropolitanae Ecclesiae Mexicanae Antistiti, qui iam praedictas Apostolicas Litteras de erectione novae dioecesis executioni mandavit, iniuncta eidem obligatione intra tres menses mittendi ad Sacram hanc Congregationem exemplar authentica forma exaratum executionis peractae, et Decretum ipsum inter Acta Sacrae huius Congregationis Consistorialis asservari iussit.

Datum Romae hac die 13 Nov., anno Domini 1903.

Pro R. P. D. Secretario Ivlivs Grazioli
S. C. Consistorialis et S. Collegii, *Substitutus.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII p. 282.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII (1)

A. — Per Summaria Precum.

2135/5 II.

Die 17 Februarii 1906.

Orthonen. — Adiudicationis proventuum et summae.

Vertitur controversia inter parochum et mansionarios coadiutores, tum circa adiudicationem summae libell. 300, tum circa perceptionem obventionum ex stola nigra.

In civitate Orthonensi, unica extat Paroecia cuius habitualis cura apud Cathedrale Capitulum residet, actualis vero apud unum ex canonicis, qui Canonicus Parochus nuncupatur. Antiquitus Parochum iuvabant in ministerio paroeciali uti coadiutores sex participantes Ecclesiae receptitiae appellatae vulgo *del Suffragio*, qui proventus stolae nigrae aequaliter inter se partiendos pro cadaverum associatione lucrabantur. Constat id ex statutis inter Parochum et participantes concordatis et regia etiam approbatione munitis a Ferdinando II, an. 1848.

Publicatis an. 1867 legibus eversivis proprietatis ecclesiasticae, etiam Ecclesia receptitia vulgo *del Suffragio* fisci compilationi subiecta mansit. Apprehensis itaque a gubernio redditibus illud profecto progressu temporis erat eventurum, ut Parocho sensim sine sensu coadiutores in curae animarum exercitio deessent.

Ad hoc incommodum avertendum an. 1882 Archiepiscopus Petrarca hodierni praedecessor, in Ecclesia Cathedrali collegium mansionariorum instituit « coll'obbligo copulativo del « coro e dell'aiuto da prestare al Parroco ».

Dos vero pro eorum institutione desumpta fuit tum ex legato Amalphitani, tum ex aliis legatis et beneficiis, quae pro hoc collegio inversa sunt. Inspectis bullis sive fundationis sive collationis mansionariatuum, nulla mentio expressa fit de iure percipiendi proventus stolae nigrae quo pollebant participantes Ecclesiae receptitiae *Suffragii*. Tantum in § 4 voti Capitularis quod die 7 Iunii 1882 exquisitum fuerat circa novam fundationem, haec habentur: « Conviene che lo stesso « nascente corpo dei Mansionarii riceva altresì le L. 51,00 « (seu ducata 12 de quibus in art. 6 statutorum Ecclesiae « receptitiae Suffragii) per mano del Curato *pro tempore* « solite a darsi a chi sosteneva il peso della serotina, dei « registri dei morti, dell'amministrazione dei battesimi, e « degli altri sacramenti così dentro come fuori la Cattedrale, « a norma degli statuti della recettizia, purchè si obblighi « solidalmente a disimpegnare i testè mentovati pesi ai « quali pesi e servigi tutti mancando si assoggetti alla pun- « tatura ».

Ex hisce verbis « a norma degli statuti della recettizia », vel quia initio primi mansionarii erant etiam participantes Ecclesiae receptitiae, factum est ut mansionarii admissi sint ad perceptionem proventuum stolae nigrae, sicuti antiquitus eveniebat pro participantibus coadiutoribus, et hoc obtinuit per 20 annos tum apud praedecessores Parochos, tum aliquandiu apud actualem Parochum Ferri, qui novissime re melius expensa, dictos proventus eis denegavit.

Item an. 1895 extincto ultimo superstite e clero receptitio, Parochus Ferri obtinere valuit a fisco summam annuam libellarum 150 a taxis depuratam. De hac summa 50 libellas sibi retinuit, alia parte coadiutoribus assignata, pro quibus a Fisco erat concessa; anno 1898 aucta fuit ad 300 annuas libellas, sed 100 pariter libellae datae sunt coadiutoribus: aliae 200 libellae a Parocho erant retentae, quia, ut asserit Parochus, coadiutoribus erant adhuc cessa incerta stolae nigrae dictae summae aequivalentia. In posterum cum ex mandato Archiepiscopi Parochus adstrictus fuisset ad ponendum sacerdotem substitutum in Ecclesia Suffragii et ad curandum in ea divinum cultum, nihil amplius persolvit de praefata summa a gubernio tributa, coadiutoribus.

Quare mansionarii coadiutores confugerunt ad Archiepiscopum petentes ut ipsi essent redintegrati in perceptione obventionum ex stola nigra, et ut sibi esset adiudicata integra summa libellarum 300 quae a Fisco pro coadiutoribus fuerat assignata. Archiepiscopus, die 13 Aprilis 1905, propositas quaestiones per decretum diremit cuius pars dispositiva est sequens: « Da ciò sorgono due questioni: 1° del- « l'assegno governativo di 300 lire circa, quanto deve darsi « a chi supplisce il Curato nella Chiesa del Suffragio, man- « tenendovi la messa festiva cogli altri servizii di culto, e « quanto agli altri economi mansionarii? 2° Hanno verun « diritto gli economi di esigere i proventi di stola nera? « Quanto al 1° quesito *omnibus mature perpensis*, giudi- « chiamo che si diano 100 lire al sostituto del Parroco nella « Chiesa del Suffragio, e il resto agli altri sostituti mansio- « narii. Quanto al 2° quesito: Visto che per legge canonica « i diritti di stola spettano esclusivamente al Parroco salvo « che vi siano statuti o consuetudini in contrario: visto che « nel caso presente nè statuti nè consuetudini ostano come « rilevasi dalle premesse, giudichiamo che il Canonico Cu- « rato di S. Tommaso Apostolo in Ortona è nel diritto di « esigere esso i diritti di stola nera, anche tenuto conto del « nuovo assegno che loro proviene dal Fondo culto e che « all'incirca corrisponde alla somma da loro esatta per i « menzionati diritti. E poichè questo assegno decorre per « loro dal 1° luglio 1904, il Curato può benissimo da quel « tempo calcolare in suo favore i diritti di stola esatti o da « esigere dai mansionarii. Così giudichiamo e decretiamo « che venga eseguito ».

Contra hoc decretum Mansionarii oeconomi, appellationis libellum, die 17 eiusdem mensis Aprilis obtulerunt H. S. Congregationi, et omnibus de ritu praemissis, hodie causa proponitur.

Mansionarii in suo memoriali typis vulgato, ut primum statuant fructus stolae nigrae ad se pertinere, duo tantum evincenda sibi sufficere aiunt, nempe anno 1882 quando Mansionariorum Collegium est erectum voluisse Capitulum, et Archiepiscopum decrevisse hos stolae proventus eis esse cedendos. Atqui de utroque constat. Ergo nonnisi iniuria a Parocho Ferri hi fructus denegantur.

Sane quod haec fuerit Capituli mens, eruitur ex eius deliberatione diei 7 Iunii 1882 in qua asseritur Mansionariis dandas esse a Parocho pro tempore libellas 51. Ex quibus mansionarii arguunt, quod si onera ad tramites statutorum receptitiae Ecclesiae sunt imposita, etiam merces seu emolumenta ad eamdem normam tribui debent. Sed participantes Ecclesiae receptitiae suos faciebant stolae nigrae proventus. Ergo idem ius est mansionariis adscribendum. Quin ex adverso obstet quod praecitata verba tantum referantur ad 51 libellas solvendas pro sacro seu serotina benedictione, pro regesto mortuorum et aliis designatis officiis. Nam observant recurrentes, cum haec summa a quodam legato per capitulum administrato proveniret, et haec summa in dictum scopum esset eroganda, oportuit ut expressa mentio fieret

(1) In praesenti mense, non fuit Congregatio. N. D.

de eius solutione per Parochum facienda. At stolae nigrae fructus sunt de parochiali redditu; ideoque de iis necessario mentio non recurrebat: et aliunde cum onera sunt adiecta ad normam statutorum Ecclesiae receptitiae, implicite tributi sunt mansionariis dicti fructus, nec tunc temporis Parochus protestationem emisit, sed potius una cum aliis Canonicis Capitularem deliberationem sua subscriptione munivit.

Insuper quod haec fuerit Capituli mens, adstruunt ex novissima Capituli deliberatione diei 9 Aprilis 1905.

Eamdem vero fuisse Archiepiscopi mentem eruitur ex facto, quod idem Archiepiscopus Capituli votum est secutus, uti patet ex verbis Bullae institutionis Mansionariatuum diei 1 Augusti 1882.

Hucusque tradita Mansionarii dicunt firmari observantia plus quam 20 annorum. Quod neque hodiernus parochus denegat, qui emolumenta stolae non secus ac duo praedecessores parochi, ante institutam hanc causam favore mansionariorum dimisit: atque res ita processit sub tribus parochis, ut non inscio Capitulo aut Archiepiscopo, hoc sibi ius mansionarii asciverint.

Neque audiendum esse censent parochum Ferri, qui infirmare nititur observantiam obiiciendo, quod primi mansionarii ideo lucrati sunt fructus nigrae stolae, quia erant etiam participantes ecclesiae receptitiae: in posterum vero usque ad an. 1898 quia cum mansionariis etiam supererant nonnulli participantes cum illis insimul incumbentes curae animarum. Hinc ne horum ius perfringeretur, parochi sibi non retinuerunt stolae nigrae fructus: « si cedevano i diritti di « stola nera ai partecipanti della ricettizia, che anche in « qualità di mansionarii ed insieme ad essi coadiuvavano « il parroco ».

Hanc difficultatem removent Mansionarii reponentes superstites participantes ecclesiae receptitiae usque ab anno 1873 declaratos fuisse ob census diminutionem solutos a servitio parocho praestando, uti liquet ex Archiepiscopi tunc temporis apographo: « Restino sciolti i canonici del Suffragio « dall'impegno assunto di coadiuvare il parroco *pro tempore* « del duomo, purchè vi acceda il consenso dell'attuale canonico curato signor De Luca » qui consensus utique interfuit, uti ex coaeva parochi eiusdem declaratione erumpit. Hinc dicti participantes mansionarii effecti, uti tales servitium parocho exhibentes lucrati sunt emolumenta stolae nigrae.

Haec valent pro primis mansionariis qui clero receptitio iam erant adscripti: attamen alii adfuerunt qui tantum uti simplices mansionarii parochum in cura animarum coadiuvarunt, et qui pariter a fructibus stolae non sunt exclusi. Ergo de vigenti observantia ambigi nequit. Quin imo, cum Mansionarii declarationem emisissent de virili divisione huiusmodi redituum inter se facienda « i proventi di stola sa- « ranno ripartiti a porzioni eguali » parochus Ferri hanc declarationem ratam habuit signavitque die 1 Septembris an. 1904.

Haec disputant mansionarii quoad propositam quaestionem, ut infirmato in hoc puncto Archiepiscopi decreto redintegrentur in ius percipiendi dictos proventus stolae nigrae.

Dein accedentes ad aliam decreti partem nempe circa adiudicationem annuae summae 300 libellarum, quam Fiscus rependit, etiam circa hanc partem, decretum esse revocandum contendunt. Sane ipsi dicunt se successisse in onere coadiuvandi parochum participantibus suppressae ecclesiae receptitiae. Assignatio facta a fisco ex redditibus praedictae ecclesiae, destinata praecise fuit uti retributio pro hoc onere et expresse eisdem oeconomis assignata, uti ex variis constat litteris ministrorum fisci. Utique huiusmodi destinationes in genere non sunt attendendae utpote factae a non dominis bonorum, verum in specie in facta assignatione fiscus secutus est receptitiae ecclesiae constitutiones, iuxta quas redditus erant participantibus tributi uti parochi coadiutoribus, quod onus fuit translatum in mansionarios.

Demum mansionarii contendunt sibi hanc summam esse adscribendam ex quadam aequitate. Ipsi enim praeter chorale pensum, in pervasta paroecia plus quam 14000 animarum frequenti subeunt fere totum onus curae animarum, et vix habent unde honeste vivant, cum singulatim tributa merces, ducto calculo, vix ascendat ad libellas 132,94. Ad firmandam suam miseram oeconomicam conditionem, mansionarii afferunt Capituli testimonium

Ex altera vero parte favore parochi, sequentia animadverti possunt. Et in primis quoad fructus seu emolumenta nigrae stolae scitum in iure est ea privative parochis deberi: parochi enim habent intentionem fundatam in iure quoad perceptionem oblationum sibi factarum ratione administrationis sacramentorum, uti tradit Ferraris *bib. can. v. oblationes* n. 13 cum aliis auctoribus inibi citatis, et pluries fuit traditum ab H. S. C. ut in *Fulginaten.* 6 Aprilis 1647, in *Cassanen. - dismembrationis* 22 Iulii 1741 § *Verumtamen*, et novissime in *Lucana - Emolumentorum* diei 17 Ian. 1904. Et iure merito id sancitum invenitur, quia fructus stolae sive albae sive nigrae, inter iura parochialia recensentur.

Ex hisce consequitur quod mansionarii ad sibi vindicandos fructus stolae nigrae afferre debent titulum specialem, prouti esset vel bulla fundationis, vel conventio, vel consuetudo. Atqui mansionarii nullum ex hisce titulis afferre possunt. Sane invocari non potest consuetudo seu praescriptio, quia ad praescribendum contra iura ecclesiae requiruntur 40 anni, ut passim tenent canonistae cum *Barbosa* in collectan. doctor. innixi in *capp. 4. 6. 8. 9. de praescript.* At in themate inducta praxis, ipsis fatentibus mansionariis, vix annos 21 complectitur.

Neque item eis suffragatur bulla erectionis 4 priorum mansionariatuum de an. 1882 sub die 1 Augusti; in ea enim dum eorum iura recensentur, de iure ad proventus stolae nigrae siletur. Utique sermo est de nonnullis adventiciis ab eis percipiendis pro associatione cadaverum, sed hoc taxative refertur ad associationes funebres factas a Capitulo, in quibus, ipsis accedentibus, assignatur tantum una portio canonicalis inter eos aeque partienda.

Neque demum mansionarii recurrere valent ad transactionem inter ipsos et parochum initam pro cessione dictorum proventuum; quia haec in themate exulat. Mansionarii profecto appellant ad quamdam conventionem diei 1 Septembris an. 1904, in qua in artic. 4° edicitur « i proventi di stola « saranno ripartiti in porzioni eguali » et in art. 5° ab hac participatione excluduntur mansionarii negligentes, et quae conventio fuit a parocho approbata. Sed facile res explicatur. Haec siquidem conventio non vertebat inter parochum et mansionarios, sed potius erat coarctata ad mansionarios inter se ipsos: obiectum enim eius erat divisio territorii paroecialis in respectivas zonas in quibus oeconomi Mansionarii sese ligabant ad exercendam curam animarum, sub poena exclusionis a participatione quotae proventus stolae nigrae, in casu negligentiae: id patet ex toto ipsius contextu. Deinde ad obligandos successores necessarium fuisset beneplacitum Apostolicum, cuius interventus profecto defuit.

At mansionarii suum ius potissimum derivare sustinent ex facto, quod sicuti ipsi substituti sunt participantibus suppressae ecclesiae receptitiae Suffragii in onere coadiuvandi parochum Cathedralis, ita convenit eos succedere in ipsorum iuribus seu in perceptione proventuum stolae nigrae.

Id confirmant deliberatione Capitulari diei 7 Iunii 1862

in qua in art. 4, asseritur, quod a parocho congruum est eos accipere libellas 51 « solite a darsi a chi sosteneva il « peso della serotina, dei registri dei morti, dell'amministra- « zione dei Battesimi etc...... a norma dei statuti della recet- « tizia ». Ex quibus inferunt nedum in oneribus sed etiam in iuribus receptitio clero successisse.

At oggesta difficultas nullo videtur niti fundamento. Nam onera et iura collegii Mansionariorum determinari debent ad tramites bullae institutionis: sed in hac Bulla neque verbum neque vola de his proventibus: utique novis mansionariis devolvuntur redditus nonnullorum legatorum, sed his non adnumerantur fructus stolae nigrae. Quo vero ad artic. 4 deliberationis Capitularis, ea taxative refertur tantum ad perceptionem libellar. 51 pro benedictione serotina et aliis oneribus ibi descriptis.

Verum illa verba « a norma degli statuti della recettizia » etiam ad fructus stolae nigrae extendi debere Mansionarii probare satagunt ex novissimo capitulari actu diei 9 Aprilis 1905, in quo Capitulum declaravit, illa verba ita esse intelligenda, et de bono iure mansionariorum dubitari non posse; eo vel magis quod ita senserunt etiam quinque Capitulares superstites ex priori deliberatione qui huic coetui interfuerunt. Sed reponi potest cum Archiepiscopo uti in suo decreto quod « i documenti valgono per quel che dicono, « non per quel che potevasi avere in mente ».

Aliunde nota est regula iuris 57 in 6°, « Contra eum qui legem dicere potuit apertius, interpretatio est facienda ». Hinc si Capitulum in deliberatione Capitulari an. 1882 mentem suam non satis aperuit, sibi imputet, sed ei profecto non licet posthuma nova declaratione ius parocho a ss. canonibus concessum eripere. Quod si demum parochi permiserunt mansionariis, uti hi contendunt, dictos fructus exigere usque ad novissima tempora, expendi potest id non ex facta iuris abdicatione, sed potius ab eorum liberalitate esse repetendum: neque aliquid exinde concludi licet in damnum parochorum: alias enim actus liberalitatis in praeiudicium concedentis converteretur contra regulam iuris 61, in 6° qua statuitur: « quod ob gratiam alicuius conceditur, non esse in eius dispendium retorquendum ».

Ex hucusque allatis itaque videtur posse concludi quod mansionarii ius non habent ad sibi asserendos fructus nigrae stolae, et proinde quod Archiepiscopi decretum in hoc puncto sit confirmandum.

Quo vero ad alteram propositam quaestionem, nempe cuinam adiudicanda sit annua summa 300 libellarum modo a fisco elargita ex redditibus suppressae ecclesiae receptitiae Suffragii, haec breviter subiicienda censeo. Praemitto quod haec asssignatio facta a Fisco spectari debet ceu partialis restitutio usurpati redditus ecclesiae receptitiae. Hoc posito Mansionarii sibi hanc summam tradendam esse sustinent, quia ipsi clero receptitio successerunt in onere coadiuvandi parochum, et huius oneris intuitu haec summa concessa est a fisco. E contra Archiepiscopus in suo decreto tantum duas tertias partes eis adiudicandas statuit, aliis centum libellis assignatis parochi substituto in ecclesia suffragii tum pro oneribus adimplendis tum pro cultus expensis.

Verum hic opportunum duco etiam referre votum seu mentem canonici Archidiaconi in supra citata deliberatione Capitulari an. 1905 quoad destinationem faciendam huius summae: quae mens ita se habet: « L'Arcidiacono ritiene « che l'assegno del fondo culto (che per giustizia dovrà di « molto elevarsi) debba servire per il disimpegno di parte « dei diversi oneri inerenti all'ex-recettizia, fra cui si no- « verano annue messe circa 900 ». Neque hoc votum spernendum videtur. Nam quando huiusmodi assignationes factae a Fisco parochis proveniant vel ab ecclesiis receptitiis vel ab aliis entibus moralibus, missis aut aliis oneribus piis gravatis, iuxta rescriptum S. Poenitentiariae diei 14 Decembris 1899, parochi pro assignatae summae erogatione recurrere debent ad H. S. C. Igitur erit EE. VV. determinare, utrum facta ab Archiepiscopo designatio praecitatae summae sustineatur in casu, vel potius maior quota aut tota summa sit impendenda praesertim in missarum adimplementum.

Haec super utraque quaestione referenda et adnotanda censui, modo sapiens vestrum iudicium expostulatur.

Quare etc.

Responsum fuit: *Decretum Archiepiscopi ad 1.um esse confirmandum, ad 2.um esse infirmandum.*

B. — In folio.

2150/4 II.

Die 17 Februarii 1906.

Aquilana. — Iuris nominandi.

Extincto iurepatronatus, nominatio ad beneficium pertinet ad Ordinarium, qui vi sui muneris est proprius distributor beneficiorum in propria dioecesi.

In Metropolitana Ecclesia Aquilana, duae habentur cappellaniae, sub titulo nempe S. Maximi et S. Catharinae, quae iurispatronatui laicali hucusque subiiciebantur. Patroni enim laici iure pollebant cappellanos nominandi, quorum tamen confirmatio ad Archiepiscopum dioecesanum, canonica vero institutio ad Capitulum Metropolitanum ex antiqua consuetudine spectabat. At postremis hisce temporibus iuspatronatus huiusmodi, extinctis familiis ipsum exercentibus, penitus cessavit.

Quum autem praefatae Cappellaniae ob suorum titularium decessum nuper vacassent, Archiepiscopus Aquilanus ius sibi vindicavit nominandi cappellanos dein a Capitulo instituendos. Obstitere tamen Capitulares; qui, dictas Cappellanias liberae ipsorum collationis factas fuisse contendentes, de consensu sui Ordinarii ab hac S. Congregatione expostularunt decernendum cuinam competeret ius nominandi cappellanos in casu.

Verum haec S. C., ne diutius dictae Cappellaniae suis titularibus privarentur, facultatem tribuit Archiepiscopo Aquilano instituendi pro hac tantum vice cappellanos, praehabito tamen Capituli consensu circa sacerdotes in iisdem cappellaniis instituendos, « salvis iuribus respective tum ipsius « Archiepiscopi tum Capituli quoad nominationem seu pro- « visionem dictorum beneficiatorum, de quibus videndum in « iudicio petitorio »

Modo quaestio, acceptis ab utraque deductionibus, resolvenda proponitur in hodiernis plenariis comitiis sub infrascripta dubitandi formula. Mei muneris ratio interim postulat, ut nonnulla hinc inde ex officio referam.

In primis, favore Capituli Aquilani ambigendum non videtur ad ipsum dumtaxat spectare, et adhuc perdurare ius cappellanos in dictis beneficiis instituendi. Quamvis enim proprie non appareat quo titulo iuridico innitatur huiusmodi collationis ius, antiqua tamen extat consuetudo, quae hunc titulum extitisse praesumere facit, et quae caeteroquin ipsamet vice tituli fungi valet. Nec diffitetur ipse Archiepiscopus Aquilanus, qui testatur Capitulum plus quam a saeculo Bullam expedire ac investituram concedere; quinimo eidem etiam in praesens competere non abnuit Bullae expeditionem et investituram, sibi tantummodo nominandi ius spectare contendens.

Ius praeterea antiquum, quo etiam clericis Ordinario inferioribus institutionem beneficiorum dare permittebatur, derogatum a iure vigenti non apparet. Sane Conc. Trid. (*Sess. 25, cap. 9, de Refor.*) ad rem decernit: « Quod si ad inferiores « institutio pertineat, ab Episcopo tamen, iuxta alias sta- « tuta ab hac sancta Synodo, examinentur », nempe candidati. Imo (*Sess. 24, cap. 18, de Reform.*) eadem repetit: « Cum vero institutio ab alio quam ab Episcopo erit fa- « cienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, « quem patronus ei praesentet, ad quem institutio spectat ». Unde non immerito eruitur etiam hodie non esse excludendos inferiores beneficiorum collatores, quibus institutio spectare potest ex aliquo speciali titulo, v. gr., privilegii, fundationis, praescriptionis, etc. Congruit S. Rota (*Dec. 42, n. 3, part. 3, Recent.*) quae, postquam docuerit ius instituendi de iure communi ad Ordinarium spectare, statim addit: « nisi ex consuetudine aut alio capite, institutio ad « alium inferiorem pertineat ». Et hoc modo intelligendum est Conc. Trid. (*Sess. 14, cap. 12 et 13, de Reform.*), quando reservare videtur solis Episcopis institutionem beneficiorum; quatenus videlicet haec institutio de iure communi Episcopis spectet, quamvis de iure particulari, inferioribus clericis competere possit. Cfr. De Luca (*Annot. ad Trid., disc. 11, n. 27*), Leurenius (*Forum benef. part. 2, quaest. 172*).

Verum, etiamsi Trid. Synodus huiusmodi institutionis ius inferioribus collatoribus concessum abrogasset, nil prohibet, quominus Papa, qui est supra canones, facultatem non habeat huiusmodi indulta largiendi; imo et introduci valeat consuetudo contraria quae, iuxta plurium doctorum sententiam, etiam contra ipsa Conc. Trid. decreta inolescere potest. Ex privilegio proinde Apostolico aut saltem ex legitima consuetudine, Capitulum Aquilanum desumere potest proprium ius in cappellaniis S. Maximi et S. Catharinae conferendis.

Quinimo, etiamsi in themate ius eligendi beneficiatos ad solum Episcopum spectaret, eorum tamen institutionem ad Capitulum adhuc pertinere incongruum non est. Haec enim duo simul consistere possunt, nec aliquam repugnantiam includunt.

Ad rem De Luca (*De benef., disc. 112, num. 5*) docet: « Expressa dispositione Conc. Trid. stant bene simul quod « collator inferior suum ius retineat, atque ad ipsum per- « tineat facere collationem, et tamen Episcopus iuxta formam « ab eodem Concilio praescriptam eligat ». Quae praxis pluribus in locis observata invenitur, quemadmodum de Archidioecesi Pisana fidem facit Viviani (*Praxis iurispatr., lib. I, cap. I, n. 199*).

Sed ulterius, eidem Capitulo competere videtur ius quoque nominandi cappellanos in casu. Compertum siquidem est iuspatronatus de sui natura individuum esse, et habitualiter residere in solidum penes singulos patronos; deficiente proinde aliquo ex patronis, vi iuris accrescendi seu non decrescendi, in caeteris illud consolidatur. Hoc tenuit Rota (*Dec. 248, n. 6, p. 14, Recent.*): « Iuspatronatus pluribus « personis delatum, altera ex eis deficiente, accrescit aliis »; et (*Dec. 200, n. 1, part. 3, Recent.*) subdit: « Quod si « iuspatronatus sit penes duos, uno eorum defuncto, totum « acquiritur alteri per ius accrescendi ». Iamvero iuspatronatus, ut communiter tenent moderni doctores, non in solo nominandi seu praesentandi iure, sed in complexu quorumdam iurium ac nonnullorum onerum consistit. Cfr. Berardi Seb. (*De benef. eccl., diss. 4, cap. 1*), De Angelis (*Prael. iur. can., lib. 3, Decret., tit. 38, num. 1*), et Sebastianelli (*De Rebus, part. 2, n. 202*). Quapropter sicut dari potest patronatus absque iure nominandi seu eligendi, uti constat ex clara dictione Decretalium (*lib. 3, tit. 38, cap. 25*), ita haberi quoque potest patronatus cum solo institutionis iure. In themate autem iuspatronatus tum patronis laicis tum clericis seu Metropolitano Capitulo quodammodo competere videtur. Etenim patronis laicis, quibus potestas tituli collativa spectare nequit, datum fuit ius praesentationis, dum e contra Capitulo, utpote ecclesiasticis personis conflato, ius collationis est concessum. Quod institutio competere possit etiam ex fundatione, demonstrat Ferraris (*Bibl. can.*, v. Institutio, *n. 18*) plures citans iuris textus ac doctores. Quare, quum heic sive laici sive clerici veluti compatroni habeantur, exurgere videtur quod, deficientibus patronis laicis, ius eisdem competens nominandi videlicet cappellanos S. Maximi et S. Catharinae, vi iuris accrescendi seu non decrescendi, in clericis seu in Capitulo Aquilano consolidetur.

Verum, hoc etiam praetermisso, ius cappellanos nominandi in casu, ex alio capite ad Canonicos Metropolitanae Ecclesiae tantummodo spectare demonstrari potest. Siquidem iuspatronatus extinguitur ac penitus cessat per completum interitum subiecti competentis, cui illud inhaeret, uti cessatione patronorum vel extinctione familiae aut gentis cui illud spectabat. Quando nimirum extinguitur patronus, collatio beneficii evadit libera, et locum amplius non habet praesentatio, quia beneficium ad primaevam libertatis naturam redit. Iamvero si huiusmodi nominandi ius ad Episcopum devolvatur, tunc in casu collatio a Capitulo peragenda minime libera dicenda esset, quum mutato dumtaxat iurispatronatus subiecto, iuri nominationis alligata iugiter maneret.

Hanc doctrinam tuetur Pitonius (*De controv. patron., alleg. 101, n. 182*) hisce verbis: « Per extinctionem patro- « norum iuspatronatus non devolvitur ad Episcopum, sed « omnino extinguitur, et ecclesia fit libera ipso iure ». Congruit Caesar Lambertini (*De iurepatr., part. 2, lib. I, art. 15*), qui sibimetipsi quaerenti: « Iuspatronatus si do- « natur vel legatur per patronum ipsimet ecclesiae patro- « natae, ipsa ecclesia an erit libera, vel cui iuspatronatus « erit acquisitum? », absque ulla haesitatione respondet: « Ecclesia fit libera quia ecclesia libera non recipit servi- « tutem, sed bene ecclesia serva recipit libertatem, et ideo « de ea disponitur etiam per habentem instituere, sicut de « ecclesiis liberis, quas conferre debet ». Atqui donatio vel renuntiatio ipsae ecclesiae patronatae facta aequivalet iurispatronatus extinctioni. Tunc enim ecclesia fit libera, et libere confertur ab habentibus instituere, seu in themate a Capitulo, absque ulla praevia beneficiati nominatione. Neque in casu iuspatronatus devolvi potest ad Episcopum, quia quod extinctum est, ad alium transire ab eoque exerceri nequit.

Rationes praeterea, quae in contrarium adduci possunt, casus tantummodo respicere videntur, in quibus Episcopus ex iure ordinario facultate pollet conferendi beneficia, minime vero casus, in quibus ipse hac destituitur facultate, quae e contra inferioribus collatoribus est attributa. Tunc enim et ipsi inferiores collatores, quamvis ex iure extraordinario ius collationis acquirant, attamen iure proprio beneficia conferunt. Siquidem Leurenius (*loc. cit., quaest. 664*) habet: « Quis sit et dicatur collator ordinarius? Respondeo: « illum, qui iure proprio beneficia confert, tametsi iurisdi- « ctionem nullam habeat, et sive hanc potestatem habeat a « iure sive ex praescriptione, consuetudine, privilegio. Ar- « gum. cap. *Ordinarii de off. Ordinar. in 6, et cap. Si soli* « *de praeb. in 6.* Et sic in specie Capitulum, dum legitime « iustificavit consuetudinem conferendi privative ad Episco- « pum, venire sub nomine ordinarii collatoris, ait Card. De « Luca (*De benef., disc. 31, n. 15* ». Cfr. quoque idem De

Luca *De feudis, disc. 69, n. 9; necnon De Regalibus, disc. 30, n. 5*).

Hinc difficultas ex eo desumpta quod Capitulum nequit libere conferre beneficia in casu, quia iure extraordinario illa confert, evanescere videtur.

Ex quibus omnibus igitur non immerito concludi potest, ad Capitulum Aquilanum nedum ius conferendi cappellanias S. Maximi et S. Catharinae, sed ius quoque nominandi cappellanos spectare, seu aliis verbis ius libere cappellanos instituendi, praevia dumtaxat Ordinarii approbatione.

Ex altera vero parte haec favore Archiepiscopi animadverti possunt.

Primo loco, Archiepiscopo non autem Canonicis ius cappellanos S. Maximi et S. Catharinae nominandi competere videtur. Nam per patronorum extinctionem, extinguitur hoc ipso iuspatronatus eisdem inhaerens; ecclesia proinde fit liberae electionis, atque Episcopus qui vi muneris sui est ordinarius ac proprius beneficiorum in dioecesi administrator et distributor, ius libere eligendi beneficiatos acquirit. Et Card. De Luca *(Relatio Rom. Cur. for., disc. 9, n. 11)* docet: « Iuris communis vel sacrorum canonum dispositione « attenta, omnia ecclesiastica beneficia tam curata quam « non curata, cuiuslibet qualitatis, etiam dignitatem prae« seferentia, quocumque tempore, in quocumque loco, et ex « cuiuslibet possessoris morte naturali vel civili vacent, per« tinent ad Episcopum vel Ordinarium, in cuius dioecesi « vel territorio sita sunt ». Eadem omnimodo tradit Barbosa *(Ius eccl., lib. 3, cap. 12, n. 138)*: « Iuspatronatus « amittitur et penitus extinguitur deficiente et penitus ex« tincta linea vocatorum ad tale iuspatronatus; tunc enim « ecclesia seu beneficium libertatem consequitur et libere « ab Ordinario confertur ». Cfr. Etiam Reiffenstuel (*Ius can., lib. 3, tit. 38, n. 125*), Pirhing *(Ius. can., ibid., n. 138)*, Gagliardi *(De iurepatr. 24, n. 18)*, et ita passim.

Iam age: si in casu ius nominandi beneficiatos devolvatur ad personam ab Episcopo diversam seu ad Capitulum, beneficia non amplius dici possunt pristinam acquisivisse libertatem per patronorum extinctionem, sed potius iterum, mutato dumtaxat subiecto, in servitutem redacta esse.

Episcopus praeterea ad liberam et ordinariam collationem omnium beneficiorum, quae in territorio suae dioecesis subiecto reperiuntur, intentionem habet fundatam in iure contra quam, iuxta Wernz *(Ius. Decret., tom. 2, num. 343*): « omnes, qui sive electione, sive praesentatione vel nomi« natione liberam collationem Episcopi sese limitare posse « praetendunt, iura sua allegata concludentibus argumentis « probare debent, secus in officiis dioecesanis pro pleno iure « Episcopi ad provisionem est ferenda sententia ». Id enim eruitur ex pluribus canonum praescriptionibus, praesertim vero ex Decretalibus (*lib. 2, tit. 25, cap. 6; et lib. 3, tit. 8, cap. 7)*, necnon ex doctrina doctorum, uti Leurenii (*For. benef., part. 2, quaest. 665 et 666)*, Garcias (*De benef., part. 5, cap. 1, n. 235)* cum aliis. Quinimo etiam in dubio, utrum ius nominandi competat Ordinario vel inferioribus clericis, sententia ferenda est pro Ordinario, qui pro se praesumptionem habet.

Insuper talis est iurisdictio Episcopi super beneficiis suae dioecesis, ut ipse aliquando acquirere valeat iuspatronatus, quin tamen aliquid ex se praestiterit ad illud obtinendum, una simul cum aliis compatronis. Ita Pitonius *(loc. cit., alleg. 14, n. 2)* docet iuspatronatus, extingui seu devolvi ad Episcopum, distracta in partes haereditate ultimi de familia pro suffragiis animae haeredis: deinde *(loc. cit. alleg. 15)* totus est ut, plurium doctorum auctoritate innixus, demonstret: « competente iurepatronatus pluribus distinctis fami« liis, super pluribus distinctis beneficiis, si una ex illis de« ficiat et ultimus decedat sine haerede, vox familiae ex« tinctae non accrescit aliis compatronis, sed transit ad Epi« scopum, ad quem spectabit ius praesentandi simul cum « aliis compatronis ».

Nec praetereundum est quod Capitulum fortasse sibi applicare nequit ius accrescendi seu non decrescendi. Hoc enim tantummodo invocari potest a compatronis, et quidem de eodem beneficio, non autem a compatronis de diverso et distincto beneficio, et tanto minus a beneficii collatore, qui proprie patronus dici nequit. Secus enim Episcopus, qui est ordinarius collator omnium beneficiorum suae dioecesis, dici deberet eorumdem patronus. Conceptus autem iurispatronatus et institutionis inter se differunt.

Caeterum, Capitulares in themate nullum alium titulum proferre valent, quo iuspatronatus ad ipsos translatum fuisse constet. Extinctio enim familiae iuspatronatum exercentis minime computatur inter titulos sive originarios sive derivatos translationis eiusdem de persona ad collatorem extraordinarium seu in casu ad Capitulum. Eo vel magis, quod dum in vita erant ipsi patroni laici, praeter collationis Bullam ac investituram, nihil aliud peragebant Capitulares. Omnia enim quae ad cappellanorum renuntiationem, litis contestationem aliaque huiusce generis referuntur, ad solum Episcopum Aquilanum spectabant.

Demum testimonia ex adverso allata, in quibus dicitur quod, extincta familia patroni, iuspatronatus non devolvatur ad Episcopum sed extinguitur, hoc tantum sibi volunt, quod Episcopus, absque materiali iuspatronatus acquisitione, liberam et plenam potestatem acquirat conferendi beneficia antea iuri praesentationis alligata.

Quare, praeter ius nominandi cappellanos S. Maximi et S. Catharinae, Archiepiscopo Aquilano dici fortasse posset competere etiam ius eos instituendi. Potestas enim collationis hucusque a Capitulo exercita, inniti apparet super iure nominandi a patronis laicis possesso, veluti in suo iuridico fundamento. Cessante autem et extincto iurepatronatu, cessare et extingui etiam collationis potestatem super eodem innixam, eiusque vices subire congruit. Huic doctrinae alludit Pitonius *(loc cit., alleg. 100, n. 18)* quum sustinet, extincto iurepatronatu, extingui censendum esse etiam ius consentiendi ab alio exercitum super nominatione a patrono facta. Ait enim: « Competit alicui ius praesentandi de con« sensu alterius, extinguitur familia habentis ius praesen« tandi; utrum ius conferendi libere et sine consensu al« terius devolvatur ad Ordinarium? » et respondet: « Affir« mative..,, quia ius consentiendi praesentationi tamquam « cohaerens iuri praesentandi, duravit quantum ipsum ius « praesentandi; quoties autem iuspatronatus et praesentandi « remansit extinctum, cessat etiam consensus ei accessorius ». Eodem autem modo censetur extingui ius conferendi ex parte Capituli cum extinctione iuris praesentandi ex parte patronorum.

Sed hoc etiam praetermisso, ex iure nunc vigente, solus Episcopus ad inferiorum collatorum exclusionem, conferre valet beneficia in sua dioecesi. Conc. enim Trid. *(Sess. 14, cap. 12, de Reform.)* decrevit: « In casu autem fundationis, « aut dotationis huiusmodi institutio Episcopo, et non alteri « inferiori reservetur », et deinde *(ibid., cap. 13)* habet: « Non liceat praeterea patrono cuiusvis privilegio praetextu, « aliquem ad beneficia sui iurispatronatus, nisi Episcopo « loci Ordinario ad quem provisio seu institutio ipsius be« neficii, cessante privilegio, iure pertineret, quoquo modo « praesentare; alias praesentatio, ac institutio, forsan se« cutae, nullae sint et esse intelligantur ». Quamvis enim ex iure antiquo permitteretur inferioribus clericis ius conferendi beneficia, ex iure tamen hodierno hoc ius omnino

abolitum dici debet. Ita docet etiam Ferraris *(Bibl. can., v. Institutio, n. 19)*, et addit: « Hinc Sacra Congregatio « eiusdem Conc. Trid. interpres consulta an in iuribus pa- « tronatus, quae post Conc. acquiruntur, reservari possit « institutio alteri quam Episcopo, respondit, non posse in « Ecclesiis etiam exemptis nisi rector illius ordinaria fun- « geretur iurisdictione. Sic refert Fagnanus » (lib. 1, Decret. cap. *Cum Ecclesia Vulterana*, 31, de elec., n. 31).

Episcopus demum ad liberam et ordinariam beneficiorum collationem habet intentionem in iure fundatam, uti ex dictis apparet, et quemadmodum tenuit etiam Rota *(Dec. 306, n. 14, part. 9, tom. 1, Recent.)*.

Quod vel constat ex beneficiorum ecclesiasticorum historia; quando enim collatio beneficiorum non distinguebatur ab ordinum collatione, idem erat conferre ordines ac conferre beneficia. Cuius proinde principii consequentia est quod etiam in dubio Episcopus in plena huius iuris possessione permanet, et quotiescumque ius ad conferenda beneficia alteri sit collatum, illico hoc ius ad Ordinarium regreditur, quando aliqua ex conditionibus requisitis deficiat. In themate autem non praecise constare videtur quo titulo Capitulum Metropolitanum exercuerit ius dictas cappellanias conferendi; unicus vero titulus, qui in medium exhibetur, est centenaria consuetudo quae sufficiens non censetur ad praescribendum nec contra decreta Conc. Trid. nec adversus Episcopi ius. Unde non immerito concludi, potest quod in casu, Archiepiscopo Aquilano nedum ius nominandi cappellanos sed etiam eos in beneficiis instituendi spectare.

Quibus expositis, Vestrum erit, EE. PP., dirimere sequens

DUBIUM

An Capitulo Ecclesiae Cathedralis Aquilanae seu potius Archiep. competat ius nominandi cappellanos S. Maximi et S. Catharinae in casu.

Responsum fuit: *Negative ad 1am partem*; *affirmative ad 2am idest Archiepiscopo et amplius.*

2645
—
3

Annecien. — Super eleemosynis missarum.

Die 24 Martii 1906.

Parochus vi peculiaris indulti applicans missam diebus festis suppressis, transmittere poterit ad Epum, solum stipendium missae lectae iuxta taxam dioecesanam, quoties morali certitudine constat augmentum communis eleemosynae datum fuisse ob maiorem laborem vel incommodum, ad quae aliunde parochus obligatus non sit.

Per rescriptum H. S. C. sub die 9 Iunii 1903 Episcopo Anneciensi ad 5um fuit prorogata facultas ut « cum suae dioecesis parochis super obligatione applicandi Missam pro populo solis diebus festis suppressis pro suo arbitrio et conscientia gratis dispensare possit et valeat; ad effectum (accedente eorumdem parochorum consensu) deponendi et erogandi in expositas causas (pro sustentatione scilicet minorum seminariorum dioecesis) eleemosynas ex missis enunciatis diebus festis suppressis celebrandis obventuras ». Nunc idem Episcopus supplici oblato libello duplex petit resolvi dubium ab H. S. C. videlicet:

1.um Quando parochi diebus festis suppressis celebrant missam cantatam, sive manualem, sive fundatam, quae in dominica praecedenti praenuntiata fuerit cum indictione diei et horae, licetne ipsis ad Episcopum transmittere tantummodo stipendium missae lectae iuxta taxam dioecesanam, an debent tradere integrum stipendium per Constitutiones dioecesanas pro huiusmodi missis praestitutum?

2.um Si missam exequialem cum cantu praedictis diebus celebrant, satisfaciunt ne suae obligationi, mittendo stipendium missae lectae communis iuxta taxam dioecesanam, an debent mittere stipendium missae cantatae iuxta praedictam taxam, salvis iuribus stolae?

Quas quaestiones cum proponere censuerim per summaria precum, modo quaedam iuxta morem breviter subiiciam.

Teneri parochum pro ovibus suis sacrificium offerre diebus omnibus festis, etiam abrogatis, quicumque sint paroeciae redditus, etsi tenuissimi, indubii iuris est, uti patet ex Concil. Trid. sess. XXIII, cap. 1, de Refor. ex Br. *Nuper* Innoc. XII. — Const. Bened. XIV *Cum super oblatas* 19 Aug. 1744 et Const. *Amantissimi* Pii IX, 3 Maii 1848.

Unde post Pianam dispositionem contentam in citata Constitutione *Amantissimi*, ut refert Lucidi (De visit. SS. LL. p. I, n. 350) nonnisi ex benignitate Sanctae Sedis factum est ut « si iustae ac rationabiles causae in peculiaribus casibus ad sensum harum litterarum impedimento erant ne aliqui animarum curatores huic praecepto (litandi scilicet sacrum pro populo dictis diebus festis suppressis) satisfacere possent; — re ad S. C. diligenter exposita, accedente Antistitum illorum commendatione, ac specialiter ad Sanctitatem Suam relatione facta; iidem peculiarem veniam ad certum tempus duraturam assecuti sint, ac etiam nunc assequi soleant ».

Hanc tamen gratiam S. H. C. elargita est constanter imposita lege tradendi Ordinariis seu impendendi illorum arbitrio in usum pium eleemosynam ex dictae missae obligatione perceptam. Cuius adiectae conditionis ratio in eo sita esse videtur, ut nempe arceatur omnis suspicio indultum fuisse concessum in parochi commodum et lucrum.

Ex hisce profecto descendit Parochos in casu teneri integrum omnino stipendium Episcopo tradere, etiamsi missam cum cantu celebrent quaecumque illa sit manualis seu fundata, salvis tamen iuribus stolae pro missa exequiali.

Indultum enim expresse et inconditionate datum est favore Seminarii, seu operis pii ab Episcopo determinati, prouti ipsa innuunt verba *ad effectum deponendi et erogandi in expositas causas eleemosynas ex missis enunciatis diebus celebrandis obventuras.* Quaecumque igitur subtractio fieret vergeret in praeiudicium seu damnum ipsius Seminarii.

Accedit quod in vim dictae clausulae Episcopus, seu verius dictum opus pium ab Episcopo determinatum, cuius intuitu datum est privilegium, iam acquisivit ius quoddam ad dictas eleemosynas. Huic pio operi proinde integrum stipendium quin aliquid sibi retineant parochi, tradere debent, ad normam Const. Urbani VIII, *Cum saepe*, die 2 Iunii 1625 aliorumque iuris textuum.

Nec praetereundum quod nisi tenerentur parochi integrum perceptum stipendium refundere in pium opus determinatum, abusibus aperiretur via, ut effrenatae cupidini sive in quaerendis titulis, qui in eam specifico nunquam deessent, ad retinendam stipendii partem, sive in quaeritandis missis cum cantu. Et haec omnia forsan non absque fidelium scandalo.

Hinc ut anteactis temporibus, nuper etiam die 27 Febr. 1905 (1) H. S. C. Episcopo S. Deodati quaerenti utrum concessio facta ab Episcopo oratore, qui vestigiis trium suorum praedecessorum inhaerens, parochis suis qui cum indulto dictis diebus festis omnino abrogatis celebrabant, facultatem fecerat ut, quamcumque eleemosynam percepissent, ad cancellariam episcopalem non mitterent nisi synodalem eleemosynam, idest lib. 1,50: respondit *Negative.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIII, p. 124.

Verum quia in themate peculiares tituli invocari possunt favore parochorum ad retinendam sibi eleemosynae partem, videndum est quo pretio hi haberi debent.

Ex auctoritate scriptorum (Reiffenst. *Theol. moral.* tr. 5, dist. 3, concl. 4, num. 27 — et Amostaz *de Causis Piis*, lib. 2, cap. 4, n. 2) et H. S. C. resolutionibus constat non deesse titulos extrinsecos ipsi missae celebrationi, propter quos valeat recipiens eleemosynam, partem sibi eiusdem retinere dum alteri aliqua ratione puta celebrationis vel alicuius obligationis debeat residuum stipendii tradere.

Inter hos titulos accensentur communissime intentio dantis eleemosynam et ratio maioris incommodi seu laboris ex parte recipientis. Quod quidem valet non solum si agatur de missis beneficio aut cappellaniae inhaerentibus (S. Alph., l. 4, tract. 3, *de Euchar.* dub. 1, n. 321), vel de missis perpetuis alicui sacerdoti demandatis, sed etiam cum agitur de legatis alicui personae factis cum onere Missarum, quarum numerus praefinitus fuit, necnon in missis ipsis adventitiis. Attamen advertendum dictos titulos non valere nisi saltem morali certitudine constet propter eosdem maius stipendium fuisse collatum. Quod evincitur sive ex auctoritate scriptorum (S. Alph. l. c.) sive ex decisionibus H. S. C, ut in *Lugdunen.* 31 Ianuarii 1880, et *Bambergen.* 17 Iunii 1905 (1).

Atqui in casu, sive attendatur intentio eleemosynam conferentium, sive ratio maioris incommmodi et laboris parochorum qui missam celebrant, non videtur posse concludi — moraliter certo constare pinguius stipendium datum fuisse propter dictos titulos. — Nam maius collatum stipendium pro missa cum cantu sive fundata, sive manuali vel exequiali, non censetur datum intuitu personae, sed potius quia fideles vel fundatores rati sunt ex sacrificio cum cantu maiorem reportare fructum: hinc stipendium scindi non debet. Quin negotium facessent, quod dictae missae, prouti in casu proposito, celebrandae sint hora et die fixo: nam ex communi intentione eorumdem fidelium, non duo putantur data stipendia unum nempe pro missa et alterum pro incommodo, sed unum tantum pro missae applicatione. Hinc neque in hoc casu scindi potest.

Ex altera parte favore parochorum sequentia animadverto.

In primis, clausulae quae in rescripto adhibentur, benignam quoque interpretationem favore ipsorum posse pati videntur. Sane non prohibet indultum ne iusto extante titulo, possint partem dictorum emolumentorum parochi sibi reservare, clausulae enim non sunt absolutae et exclusivae. Hunc autem titulum adesse in casu videtur evinci posse ex peculiari ratione qua missae celebrandae committuntur ab oblatoribus — ut nempe statuatur specialis dies, determinetur hora — et ab offerentibus exigatur missa cum cantu. Quae quidem importare titulum ad peculiarem remunerationem ex superius dictis apparet. Hinc dictis extantibus titulis videretur posse concedi moderata retentio stipendii.

Insuper non est praetereundum quod agitur de Parochis quibus a suis parochianis committuntur dictae missarum celebrationes. Atqui, ut saepe contingere solet fit quando fideles maius stipendium offerunt propriis pastoribus hoc facere praesumuntur intuitu eorumdem personarum, quasi grati animi ergo, propterea quod labores suos et propemodum vitam spirituali eorum utilitati devoverint.

Neque officere videtur responsio ab H. S. C. data Episcopo S. Deodati quae supra allata est. Concessio enim ab Episcopo Oratore facta, declarata fuit illegitima utpote quae illius potestatem excederet, et quia revera plena periculis evadebat: nam iuxta factam expositionem non constabat de titulis extrinsecis ad retinendam eleemosynae partem, uti constat in praesenti casu. Hinc nil mirum si Episcopi petitio in genere reiecta fuit.

Quare.

Responsum fuit: *Ad utrumque affirmative ad 1am partem, negative ad 2am, quoties morali certitudine constet augmentum communis eleemosynae datum fuisse ob maiorem laborem vel incommodum ad quae aliunde parochus obligatus non sit.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. XIII, p. 243.

A. — Per Summaria Precum.

1495/4

Die 24 Martii 1906.

Aquilana — Cathedratici et missae pro populo.

Decernitur Vicarium Curatum in casu, teneri tum ad solvendum Cathedraticum, tum ad applicandam missam pro populo.

Praesens quaestio agitatur inter Archiepiscopum Aquilanum et Rev. D. Can. Henricum Iuvenitti Vicarium Curatum Paganicae *ad extra*. Ut vero status controversiae innotescat, recolendum est Aquilam ineunte saeculo XIII, ad urbis fastigium surrexisse, post Amiterni Furconiique excidium, opera finitimorum oppidorum, quorum unumquodque suum vicum in nova urbe cum ecclesia, platea viisque aedificavit.

Parochi, qui prius in antiqua sede extra urbem morabantur, in urbe residere coeperunt, atque aucto Clericorum numero civitatis ecclesiae prius simpliciter parochiales ad Collegiatae dignitatem fuerunt evectae, atque provisum animarum curae in antiqua sede per Vicarium, prius quidem amovibilem, postea vero perpetuum.

Haec inter oppida, Paganica adnumeratur: atque huc referendum quod duplex Paganica extiterit, quarum altera *ad intra*, altera *ad extra* hodie quoque appellata est.

Anno 1600 Episcopus Iosephus de Rubeis Vicariam curatam manualem in ecclesia Paganicae *ad extra* erexit in perpetuam, ei assignando congruam ducat. 50, quae Capitulum Ecclesiae Collegiatae eidem Vicario Curato pensitabat. At anno 1799, cum (ut scribit Gualtieri Episc. Aquilan.) regiis vectigalibus gravatum Capitulum hoc amplius praestare non posset, idem R.mus Episcopus, Capitulo antedictae ecclesiae assentiente, Canonicatum seu praebendam in praedicta Collegiata ecclesia vacantem, Vicariae Curatae terrae Paganicae in congruam portionem univit et assignavit, decernens praedictam canonicalem praebendam nullum alium possidere eiusque fructus ac redditus percipere posse, nisi Vicarium Curatum terrae Paganicae ac omnes eius in animarum cura successores a Capitulo legitime praesentatos et ab Episcopo per iuris canonici tramitem (seu concursum) institutos.

Ecclesiis Collegiatis ab Italico Gubernio, suppressis, etiam Vicariis Curatis extra civitatem assignata sunt congrua parochialis expensaeque pro cultu.

Hodiernus R.mus Archiepiscopus cum comperisset quosdam ex praedictis Vicariis Curatis nec Cathedraticum solvere, nec missam applicare pro populo, ratus omnes ad utrumque teneri, illos admonuit ut utrique oneri satisfacerent. At ei refragatus est Rev. D. Henricus Iuvenitti Vicarius Curatus S. Mariae de Paganica, asserens se ad neutrum teneri. Unde huius controversiae origo.

Quaedam in iure recolenda esse censeo quae ad quaestionis solutionem inservire possunt.

Cathedraticum, seu certa pensio singulis annis Episcopo solvi consueta, praescriptum fuit in tota ecclesia ab Honorio III in Cap. *Conquerente, de off. Ordin.* Confer Bened. XIV *de synod. dioec. lib. V, cap. 6, n. 2.* Hoc nomine appellatur,

quia datur propter honorem Cathedrae episcopalis et in signum subiectionis ad ipsam ecclesiam cathedralem cui praeest Episcopus. Quandoque etiam appellatur *Synodaticum*, quia solvitur in Synodo (Ferraris, v. *cathedrat.* n. 3; Fagnanus in cap. *Conquerente* n. 41).

Cathedraticum solvere tenentur omnes Ecclesiae vel Cappellae Episcopo subiectae etsi monasteriis exemptis unitae sint pleno iure, nec non omnes habentes beneficia ecclesiastica, servata proportione reddituum eorumdem beneficiorum (Sebastianelli in *prael. can. vol. 1*, n. 192). Ad Cathedraticum solvendum, ait Ferraris (n. 16 et seqq.), tenentur de iure omnes ecclesiae saeculares; et ratio est quia cathedraticum datur in signum subiectionis, a qua nulla ecclesia immunis esse debet ne sit acephala.

Hoc autem intelligendum est de ecclesiis et Clericis intitulatis et Beneficiatis, a quibus solummodo potest exigi cathedraticum. Non autem potest exigi a Clericis seu Presbyteris non Beneficiatis, etiamsi in praeteritum solvissent.

Cathedraticum solvendum est ab unoquoque Beneficiato singulatim. Secus est, ait Bened. XIV (*l. c. cap. VII n. 5*), cum nullus Clericorum uni, eidemque ecclesiae inservientium, suam possidet specialem praebendam, sed singuli sustentantur ex massa communi, ex qua unusquisque suam accipit portionem; tunc enim unicum cathedraticum esse ab omnibus ex eadem massa persolvendum, sancitum est in Conc. Rom. anni 1725, tit. 8, c. 4.

Quoad applicationem missae pro populo haec item prae oculis habenda sunt, scilicet omnes, quibus animarum cura est commissa, teneri iure divino ad missam pro ovibus sibi commissis applicandam uti declaratum fuit in Conc. Trid. (*Sess. XXIII, cap. 1, de Reform.*) his verbis: « Quum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre etc. ».

Et quidem tenentur parochi missam pro populo applicare, etsi redditus sint ita tenues ut inde nec congruam habeant, et ratio est quia parochus non ratione substentationis sed ratione officii, adstringitur sacrificium pro populo applicare (Ferraris, *v. Missae sacrificium, art. III, n. 8*).

Huic obligationi obnoxii sunt nedum Parochi, sed omnes actu exercentes spiritualem curam animarum, sive appellentur Vicarii perpetui seu temporanei, sive oeconomi. Haec omnia sancita et declarata fuerunt a Benedicto XIV in litteris encyclicis diei 19 Augusti 1744 « *Cum semper oblatas* ».

Hisce in genere adnotatis, videretur Vicarium Curatum loci Paganicae non teneri neque ad cathedraticum solvendum neque ad applicandam Missam pro populo.

Et *primo;* non ad cathedraticum solvendum.

Revera, ut ipse recurrens ait, « di questo pagamento non « si ha traccia alcuna nella bolla di nomina, nelle visite « pastorali e nei registri parrocchiali: è anche l'Arciprete « della Collegiata che paga il detto Cattedratico per le due « Parrocchie ».

Et quod Capitulares et Beneficiati, etsi habeant praebendas distinctas a massa communi, non teneantur solvere cathedraticum pro qualibet eorum praebenda ultra cathedraticum, in communi declaratum fuit a S. H. C. *in Firmana* diei 29 April. 1731, ad dubium enim: *An Capitulares, et Beneficiati S. Elpidii, quatenus habeant praebendas distinctas a massa communi, teneantur solvere cathedraticum pro qualibet eorum praebenda ultra Cathedraticum in communi?* responsum fuit: *Negative.*

Atqui Vicarius Curatus Paganicae est Capitularis Collegiatae S. Mariae de Paganica *ad intra*, cum possideat praebendam in dicta ecclesia collegiata, et ius habeat, quoties voluerit, inter canonicos locum tenere.

Hoc declaratum quippe fuit a R.mo Filippi Episcopo Aquilan. in actis visitationis pastoralis 8 Maii 1876 (pag. 4); ubi inter alia haec leguntur: « Quantunque questo Vicario « Curato debba risiedere in Paganica, ha il diritto di pren- « dere luogo fra i Canonici della Collegiata, quante volte « venga in Aquila e voglia assistere alle sacre funzioni, « percependone gli emolumenti, come gli altri Canonici. Esso « intanto non è tenuto ecc. ».

Non tenetur ergo Cathedraticum solvere, cum hoc ab Archipresbytero pro omnibus solvatur. Quod confirmatur ex eo, quod nunquam a Vicariis Curatis fuit persolutum, cum de hoc ne verbum quidem fiat neque in bullis nominationis, neque in visitationibus pastoralibus etc. unde in suo iure manutenendus est saltem ex immemorabili consuetudine cum praescriptione coniuncta. Ad rem facit resolutio S. Congr. Concilii in quadam causa *Albinganen.* 1644 in qua resolutum fuit exactionem hanc esse faciendam tantum ab ecclesiis, cappellis, beneficiatis, si ad eorum favorem non concurrat privilegium apostolicum exemptionis vel immemorabilis (Richter, Declarationes ac resolutiones in decretis S. Concil. Trid. *Session. XXIV, cap. 3, n. 18).*

Secundo, non tenetur ad Missam applicandam pro populo.

Hac utique obligatione tenentur omnes qui actu animarum curam exercent sive parochi sive alio nomine appellentur. Verum ut sacerdoti hoc onus incumbat, haec insuper requiruntur (Cfr. *Monitore ecclesiastico, vol. XV, pag. 82, et seqq.*) nempe: 1° Ut habeat potestatem fori poenitentialis; 2° ut certum habeat populum, certos intra limites constitutum, sive hoc sit ex divisione territorii, sive ex familiarum assignatione; 3° ut curam animarum independenti suoque et privativo iure exerceat. Hinc Parochia ita definitur a Ferraris (v. Parochia, n. 3): ut sit certus territorii districtus per Papam vel Episcopum determinatus, habens unum rectorem stabilem cum potestate populum ibidem existentem regendi et iudicandi eique Sacramenta aliaque divina ministrandi. Et inferius (n. 14) ait ad constitutionem Parochiae requiri ut unum solum, ac perpetuum Rectorem seu Parochum habeat cum animarum cura et potestate fori poenitentialis ipsi soli competente, ita ut iure ordinario nullus alius, sed solus ac unicus Parochus praedictam habeat curam, et potestatem. Cfr. cap. *Extirpandae 30 de Praebendis.* Essentiale igitur est oneri applicandi Missam pro populo ut parochus seu curatus in administranda parochia sit *independens.*

Quod si curatus in sua cura ab alio dependeat, qui iurisdictionem habeat super gregem suum, ille non est parochus independens nec tenetur missam applicare pro populo (Cfr. « *Monitore eccles.* » ibid.).

Iamvero, Vicarius Curatus terrae Paganicae curam animarum exercere non videtur nomine et iure proprio, sed Ecclesiae Collegiatae S. Mariae de Paganica *ad intra.*

Hoc declarat R.mus Gualtieri in decreto quo eidem Vicariae Curatae univit Canonicatum in ecclesia Collegiata existentem. « Quum animarum cura, inquit, terrae Paganicae huius Aquilanae dioecesis ab ipsa urbis Aquilae constitutione dependeat ab insigni Collegiata et parochiali ecclesia S. Mariae de Paganica huius Civitatis, quae illic eam exercet per Vicarium antiquitus quidem temporaneum, nunc vero perpetuum, et quum etc. ».

Et R.mus Filippi Ep. Aquilan. cum an. 1875 perfecisset divisionem territorialem parochiarum succursalium extra civitatem, haec in suo decreto aiebat: « III. Ciascuno di « questi tre Parroci succursali e *Coadiutori Curati*, avrà « i propri filiani, il proprio territorio, fuori le mura della « Città; *rimanendo però ciascuno di questi ultimi sempre* « *unito alla Chiesa principale* o *Matrice*, ove è eretto il

« suo Beneficio Curato ». Verum est non agi in hac divisione de Vicaria Curata terrae Paganicae, et non difficile argui posse videtur hanc quoque eiusdem esse naturae.

Et notandum, apprime in hoc decreto distingui Parochias succursales a Coadiutoriis Curatis. En verba: « I. Tutto il « territorio intorno alla città sarà diviso in nove Parrocchie « succursali ecc. II. Sono determinate e definitivamente sta- « bilite *tre parrocchie succursali*, cioè le tre di S. Maria « del Vasto (succursalis Collegiatae S. Mariae de Paganica), « S. Leonardo dei Porcinari (succursalis Ecclesiae Cathe- « dralis S. Maximi), e S. Nicola d'Anza (succursalis colle- « giatae S. Petri vulgo « Coppito »), che come è detto, erano « Parrocchie anche prima della circoscrizione fatta da Mon- « signor Navazio (an. 1851); e sei *Coadiutorie Curate*, e « sono quelle stesse che al presente già godono questa « qualifica, rispettivamente ai Parrochi principali delle di- « verse Parrocchie della Città ».

Unde non mirum si exorta olim haec quaestio de applicatione Missae pro populo resoluta fuerit favore Vicarii Curati.

In actis visitationis pastoralis diei 21 Octobris 1828, factae a R.mo Manieri, haec leguntur: « In dicto altari maiori adest animarum cura sub titulo Canonicatus Curati, dependens ab ipsa Urbis Aquilae constitutione ab insigni Collegiata et Parochiali ecclesia S. Mariae de Paganica praedictae Civitatis Aquilae, quae hic eam exercet per Vicarium perpetuum iuxta decretum Ill.mi et R.mi Ep. Gualtieri etc. Onus applicandi pro populo cunctis diebus Dominicis, festis de praecepto, aliisque abrogatis a Sum. Pont. Pio VII fel. rec.: ut ex decreto S. RR. C. in *Aquilana, adimpletur tantum ab Archipresbytero praedictae Collegiatae, quia cives huius terrae unum efficiunt gregem cum illis in urbe degentibus* ».

In actis Visitationis pastoralis R.mi Filippi diei 5 Ian. 1876 (pag. 4), item haec habentur;

« Con decreto del 5 Gennaio 1799 Monsignor Vescovo di « Aquila D. Francesco Saverio Gualtieri a provvedere ai « bisogni della Chiesa di Paganica, che dipendeva dalla « Collegiata di S. Maria di Paganica residente in Aquila, « *colla quale anzi formava una sola Chiesa*, staccò dalla « Collegiata un Canonicato, che stabilì in prebenda Curata, « in favore di un Vicario Curato perpetuo da nominarsi dal « Capitolo e da presentarsi al Vescovo *pro tempore*, che « l'istituisce previo il Sinodale Concorso. Quantunque questo « Vic. Curato debba risiedere in Paganica ecc. (*superius « relata*) esso intanto non è tenuto ad applicare *pro populo*, « perchè seguitando a considerarsi parte del Capitolo sedente « in Aquila, è l'Arciprete della Collegiata che applica *pro « populo* della Parrocchia di S. Maria *intra* e pel popolo « della Parrocchia di S. Maria *extra* ».

Imo recurrens asserit quaestionem hanc a S. H. C. iam olim fuisse resolutam: « Agitatasi la questione dell'obbligo « o meno di applicare tali messe, fu dalla S. C. del Con- « cilio risoluta negativamente, in modo favorevole al Cano- « nico Curato, che si dichiarava esente da quest'obbligo. – « Nelle visite pastorali da Monsignor Manieri in poi, gli « Ordinarii si sono sempre uniformati alle decisioni della « S. Congregazione ».

Neque dici potest statum parochialem terrae Paganica fuisse immutatum post suppressionem Collegiatae S. Mariae de Paganica factam a civili gubernio et assignationem congruae parochialis ipsi Vicario Curato factam. Respondet recurrens: « Nulla di nuovo si è verificato dal 1799 sino « ad oggi, e lo prova la decisione ultima emessa dalla S. C. « del Concilio con decreto del 24 febbraio 1894, in cui viene « confermata l'ordinanza di Monsignor Vicentini, ove pel « caso nostro leggesi: Ordiniamo: 1° Che il decreto di Mon- « signor Gualtieri in data 5 gennaio 1799 continui ad essere « *pienamente* e *rigorosamente* osservato dal Parroco e dai « Cappellani coadiutori..... Se innovazione si è avuta, questa « deve riferirsi solo all'assegno di congrua ottenuto dal « Governo: questo però è venuto a supplire la quota di di- « stribuzione che prima aveva il Canonico Curato di S. Maria « *ad extra* e che ora è stata incamerata; quindi la inno- « vazione in realtà non esiste ».

Cum igitur parochialis ecclesia non praesumatur, et in dubio sit plene et concludenter probanda ab eo, qui talem esse asserit; et se fundat in ea (Ferraris, v. *parochia*, nn. 20 et 21), in casu vero nostro satis demonstratum videatur Vicarium Curatum Paganicae dependere in sua cura ab Archipresbytero Ecclesiae Collegiatae S. Mariae de Paganica, videretur concludi posse ipsum non teneri ad Missam applicandam pro populo.

At ex adverso sequentia animadverti possunt.

I. Nullimode ambigi posse videtur Vicarium Curatum Paganicae ad cathedraticum praestandum teneri. Nam, ut superius iam notatum est, cathedraticum solvi debet ab omnibus ecclesiis seu cappellis et Beneficiatis et quidem ab unoquoque Beneficiato singulatim, et tunc solum solvitur in communi quando nullus suam possidet specialem praebendam sed sustentatur ex massa communi. Confirmari hoc potest etiam decisionibus S. H. C. Ita in *Viterbien.* 7 April. 1760 responsum fuit: « Canonicos possidentes praebendas distinctas et non participantes de massa, teneri ad solutionem Cathedratici non in communi cum canonicis de massa, sed uti singulos pro suis praebendis » (V. Richter. C. Trid. sess. XXIV, c. III, n. 21). Non igitur Archipresbyter Collegiatae S. Mariae a Paganica solvere debet pro omnibus, sed unusquisque pro sua praebenda.

Quae insuper ratio, si quidem alicuius momenti anteactis temporibus esse poterat, hodie certe, cum de facto ecclesiae Collegiatae sint a civili Gubernio suppressae, omniaque bona divendita, et unusquisque directe ab eodem gubernio suam congruam recipiat, nihil profecto valere potest. Hinc resolutio ex adverso allata in *Firmana* ut supra, non videtur posse invocari, cum massa communis hodie amplius non extet.

Praeterea, adverti debet Vicarium Curatum Paganicae nedum possidere canonicalem praebendam in ecclesia collegiata S. Mariae de Paganica, sed alios quoque redditus habere, ratione muneris quod exercet; puta ex funeribus etc. Unde etsi non teneatur ad cathedraticum solvendum qua Capitularis, adstringeretur qua Vicarius Curatus et quidem perpetuus; Vicaria autem perpetua est verum beneficium. Unde S. Congr. Concilii die 26 Febr. 1707, quum quaesitum ei fuisset, an cathedraticum sit solvendum a parochis ratione parochiae tantum, quam possident in titulum, vel potius ratione etiam beneficiorum eisdem parochiis unitorum? resp. *Affirmative et amplius* (Richter, resolut. in Conc. Trident. sess. XXIV, cap. III, n. 19).

Neque consuetudo etiam immemorabilis quidquam suffragatur. Nam, ut ait Ferraris (nn. 11 et seqq.), Cathedraticum est de iuribus episcopalibus et adeo privilegiatum, ut in totum praescribi non possit, et solvi debet Episcopo non obstante contraria consuetudine etiam immemorabili. Hoc pluries declaratum est a S. H. Congregatione praesertim in *Lavallen. – Cathedratici* 6 Iun. 1693 in qua formiter ad examen revocata decisione in citata *Albinganen.* ad dubium: *An cathedraticum Episcopo debeatur, non obstante immemorabili in contrarium?* responsum est: *Affirmative ad formam iuris ab ecclesiis et beneficiatis* (Richter ibid. n. 18). Item in *Perusina* 19 Nov. 1735, *Cathedratici: An cathe-*

draticum debeatur Episcopo ab ecclesiis existentibus in asserta quasi centenaria vel immemorabili illud non solvendi? Responsum est: *Affirmative* (Bened. XIV, de Synodo Dioec. l. V, c. VII, n. 5).

Ratio autem cur praescribi non valeat, traditur ab eodem Bened. XIV (ibid.). aiente: « Nullus unquam potest praescribere adversus subiectionem et reverentiam debitam Episcopo, in cuius significationem cathedraticum pensitatur ».

Pariter II. Vicarius Curatus Paganicae videtur teneri ad applicandam Missam pro populo.

Hoc enim onere, uti initio fuit animadversum, obstringuntur omnes quibus animarum cura commissa est, sive appellentur Parochi, sive Vicarii amovibiles, vel inamovibiles, sive oeconomi, dummodo animarum curam exerceant independenter ab alio. Id ita declarat Benedictus XIV in sua Constitut. *Cum semper oblatas....* « Non nos latent multiplicis generis effugia, per quae nonnulli praedictae obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportunis a nobis est occurrendum.... Nonnulli ex huiusmodi Vicariis nituntur se ipsos a praedicta obligatione subtrahere, vel ex eo quod habituali cura penes alium, seu alios resident, ipsi actualem dumtaxat exerceant, vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles, vel ad breve tempus huiusmodi curae sint addicti: ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, quae a praedicta applicatione Missae pro populo nonnunquam alienos se ostendunt.

« Itaque mens nostra, et sententia est, sicuti etiam pluries a praelaudatis Congregationibus iudicatum fuit, ac definitum quod omnes, et singuli, qui actu animarum curam exercent, et non solum Parochi, aut Vicarii saeculares, verum etiam Parochi, aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes, et singuli, de quibus supra dictum est, et alii quicumque, etiam specifica et individua mentione digni aeque teneantur Missam parochialem applicare pro populo, ut praefertur, ipsorum curae commisso ».

Iamvero quod Vicarius Curatus Paganicae sit dependens in suo munere parochiali ab Archipresbytero S. Mariae de Paganica *ad intra* ita praefracte negat hodiernus R.mus Archiepiscopus Aquilanus. « Cresciuto pure a dismisura il « numero degli abitanti nei paesi della contrada gli Ordi- « nari Diocesani decretarono che le Cure delle anime dei « paesi suddetti si ritenessero come vere Parrocchie con « amministrazione a sè, con potestà ordinaria nella confes- « sione e nei matrimoni e con fonte battesimale e archivi « parrocchiali propri; e per conservare l'antica tradizione « lasciarono ai capi delle collegiate il diritto di nominare « il curato e di andare a celebrare messa solenne il giorno « del Santo Patrono; uso che non da tutti e sempre è stato « conservato ».

Si ergo Vicario Curato Paganicae competit administratio Parochiae, cum potestate ordinaria in sacramento Poenitentiae et in matrimoniis, et possidet fontem baptismalem et archivum parochiale, omnia habet quae sunt veri Parochi et proinde omnino independens dicendus est ab Archipresbytero Ecclesiae Collegiatae de Paganica. Quod si Archipresbytero competit ius praesentandi Vicarium, hoc quin officiat assertae independentiae, in illius favorem validum potius argumentum constituit, ex doctrina Fagnani, qui ait: « Reservando maiori Ecclesiae patronatum et competentem honorem pro facultate loci, in reliquis videtur illam cappellam eripere a potestate Rectoris antiquae Ecclesiae » (in cap. *Ad audientiam* De Eccles. aedific. n. 9). Et (ibid. n. 35): « Si nova Ecclesia fuerit dotata ex redditibus ad matricem ecclesiam pertinentibus planum erit ius praesentandi Sacerdotem pertinere ad rectorem matricis Ecclesiae ».

Huc usque tradita lucem mutuantur ex quadam causa *Aegitaniensi. Visitationis Sacr. Lim.* e S. H. C. resoluta die 18 Iul. 1789 (V. *Monitore Ecclesiastico*, Vol. XV, pag. 83). Exposuit Episcopus adesse in sua Dioecesi plures parochiales ecclesias vulgo appellatas « *curionati* » matricibus adnexas, quarum *curiones* eligebantur ab Episcopo ad praesentationem Archipresbyterorum matricium Ecclesiarum qui eisdem annuum stipendium praebebant, atque in munere per annum permanebant. Quoad applicationem Missae pro populo, antiquitus quidem se obligatos putabant; postea vero ex lege synodali quidam ex ipsis ab hac obligatione soluti fuerunt, tum ob exiguitatem stipendii, tum quia veros Parochos esse non putabantur sed potius districtus illos administrare, non nomine proprio, sed Rectorum matricium Ecclesiarum. Postulabat ergo Episcopus *Aegitianen.* ab H. S. C.: *An et a quibus Vicariis seu curionibus sit applicanda missa pro populo in casu?* haec simul exponens: « Vel ex longa consuetudine (Archipresbyteri) apud filiales ecclesias resident, ibique ubi maior parochianorum numerus assistit, parochiale munus exercent; apud ecclesias vero principales habent Vicarios amovibiles. Et alii, curionibus deficientibus vel non existentibus, parochianos suis ecclesiis filiabus addictos tamquam suos agnoscunt, eisdemque sacramenta ministrant, ipsique parochiani adeunt nonnunquam matrices ecclesias ad missam audiendam diebus festis, et paschalem communionem suscipiendam; ibique fiunt denunciationes matrimoniorum quando parochi titulares non adeunt filiales ecclesias missam conventualem celebraturi ». At S. C. ad propositum dubium respondit: *Affirmative ab omnibus.*

Ratio huius responsionis, ait « *Monitore Ecclesiastico* », fuit praesumptio *divisionis* ecclesiarum filialium a Matricibus, quae divisio ex variis indiciis colligi potuit. Et animadvertit *divisionem* bene esse distinguendam a *separatione* seu *dismembratione* (ibid. pag. 84):

« Vuolsi distinguere lo *smembramento* delle parrocchie « dalla loro *divisione.* Lo *smembramento* o la separazione « non si presume facilmente, massime quando vi siano argo- « menti in contrario (Ferraris, v. *Dismembratio* in Addit. « n. 8 seq.); non così la *divisione*, la quale quando vi ha « dei giusti indizii, può bene presumersi ».

Indicia autem sequentia assignantur:

1° Distantia ab ecclesia principali et difficultas itineris; « il Barbosa *De Paroch.* c. 1, n. 25, colla comune dei DD., « dice che per la detta causa giustamente si reputano divise « le parrocchie (ibid.) ».

2° Congruae assignatio pro substentatione Curati: « Questa « Congrua, dice il Monacelli (P. 1, tit. 2, form. 3, n. 4), si « dà ai veri Parroci » (ibid.).

3° Indicium vehemens est si Parochi aliquando obligatione Missam pro populo applicandi se oneratos senserint.

Iamvero quod haec indicia fere omnia in casu nostro reperiantur, patet si animadvertatur:

1° Ecclesiam S. Mariae de Paganica *ad extra* distare ab ecclesia Collegiata per tresdecim chilometra: « Trovandosi « pure, inquit Archiepiscopus, a 13 chilometri lontano da « Aquila e tra interposte parrocchie, ostenta (Vicarius Cu- « ratus Paganicae) di esser dipendente dall'Arciprete *intra* « *moenia* per non applicare le messe *pro populo* e non « pagare il cattedratico ».

2° Vicarius Curatus Paganicae perfruitur congrua paro- « chiali: « A me è parso che i parroci dei suddetti paesi « divenuti autonomi ecclesiasticamente e civilmente e im- « pinguati di congrua e di spese di culto, fossero obbligati « non solo a dire le messe *pro populo*, ma altresì a pagare « il cattedratico all'Ordinario come gli altri Beneficiati, « altrimenti mancherebbe il titolo di potere usufruire del-

« l'aumento di congrua e mancherebbe il segno della sog-« gezione al Vescovo ».

3° Quidam ex Vicariis Curatis iam huic obligationi satisfaciunt: « In forza di tali ragioni di equità e di giustizia « due o tre parroci hanno sentito il loro dovere, e qualche « altro, aspetta la decisione di cotesta Sacra Congregazione « sull'appello fatto al Santo Padre dal Curato Iuvenitti di « Paganica.

His indiciis, aliud adiungitur ex eo derivatum quod Vicarius Curatus Paganicae eligendus sit per concursum ad iuris canonici tramitem; quod non requirit ius canonicum, quando agitur de coadiutoria simplici,

Advertatur insuper anno 1875 peractam quidem fuisse divisionem territorialem parochiarum succursalium extra moenia, inter parochias vero dependentes ab ecclesia Collegiata S. Mariae de Paganica non reperiri ecclesiam S. Mariae de Paganica *ad extra*. « Per tagliare poi, (inquit « Archiepiscopus), come si dice, la testa al toro, accludo « due decreti che trattano della divisione territoriale delle « parrocchie *extra moenia*.... e in ambedue non si trova « inclusa per la dipendenza dell'Arcipretura di S. Maria « Paganica in Aquila la parrocchia di S. Maria Paganica « retta dall'appellante parroco Iuvenitti ».

Deinde in argumenta a recurrente allata haec animadvertit R.mus Archiepiscopus: « Sono esse ragioni che prescindono « dallo stato della questione attuale, riportandosi o allo « stato delle cose prima della soppressione delle Collegiate, « o prima che si fosse perduta ogni speranza di ripristinarle, « o a decisioni date per comporre litigi tra lui e i di lui « Coadiutori, o prima che fosse stato dato anche a lui l'au-« mento di congrua, ovvero a decisioni date quando non « ancora si era consolidata la trasformazione avvenuta ».

Nullimode ergo asseri posse videtur Vicarium Curatum Paganicae, cuius insuper Parochia constat 5000 fidelibus habetque tres Coadiutores a civili gubernio recognitos, dum Parochia Collegiata constat tantum 3000 fidelibus cum unico Coadiutore, nullimode, inquam asseri posse videtur dependere ab ecclesia Collegiata S. Mariae de Paganica. Immerito itaque recurrens parochus Iuvenitti adstruere nititur se non teneri ad applicandam Missam pro populo « facendo così, « uti ait Archiepiscopus, due pesi e due misure, una nel « prendere come beneficiato di Santa Maria Paganica di « Aquila e l'altro nel respingere gli obblighi annessi a cia-« scun parroco ».

Animadvertit demum idem Archiepiscopus « che ove a « costui (Parocho Iuvenitti) si dia vinta la partita anche « quelli che già dicono le messe *pro populo* se ne sgrave-« ranno ».

Hae sunt rationes quae plus minusve ab unaquaque parte proferuntur: modo quaestio prudentissimo EE. VV. iudicio submittitur.

Quare.

Responsum fuit: *Ad utrumque teneri.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

ORDINIS FRATRUM MINORUM.

Plura solvuntur dubia super celebrandis missis votivis.

Quo facilius uniformitas habeatur in celebranda Missa votiva Immaculatae Conceptionis ex Indulto Apostolico Ordini Fratrum Minorum in Duplicibus etiam permissa, hodiernus Reverendissimus Procurator Generalis eiusdem Ordinis sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi exsolvenda humiliter proposuit; nimirum:

I. An Missa votiva cantata celebrari possit ac debeat semper post Primam in Choro recitatam, vel pro commoditate populi etiam post Nonam; prouti Rubricae Generales sub tit. XV, n. 3, de Missis Defunctorum, extra solemnem eorumdem Commemorationem, permittunt?

II. An in Missa votiva, etiam Vigiliae respondente, dicenda, in qua commemoratur Duplex eo die integrum Officium ac Missam habens, debeat ratione Duplicis omitti Oratio tertia de Tempore; immo et Collectae ad omnem Votivam, si Commemoratio Duplicis primae classis debeatur; et si memoria fiat Duplicis secundae classis, Collectae debeant in Missa votiva cantata reticeri, et in privatis ad libitum Celebrantis permitti?

III. An in Missa votiva, in qua commemoratur Semiduplex eo die integrum Officium ac Missam obtinens, possint post tertiam et Collectas aliae pro Celebrantis lubitu adiungi Orationes intra septenarium numerum; in iisque aliqua etiam pro Defunctis Oratio valeat recitari, prouti in diebus ritus simplicis seu ferialis conceditur?

IV. An in Missa votiva cantata vel solemni, vel Conventualis instar habenda, si omittenda sit Commemoratio Duplicis, vel Semiduplicis eo die occurrentis, quia nempe de alterutro vel una Missa votivam praecesserit, vel Conventualis de eodem Officio occurrente debeat celebrari; ad Missam votivam eiusmodi Orationum numerus et qualitas ita debeant ordinari, perinde ac si Duplex vel Semiduplex non occurreret?

V. An in Missa votiva Tonus festivus seu solemnis reservari dumtaxat debeat pro casu, in quo eadem Votiva respondeat Officio Duplici vel Semiduplici (quamvis per accidens Simplici) ipsius Personae?

VI. An in aliis casibus adhibendus sit Tonus simplex ferialis, etiamsi Duplex vel Semiduplex in Votiva commemoretur, excepto Hymno Angelico et *Ite, Missa est* in Missis Deiparae votivis?

VII. An in Missa votiva Symbolum adhiberi debeat, si pro Votiva sumatur Missa Duplicis eo die ad instar Simplicis redacti, cum idem Festum Deiparae vel Sanctorum *Credo* reposcat?

VIII. An in Missa votiva, quae respondet diei infra Octavam, quae solam eo die Commemorationem habeat; vel etiam, si occurrat Feria maior Missam propriam obtinens, quamvis Officium fuerit de die infra Octavam peractum; ultimum Evangelium possit esse de Feria occurrenti, et Missa post Tertiam celebrari?

IX. An in Missa votiva cantata, vel solemni, vel instar Conventualis habenda in diebus ritus simplicis et ferialis plures usque ad septem pro Celebrantis lubitu addi possint Orationes, prouti in iisdem diebus licet in Missa votiva privata?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicae adhaerentis voto Reverendissimi Consultoris Petri Piacenza, respondendum censuit: « Communicetur Votum praelaudati Reverendissimi Consultoris in exemplari authentico »:

Ad I. *Affirmative*, sed servari quoque potest consuetudo cantandi huiusmodi Missam ante Primam, aut post Sextam,

iuxta Decreta 3059 ad XII, et 3914 ad IV; excepta tamen Missa votiva *pro re gravi*, vel *cum populi concursu*, quae post Nonam omnino cantari debet iuxta Rubricas.

Ad II. *Affirmative* in omnibus, ad mentem Decretorum 2542 ad II, et 2597 ad II, ac praesertim 3574 ad V (quaest. 1-4).

Ad III. *Negative*, ad mentem Decretorum 1322 ad VIII, et 3832 ad VIII.

Ad IV. *Affirmative*, iuxta Decretum 3553 ad II.

Ad V. *Affirmative*.

Ad VI. *Affirmative*, iuxta Decretum 3574 ad V (quaest. 5).

Ad VII. *Affirmative*, ad mentem Decreti 15 Maii 1903 ad III in una *Ordinis Minorum Cappuccinorum Provinciae Belgicae*.

Ad VIII. Serventur Decreta pro Missis votivis edita ac praesertim 3922 tam quoad ultimum Evangelium, quam quoad horam celebrationis Missae solemnis.

Ad IX. *Negative*, iuxta Rubricas Missalis, tit. V, n. 4, pro Missis Defunctorum. In Missis autem Conventualibus et Cantatis, quando dici possint ad libitum aliquae Orationes, non pro lubitu Celebrantis, sed Praefecti Capituli aut Superioris Communitatis sunt eligendae.

Atque ita rescripsit, die 12 Maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

DECRETUM

seu declaratio super Motu Proprio « Inter multiplices », quoad Protonotarios Aplicos, etc.

Evulgato Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X *Motu Proprio « Inter multiplices »* die 21 Februarii anno nuper elapso 1905 (1), de Protonotariis apostolicis, Praelatis urbanis et caeteris qui nonnullis privilegiis praelatorum propriis fruuntur: complures variaeque quaestiones ac postulationes Sacrorum Rituum Congregationi sunt propositae, circa privilegia ipsa et insignia praedictis Dignitatibus et Canonicorum coetibus aliisque de clero saeculari antea concessa. Quibus omnibus una cum relativis documentis ac testimoniis a speciali Commissione diligenti examine perpensis, et per infrascriptum Cardinalem S. R. Congregationi Pro-Praefectum fideliter eidem Sanctissimo Domino Nostro relatis, Sanctitas Sua, ut omnia vel praeveniri, vel dirimi possint, et R.mi locorum Ordinarii normam ad dubia resolvenda possideant, per praesens Decretum quae sequuntur declarari iussit. Quoad insignia, pontificalium usum, aliaque quaecumque privilegia, praescriptiones in citato *Motu Proprio* contentae debent integre atque adamussim servari; ita ut quae ipsis conformia sint, libere ac licite retineantur; quae vero contraria extent, ea tamquam omnino abrogata habeantur, non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis. Si autem dubia deinceps hac super re adhuc oriantur, illa Ordinarii locorum ad memoratam Commissionem penes S. R. C. peculiariter institutam deducant, quae, servatis dispositionibus in laudato *Motu Proprio* sancitis, suffragium suum queat proferre.

Die 14 Martii an. 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIII, p. 53.

III.

DECRETUM

De Clerico loco Subdiaconi vel Cappellani in Missa ministrante.

Quum nonnulla dubia huic Sacrorum Rituum Congregationi proposita fuerint circa servitium Clerici, qui aliquando vel loco Subdiaconi in Missa solemni, vel loco Cappellani in Missa ab Episcopo vel ab alio Praelato lecta, vel etiam in Missa cantata absque Ministris inserviat, eadem Sacra Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae, ut dubia ipsa omnino diluantur, haec statuenda et in posterum observanda decrevit:

1. Clericus ad munus Subdiaconi obeundum in Missa solemni, nunquam deputetur, nisi adsit rationabilis causa et in minoribus ordinibus sit constitutus aut saltem sacra tonsura initiatus.

2. Clericus pro Subdiacono inserviens, alba super amictu, cingulo et tunica absque manipulo sit indutus, atque omnia quae ad Subdiaconum ex Rubricis spectant rite expleat hisce tamen exceptis: *a)* aquam ante Offertorium in calicem non infundat, quod in casu Diaconus praestabit; *b)* calicem ipsum infra actionem nunquam tangat, neque pallam ab eodem removeat aut super eum reponat: *c)* post ablutionem calicem non abstergat (abstergente ipso Celebrante) sed tantummodo illum componat more solito et velo cooperiat cum bursa et ad mensam deferat.

3. Clericus qui loco Cappellani Episcopo vel Praelato in Missa lecta, aut alio Sacerdoti in Missa solemni sine Ministris inserviat, saltem tonsuratus esse debet, si alius Minister in sacris in promptu non sit.

4. Clericus ipse omnia explere potest quae in Caeremoniali Episcoporum Lib. I, cap. XXIX dicuntur, pro Missa ab Episcopo lecta, iis exceptis quae supra n. 2 prohibentur Clerico munus Subdiaconi obeunti. Insuper *a)* calicem ante Offertorium non abstergat: *b)* nec vinum nec aquam in eo infundat: *c)* nec patenam cum hostia, nec calicem Celebranti tradat.

5. Calix pro Missa ab Episcopo vel a Praelato lecta, sicuti et pro Missa cantata sine Ministris, velo et bursa coopertus in abaco statuatur, amoto abusu illum non velatum retinendi, et ad altare discoopertum deferendi.

6. Calix ipse post Communionem a Celebrante rite abstersus, a Clerico ministrante suis ornamentis instrui poterit, ac velo et bursa coopertus in abacum deferri.

7. Si vero Clericus sacra non sit tonsura initiatus, poterit quidem ab Episcopo aut a Praelato in Missa lecta uti Minister assumi, sed eo in casu calix velatus ante Missam ad altare deferatur, et more solito in medio mensae super corporale statuatur; Clericus vero non tonsuratus ita se gerat ut in Missis a simplici Sacerdote celebratis. Poterit autem ad Missale Celebrantem adsistere, folia vertere, pal-

matoriam sustinere; calix autem, ab ipso Celebrante suo tempore abstersus et velatus, ac in medio mensae collocatus, absoluta Missa in Sacristiam deferatur.

Atque ita censuit et servari mandavit. Die 10 Martii 1906.

Super quibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X, per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefectum fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacri Consilii in omnibus ratam habuit et adprobavit, quibusvis privilegiis vel consuetudinibus, quae omnino abrogata esse declaravit, aliisque contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 14 Martii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

IV.

NUSCANA — DECRETUM

Confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Ven. Servo Dei Ioanni, Episcopo Montis Marani, Sancto nuncupato.

Mons Maranus, oppidum olim in Episcopalem Sedem erectum, Dei Servum Ioannem habuit Praesulem, cuius nomen ad haec usque tempora cum sanctitatis fama per universam Samnii regionem pervulgatur. Eius vitae primordia latent, sed in Monte Virginis prope Maranum ortus atque aetate adhuc florente Cassinensis monachus Ordinis S. Benedicti, dignusque tanti magistri discipulus fuisse traditur. Anno millesimo octogesimo quarto Ecclesia Montis Marani suo Pastore viduata, Gregorius VII sa. me. Salerni exul, rogatu cleri populique Maranensis, Ioannem eximiis virtutibus clarum, prius oblatae dignitati reluctantem, postea Summi Pontificis voluntati obtemperantem, illius Sedis Episcopum nominavit et ad Beneventanum Archiepiscopum consecrandum misit. Novus Episcopus, omnium laetitia et gratulatione, veluti pater exceptus, pastoralis officii sensit onus, humeris etiam angelicis grave, illudque tamen ex communi sententia digne sustinuit. Quae enim sive ad fidei amorisque obsequium promovendum erga Romanum Pontificem, tunc exulem, sive ad perniciosos haereticosque errores a suo grege propulsandos et ad sanam catholicamque doctrinam eidem tradendam, sive ad egenos miserosque sublevandos et ad charitatem cum pietate fovendam atque augendam quomodolibet conferre poterant, solerti studio atque assiduo opere Ioannes adimplevit. Hoc etiam inter caetera memoriae proditum est Dei Famulum operariorum multitudinem cum aqua, eo deprecante, in optimum vinum conversa refecisse. Tandem Ioannes post multos exantlatos labores in Dei gloriam et populorum salutem tam in Coenobio quam in Episcopatu, Pauli Apostoli monita ad Episcopos fideliter secutus, et virtutibus ac meritis plenus diem obiit supremum 17 Augusti anno 1094. Mortis nuncio per totam dioecesim diffuso, frequentissimus populus ad invisendum venerabile corpus confluxit. Funere solemni pompa expleto, ipsum corpus sub ara confessionis Cathedralis Ecclesiae depositum fuit. Ex eo tempore tanta Dei Famuli sanctitatis opinio, simulque in illum devotio ac fiducia ad auxilium implorandum invaluit, ut cultus publicus ecclesiasticus, usque in praesens perseverans et auctus Venerando Praesuli adhibitus fuisse perhibeatur. Ad huiusmodi cultum pertinent imagines Servi Dei splendoribus ornatae, Sancti vel Beati titulus, reliquiae venerationi fidelium expositae cum lampade ardente, atque in publicis necessitatibus et supplicationibus per urbem delatae, preces domi et in templo Ioanni porrectae, sive ad patrocinium impetrandum, sive ad gratias agendas pro beneficiis acceptis, necnon oblationes ex voto et dona pretiosissima. Et quoad Festa in Eius honorem singulis annis celebranda, synodus dioecesana sub die 16 mensis Augusti an. 1595 suo decreto edixit: « Tam inventio divi Ioannis quae celebratur quarta decima mensis Aprilis, quam Festum immediate post translationem divae Mariae observentur ». Quae quidem festivitates antiquitus observatae, postquam dioecesis Montis Marani Nuscanae dioecesi adiecta fuit, confirmatae atque auctae sunt. Quod plane constat ex kalendario ad usum dioeceseos Nuscanae, anno 1873 adprobato, in quo tria recensentur festa pro Monte Marano S. Ioannis Episcopi, sui patroni praecipui, unum primarium respondens etiam Inventioni et duo secundaria Patrocinii et Translationis. Quum haec et alia casus excepti documenta et testimonia in tabulis processualibus relata et in Actis Sacrorum Rituum Congregationis exhibita fuerint, instante R.mo D.no Alphonso Carfagni, Causae Postulatore, nomine etiam universae civitatis Montis Marani et Nuscanae Dioeceseos, E.mus et R.mus D.nus Sebastianus Cardinalis Martinelli eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit: *An constet de casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII?* » Porro E.mi ac R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi post relationem E.mi Cardinalis Ponentis, audito R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, tum voce tum scripto, reque mature perpensa rescribendum censuerunt: « *Affirmative seu constare* ». Die 20 Februarii 1906.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et probavit, die 2 Martii, eodem anno.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

V.

MANTUANA — DECRETUM

Confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Ven. Servo Dei Marco De Marconibus, Ordinis S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis, Beato nuncupato.

Processuales tabulae apud ecclesiasticam Curiam Mantuanam, Ordinaria Auctoritate, anno 1882 a R.mo D.no Ioanne Maria Berengo, tunc illius Dioecesis Praesule, inchoatae, ab Episcopo Successore R.mo D.no Iosepho Sarto, nunc Sanctissimo Domino nostro Pio Papa X, feliciter abso-

lutae sunt, prolata quoque iudiciali sententia, super casu excepto a decreto sa. me. Urbani Papae VIII de confirmatione cultus praestiti Ven. Servo Dei Marco de Marconibus, Ordinis S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis, Beato nuncupato. In quibus tabulis Romam transmissis et ad Sacrorum Rituum Congregationem delatis riteque apertis, praeter ea quae praecipuam quaestionem respiciunt, nonnulla de vita et gestis praedicti Ven. Servi Dei narrantur quae heic breviter referre iuvat. Dei famulus, humili genere, in lucem editus anno 1480, inde a prima aetate vitam solitariam et in Deo absconditam duxisse fertur. Trilustris prope Mantuam in loco *Milliarino* duos religiosos viros, eremitarum more, caelestium rerum contemplationi operam navantes, frequenter adivit: quorum exemplo et conversatione permotus eundem Ordinem in Coenobio S. Matthaei libenti hilarique animo amplexus est. Sacro habitu accepto et iuxta statuta tyrocinio peracto atque professione emissa, huius perfectioris status officia cum ardore et virtute, divina opitulante gratia, fideliter implevit. Interim Famuli sui sanctitatem, prophetiae et miraculorum charismate atque etiam superno splendore Deus illustrasse narratur. Quapropter in tantam hominum existimationem ac venerationem Marcus devenit, ut beatum se quisque putaret qui eius vestimenti fimbriam tangere posset. Trigesimum aetatis annum agens quum meritis dives multa tempora explevisset, pie obiit in Domino die 24 Februarii an. 1510. Defuncti corpus magno devoti populi concursu elatum, prius communi Fratrum sepulturae traditum, biennio post, incorruptum repertum in decentiori loco repositum, elapsis ab obitu fere centum annis in magnifico tumulo, ex fidelium pietate ac largitionibus extructo, conditum fuit. Post alias translationes, anno 1750 quiescebat in Ecclesia S. Matthaei super altari ad dextrum latus arae maioris; ibique sequens legebatur inscriptio: « Inclyte Urbis Mantuae splendor, Pisanae religionis ornamentum, Beatus Marcus de Marconibus cuius corpus inter insignia eius miracula clarum satis millesimo quingentesimo decimo abhinc anno integrum venerari ». Denuo sacrum hoc pignus in Cathedralem Ecclesiam Mantuanam translatum, ibidem adhuc incorruptum religiose asservatur et ostenditur. Ex praefato autem Processu complura documenta ac testimonia de casu excepto a decretis Urbanianis seu de cultu publico, ecclesiastico et constanti ab obitu ad haec usque tempora, uti valida probationum argumenta habentur. Quibus praecipue accensentur imagines aureola redimitae, Beati titulus, arae in Ven. Servi Dei honorem dicatae, tabellae votivae ab eisdem pendentes, reliquiae venerationi expositae et lampades ante eas accensae, praesertim die festo Omnium Sanctorum et in solemnitate propria 24 Februarii, qua die in kalendariis dioecesanis antiquis et recentioribus fit ostensionis corporis et festivitatis natalitiae memoria. Hinc instante R.mo D.no P. Mariano Winspeare, Ordinis S. Hieronymi et Causae Postulatore, fervidissima etiam Mantuanae Ecclesiae vota depromente, infrascriptus Cardinalis Aloisius Tripepi Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectus et eiusdem Causae Ponens seu Relator in Ordinario Coetu, subsignata die, ad Vaticanum habito sequens dubium discutiendum proposuit: « *An sententia Iudicis a R.mo D. Episcopo Mantuano delegati super cultu ab immemorabili tempore praestito praefato Servo Dei, seu super casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* » Porro E.mi ac R.mi D.ni Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Cardinalis Ponentis, audito tum voce tum scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, re maturo examine perpensa rescribere rati sunt: « *Affirmative seu sententiam esse confirmandam* ». Die 20 Februarii 1906.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacri Consilii ratum habuit et confirmavit, die 2 Martii, eodem anno.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

✝ DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

VI.

ROMANA — DECRETUM

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Annae Mariae Taigi, tertiariae Ordinis SS.mae Trinitatis redemptionis captivorum.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Charitate in Deum et proximum; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Mulierem fortem, qualem exhibent sacrae Litterae, identidem edidit Christi Sponsa Ecclesia, *cuius floribus nec rosae nec lilia desunt:* (Ven. Beda, serm. 18 de sanct.). Id autem foeminarum genus documento est nullam esse vitae conditionem, in qua ad christianam perfectionem praecludatur iter. Res quum antiquis exemplis tum recentioribus confirmatur, in quibus luculentum illud Ven. Servae Dei Annae Mariae Taigi, quae claustri vitam cum coniugio ita sociavit, ut eius imitari sanctitatem nemo ab instituto suo alienum existimare queat.

Senis in urbe Etruriae ortum habuit Ven. Dei Serva 4 cal. Iun. anno 1769, piis honestisque parentibus. A quibus relinquere patriam coactis ob inclinatam fortunam, Romam deducta est sexennis. Heic, dum pia mater in famulatu est, instituenda puella traditur magistris nomine Piis ad S. Agathae Gothorum. In ea disciplina postquam bonis moribus ac foemineo cultu instituta est, conspicua praebens futurae sanctitatis indicia, ut suppetias parentibus ferret, apud nobilem quamdam foeminam ancillae munus obivit. Cui conditioni tot periculis obnoxiae honestas praeferens nuptias, acceptum parentibus ac sibi virum elegit, praenobilis familiae famulum, christianis moribus quidem satis imbutum, sed ingenio rudi asperoque, ut occasionem Ven. Annae suppeditarit exercitandae diuturnae patientiae. Domesticis intenta laboribus, liberorum christianae institutioni sedulo impigreque consuluit, caeterisque sui status officiis adeo sancte perfuncta est, ut cunctis uxoribus ac matribus familias perfectum exemplar exstiterit.

Ad caelestia se in dies magis trahi sentiens, religiosum virum nacta est, a Deo iam praemonitum, qui Ven. Dei Servae pietatis magister esset. Huius hortatu atque annuente

coniuge, abiectis elegantioribus vestibus ornatuque omni, habitum suscepit tertii Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis captivorum. Tum vero, coniugali tecto in coenobium quasi converso, ieiuniis, cilicio, flagellis afflictare corpus coepit, vitamque ad Christi Cruci adfixi exemplum componens, precationibus et virtutum omnium acquisitioni ferventius attendere, ex qua vivendi ratione nec iniuriae illi defuerunt, neque contumeliae neque calumniae; quae omnia intrepido animo pro Christo sustinuit, obtrectatoribus ac vexatoribus parcens iisque bonum pro malo reddere studens.

Tanto in Deum aestuabat amore, ut ipsum vehementer cohibere cogeretur. Nec tamen, quum caelesti illa flamma esset absorpta et lateret abdita in Christo, minus de proximis ac de civili societate meruisse dicenda est. Nam, licet rerum inopia laboraret, nullam occasionem praetermisit, qua egenorum necessitati opitularetur, eademque, vel in publicis vel in privatis calamitatibus, superno lumine illustrata, divinae ultioni se victimam obtulit, non intermissa prece studens impendentia aliorum cervicibus infortunia propulsare.

Divinis charismatibus ditata saepissime rapiebatur; Eucharistiae sedem per olfactum agnoscebat; sacras species a non consecratis gustu distinguebat. Sed inter caetera dona illud plane mirabile per annos 47 experta est, quasi solis ob oculos positi, qua in luce et praesentia et absentia intueretur, mentium latebras et occultissima quaeque perspiceret.

Tot cumulata gratiae thesauris atque virtutibus, vel quum in vivis degeret, sanctitatis fama pollebat. Idcirco frequentissimus ad eam erat piorum conventus ipsius consilia expetentium, ad eamque inopem, humilem, proceres praesulesque confluebant. Multis aerumnis iactata infirmâque iampridem valetudine, extremi morbi doloribus invicta patientia toleratis, tandem anno aetatis suae 67, *cupiens dissolvi et esse cum Christo*, tranquillissime in Ipso obdormivit 7 idus Iun. anno 1837, prout ipsa praedixerat.

Cette remise, constatée par procès-verbal, doit être effectuée par les représentants légaux des établissements ecclésiastiques au plus tard au moment de la suppression de ces établissements et, par les anciens titulaires ecclésiastiques, dans les six mois qui suivront la publication du présent décret.

Art. 23. — Après inventaire des bibliothèques, la reprise par l'Etat, les départements ou les communes des livres et manuscrits leur appartenant a lieu suivant procès-verbal dressé d'un commun accord ou, en cas de contestation, sur le vu de la décision judiciaire intervenue.

Les autres livres et manuscrits contenus dans les bibliothèques sont transmis aux associations cultuelles, conformément aux règles applicables à l'attribution des biens des établissements ecclésiastiques.

Art. 24. — Les documents, livres et manuscrits attribués à des associations cultuelles ou laissés aux anciens titulaires ecclésiastiques peuvent être classés, en vertu de la loi du 30 mars 1887, et de l'article 16 de la loi du 9 décembre 1905, dans les mêmes conditions que s'ils appartenaient à des établissements publics.

CHAPITRE VI.

Attribution de biens à des unions d'associations.

Art. 25. — Les biens des établissements ecclésiastiques supprimés peuvent être attribués, dans les conditions et suivant les formes prévues par le présent titre, à des unions d'associations cultuelles constituées conformément aux articles 4 et 20 de la loi du 9 décembre 1905.

Les règles formulées par le présent titre, en ce qui concerne l'acquittement des dettes, les archives et bibliothèques, sont également applicables à ces unions.

TITRE II.

Edifices des cultes.

Art. 26. — Les édifices antérieurement affectés au culte et appartenant aux établissements ecclésiastiques sont attribués aux associations cultuelles dans les mêmes conditions et suivant les mêmes formes que les autres biens desdits établissements.

Art. 27. — L'entrée en jouissance par les associations cultuelles des édifices du culte mentionnés dans les articles 13, 14 et 15 de la loi susvisée est constatée par un procès-verbal administratif dressé soit par le préfet, pour l'Etat et les départements, soit par le maire, pour les communes, contradictoirement avec les représentants des associations ou eux dûment appelés.

Il en est de même pour la mise à la disposition des associations des objets mobiliers appartenant à l'Etat, aux départements ou aux communes et garnissant ceux des édifices qui servent à l'exercice public du culte.

Le procès-verbal comporte un état de lieux si l'association en fait la demande et, dans tous les cas, un état desdits objets mobiliers dressé d'après les indications de l'inventaire prévu à l'article 3 de la loi susvisée.

Il est établi en double minute et sur papier libre.

Art. 28. — Les réparations incombant aux associations cultuelles en vertu des articles 13 et 14 de la loi du 9 décembre 1905, doivent être exécutées, sous réserve de l'application de la législation sur les monuments historiques, de manière à ne préjudicier sous aucun rapport aux édifices cultuels.

Les projets de grosses réparations doivent, un mois au moins avant leur exécution, être communiqués au préfet, pour les édifices appartenant à l'Etat ou au département, et au maire, pour ceux qui sont la propriété de la commune.

Art. 29. — Le ministre des beaux-arts est chargé d'assurer l'inspection des immeubles et objets mobiliers classés par application de la loi du 30 mars 1887 et de l'article 16 de la loi du 9 décembre 1905.

Les associations cultuelles fixent, sous réserve de l'approbation du préfet, les jours et heures auxquels auront lieu, conformément à l'article 17 de la loi du 9 décembre 1905, la visite des édifices et l'exposition des objets mobiliers classés.

Si l'association, bien que dûment mise en demeure par le préfet, n'a pris aucune disposition à cet effet, ou en cas de refus d'approbation, il est statué par le ministre des beaux-arts.

TITRE III.

Associations pour l'exercice public des cultes.

CHAPITRE Ier

Constitution des associations.

Art. 30. — Les associations cultuelles se constituent, s'organisent et fonctionnent librement sous les seules restrictions résultant de la loi du 9 décembre 1905.

Art. 31. — Les dispositions des articles 1er à 6 et de l'article 31 du règlement d'administration publique du 16 août 1901, auxquelles sont soumises les associations constituées en vertu du titre Ier de la loi du 1er juillet 1901, sont applicables aux associations constituées en vertu de la loi du 9 décembre 1905.

La déclaration préalable, que doit faire toute association cultuelle, indique les limites territoriales de la circonscription dans laquelle fonctionnera l'association.

A cette déclaration est jointe une liste comprenant un nombre de membres majeurs et domiciliés ou résidant dans la circonscription d'au moins 7, 15 ou 25, suivant que l'association a son siège dans une commune de moins de 1,000 habitants, de 1,000 à 20,000 habitants ou de plus de 20,000 habitants.

Les pièces annexées sont certifiées sincères et véritables par les administrateurs ou directeurs de l'association.

Art. 32. — Doivent faire l'objet d'une déclaration complémentaire, dans le délai prévu par l'article 5, paragraphe 4, de la loi du 1er juillet 1901, les modifications que l'association apporte aux limites territoriales de sa circonscription, ainsi que les aliénations de tous biens meubles et immeubles attribués à l'association en exécution des articles 4, 8 et 9 de la loi du 9 décembre 1905.

En cas d'acquisition d'immeubles, l'association est dispensée de joindre à sa déclaration complémentaire l'état descriptif visé à l'article 3 du règlement d'administration publique du 16 août 1901.

Lorsque, par suite de démissions, de décès ou pour toute autre cause, le nombre des membres de l'association qui continuent à pouvoir figurer sur la liste prévue par l'article 31 du présent règlement est descendu au-dessous du minimum fixé par le premier paragraphe de l'article 19 de la loi susvisée, une déclaration effectuée dans les trois mois fait connaître, en même temps que les membres à retrancher de cette liste, ceux qui sont à y ajouter.

Toute déclaration complémentaire est faite dans les mêmes formes que la déclaration initiale.

CHAPITRE II.

Recettes et dépenses. — Réserves.

Art. 33. — Les seules recettes de l'association sont celles qu'énumère le paragraphe 4 de l'article 19 de la loi du 9 décembre 1905.

Les recettes sont exclusivement affectées aux besoins du culte.

Les sommes à percevoir en vertu de fondations instituées pour cérémonies et services religieux tant par acte de dernière volonté que par acte entre vifs sont, dans tous les cas, déterminées par contrat commutatif et doivent représenter uniquement la rétribution des cérémonies et services.

Les revenus des biens attribués avec leur affectation spéciale à des associations, en vertu des articles 4, 8 et 9 de la loi susvisée, ne peuvent être employés à des subventions en faveur d'autres associations, ni au payement de cotisations à des unions.

Art. 34. — Le montant du revenu, dont il est fait état pour fixer le maximum de la réserve prévue par le paragraphe 1er de l'article 22 de la loi susvisée, est déterminé en prenant la moyenne annuelle des recettes de toute nature pendant les cinq dernières années.

Si le revenu d'une association ainsi calculé, après avoir été égal ou inférieur à 5,000 fr., vient à excéder cette somme, l'association a le droit de conserver la réserve quelle s'est constituée, alors même que cette réserve serait supérieure à trois fois la moyenne annuelle des dépenses. Aucune somme nouvelle ne peut être portée à la réserve tant que celle-ci n'a pas été ramenée au-dessous du maximum légal.

A titre transitoire et jusqu'à l'expiration de la cinquième année qui suivra celle où l'association s'est formée, la moyenne annuelle des revenus et celle des dépenses sont calculées d'après les années entières déjà écoulées.

Art. 35. — Les fonds et valeurs constituant la réserve spéciale prévue par l'article 22, paragraphe 2, de la loi susvisée sont reçus par la caisse des dépôts et consignations et ses préposés et régis par les dispositions des lois des 28 nivôse an XIII, 28 juillet 1875 et 26 juillet 1893.

Les remboursements de fonds ou remises de valeurs sont effectués par la caisse des dépôts dans un délai de dix jours, à la demande de l'association, visée par le directeur de l'enregistrement du département et sur la simple quittance de la personne ayant qualité pour opérer les retraits.

Sur la demande de l'association, la caisse des dépôts et consignations fait procéder, dans les trois jours de l'enregistrement de cette demande au secrétariat de l'administration de la caisse, à l'emploi de tout ou partie des sommes disponibles, ainsi qu'à la réalisation des valeurs déposées et aux changements à apporter dans la composition de ces valeurs.

Art. 36. — Le visa prévu à l'article précédent est donné par le directeur de l'enregistrement sur la seule production des décomptes, mémoires ou factures des entrepreneurs ou des fournisseurs et d'une copie de la délibération de l'association approuvant la dépense; ce visa intervient dans le délai de quinzaine, à partir de la production desdites pièces.

Les pièces justificatives sont, après visa, renvoyées à l'association.

CHAPITRE III.

Contrôle financier.

Art. 37. — Le contrôle financier est exercé sur les associations par l'administration de l'enregistrement.

Les associations sont également soumises aux vérifications de l'inspection générale des finances.

Art. 38. — L'état des recettes et des dépenses des associations cultuelles, avec l'indication de la cause et de l'objet de chacune des recettes et des dépenses, est tenu sur un livre-journal de caisse côté et paraphé par le directeur de l'enregistrement du département ou par son délégué.

Ce livre est arrêté, chaque année, au 31 décembre.

Art. 39. — Le compte financier porte sur la période écoulée du 1er janvier au 31 décembre de chaque année.

Il présente par nature les recettes et les dépenses effectuées et il se termine par une balance récapitulative.

Il indique les restes à recouvrer et à payer.

Art. 40. L'excédent des recettes sur les dépenses qui ressort de la balance doit être représenté par le solde en caisse au 31 décembre.

Il est réservé en premier lieu, et jusqu'à due concurrence, à l'acquittement des restes à payer au 31 décembre et des dettes restant à échoir des établissements supprimés dont les biens ont été attribués à l'association cultuelle, conformément aux articles 4, 8 et 9 de la loi du 9 décembre 1905.

Le surplus est affecté à la constitution des réserves prévues par l'article 22 de cette loi ou à l'attribution de subventions à d'autres associations ayant le même objet.

Art. 41. — Lorsqu'une association, ayant à pourvoir à l'acquittement des dettes d'un établissement ecclésiastique supprimé, a obtenu à cet effet la jouissance provisoire de biens ayant fait retour à l'Etat, les revenus desdits biens ne peuvent être employés qu'à éteindre ce passif. Ils sont portés en recettes et en dépenses à des articles spéciaux du compte financier.

Art. 42. — Le compte financier est appuyé d'un extrait, certifié conforme par les directeurs ou administrateurs, du procès-verbal de l'assemblée générale de l'association portant approbation, par application de l'article 19 de la loi susvisée, des actes de gestion financière et d'administration légale des biens accomplis par les directeurs ou administrateurs.

Art. 43. — L'état inventorié prescrit par l'article 21 de la loi susvisée indique distinctement: 1° les biens attribués à l'association par application des articles 4, 8 et 9 de la loi susvisée ou ceux acquis en remploi conformément au paragraphe 3 de l'article 5; 2° les valeurs mobilières dont les revenus servent à l'acquit des fondations pour cérémonies et services religieux; 3° les valeurs placées en titres nominatifs qui constituent la réserve prévue au paragraphe 1er de l'article 22 de la loi susvisée; 4° le montant de la réserve spéciale prévue au second paragraphe du même article et placée à la caisse des dépôts et consignations; 5° tous autres biens meubles et immeubles de l'association.

Les biens portés sur l'état sont estimés article par article.

Art. 44. — Le compte financier et l'état inventorié sont dressés, au plus tard, avant l'expiration du premier semestre de l'année qui suivra celle à laquelle ils s'appliquent.

Le compte financier est établi en double et l'un des exemplaires doit être adressé sur sa demande au représentant de l'administration de l'enregistrement, qui en délivre récépissé.

L'association conserve les comptes et états inventoriés s'appliquant aux cinq dernières années avec les pièces justificatives, registres et documents de comptabilité.

Art. 45. — L'association est tenue de représenter aux agents de l'enregistrement et aux fonctionnaires de l'inspection générale des finances ses espèces, récépissés de dépôt et valeurs en portefeuille, ainsi que les livres, registres, titres, pièces de recettes et de dépenses ayant trait tant à l'année courante qu'à chacune des cinq années antérieures.

Art. 46. — Si, à l'occasion de l'exercice de leur contrôle financier, les agents de l'administration de l'enregistrement constatent des infractions réprimées par l'article 23 de la loi susvisée, ils en dressent procès-verbal.

Leurs procès-verbaux sont transmis au procureur de la République de l'arrondissement dans lequel l'association a son siège.

La nullité des actes constituant des infractions visées au premier paragraphe du présent article pourra être demandée par toute partie intéressée ou par le ministère public.

CHAPITRE IV.

Dissolution des associations.

Art. 47. — En cas de dissolution volontaire, statutaire, ou prononcée par justice, les biens qui auraient été attribués à une association, en vertu des articles 4, 8 et 9 de la loi du 9 décembre 1905 sont, jusqu'à ce qu'il ait été procédé à une nouvelle attribution conformément au second paragraphe dudit article 9, placés sous séquestre par un arrêté préfectoral qui en confie la conservation et la gestion à l'administration des domaines.

La dévolution des autres biens de l'association se fait conformément à l'article 9 de la loi du 1er juillet 1901 et à l'article 14 du décret du 16 août de la même année.

En aucun cas l'assemblée générale appelée à se prononcer sur la dévolution ne peut attribuer aux associés une part quelconque desdits biens.

CHAPITRE V.

Unions.

Art. 48. — Les unions d'associations, prévues par l'article 20 de la loi du 9 décembre 1905, sont soumises aux dispositions contenues dans le présent titre.

Toutefois, elles n'ont pas à déposer la liste prévue par les articles 31 e 32 ci-dessus.

Elles déclarent l'objet et le siège des associations qui les composent.

Elles font connaître, dans les trois mois, les nouvelles associations adhérentes.

Le patrimoine et la caisse, les recettes et les dépenses d'une union sont entièrement distincts du patrimoine et de la caisse, des recettes et des dépenses de chacune des associations faisant partie de l'union.

TITRE IV.

Police des cultes.

Art. 49. — La déclaration préalable prescrite par l'article 25 de la loi du 9 décembre 1905 est signée par deux délégués au moins de l'association cultuelle qui a la propriété ou la jouissance du local où le culte sera célébré: l'un de ces délégués doit être domicilié dans la commune où le local est situé.

La célébration du culte ne peut avoir lieu qu'après un délai d'au moins vingt-quatre heures.

La surveillance des autorités s'exerce sur les réunions cultuelles publiques conformément aux dispositions des articles 9 de la loi du 30 juin 1881 et 97 de la loi du 5 avril 1884.

Art. 50. — L'arrêté pris dans chaque commune par le maire à l'effet de régler l'usage des cloches tant pour les sonneries civiles que pour les sonneries religieuses est, avant transmission au préfet ou au sous-préfet, communiqué au président ou directeur de l'association cultuelle.

Un délai de quinze jours est laissé à celui-ci pour former à la mairie, s'il y a lieu, une opposition écrite et motivée, dont il lui est délivré récépissé.

A l'expiration dudit délai, le maire transmet au préfet son arrêté, qui, à défaut d'opposition, est exécutoire dans les conditions prévues par les articles 95 et 96 de la loi du 5 avril 1884.

En cas d'opposition, il est statué par arrêté préfectoral.

Art. 51. — Les cloches des édifices servant à l'exercice public du culte peuvent être employées aux sonneries civiles dans les cas de péril commun qui exigent un prompt secours.

Si elles sont placées dans un édifice appartenant à l'Etat, au département ou à la commune ou attribué à l'association cultuelle en vertu des articles 4, 8 et 9 de la loi du 9 décembre 1905, elles peuvent, en outre, être utilisées dans les circonstances où cet emploi est prescrit par les dispositions des lois ou réglements, ou autorisé par les usages locaux.

Art. 52. — Une clef du clocher est déposée entre les mains du président ou directeur de l'association cultuelle, une autre entre les mains du maire, qui ne peut en faire usage que pour les sonneries civiles mentionnées à l'article précédent et l'entretien de l'horloge publique.

Si l'entrée du clocher n'est pas indépendante de celle de l'église, une clef de la porte de l'église est déposée entre les mains du maire.

Art. 53. — Le ministre de l'instruction publique, des beaux-arts et des cultes, le ministre des finances et le ministre de l'intérieur sont chargés, chacun en ce qui le concerne, de l'exécution du présent décret, qui sera publié ou *Journal officiel* et inséré au *Bulletin des lois.*

Fait à Paris, le 16 mars 1906.

A. Fallières.

Par le Président de la République:
Le ministre de l'instruction publique, des beaux-arts et des cultes,
Aristide Briand.

Le ministre des finances,
R. Poincaré.

Le ministre de l'intérieur,
G. Clémenceau.

ROMANAE INSTITUTIONES

Casus Conscientiae propositi et soluti Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli, A. 1904-905.

VI.

De Episcopo infligente censuram alienae dioecesis subdito.

Die 27 Martii 1905, hora 16 3/4 (4 3/4 pom.).

Titius, prima dumtaxat tonsura statui clericali initiatus, in alienam dioecesim se confert, ibique manet animo rusticandi per unum vel alterum mensem. Vesano amore actus in Bertam honestam virginem eius libidini reluctantem, illi stuprum infert. Pater puellae Titium convenit apud tribunal

Episcopi loci eiusdem, in quo rusticabatur. Hic in Titium de stupri crimine convictum sententiam fert, ut in excommunicationem incidat, nisi infra mensem, deposito clericali habitu, puellam violatam in uxorem ducat, vel competentem dotem eidem assignet. Verum Titius ratus, se utpote peregrinum, illius Episcopi iurisdictioni non subiici, eius sententiae stare recusat.

Insuper per idem temporis spatium accidit, ut cuidam Caio viro laico annulus magni valoris furto ablatus fuerit. Qui Caius ignorans furem, ut eum detegeret, loco se convertendi ad gubernii ministros, quorum diligentiae in inquirendo parum fidebat, recursum habuit ad suum Episcopum, a quo edictum sub poena excommunicationis latae sententiae obtinuit, tum contra furem, quicumque esset, nisi infra octo dies rem furtivam restitueret, tum contra non revelantes ipsum furem. Verum licet Titius optime annuli furem, utpote sibi amicum noscat, eum tamen denuntiare renuit.

Quaeritur:

1° *An Episcopus possit subditum alienum in sua dioecesi delinquentem ligare censuris a se latis per modum legis seu generalis statuti?*

2° *An possit eumdem punire censuris latis per particulare praeceptum vel per sententiam in casu particulari?*

3° *An Titius in aliquam censuram inciderit?*

*Ad I^um^*. Alienus subditus intelligitur is, qui, ubi actu versatur, nec domicilium nec quasi-domicilium habet, sed alibi Episcopum proprium agnoscit. Hoc posito, responsio pendet ex solutione quaestionis generalis, utrum nempe peregrini teneantur legibus particularibus territorii ubi actu degunt. Acriter de hac re disputatum est inter magnae notae doctores, aliis affirmantibus eos obligari cum Suarez *De leg.* lib. 3, c. 33, et *De relig.* tr., 2, lib. 2, c. 14; Lessio, *De iust. et iure*, lib. 4, c. 2, dub. 7; Pontio, *De matr.*, lib. 5, c. 7; Castropalao, diss. 1, p. 24; Sylvio, l. 2, q. 96, a. 5, quaest. 4; Billuart, diss. 4, a. 8, § 5; Reiffenstuel, *Theol. mor.*, t. 2, dist. 3, q. 3, nn. 35-36, etc. — aliis probabilius negantibus cum Sanchez, *De matr.*, lib. 3, disp. 18; Laymann, *De leg.*, c. 12; Bonacina, disp. 1, q. 1, p. 6, n. 48; Schmalzgruber, lib. 2, tit. 2, n. 42; S. Alfonso, lib. 1, a. 156; Wernz, tom. I. p. 127.

Ratio negantium praecipua est, quia peregrini subditi non sunt, quod confirmatur ex dispositione cap. *A nobis* de sententia excomm. Decret., lib. 5, tit. 39, cap. 21, « generalis excommunicatio non ligat nisi subditos excommunicantis », quae quidem directe quaestionem quoque nostram solvunt.

Verum sunt leges quaedam particulares loci actualis commorationis, quas etiam peregrini observare tenentur. Hae sunt: 1° leges locales quae respiciunt *contractus;* de his enim valet axioma — locus regit actum — item leges quae ad *res sitas* immobiles referuntur; 2° leges locales, quarum transgressio vergeret in detrimentum loci, in quo peregrini versantur, ut si prohibitum esset merces exportare, vel ratione securitatis arma gestare.

In his casibus, si legibus istis sanctio alicuius censurae adnexa sit, eaque, defectu forte aliarum sanctionum, necesse sit pro bono communi afficiat etiam peregrinos, hos quoque tenebit. Addunt nonnulli (Wernz, Tom. I, p. 127; Noldin, *De principiis theol. mor.*, n. 124, 5). 3° leges, quae *speciatim* pro peregrinis vel *etiam* pro peregrinis latae sint. Alii tamen contradicunt, ut Lehmkuhl, *Cas. consc.*, II, n. 996, innixi doctrinae quam tradit S. Alfonsus VII, 17, probabilius nempe Episcopum non posse ferre censuras in peregrinos ad cavenda crimina. Unde etiam si per accidens, ratione scandali vitandi, teneantur peregrini eas leges servare, non tamen eas violando censuram incurrent. Verius tamen hic tertius casus ad secundum reduci potest, ita ut dicendum sit censuras *speciatim* vel *etiam* pro peregrinis alicubi de iure particulari latas incurri, quando bonum communitatis id omnino postulet, ne communitas ipsa detrimentum capiat. Paucis ergo ad propositum quaesitum responderi potest, Episcopum generatim non posse alienum subditum in sua dioecesi delinquentem ligare censuris a se latis per modum legis seu generalis statuti, *nisi de iis tantum casibus agatur* in quibus eumdem peregrinum legis vel statuti obligatione adstringere potest.

*Ad II^um^*. Quaesitum habet duas partes: in prima agitur de quaestione, utrum Episcopus possit subditum alienum censuris punire per particulare praeceptum; in altera de quaestione, utrum id possit per sententiam in casu particulari. Ad utrumque autem respondetur negative, nisi subditus alienus fiat quodam vero sensu *proprius* Episcopi territorii in quo actu versatur. Fit autem vere proprius *ratione delicti.* Notum enim est, praeter forum *domicilii*, *contractus*, *rei sitae* admittendum esse et *forum delicti.* Scilicet multum expedit delicta ibi puniri, ubi patrata sunt, tum quia facilius cognoscitur de auctore et de gravitate criminis, tum quia laesi ordinis melius obtinetur restauratio, ubi violatio facta est (cap. 30, *De foro competenti*).

Huic tamen competentiae ratione delicti non semper fit locus, quoties peregrinus crimen commisit sola naturali lege prohibitum. Tunc enim poterit quidem Episcopus loci de peccato illo cognoscere in ordine solum ad salutem spiritualem subditorum, cuius cura est ipsi concredita, eosque censuris plectere si praeceptis suis non obtemperaverint; minime vero eadem agere cum peregrinis, in quos, ob hanc solam causam, iurisdictionem exercere non potest. Delictum itaque pertinens ad forum episcopi, ob quod ligari censuris peregrinus possit, in duplici casu habetur:

Primus casus est: « Si delictum commissum a peregrino esset prohibitum lege ecclesiastica de iure communi canonico vel lege pontificia sub excommunicatione aut aliis poenis a iudice ecclesiastico infligendis. Tunc enim peregrinus ratione delicti ibi commissi sortiretur forum Episcopi illius loci in quo deliquit et ab eo puniri posset; quia tunc iam praecederet vere delictum lege ecclesiastica prohibitum, et ratione illius fieret subditus iudicis ecclesiastici illius territorii, in quo deliquit » (Santi, *Praelect. iur. can.*, vol. 2, n. 12).

Alter casus est, quando peregrinus delinquit contra ius commune prohibens etsi non imponens poenam censurae vel contra ius naturae, ac tam in una quam in altera hypothesi ratione scandali vel damni ipse teneatur stare iustis iudicis scilicet Episcopi loci, mandatis, quibus si resistat in eum fit contumax, ac cogi poterit etiam per censuras. (Santi, l. c.).

In utroque vero casu requiritur ut crimen sit consummatum in loco ubi actu versatur peregrinus, nempe ut ibi executione perfectum sit, etsi alibi fuerit mandatum aut inceptum. In dubio autem ius praeventionis applicatur (Lega, *De iudiciis eccl.*,lib. 2, vol. 4, n. 167, 4°). — Insuper necesse est, ut iudex territorii delicti, saltem citatione reum praevenerit, antequam hic excedat e territorio ipso (Schmalz,, *De foro comp.*, n. 61. — Lega, l. c. lib. II, vol. 4. n. 166, 1°). Quod si reus ante citationem discesserit e loco delicti, iudex ordinarius illius loci per litteras *remissorias* seu *requisitorias* exquirat ab Ordinario domicilii, ut vel delinquentem ipse puniat, vel ad se remittat puniendum. Iudex requisitus, praemissa summaria causae cognitione, annuere debet iudici petenti, ac delinquentem, etiam poenis ecclesia-

sticis si opus sit, et expediat, compellere ad comparendum coram iudice requirente. Hodie tamen opportunius erit iuxta receptos mores et conditiones fori ecclesiastici ut iudex domicilii, ad instantiam alterius, procedat, servato ordine iuris, ad delinquentem puniendum.

Excipiuntur tamen ab his dispositionibus quoad forum delicti: 1° *Episcopi*, quorum causae iudicandae sunt in Concilio Provinciali, graviores autem reservantur Summo Pontifici ex Conc. Trid., sess. 13, cap. 8, *de reform.*; item 2° *Regulares*, qui tamen ab Episcopo puniri possunt, si delinquant extra claustra vel etiam si intra claustra cum scandalo fidelium ex Trid., sess. 6, cap. 3, *de reform.*, et sess. 25, cap. 14, *de Regularibus*.

Patet igitur responsio ad quaesitum propositum. Si ex parte peregrini nullum delictum praecesserit, Ordinarius loci nullatenus in eum est competens et ideo nequit per particulare praeceptum ei censuram infligere ad futurum crimen praecavendum. Si vero peregrinus delictum commiserit, tunc potest loci Ordinarius in memoratis casibus contra eum processum iudicialem instruere, et criminis convictum vel sententia censurae *directe* punire, si iure communi Ecclesiae haec iam statuta sit a iudice ecclesiastico infligenda, vel *indirecte* per praeceptum particulare sub poena censurae observandum eidem intimare ea quae iuste ab eo ob delictum patratum exigere potest.

Quod rite exponit Lugo, qui, resp. mor., lib. 6, dub. 22, n. 4, postquam ex Suarez, *de censuris*, di-p. V, sect. 5, an. 7, usque ad 15, retulit peregrinum *non ligari sententia speciali, vel generali* Episcopi illius loci, quae inferat excommunicationem, ex cap. *A nobis* 1, de sent. excomm., ubi Pontifex universaliter dicit, sententiam excommunicationis latam his verbis: « Quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit »; *non comprehendere nisi subditos illius qui sententiam protulit* », paucis interiectis prosequitur: « sententia excommunicationis non potest eos ibi obligare (peregrinos) nisi prius subditi sint sententiam proferentis; sententia enim non facit subditum, sed debet illum invenire subditum, ut legitime proferatur: ille autem peregrinus ante sententiam non erat subditus huius Episcopi, cum habeat alibi suum proprium pastorem et Episcopum; non ergo potuit dirigi sententia illa ad hunc peregrinum non subditum proferenti sententiam ».

Ad 3um. Respondendum est Titium incurrisse excommunicationem contra eum ab Episcopo latam. Ratio est quia Titius clericus ob stuprum commissum factus est subditus ratione delicti Episcopi loci in quo versabatur, qui legitime in eum excommunicationem minatus est, si iustum suum praeceptum esset neglecturus. Sane in primis stuprum est delictum non modo lege naturali et civili, sed iure etiam canonico prohibitum (Decret., lib. 5, tit. XVI. De adulterio et stupro) sub ea sanctione, ut stuprator teneatur puellam violatam vel in uxorem ducere, si ista velit, vel competenter dotare; insuper, si clericus sit, possit arbitrio prudentis iudicis aliis poenis mulctari. — Iamvero Episcopus loci, ubi crimen commissum est, non aliter egit cum Titio ac provisum est in iure, atque, ut iustum praeceptum suum firmum redderet, prout certe adiuncta postulare debebant, cum de clerico ageretur, excommunicationis censuram adiunxit in casu transgressionis, quod profecto legitimum est.

Quoad vero alteram censuram, animadvertendum est in primis eam latam fuisse, — si de non revelantibus furem agatur, quae sola Titium spectare posset, — ab Episcopo per *edictum* ad modum statuti generalis contra quemcumque scilicet qui suo mandato non obtemperaret, vel etiam, si magis placet, ad modum praecepti particularis quoad omnes qui auctorem furti noscentes, manifestare recusarent.

In utraque hypothesi Episcopi decretum, ex dictis, Titium ligare nequit, cum nonnisi ad subditos dirigi possit. Quod confirmat S. Alfonsus hunc casum resolvens in lib. VII, de censuris, n. 27, ubi ait: « Si censura lata sit per modum praecepti particularis seu sententiae in casu particulari, nempe si lata sit excommunicatio *contra non revelantes fures* haec non ligat alienigenas, quia praeceptum particulare non potest non subditos adstringere ».

Neque dicendum est bonum commune postulare ut talis revelatio etiam a peregrino fiat. Ad hoc enim adserendum adiuncta omnino extraordinaria deberent concurrere, de quibus in casu nulla mentio fit. Imo, si animadvertere liceat, fortasse edictum episcopale, etiam prout subditos tantum afficit, saltem minus prudenter latum est. Nam in primis non videtur bonum commune legem illam postulasse, sed potius eam unice ad privatum commodum Caii, qui rem suam profanam recuperare non poterat, constitutam esse.

Neque constat publicam auctoritatem, *politiae* addictam, ineptam esse, et magis idoneam ecclesiasticam spiritualibus poenis utentem, sed potius videtur haec opinio personalis Caii qui ministrorum gubernii diligentiae in inquirendo *parum fidebat*. Praeterea, etiamsi ita esset, ac censeri vellet bonum commune revera postulasse, ut auctor furti detegeretur, nondum tamen sequeretur necessarium et opportunum fuisse praecepto illo generali vel edicto uti, contra quod multae inveniri potuissent causae excusantes. Modus efficax et iustus fuisset, ut Episcopus, posito quod reapse ad ipsius tribunal deducenda esset causa furti in Caium perpetrati, processum iudicialem instrueret, ac testes delato iuramento advocaret quotquot verisimiliter auctoris furti conscios existimasset, inter quos profecto et Titium furis amicum accersere potuisset. Titius ergo dum primam excommunicationem contraxit, alteram certe evasit.

IOSEPHUS PALICA
Epitomator ex officio.

Casus Liturgici propositi et soluti Romae, in Academia Liturgica.

I[1].

De patena pro Communione fidelium illiusque abstersione.

Die 29 Novembris 1905, hora 3 a meridie.

In quibusdam Pedemontanae regionis Ecclesiis sequens viget consuetudo quod sacram fidelium communionem attinet, sive intra sive extra Missam. Clericus statim ac advertit aliquem ex fidelibus se communicare cupientem, cereum accendit, et confessionem facit, quin ad Celebrantis communionem attendat, si intra Missam distributio facienda sit. Post *Indulgentiam* discum ex mensa, in qua semper ponitur, accipit ex metallo intus inaurato sine ullo linteo, fidelium mento supponendum, et Celebranti tradit, quem praecedit cum cereo accenso pergentem ad Eucharistiam ministrandam, in eiusque administratione. Qua peracta, Celebrans, ad altare defert praefatum discum quem vel in calice, vel in pyxide purificat, redditque ministro. Si intra Missam, purificationem calicis sumit, si extra, pyxidem cum depositis in ea fragmentis in tabernaculo recondit. Hoc autem, attenta fidelium in Eucharistiam devotione (Taurinensis namque civitas a SS. Sacramento nuncupatur), ter, quater, quinquies et pluries satis, quotidie iteratur. *Quaeritur:*

1. *Quid ferat antiquitas liturgica circa ritus in communione fidelium, maxime inspecto modo possibilem sacrae particulae reparandae casum, aut fragmentorum?*

2. *Quid de disco metallico sine linteo, ac de illius fine, iudicandum, de eiusque abstersione sive in calicem, sive in pyxidem, facili attenta illusione circa falsa pro veris fragmentis?*

3. *Quando a clerico in Missa confessio agenda sit*

pro communione fidelium, quid de cereo accenso, de Clerico Sacerdotem in Eucharistiae administratione comitante, de disci per Sacerdotem delatione, deque eiusdem disci loco?

Ad I. Primum quaesitum in duas dispescitur partes: 1°) *Quid ferat antiquitas liturgica circa ritus in Communione fidelium; 2°) quid eadem antiquitas liturgica ferat inspecto modo reparandi possibilem casum S. Particulae aut fragmentorum.* Quod primam attinet partem, clarissimus Martene *(De antiq. Eccl. Rit. lib. I, cap. IV, art. X, n. VI)* tradit: « Nota est omnibus antiqua Ecclesiae Orientalis consuetudo, qua cum communionis tempus accidisset, Pontifex alta clamabat voce: *Sancta sanctis*, uti videre est in Constitutionibus Apostolorum, lib. 8, cap. 13. Cyrill. Hierosolym. Catech. 5 Mistagogica. Chrysost. homil. 17 in epist. ad Hebr. Cyrill. Alexandr. lib. 12 in Ioann. cap. 30 ». De ritu vero quo id fiebat, refert idem Martene *(loc. cit.)* ex Cyrillo Scytopolitano *(Vita S. Euthymii Analect. Graec. tom. I)*: « Sacerdos qui incruentum sacrificium Deo offert, antequam incipiat, omnibus testificatur, et denunciat dicens: *Sursum mentem et corda habeamus:* populique pollicitatione accepta, Deo oblationem offerre audet: qua perfecta, manibus in altum extensis ferens, et cunctis ostendens dispensatum ad nostram salutem Sacramentum, alta voce, ita ut omnis populus audire queat, ait: SANCTA SANCTIS. Quam ad vocem populus reponebat: *Unus Sanctus, unus Dominus Iesus* ». In Ecclesia vero Occidentali ritus huic affinis in usu erat; populus enim sequentibus invitabatur verbis ad SS.mam Eucharistiam suscipiendam: « Venite populi, sacrum immortale mysterium et libamen agendum: cum timore et fide accedamus. Manibus mundis poenitentiae munus communicemus, quoniam Agnus Dei propter nos Patri sacrificium propositum est: ipsum solum adoremus, ipsum glorificemus cum angelis clamantes Alleluja *(Martene loc. cit.)* ». Fidelibus autem, non nisi lotis manibus et facie, ad S. Eucharistiam sumendam accedere licitum erat, *(S. Ioann. Chrysost. Hom. 52 in Matth. et Hom. 315 in epist. ad Ephes.)*. Modus autem communicandi hic erat: unusquisque divinam Eucharistiam a Sacerdote non ore, sed propria manu dextra excipiebat, ac ad os suum devote admovebat. Hoc autem inter viros et mulieres discrimen intercedebat, quod viri nudis manibus, mulieres linteo Eucharistiam excipiebant, ut patet ex S. Caesarii sermone 229. Innumera afferri possent testimonia morem hunc comprobantia, quae omittuntur brevitatis gratia. *(Cfr. Martene De antiq. Eccl. rit.* lib. I, cap. IV. art. X. n. VII.). Ritus hic communicandi usque ad saeculum IX in Galliis perduravit, quo tempore Concilium Rothomagense cap. 2. statuit, ut Sacerdos *nulli laico aut foeminae Eucharistiam in manibus ponat, sed tantum in os eius cum his verbis ponat: Corpus Domini et Sanguis prosit tibi ad remissionem peccatorum et ad vitam aeternam.* Verum in Ecclesia Romana iam saeculo VI in desuetudinem abierat (S. Gregorius lib. 3, Dialog. cap. 3). E contra apud Graecos autem usque ad saeculum VIII viguit iuxta S. Ioann. Damasc. qui haec scribit *(lib. 4, de Fide Orthodoxa, cap. 14)*: « Ardenti cupiditate ad eum accedamus, manibusque in crucis formam compositis, Crucifixi Corpus suscipiamus ». Quae hucusque notavimus, sumptionem respiciunt SS. Corporis Christi; quod autem spectat communionem SS. Sanguinis, triplicem ritum extitisse historia docet. Vel enim 1) pretiosum Sanguinem cum calamo sugebant; vel 2) calicem ipsum ori admovebant; vel denique 3) Corpus Dominicum Sanguine intinctum porrigebant. Ex his tribus modis adhuc in Ecclesia Graeca tertius retinetur, cum in ea fideles utraque specie communicent. In Ecclesia vero latina Communicatio Sanguinis pro fidelibus abolita omnino est. Solummodo Summus Pontifex in Pontificalibus primum adhuc servat ritum, videlicet SS. Sanguinem calamo sugendi.

Quoad alteram partem primi quaesiti dicendum semper in Ecclesia cautum fuisse ne SS. Sacramentum in terram caderet, praesertim Communionis tempore. Hinc iam a remota antiquitate, communicantium mento aliqua supponebatur tabella bene detersa, cui deinde linteus suffectus est. Finis huius lintei est, ne SS. Sacramentum aut visibilia eius fragmenta in terram cadant. Diximus *visibilia fragmenta,* nam de invisibilibus nulla lex ecclesiae tatuit curam habere; neque auctores liturgici iuris unquam ad rem aliquid docuere.

Ad II. Discus de quo fit quaestio, neque ab Ecclesia est praeceptus, neque prohibitus, sed toleratus. S. enim R. C. interrogata an illius usus admittendus esset, respondit: *Non esse interloquendum.* Debet tamen esse inauratus, et talis amplitudinis ut linteolum aequet. Discus eundem finem habet ac linteolum, nempe excipere S. Particulam vel eius fragmenta visibilia si e manu Sacerdotis, vel ex ore fidelium communicantium casu decidant. Sunt quidem scrupulosi nonnulli qui usum disci defendunt, quia in eo securius fragmentis tuetur, cum nitidius in eo conspiciantur; unde isti, distributa S. Eucharistia secum deferunt discum in altare, illumque anxie super calicem vel patenam tergunt, et fere abradunt, quamvis nihil in eo de fragmentis inveniatur. Equidem isti, inutile et superfluum opus agunt, et non raro pro fragmentis in calicem immittunt reliquias sordidorum elementorum. Hoc certe vitandum est, et apprime vitabitur si scrupulosi prae oculis mentis habuerint, quod ne Ecclesia quidem unquam sollicita fuit de fragmentis INVISIBILIBUS quae cum non possint a Sacerdote colligi, iuxta S. Ambrosium, Chrysostomum, S. Gregorium, et Angelicum Doctorem, ab Angelis colliguntur.

Ad III. a) Rubrica Missalis quam clarissime statuit: « Si qui sunt communicandi in Missa, Sacerdos post sumptionem Sanguinis, antequam se purificet, facta genuflexione, ponat Particulas etc. *Interim* minister ante eos extendit linteum, seu velum album, et pro eis facit confessionem, dicens: *Confiteor*, etc. » Confessio ergo a ministro facienda est, dum ea quae a Rubrica, praescribuntur, a Sacerdote peraguntur aliis verbis post sumptum S. Sanguinem.

b) Nulla lex vetat cereum accensum in casu deferri, imo laudabilis usus videtur, et absolute necessarium putamus horis matutinis i. e. antequam dies illucescat, ne propter tenebras aliquid infortunii sacris speciebus contingat.

c) Clericus nisi candelae accensae deferendae causa, Sacerdotem comitari cogatur, genuflexus remaneat ad cornu Altaris Sacerdotem versus. Attendat diligenter finem distributionis S. Eucharistiae, ut linteolum e manibus postremi communicantis recipiat, ac in credentia, *non alibi* reponat.

d) Discus a ministro, primo communicanti porrigatur et a postremo recipiatur, cum Sacerdos solummodo ad Pyxidem bene deferendam attendere debeat.

P. ELIAS M. COCCIA, Ord. Carm.
S. R. C. Consultor,
Censor Pontif. Academiae Liturgicae.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ
NE PEREANT

Avril 1906.

4 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Parodi, Arch. de Sassari; — et Mgr Ercolano Marini, Ev. de Norcia.

5 Jeudi.

Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. G. Mgr Joseph Fiorenza, Arch. Tit. de Claudianopoli, est nommé Consulteur de la S. C. des Ev. et Rég.

6 Vendredi.

Sermon du Carême au Vatican, *coram SS.mo.*

7 Samedi.

M. le Baron Riederer de Paar, Chargé d'Affaires de Bavière près le St-Siège, est reçu en audience.

— Les Palmes traditionnelles sont offertes au St-Père, à l'occasion de la fête des Rameaux.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Vivés y Tuto est nommé Protecteur de la Congrégation de la Sainte Famille d'Amiens.

10 Mardi.

Dernier sermon du Carême au Vatican, *coram SS.mo.*

11 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Jean-Marie Dunne, Ev. de Bathurst; — et Mgr Patrice-Joseph O'Connor, Ev. d'Armidale.

14 Samedi.

S. Em. le Card. Callegari, Evêque de Padoue, rend son âme à Dieu. Né à Venise le 4 nov. 1844, pendant plusieurs années il enseigna la Théologie morale dans le Séminaire

patriarcal, et il s'occupa activement des œuvres diocésaines. Dans le Consistoire du 18 février 1880, il fut préconisé Evêque de Trévise, et au mois de mai 1884 il fut promu au siège de Padoue. Dans le Consistoire du 9 nov. 1903 il fut créé Cardinal-prêtre du titre de Sainte-Marie in Cosmedin. Il faisait partie des Congrégations suivantes: Ev. et Rég., Concile, S. Rites, Etudes.

17 Mardi.

S. Exc. M. Georges Sazonow, présente au St-Père les lettres qui l'accréditent en qualité de Ministre Résident de Russie près le St-Siège.

— Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Rinaldo Mac-Donald, ancien Evêque d'Harbour-Grace (île de Terreneuve); — et Mgr Colomanno Belopotoczki, Ev. Tit. de Tricala, Grand Aumônier de l'Armée autrichienne.

20 Vendredi.

Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, le Rév. Louis Capotosti est aggrégé au Collège des Maîtres surnuméraires des Cérémonies Pontificales.

— Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. M. Joachim Caso, Env. Extr. et Min. Plénip. de Bolivie près le Saint-Siège; — et S. G. Mgr Emilien Manacorda, Ev. de Fossano.

21 Samedi.

S. G. Mgr Joseph Giustiniani, Ev. de Sorrente, est reçu en audience.

— S. Em. le Card. Joseph Labouré, Arch. de Rennes, rend son âme à Dieu. Né le 27 octobre 1841 à Achiet-le-Petit, au Diocèse d'Arras, après avoir été Supérieur du Séminaire et Vicaire Général d'Arras, il fut préconisé le 14 mars 1885 Evêque du Mans, et promu le 15 juin 1893 à l'Archevêché de Rennes. Dans le Consistoire du 19 avril 1897 il fut créé Cardinal du Titre presbytéral de Sainte-Marie Nouvelle au Forum. Il faisait partie des Congrégations suivantes: Concile, Consistoriale, Propag. et S. Rites.

22 Dimanche.

S. G. Mgr Charles-Gustave Walsavens, Ev. de Tournai, est reçu en audience.

— Le St Père reçoit en audience la Colonie Allemande de Rome, à l'occasion du cinquième centenaire de la fondation de l'Hospice national allemand de l'*Anima* (*voir le Bref de Pie X, aux Anal. Nova*, p. 152).

— Dans l'après-midi le St-Père reçoit en audience les membres de la Délégation de l'Association des journalistes catholiques belges.

24 Mardi.

Le St-Père reçoit en audience les pèlerins français de retour d'un pèlerinage en Terre-Sainte, sous la direction des Pères de l'Assomption.

— Congr. Gén. des S. Rites, tenue au Vatican *coram SS.mo*, pour l'examen des deux miracles proposés pour la Béatif. du Vén. Bonaventure de Barcelone, Frère profès de l'Ordre des Mineurs; et, supposée l'approbation de ces deux miracles, pour l'examen du *Tuto* pour la Béatification.

25 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Joseph Doubrava, Ev. de Königgrätz; — Mgr Pierre Broyer, Vicaire Apost. de l'Archipel des Navigateurs; — Mgr Alexandre Zanecchia-Ginnetti, Ev. de Teramo; — et Mgr Charles Csáky, Ev. de Vacs.

26 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Vincent Scozzoli, Ev. de Rimini; — et Mgr Charles-Gustave Walsavens, Ev. de Tournai.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, le T. R. Père Jean Hagen, de la Compagnie de Jésus, est nommé Directeur de l'Observatoire du Vatican.

27 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audience dans la Salle Royale 1500 pèlerins de l'Ombrie, des Marches et des Romagnes.

28 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Gaëtan d'Alessandro, Ev. de Cefalù; — et S. G. Mgr Pierre Podaliri, Ev. Tit. de Derbe, Auxil. de l'Evêque de Recanati.

— Le St-Père reçoit dans la Salle Clémentine un groupe de pèlerins de la Bohême.

30 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Jean Ireland, Arch. de St-Paul de Minnesota; — Mgr Charles Csáky, Ev. de Vacs; — et Mgr Joseph-Marie Aldanesi, Ev. de Cagli et Pergola.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Jules Malvezzi, Chanoine du Latran, est nommé membre de la Commission Prélatice de la S. Congr. du Concile pour l'examen des relations des Ordinaires sur l'état de leurs diocèses.

F. C.

BIBLIOGRAPHIA

Tractatus de Divina Gratia secundum S. Alphonsi M. de Ligorio doctrinam et mentem. Scripsit IOANNES HERMANN, Congr. SS. Red. Romae, typ. Phil. Cuggiani, 1904 in-8 gr. pag. 770. Pret. franc. 9.

P. Ioannes Hermann, cuius *Institutiones Theol. dogm.* (3 vol. in-12) iam tertio recusae late innotuerunt, nuper hunc edidit amplissimum Tractatum de Divina Gratia, in quo magnam explicat sacrae scientiae atque eruditionis copiam. Auctores ibi allegat ultra ducentos, quorum elenchum affert. Indolem et meritum huius libri lectores nostri satis perspicient, si Responsum pervolverint, quod ad Auctorem dedit Pius PP. X, his quidem verbis:

Dilecto Filio Ioanni Hermann, Sacerdoti e Sodalitate SS.mi Redemptoris.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Egregium donum nuper exhibuisti Nobis, volumine de Gratia Christi officiose oblato. Studia inde tua elucent, quibus in re dogmatica emines; amor etiam inde patet, quo Alphonsum parentem sodalitatis legiferum complecteris. Quod tam sanctum tamque praecellentem secutus doctorem fuisti, vertendum id laudi est, quum non modo in disciplinam scriptoris uberrimam, verum etiam in tutissimum sententiarum fontem ingenium appuleris. Grati propterea sumus humanitati tuae, tuamque diligentiam laetamur. Operi vero ominamur ut eruditorum studiosorumque manibus non sine favore pervolutetur, tibique testem animi Nostri Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus. Datum Romae apud S. Petrum, die 25 Iulii anno 1904, Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. X.

Mons. G. B. M. MENGHINI. Ceremon. pontif. Prof. emerito di S. Liturgia nel Pontif. Semin. Rom., e Cancelliere della S. Vis. Apost. — Roma, Chiesa di S. Celso, Via del Curato, 10. — **Il Piccolo Ministro del Santuario.** — Manuale nuovissimo di Sacre ceremonie. Vol. unico. Prenozioni, Ceremoniale, Pontificali al Faldistorio. In-16, L. 1,25. — **Il Sacro Ministro del Santuario** — Manuale noviss. di SS. Ceremon. Vol. I. Ceremoniale ordinario. In-16, L. 1. — Vol. II. Ceremoniale proprio e Pontificali al Faldistorio. In-16, L. 1. — **Appendice al predetto Manuale** (utile anche per il solo Piccolo Min.). Riti e Ceremonie da eseguirsi nelle principali funzioni, nelle Chiese minori, celebrando il solo Sacerdote. In-16, L. 0,75. — **Le solenni ceremonie della Messa papale**, L. 0,60. — **Liturgia Eucaristica** seu de cultu et adoratione SS. Sacramenti, L. 1.

In supradescriptis libellis, reperire est quidquid brevius necnon et clarius propriam disciplinam liturgicam respicit, non solum attentis speculativis principiis, sed praecipue propter expositas praticas normas tuto in praxim deducendas. Hinc nil mirum, quod iam hi Codices fuerint a plerisque Seminariis ad usum discipulorum adoptati, fuerintque a praecipuis Ephemeridibus clara laude notati. Opportunior modo reddit occasio illos iterum diligentissime commendandi, ex quo Sacra Visitatio Apostolica, tam in Urbe quam extra, iussu Summi Pontificis fel. reg. inchoata, occasionem praebet nonnulla, praesertim in liturgico campo, emendandi vel penitus de medio tollendi.

F. C.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente*.

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS QUARTUS
FASCICULUS QUINTUS - MAIUS 1906

SUMMARIUM

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Pius X excitat Epos Austriae ad omnia in Christo instauranda.

Dilecto Filio Nostro Antonio Iosepho Tit. S. Mariae Angelorum in Thermis S. R. E. Presbytero Cardinali Gruscha, Archiepo Vindobonensi, caeterisque Austriae Episcopis.

PIUS PP. X.

Dilecte fili Noster, ac Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Quas e Vindobonensi conventu vestro litteras, communi sententia a vobis datas, accepimus, mirum quantum habuimus gratas quantaque animi iucunditate perlegimus. Nihil in illis officii, nihil voluntatis desideravimus, quod Pontifici Maximo, recens ad Petri Cathedram evecto, Episcopos par est exhibere. Quamobrem gratias a Nobis habetote meritas. Quod attamen in vestris litteris cum maxime adamavimus illud est, Venerabiles Fratres, quod quae bona, quaeve mala in vestris dioecesibus occurrunt et vos agnoscitis penitus et Nobis candide aperuistis. Prodest hoc quidem Nobis ut, pro cura dominici gregis, fidelium vestrorum securitati prudenter prospiciamus; nec vobis minus est utile, ut norit quisque quae provehenda sint quaeve emendanda. Profecto quae, charitate deficiente tantaque errorum grassante lue, ubique dolemus damna, apud vestrates etiam reperiri necesse est. Quid vero, Venerabiles Fratres? An idcirco despondendum animos vel spe labendum? Memoria ne excidat hortamur, quo qualesque inter gentes Christus apostolos miserit. Idem porro Christus, qui heri et hodie et in saecula, posuit vos omnes regere Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo. Quod Ipsi Nobis animose proposuimus, et vos, Venerabiles Fratres, vobismet proponite: toto videlicet pectore, totis viribus persequi ut instaurentur omnia in Christo. Quae tanto operi perficiendo potissima sunt adiumenta, habetis affatim in encyclicis Litteris Nostris. Ea ut a clero et laicis studiose teneantur efficite. Nihil plane minus a vero abest, quam quod de Ecclesia patriaque vestra vos ipsi asseritis: illum nimirum inter utramque

esse nexum, ut proficiant pariter deficiantque. Id vos genti vestrae persuadere penitus contendite. Ament nempe omnes patriam; verum hoc simul meminerint, nihil patriae bono efficacius conducere quam Christi religionem sancte inviolateque retentam. Caeterum, Venerabiles Fratres, de studio benevolentiaque Nostris ne dubitetis unquam. Charitatis autem, qua Vos complectimur, testis esto Apostolica Benedictio, quam auspicem divinorum munerum, vobis, clero, populoque vestro amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 8 Decembris 1903, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

II.

Pius X commendat Opus a Catechismis, in civitate Parisiensi institutum.

Dilecto Filio Nostro Francisco S. R. E. Presbytero Cardinali Richard, Archiepiscopo Parisiensi.

PIUS PP. X.

Dilecte fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem,

Opus a Catechismis sollerti et actuosa egregiarum feminarum pietate apud vos ante annos octodecim institutum in gratiam puerorum, qui nihil iam de doctrina religionis in scholis publicis audirent, rogasti tu quidem nuper, ut voluntatis Nostrae significatione aliqua ornaremus. Nos vero ea legentes quae perscribenda curasti de ortu, progressione, fructibus istius operis, magnam scito cepisse animo voluptatem, praesertim quum in hoc etiam facto videremus divinae praesentiam bonitatis, tempestiva suggerentis et consilia et auxilia bonis ad communem salutem. Ac mirum non est, si hanc tam opportunam de regno Christi ac de proximis bene merendi rationem Decessor Noster illustris probavit admodum, et pontificalis indulgentiae muneribus ditavit; quum eadem celeberrimo civitatis iudicio, ut accepimus, in genere operum humanae societati utilium primas tulerit. Hinc dicere vix attinet, eam Nobis, non secus ac Decessori Nostro, caram acceptamque esse: eo magis quod ipsius nunquam fortasse tanta fuit, quanta est hodie non modo opportunitas sed necessitas. Quando enim, ut usuvenire istic dolemus, eripitur aut coangustatur sacro ordini nativum ius docendi publice, omnino res postulat ut sacerdotum ministerio navitas opituletur laicorum, quo puerilis saltem aetas fidei morumque principia incorrupta imbibat. Quare pias feminas saluberrimo deditas operi, de quo loquimur, cum pro merito dilaudamus, tum hortamur vehementer, velint nova quotidie alacritate studioque propositum persequi: simul oramus enixe Deum, ut earum fortunet labores, augeat numerum. Auspicem caelestium donorum ac singularis benevolentiae Nostrae testem habeant Apostolicam Benedictionem, quam tibi primum, dilecte Fili Noster, atque etiam clero populoque tuo universo peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 8 Decembris 1903, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

III.

Pius X ominatur incrementa egregiae sodalitati cui nomen *Œuvre des Campagnes*, Parisiis.

A Sua Altezza Reale Enrichetta Duchessa di Vendôme, Principessa del Belgio. Neuilly.

Altezza,

Il filiale omaggio, che ci ha reso Vostra Altezza Reale in quella che implorava da Noi una testimonianza di benevolo animo verso la egregia *Opera delle Campagne*, Ci è giunto vivamente accetto non pure per i sensi che l'Altezza Vostra esprimeva al Vicario di Cristo, ma eziandio per la caritatevole pietà, di cui Ella Ci appariva insignita. Lunghi anni, ed essi non iscevri di qualche amorevole fatica, spendemmo anche Noi in pro degli umili abitatori dei campi, ed a vantaggio delle derelitte Chiese, dove è l'istesso Iddio dei magnifici Tempii, che da povero Clero riceve culto disadorno. Poichè pertanto anche Vostra Altezza nella presidenza di così benemerita Opera ha bellamente consacrato tanta parte delle elette sue industrie, Noi siamo ben lieti di felicitarci con Lei. Per significarle poi nella più grata maniera la sincera brama, che Noi nutriamo, di vedere prosperare il sullodato Sodalizio, di tutto cuore gli preghiamo l'assistenza del Cielo, ed all'Altezza Vostra, del pari che a quanti gli son larghi di aiuto, impartiamo paternamente l'Apostolica Benedizione.

Dato in Roma presso S. Pietro, il 16 Dicembre 1903, anno primo del Nostro Pontificato.

PIUS PP. X.

IV.

Pius X gratum habet quod Sacerdotes a Missione nonnulla Seminaria Italiae excolenda suscipiant.

DILECTO FILIO ANTONIO FIAT, MODERATORI GENERALI SACERDOTUM A MISSIONE — PARISIOS.

PIUS PP. X.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Sodalitatem sacerdotum a Missione, cuius summum obtines magisterium, multa Nobis ad benevolentiam commendant. Est enim illi cohaerentium Nobiscum sensuum custodia sollers: eadem vehementer nititur exemplum bonorum operum, vitae praesertim sacerdotalis integritate, et clericis impertire et laicis: tum etiam egregio, a quo nuncupari gaudet, nomini respondens, sacrarum expeditionum incremento fructuique studet, optimis assidue emissis Evangelii praeconibus, cultusque religiosi et humani prolatis beneficiis. Hanc tibi laudem caeterisque e sodalitate universis gratulari libet enixe, quum e studio gloriae divinae, quo vobis animus ardet, nec pauca hauserimus nec ea communia laetitiae argumenta. Ipse vero permultam Nobis ad voluptatem significasti sodales a Missione libenter te Episcopis Italiae suppeditaturum ut in sacris Seminariis aut moderatorum officio aut doctorum munere perfungantur. Gratam tibi voluntatem de praestantissimae utilitatis consilio profitemur, nihilque putamus ambigendum non minora extitura sodalium tuorum in Seminariis excolendis promerita, quam

id propositis antea coetui bonis assequendis fuere. Auspicem caelestium gratiarum Nostraeque dilectionis testem Apostolicam Benedictionem tibi et sodalitati universae peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 23 Maii 1904, Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. X.

V.

Pius X Imperatrici Sinarum gratulatur quod septuagesimum aetatis annum ea sit proxime initura.

Epistola Augustissimae Potentissimaeque Principi Imperatrici Sinarum. Pekinum.

PIVS PP. X.

Augustissima et potentissima Imperatrix, salutem et prosperitatem.

Nunciatum est Nobis Maiestatem Tuam proximo Octobri mense inituram septuagesimum aetatis annum, felicemque hanc rem ingenti gaudio futuram universo Sinarum populo. Quod eiusmodi faustitas expleat Tuam gentem laetitia, intelligimus inde, immo etiam confirmatum agnoscimus quanto et quam merito amore antiqua et nobilis Sinarum natio Maiestatem Tuam complectatur. Aequum autem praesentisque celebritatis dignum illud etiam censemus ut, quotquot sunt amicitia Tecum aut beneficiis coniuncti, hunc Tibi eventum gratulentur omnes. Quapropter Nos etiam Religionis Catholicae Antistes Summus, qui probe exploratum habemus de Religione Nostra Te bene meruisse, tum ob permissam catholicis istis potestatem cultus profitendi, tum etiam ob demonstratam iisdem benevolentiam, properamus gratulationes Maiestati Tuae maximas ac laetissima felicitatis omina offerre. Ad huius autem iucundi eventus memoriam, donum etiam placet adiicere, tenue quidem illud per se ac sane modicum, propensissimi tamen studii argumentum. Quae interim vota pro Tua Maiestate concepimus, illa compleat Deus, quem enixe deprecamur ut Te Tuamque Domum Augustam caelesti omni munere atque in primis tranquillitate et pace longum in aevum tueatur.

Datum Romae apud S. Petrum, die VI Iulii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

VI.

Pius X commendat LI Conventum Catholicorum Germaniae mox celebrandum Ratisbonae.

Epistola dilecto filio Carolo Pustet Praesidi coetus Conventui LI Catholicorum Germaniae parando, Ratisbonam.

PIVS PP. X.

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Conventui apparando, quem praesenti hoc anno Augustoque proximo mense catholici Germaniae viri Ratisbonae peragent, praecipuam quamdam te adhibere industriam cognovimus, operam tibi in eamdem rem conferente civitate omni Ratisbonensi, cuius celebratissimae laudes in fide, sollertia, comitate, hospitalitate denique sunt. Alacres labores tui, studiumque constituti in id coetus ac praecellentium tot ornamentis civium, spem profecto iubent inire lectissimam habendi egregie conventus. Qui quidem si debet e catholicis Germaniae viris coalescere, negotiaque si Ecclesiae gravissima regnis in istis perpendet, exploratum profecto iam nunc habemus quam fortunate ineundum se impertiat, quamque sit iucundo concludendus exitu. Illud enim de congressibus vestris catholicis longissima ex aetate novimus, studiose illos ac rite praeparari, feliciter fructuoseque peragi. Exempla igitur non quidem a peregrinis edita, sed a vobis splendide parta sequamini: gloria certe cum gloria cumulabitur. Et quoniam arctioribus terminatam finibus humanam esse vim intelligitis, a Numine in primis atque a Superis deprecatione potentibus recte auxilia imploratis. Sit itaque munerum conciliatrix uberum Deipara primaevae labis nescia, cuius ab edicto sine macula conceptu quinquagesima in hunc annum anniversaria incidit dies: ope etiam et gratia Patroni vobis adsint divus Bonifacius et divus Wolfgangus, per quos stetit ac stabit vestra in regione fides. Ad consilia vero atque ad opera accedentibus animos vobis caeterisque e cogendo conventu singulis addat, benevolentiae Nostrae pignus, Apostolica Benedictio, quam universis, qui in conventu aderunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXV Iulii anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

VII.

Pius X prosperum precatur exitum Conventui Mariano mox apud Mexicanos, Moreliae, cogendo.

Epistola Venerabili Fratri Athenogeni Archiepiscopo Mechoacano, Moreliam.

PIVS PP. X.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem,

Nuncium sane gratum accepimus, Octobri proximo ineunte totius Mexicanae nationis sacros antistites lectosque ex omni ordine catholicos viros ad te, Venerabilis Frater, conventuros esse, ut de cultu amplificando augustissimae Dei Matris consultent, simulque, Ipsa auspice, deliberent, quibus maxime modis sociales popularium suorum rationes adducere in melius possint. Cognita vulgo quum sit singularis et eximia erga beatissimam Virginem gentis vestrae pietas, dubitandum non erat quin eadem hoc anno illustrius emineret: quum scilicet in habendis honoribus Mariae ab origine Immaculatae, ob renovatam memoriam definiti dogmatis, catholicorum hominum toto orbe certant studia. Iamvero in rebus, quibus eam vos faustitatem celebrabitis, facile principem locum tribuimus Mariano isti conventui: quippe experiendo constat, quam magna sit horum similiumque coetuum hodie opportunitas. Etenim, quo tempore videmus fidei vitaeque christianae adversarios ubique foederatis viribus invalescere ad perniciem populorum, quid

magis opus est, quam *filios lucis*, ne in tanta necessitate rerum *prudentiores* eis *filii tenebrarum* sint, arctioribus inter se vinculis obstringi ad salutem communem? Huc porro mirum quantum conducit frequentes identidem congregari bonos, ducibus Episcopis, ut et lumina sui quisque iudicii et experientiae conferant, et, quae idonea visa sint, capiant consilia, et voce atque hortatione mutua incitentur. Id apud complures gentes, consequente copia optimorum fructuum, iamdudum factitatur; id ipsum nunc apud vos feliciter incipit fieri Mariano conventu: cui Nos quidem, ob spem praeclarae publice privatimque utilitatis, prosperum optamus precamurque exitum; scimus enim gravia et opportuna vobis ad disputandum esse proposita. Caeterum vestra omnium, Episcoporum in primis, actuosa sollertia, flagrans religionis patriaeque charitas, addictissima Nobis ac Sedi Apostolicae voluntas uberem laboribus studiisque vestris conciliabunt, quod caput est, divinae benignitatis opem, patrocinio praesertim Deiparae, cuius nominis gloriaeque amor causam vobis coëundi dabit. Nos vero caelestium munerum pignus sit volumus Apostolica Benedictio, quam, testem pariter paternae benevolentiae Nostrae, tibi, Venerabilis Frater, caeterisque tuis in Episcopatu collegis, et universis, qui vobiscum una convenient, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die II Septembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X.

VIII.

Dividitur dioecesis Peterboroughensis in provincia ecclesiastica Kingstoniensi in Canada, atque e territorio inde seiuncto nova dioecesis effingitur quae nomen sumit Sanctae Mariae Ormensis.

PIVS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

In sublimi Principis Apostolorum Cathedra, nullis quidem meritis Nostris, divinitus collocati, in omnes, vel longo terrarum marisque intervallo seiunctas, christiani orbis regiones mentis Nostrae oculos convertimus, et quae in catholici nominis incrementum cedant, suprema Nostra auctoritate interposita, exsequi satagimus. Iamvero cum Dioecesis Peterboroughensis, provinciae ecclesiasticae Kingstoniensis in Canada, ea territorii amplitudine pateat, eaque feliciter susceperit incrementa, ut ex eius divisione nova Dioecesis opportune efformari posse videatur; Nos, collatis consiliis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, quo melius prospiciatur utilitati fidelium in remotiores dioecesis eiusdem Peterboroughensis partes commigrantium, haec, quae infrascripta sunt, decernenda in Domino existimavimus. Nimirum motu-proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, e Dioecesi Peterboroughensi territorium, ex quo nova dioecesis constabit, seiungimus sequentibus limitibus definiendum. Ad Septentrionem, per lineam Aequatori parallelam, quae inter gradus 50 et 51 lat. Sept. ducta ab arcu meridiano constituente limitem conventionalem orientalem Districtus olim « Keewatin », nunc vulgo Runy River, circa gradum 91 long. occ. a Greenwich et orientem versus protracta, pertingit supra lacum Nipigon ad ita dictam Altitudinem Terrarum, quae dividit aquas fluentes in fretum vulgo James Bay ab aquis fluentibus in magnos lacus, quibus provincia Ontariensis a Statibus Foederatis dividitur; tunc per continuationem eiusdem Altitudinis Terrarum usque dum perveniatur ad Septentrionem lacus Tamagamingue. Ad Orientem, per lineam rectam, quae descendens inter lacum Tamagamingue et lacum Wapoosi et transiens ad Orientem lacus Nipissing pertingit ad flumen Wistiwasing, per limitem inter loca (townships) nuncupata Ferris et Himsworth, et deinde flumen Wistiwasing usque ad lacum Nipissing. Ad meridiem: ab ostio fluminis Wistiwasing per lineam, quae transit per lacum Nipissing et attingit aditum fluminis French, deinde flumen French usque ad sinus Georgian Bay; ab ostio fluminis French per lineam, quae transit per sinus vulgo Georgian Bay et attingit promontorium vulgo Cabots Head, et tunc pertransit lacum Huron et lacum Superiorem, ita ut ad Septentrionem relinquat omnes insulas, quae ad Canadense dominium pertinent, quaeque inter fines novae Dioecesis proinde comprehenduntur; quae porro linea perveniat ad ostium fluminis Arrow, ubi dominium Canadense a Statibus Foederatis separatur; tandem per limitem inter hos Status et ipsum Canadense dominium usque ad Districtum olim Keewatin, nunc vero vulgo nuncupatum Rainy River. Ad Occidentem: per arcum meridianum, qui constituit limitem orientalem Districtus Rainy River usque ad punctum, in quo initium sumit limes septentrionalis novae Dioecesis, uti supra descriptus. Itaque ex hoc territorio, quod e Dioecesi Peterboroughensi seiungimus, novam Dioecesim similiter per praesentes, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, efformamus, fundamus, cuius Episcopalem Sedem in urbe, quae vulgo nuncupatur « Sault Ste Marie » provinciae Ontario, constituimus, atque exinde ut *Sanctae Mariae Ormensis* nomen sumat praecipimus. Haec vero mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque, plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non caeteris, speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die XVI Septembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

A. Card. MACCHI.

IX.

Praefectura Apostolica Transvaalensis in Africa Australi, erigitur in Vicariatum Apostolicum.

PIVS PP. X.

Ad futuram rei memoriam.

Quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere, ac feliciter eveniant, ea ut mature praestemus Nos admonet supremi Apostolatus munus, quo in terris, licet immeriti, fungimur. Itaque, cum ad Nos relatum fuerit valde expediens fore pro rei catholicae utilitate, si praesens Praefectura Apostolica Transvaalensis in Africa Australi erigeretur in Apostolicum Vicariatum, Nos, collatis consiliis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, eamdem Praefecturam in Vicariatum erigendam esse censuimus, eo quod, restituta nuper in eadem regione publica tranquillitate, rerum materialium profectus maius exigit operum Missionis incrementum. Quae cum ita sint, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, Praefecturam Apostolicam Tranvaalensem in Africa Australi in Vicariatum Apostolicum Transvaalensem similiter nuncupatum erigimus et constituimus, illique eadem pristinae Missionis supramemoratae confinia adsignamus. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque, speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris die XVI Septembris anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

A. Card. MACCHI.

X.

Pius X gratulatur Epis, qui convenerunt Fulginium, ad dedicationem templi Cathedralis.

Epistola dilecto Filio Nostro Dominico tituli Sancti Honuphrii in Ianiculo S. R. E. Presbytero Cardinali Svampa, Archiepiscopo Bononiensium caeterisque Archiepiscopis et Episcopis qui ad dedicationem templi Cathedralis Fulginium convenerunt.

PIVS PP. X.

Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem.

E peractis Fulginii solemnibus convolasse vos animo ad Personam Nostram, fuit id et ab amore et a pietate laudabile. Properatum enim obsequium, quod esset in ipsis celebritatum gaudiis conceptum, declaravit perspicue vestram communicandae laetitiae voluntatem: renovata vero coniunctionis cum Apostolica Sede fides non dubitanter aperuit expetivisse vos in iis, quibus per id tempus premebamur, acerbitatum molestiis Supremo Pastori adesse, caussamque sane laetabilem consolandi Patris afferre. Gratiam unicuique vestrûm intimo ex animo habemus, eamque non de persoluto tantum observantium sensuum officio, verum de allata etiam Fulginatensi templo adstantiae vestrae claritate. Illustris vetustate ac religione urbis, cui singularem plane gloriam tam multae monumentorum laudes compararunt, Fulginii decus est publicae edidisse exemplum pietati, e quo haberent omnes unde et avitae colendae fidei et liberalium fovendarum artium argumentum addiscerent. Ei nos civitati praecipuam testari benevolentiam putavimus, quum Leonis XIII Decessoris Nostri munificentiam honore insigni cumulantes, Tibi, Dilecte Fili Noster, ad dedicationem instaurati templi vicem Nostram credidimus. Rem autem feliciter fausteque evenisse gratulamur Fulginio, gratulamur et Vobis: illi quidem, quod Patrono Principi Feliciano, sacraeque cathedrali aedi dedicandae non alia censuit posse digne decerni solemnia, nisi omni nomine splendida: Vobis vero, quorum collata humane opera patuit Viterbii, Perusiae, Ameriae, Nuceriae, Aculae, Spoleti, Tuderti, Faliscoduni, Signiae, Tiberni Tiferini, Assisii ac Fulginii communem esse in Christo fraternitatem. Haec autem virtus ut Vobis fidelique populo vestro quasi sit praeclari facinoris fructus, Omnipotentem Deum adprecamur, Tibique, Dilecte Fili Noster, Vobisque singulis, Venerabiles Fratres, Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVII Octobris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X.

XI.

Pius X gratulationes significat erga solemnem conventum sodalitatum Marialium, Barcinone celebrandum.

Epistola dilecto Filio Nostro Benedicto de Pomes Equiti Praesidi Conventus Sodalitatum Marialium ex Hispania et America. Barcinonem.

PIVS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Barcinonem conventuris propemodum ex Hispania et America filiis ad solemnem habendum coetum Sodalitatum Marialium, Noster iucundissime fertur animus non ad expectationem modo, quam positam in eorum consiliis fovemus, aperiendam, sed ad gratulationem quoque significandam. Placet enim praeeuntem coetui, qui Romae proxime cogetur, celebrari istic honori Deiparae Immaculatae congressum, in quo, apud nobiles Hispaniae et Americae gentes, religionis provehantur commoda, Marialium Sodalitatum amplificetur decus, earumque incrementis rerum apte consulatur, quae ad instaurandam christiane vitam et ad popularem catholici nominis actionem commendandam conducant. Nobis certe dubium non est plurimum vos utilitatis ex hac tali congressione laturos; cuius quidem referendi copiose fructus non solum Nobis spes firma affulget ex propositi consiliique vestri gravitate, aut e vestri sol-

lertia operis, sed ex illibata quoque voluntate ac fide, qua, Ignatii Loiolaei symbolum secuti, maiorem in dies gloriam Supremo Numini quaeritis. Benignissimum propterea Deum eiusque magnam sine labe Matrem, uti studia laboresque coetus fortunent, adprecamur, testemque animi Nostri tibi et omnibus, qui e conventu erunt, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XI Novembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X.

XII.

Pius X laetatur de optimis fructibus a societate Filiarum Fidei Neo-Eboracum prolatis.

Epistola dilectae in Christo Filiae Elisae O' Brien Lumims Societatis Filiarum Fidei Moderatrici. Neo-Eboracum.

PIVS PP. X.

Dilecta in Christo Filia, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quae de istius Societatis a te institutae rationibus, deque optimis ex ea perceptis fructibus significasti, Nos quidem cum suavi consolationis sensu cognovimus. Sane non possumus quin valde laetemur, quum videmus probatissimas foeminas, nominatim quae vel gratia, vel facultatibus, vel commendatione nominis plurimum in civitate valeant, consociatas inter se ob eam causam, ut, maxime in suo ipsarum ordine, laus christianorum morum reviviscat integra; easque, pro viribus opibusque suis, obniti contra invalescentem hodie *naturalismum*, qui, deliciarum voluptatumque amorem spirans, mollit atque enervat animos, sensimque officiorum vel sanctissimorum in ipsis catholicis conscientiam delet. De quibus officiis haec praecipue memoramus: prohibere a matrimonio christiano divortiorum labem ac dedecus; institutioni liberorum intra domesticos parietes atque in litterariis ludis recte consulere; illas cohibere convictus humani pestes, probrosam spectaculorum licentiam, librorum obscoenitatem, colloquiorum ac coetuum mollitiem futilem, inverecundam in ornatu cultuque corporis luxuriam. — Itaque quod opus tu, dilecta in Christo Filia, non sine caelesti consilio auspicioque inivisti, quodque, probante dioecesis Antistite, persequuta adhuc es, id ipsum volumus ut posthac, praesidio auctoritatis Nostrae freta, pergas animosior. Simul confidimus fore, ut tuis tuarumque sociarum exemplis excitatae, multo plures inducant animum instituto vestro dare nomen; ac pia ista Societas, te duce, ad alias quoque dioeceses diffundatur, atque etiam viris catholicis incitamento sit ut, simili pacto inter se coëuntes, ad simile propositum contendant. Interea divinorum munerum auspicem, ac paternae Nostrae benevolentiae testem, tibi, dilecta in Christo Filia, Societati tuae universae, iisque omnibus, qui eamdem quoquo modo iuverint, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII Novembris, festo S. Caeciliae Virginis Martyris, anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X.

XIII.

Pius X memorem Se pro observantiae officiis ac pro dono testatur, quae a parochis plurimis fuerant delata.

Epistola Dilecto Filio Aloisio Marigliano Sacerdoti.

PIVS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Gratiam tibi collegisque tuis bene multis et agimus et habemus, propter oblatas Nobis amoris observantiaeque significationes egregias, additumque, animi vestri mansurum testem, nobile, re et artificio, donum: quae quidem a vobis, utpote animarum procurationi addictis, profecta, peculiarem in modum iucunda Nobis acciderunt. Nam si gratum commemoratu vobis est, Nos, ex ordine vestro egressos, inivisse, Deo volente, cursum honorum, quo ad Apostolicam Cathedram provecti sumus, non minus Nos libenter recordamur memoriam eius temporis, quum in eodem, ac nunc vos ministerio, fuimus: ministerio sane laborioso et arduo; sed magno et sanctissimo, cuius etiam asperitatem suavissima spiritus solatia saepe temperant. In praesens autem quanta Nos curarum et sollicitudinum moles premat, vos habetis cognitum; siquidem, ob inimicissima fidei moribusque christianis tempora, salutem animarum passim in discrimine esse deploratis. Iamvero ad medendum tot tantisque malis, propterea que ad levamentum Nobis afferendum immensi ponderis, mirum quantum in vobis est, dilecti Filii, quibus populus christianus, magis quam Clero caetero, utitur ministris Christi et dispensatoribus mysteriorum Dei. Talis, ut plurimum, est paroecia, qualem finxerit ac formarit, voce et exemplo suo, Parochus. Quemadmodum enim, si Parochus sanctimonia vitae ac studio animarum eluxerit, facile continebit in officio gregem, deviosque reducere ad frugem poterit, ita, contra, si ipse officiorum suorum immemor apparuerit, is non modo nullus iam erit ad salutem gregis, sed efficacissimus ad ruinam. At vero de vobis, dilecti Filii, dubitandum non est, quin virtutibus omnibus, quae pastorem bonum decent, ornati sitis: quarum virtutum argumentum quoddam inest in ea diligentia, qua Vicarium Iesu Christi, Principis pastorum, observatis et colitis. Pergite ergo pro instituto vestro in aedificationem Corporis Christi elaborare, atque etiam sumite animos confisi patrocinio Virginis ab origine Immaculatae, quod Nos enixe vobis adprecamur. Auspicem caelestium munerum ac singularis Nostrae benevolentiae testem, tibi, dilecte Fili, universisque et singulis collegis tuis, qui suam erga Nos voluntatem tecum testati sunt, atque iis omnibus, quorum curam geritis, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Decembris, festo Immaculatae Conceptionis Mariae, anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X.

XIV.

Pius X cum Epis Aequatorianis conqueritur de illatis a civili potestate religioni iniuriis.

VENERABILIBUS FRATRIBUS ET DILECTIS FILIIS EPISCOPIS CAETERISQUE LOCORUM ORDINARIIS IN REPUBLICA AEQUATORIANA.

PIUS PP. X.

Venerabiles Fratres et dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Acre nefariumque bellum ab iis, qui rempublicam Æquaorianam temperant, iamdudum adversus Ecclesiam susceptum, tantum abest ut diuturnitate defervescat, ut flammam potius concipiat in dies maiorem. Iam horum consilia huc spectare, ad religionem catholicam non modo iniustis vinculis impediendam, sed evertendam funditus, clare indicant istae, quae rogantur et sanciuntur leges; si tamen leges ea sunt decreta nominanda, quibus civilis auctoritas perperam de rebus, a ratione et potestate sua remotis, quid statuerit.

Apostolica quidem Sedes, pro paterna sua in civitatem vestram benevolentia, permultis perque magnis testata exemplis, quum nihil praetermisit quod hostiles mitigare animos posset, tum de reliquo facilitatem indulgentiamque omnem paratissima est ad redintegrandam pacem adhibere. Interim vero Apostolici sanctitas officii, quemadmodum Decessorem Nostrum fel. rec. Leonem XIII impulit, ut datis ad vos litteris, violata Dei et Ecclesiae iura vehementer expostularet, ita nunc, quando novae maioresque dolendi causae in hoc genere existunt, impellit Nos, ut illatas religioni iniurias eo magis conqueramur.

Sane haec talia deplorare satis non possumus, de quibus iam nonnulli vestrum, valde se Nobis probantes, questi sunt: sanctitudinem stabilitatemque matrimonii christiani inique attentatam; exturbatum bonorum possessionibus Clerum; disiectas religiosorum familias, nativamque potestatem sollemnia Deo vota nuncupandi coangustatam improbe; varia perfunctioni sacri ministerii allata impedimenta. Atque ad ista omnia, quae quidem maximo Nobis moerori sunt, vobisque, quotquot estis sacrorum antistites, intolerandam rerum conditionem creant, cumulus quidam accedit ex eo, quod pleraeque dioeceses diutius iam Episcopos suos desiderant. Iamvero huic ipsi incommodo, singularem in modum gravi, quod multorum causam malorum continet, ne fiat remedii cunctatione gravius, sentimus mature ratione aliqua medendum esse.

Sed alia praeterea est cura, quae Nos magnopere sollicitat: veremur quippe, nec sine causa, ne istorum qui in civitate praesunt, exempla sensim in iis qui subsunt tantum possint, ut veterem exploratamque istorum cum Romano Pontifice coniunctionem extenuent. Quapropter vestrum erit, Venerabiles fratres et dilecti filii, omnem operam diligentiamque conferre in populum, et efficere, ut catholici homines, arctius in dies vobis et per vos Apostolicae Sedi adhaereant: iidemque, vobis auctoribus, concordi nisu et salva verecundia civili auctoritati debita, contendant quavis legitima ope sarcire damna, quae religioni publice importata sint.

In primis vero excitate omnes et hortamini ad officia rite servanda christianae vitae, illa praesertim, quorum custodiam praesens rerum perturbatio difficiliorem facit. Quibus ex officiis duo nominatim commendanda sunt. Alterum, ut ista direptione ecclesiasticorum bonorum quidquam deminui de sacrosancto iure dominioque Ecclesiae ne putent, ideoque religiose videant obtemperandum esse sacrorum canonum in hac re praescriptis, nisi statutas subire poenas, adversus huius sacrilegii reos gravissimas, velint. Alterum, ut quoniam divini cultus necessitatibus consulere, redacta ad inopiam, Ecclesia non potest, subsidio huic veniant catholici, uti par est, ac sumptus eiusmodi, pro sua quisque facultate, suppeditent.

Caeterum nolumus, propter has temporum acerbitates, despondeatis animum. Adspicite in auctorem fidei et consummatorem Iesum; qui cum ipse tentatus per omnia Ecclesiae suae similia perpetienda fore denuntiavit, tum, quod ipse vicisset mundum, in se confidere eam, iussit. Hac igitur fiducia subnixi, vos alacres, Ecclesiae sanctae causa, contendite; Nosque interea Deum implorabimus, ut et vobis opportunam det opem, et meliorem Reipublicae istius moderatoribus mentem iniiciat. Horum auspicem bonorum et paternae Nostrae benevolentiae testem vobis, Venerabiles Fratres et dilecti filii, et clero populoque vestro Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 14 Maii 1905, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X.

XV.

Consociatio *Mariavitarum* seu *Sacerdotum mysticorum*, apud Polonos, iterum reprobatur et supprimitur.

VEN. FRATRIBUS ARCHIEPISCOPO VARSAVIENSI ATQUE EPISCOPIS PLOCENCI ET LUBLINENSI APUD POLONOS DE SOCIETATE MARIAVITARUM DAMNATA

PIUS PP. X.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Tribus circiter abhinc annis huic Apostolicae Sedi rite delatum est nonnullos dioecesium vestrarum, praesertim e iuniori clero, sacerdotes, consociationem quamdam pseudomonasticam, sub nomine « *Mariavitarum* » seu « *sacerdotum mysticorum* » absque ulla legitimorum Praesulum licentia, instituisse, cuius sodales sensim a recta via debitaque Episcopis subiectione « quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei » deflectere et in suas evanescere cogitationes visi sunt.

Hi enim cuidam mulieri, quam sanctissimam, supernis donis mire cumulatam, plura divino lumine edoctam ac novissimis temporibus in perituri mundi salutem divinitus datam dictitabant, sese totos tamquam pietatis et conscientiae magistrae committere ab eiusque nutibus pendere haud veriti sunt.

Hinc, de praetenso Dei mandato, creberrima devotionis inter plebem exercitia (caeteroquin, si rite fiant, maxime commendanda) praecipue SS.mi Sacramenti adorationem ac frequentissimas communiones, proprio marte et indiscriminatim promovere; quotquot autem e sacerdotibus aut Praesulibus de eiusdem feminae sanctitate divinaque electione tan-

tisper dubios existimarent, vel *Mariavitarum*, quam vocant, consociationi minus amicos, eos criminationibus gravissimis impetere non dubitarunt, ita ut metus esset ne fideles haud pauci, misere decepti, a legitimis pastoribus recessuri forent.

Quapropter, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Generalium Inquisitorum, decretum de memorata sacerdotum sodalitate omnino supprimenda, ac de communicatione quavis cum supra dicta muliere penitus abrumpenda, die 4 mensis Sept., an. 1904, prout Vobis notum est, edi mandavimus. At vero memorati sacerdotes, etsi documentum scripto dederint de sua erga Episcoporum auctoritatem subiectione, etsi forte cum eadem muliere necessitudines partim, ut asserunt, abruperint; nihilominus ab incoepto molimine haudquaquam destiterunt, nec reprobatae suae consociationi sincero animo renuntiarunt; adeo ut non solum adhortationes et inhibitiones vestras despexerint; non solum, effronti quadam declaratione a pluribus ipsorum subscripta, communionem cum suis Episcopis respuerint; non solum seductam plebem haud uno loco concitarint ut legitimos propellerent pastores; sed etiam, perduellium more, Ecclesiam asseruerint a veritate iustitiaque defecisse, ac proinde a Spiritu Sancto esse derelictam, sibique solis, sacerdotibus *Mariavitis*, divinitus datum esse populum fidelem veram pietatem edocere.

Nec satis. Paucis abhinc hebdomadibus, in Urbem venerunt duo ex huiusmodi sacerdotibus, alter Romanus Pròchniewski, alter Ioannes Kowalski quem Praepositum suum, vi cuiusdam delegationis memoratae mulieris, sodales omnes agnoscunt. Hi ambo, supplici libello, de expresso Domini Nostri Iesu Christi mandato, ut aiebant conscripto, requirebant ut Supremus Ecclesiae Pastor, vel, ipsius nomine, Congregatio S. Officii documentum traderet his verbis expressum: « Mariam Franciscam (id est praedictam mulierem) factam a Deo sanctissimam, esse matrem misericordiae pro omnibus hominibus a Deo ad salutem vocatis et electis hisce ultimis temporibus mundi; omnibus vero sacerdotibus Mariavitis esse a Deo praeceptum cultum SS.mi Sacramenti et Beatissimae Virginis Mariae de Perpetuo Succursu, in toto orbe terrarum, propagare, sine ullis limitationibus neque a iure ecclesiastico, neque a legibus humanis, neque a consuetudinibus, neque a quacumque potestate ecclesiastica vel humana... »

Quibus ex verbis coniicere voluimus sacerdotes illos, non tam forte conscia superbia quam inscitia et fallaci rerum specie obcoecatos, sicut falsi illi prophetae de quibus Ezechiel: « Vident vana et divinant mendacium dicentes: Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos; et perseveraverunt confirmare sermonem. Numquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? Et dicitis: Ait Dominus; cum ego non sim locutus » (1). Hos igitur misericorditer exceptos adhortati sumus ut, posthabitis vanarum revelationum fallaciis, seipsos suaque opera salutifero Praesulum suorum regimini sincere subderent, et Christifideles ad tutam obedientiae ac reverentiae erga pastores suos viam reducere festinarent; ac denique Sedis Apostolicae aliorumque, ad quos pertinet, vigilantiae curam remitterent eas confirmandi devotionis consuetudines quae pluribus in paroeciis dioecesium vestrarum, Venerabiles Fratres, vitae christianae plenius fovendae viderentur aptiores, et vicissim eos, si qui forte essent, sacerdotes corrigendi, qui pietatis exercitia et devotionis formas in Ecclesia probatas detrectare vel parvipendere reperti forent. Haud sine animi solatio conspeximus eos, paterna Nostra benignitate commotos, ad pedes procumbere obtestarique firmam voluntatem votis Nostris filiorum devotione obsequendi. Deinde iidem scripto (1) declarationem Nobis porrigendam curarunt, quae spem augebat fore ut decepti hi filii sincero animo praeteritas ludificationes abiicere ad rectumque tramitem vellent redire:

« Nos semper (en verba) ad voluntatem Dei adimplendam, quae modo per Vicarium Eius tam clare nobis patuit, parati, sincerrime et laetissimo animo revocamus hanc nostram epistolam, quam die 1 Febr. a. c. ad Archiepiscopum Varsavien. dedimus, et in qua declaravimus nos separari ab Eo. Insuper sincerrime et cum gaudio maximo profitemur nos semper cum Episcopis nostris, in specie autem cum Episcopo Varsaviensi, unitos esse volumus, quoadusque Sanctitas Vestra id nobis iubebit. Praeterea, cum nos nomine omnium Mariavitarum modo agamus, hanc nostram professionem omnimodae obedientiae et subiectionis, nomine omnium non solum Mariavitarum sed universi coetus Adoratorum SS.mi Sacramenti, facimus. Specialiter autem facimus hanc professionem nomine Mariavitarum Plocensium qui propter causam eamdem, uti Mariavitae Varsavienses, suo Episcopo declarationem porrexerunt se ab Eo separari. Ideo omnes sine exceptione ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti, iterum, iterumque amorem nostrum et obedientiam erga Sanctam Sedem et specialissimo modo erga Vestram Sanctitatem profitentes, humillime veniam petimus, si quid a nobis vel propter nos paterno cordi Vestro dolorem attulerit. Denique declaramus nos statim omnibus viribus adlaboraturos ut pax populi cum Episcopis quamprimum restituatur. Immo affirmare etiam possumus pacem hanc revera brevi secuturam ».

Quapropter periucundum Nobis erat sperare hosce filios Nostros benigne condonatos, vix in Poloniam reversos, operam daturos, ut ea quae promiserant, re quamprimum praestarent. Atque idcirco Vos, Venerabiles Fratres, festine voluimus admonitos, ut eosdem eorumque socios, plenam auctoritati vestrae subiectionem profitentes, pari misericordia exciperetis et in pristinam, si facta promissis convenirent, conditionem pro muneribus sacerdotalibus exercendis ad iuris tramitem, restitueretis.

At spem fefellit eventus; nuperis enim documentis rescivimus eos mentem suam mendacibus revelationibus rursus aperuisse, et in Poloniam receptos non solum obsequii ac subiectionis testimonium quod polliciti fuerant, nondum Vobis, Venerabiles Fratres, exhibuisse, sed etiam ad socios et plebem quamdam dedisse epistolam, veritati ac genuinae obedientiae minime consentaneam.

Verumtamen inanis est asseveratio fidelitatis erga Christi Vicarium ab iis edita, qui re non desistunt suorum Antistitum auctoritatem infringere. Etenim « ex Episcopis constat pars Ecclesiae longe augustissima (prout legitur in epistola diei 17 mensis Decembris 1888 s. m. Leonis XIII, Decessoris Nostri, ad Turonensem Archiepiscopum) quae nimirum docet ac regit homines iure divino; ob eamque rem quicumque eis resistat, vel dicto audiens esse perti-

(1) Ezechiel, XIII, 6, 7.

(1) Die 20 Febr. an. curr.

« naciter recuset, ille ab Ecclesia longius recedit... Contra, « inquirere in acta Episcoporum, eaque redarguere, nullo « modo attinet ad privatos; verum ad eos dumtaxat at- « tinet qui sacro in ordine illis potestate antecedunt, prae- « cipue ad Pontificem Maximum quippe cui Christus non « agnos modo sed oves, quotquot ubique sunt, ad pascen- « dum commiserit. Ut summum, in gravi aliqua conque- « rendi materia, concessum est rem totam ad Pontificem « Romanum deferre; id tamen caute moderateque, quemad- « modum studium suadet communis boni non clamitando « aut obiurgando, quibus modis dissidia verius offensionesque « gignuntur, aut certe augentur.

Inanis pariter et subdola sacerdotis Ioannis Kolwaski ad socios erroris adhortatio de pace restituenda, si contra legitimos pastores blaterationes ac rebellionum fomenta perdurent atque audaces mandatorum episcopalium violationes.

Quamobrem, ne Christifideles et quotquot ex sic dictis *Mariavitis* sacerdotibus in bona fide perstiterunt, ludificationibus memoratae mulieris ac sacerdotis Ioannis Kowalski diutius decipiantur, decretum iterum confirmamus, quo *Mariavitarum* consociatio, illegitimo irritoque consilio inita, omnino supprimitur, eamque suppressam reprobatamque declaramus, firma manente prohibitione, ne qui e sacerdotibus, eo tantum excepto quem Plocensis Episcopus, pro sua prudentia, confessarium deputaverit, ad mulierem quam diximus, quovis praetextu accedere aut eam excipere audeant.

Vos autem, Venerabiles Fratres, vehementer hortamur, ut sacerdotes errantes, statim ac sincere resipuerint, paterna charitate amplectamini, eosque rite probatos ad munia sacerdotalia, ductu vestro, denuo obeunda vocare non renuatis. Quod si, spretis adhortationibus vestris, in sua contumacia perseveraverint — quod Deus avertat — muneris erit Nostri severius in eos animadvertendi. Christi vero fideles, nunc ignoscenda ludificatione deceptos, in rectam reducere viam studeatis; atque in dioecesibus vestris christianae pietatis exercitia, multiplicibus Sedis Apostolicae documentis iamdiu recenterque comprobata, eo alacrius foveatis quo liberius nunc, Deo dante, apud vos ministerium suum sacerdotes exercere fidelesque antiquae pietatis exempla aemulari valent.

Interea, caelestium beneficiorum auspicem, paternaeque nostrae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque universo, vestrae fidei vigilantiaeque commisso, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die V Aprilis MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X.

XVI.

Pius X laetatur de fide et studio Seminarii Theologici Mediolanensis erga Sedem Apostolicam.

DILECTO FILIO NOSTRO ANDREAE S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FERRARI, ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI, MEDIOLANUM.

PIVS PP. X.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Vigere in Seminario Theologico Mediolanensi fidem, obsequium, studium erga Nos et Apostolicam Sedem, iamdiu noveramus; agnovimus autem nuper ex iis, quas tu curasti ad Nos perferendas, amantissimas litteras, atque huius amoris pignus, Petrianam stipem. Id vero scias delectationi fuisse Nobis et solatio. Multa quidem sunt, quae perfunctionem Pontificatus maximi difficilem Nobis laboriosamque faciunt: sed illud in primis Nos angit et sollicitat, quod, quum ad despicientiam auctoritatis proiecta sint tempora, contumaces quosdam spiritus videmus inter bonos quoque serpere: atque huic vitio temporum nonnullos aliqua ex parte indulgere, qui minime omnium debeant. Profecto nihil tam absurdum tamque perniciosum cogitari potest, quam homines sacri ordinis esse ullos, quorum sentiendi agendique ratio obtemperationem et reverentiam Vicario Iesu Christi debitam non plane praeferat. Iamvero quidquam huiusmodi suspicari non licet de alumnis Seminarii tui, in quo sanctissimi Caroli disciplina etiamnum, te accurante, spirat: ac pro certo habendum est, eos omnes futuros tales ministros sacrorum, quales testantur se esse velle, idest Beati Petri Cathedrae toto pectore coniunctos, atque omnibus in rebus dicto audientes Pontifici. Nos interea haec pietatis observantiaeque testimonia libenter grateque amplectimur; eumdemque animorum habitum ut perpetuo tueatur et foveat ad propriam ipsorum et communem salutem divina benignitas, precamur. Ac coelestium munerum auspicem, Nostraeque paternae benevolentiae testem, tibi, dilecte Fili Noster, Seminarii Theologici moderatoribus, praeceptoribus et alumnis, iis praesertim qui sacerdotium inituri proxime sunt, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 10 Aprilis a. 1906, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

XVII.

Pius X laudibus et commendatione ornat coetum scriptis catholicis per Bavariam edendis.

PIVS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem (1).

Praestito Nobis a te atque a collegis tuis e spectabili coetu scriptis catholicis per Bavariam edendis, nihil possit esse obsequio iucundius. Eos enim agnoscimus officia Nobis observantiae deferre, a quibus, sodalitatis vinculo coniunctis, quasi aptissimo augendarum virium praesidio, tam multa exspectamus in tuitionem sacrarum Bavariae rationum emolumenta. Quae vobis saluberrimi condendi coetus éxstiterint initia, compertum id quidem est: illata scilicet per adversas partes in catholicam professionem arma, ingesta tamen, ut est aetatis ingenio congruum, per eas maxime vias, quae ab omni litterarum genere praesto esse possint. At si decertandum bonis est sive ad custodiendam civitatem Dei sive ad eius amplificandam vim; si, etiam, non illud praetereundum dimicantibus bonis est, artes artibus esse obiiciendas easdem, haec omnia fuere potissimum curae vobis, qui studio tuendae religionis acti, praeclarumque secuti exemplum virorum e sacro ordine, in unum generose coivistis, illas allaturi patriae utilitates, unde laetari Nobis

(1) Ad Ill.mum R. Franck eiusdem coetus praesidem, Monachii.

libet in praesens. Magnis propterea laudibus, quemadmodum illustria merita postulant, ornamus coetum, teque imprimis industrium fortemque praesidem, eosque una simul omnes, quos scimus adlaborare animose tecum, immemores sui, memores autem Ecclesiae, cuius certe profectum cum civitatis bono coniungitur. Commoda autem et incrementa Sodalitatis quum cordi Nobis sint, illud Bavariae universae commendamus, quod quidem plurimi in re gravissima refert, ut non modo sacrorum administri, verum etiam, praecipueque, *laici* nomen operi alacritatemque dedant. Omnes namque, quotquot catholica fide gloriantur, huic oportet fidei sive protegendae sive honorandae dare operam, et quando aptum prae caeteris opportunumque praesidium in sodalitate vestra est, eidem sese sodales addere. Quoniam vero nullum putandum est litterarum scriptorumque genus ab industria coetus alienum, id equidem expedire omnino atque adeo necesse esse existimamus, ut non ad labores solum, sed ad impendia quoque ferenda, quae sane pergrandia esse non ambigimus, singuli gerant paratissimum animum, ea nimirum erecti atque excitati re, quae per eos suppeditentur id genus subsidia, perinde ac lectissima pietatis opera ad religionem referri, et ad comparandam animorum salutem conducere. Nostram demum ut operi voluntatem testemur, tibi, sodalibus cunctis, atque iis, qui nomine operave coetui favebunt, auspicem coelestium gratiarum, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Aprilis anno MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X.

XVIII.

Breve Beatificationis Ven. S. D. Iuliae Billiart Institutricis Congregationis Sororum Beatae Mariae Virginis.

PIVS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quod Ioannes vidit in monte Sion Virginum agmen sequi quocumque ierit Agnum qui inter lilia pascitur, et suavissimum audivit edere canticum quod nemo poterat dicere, luculenter demonstrat quanti apud Deum habeatur intemerata virginitas, ea nimirum vivendi ratio, angelicae potius quam humanae naturae consentanea. Et sane providentissimus Deus qui investigabili sapientiae suae consilio, infirma mundi eligit ut fortia quaeque confundat, sanctas saepe foeminas, quae mundi illecebris posthabitis, sese totas coelesti Sponso manciparunt, ad magna et praeclara facinora peragenda excitat, et nefariis ausibus hominum profligatorum divina et humana omnia permiscentium muliebres vires opponit. Ex agmine enim Virginum, quae sequuntur Agnum, aliae intra claustra umbratilem et solitariam vitam ducentes, quasi hostiae voluntariae precibus, ieiuniis et continenti vitae ratione illatas Deo iniurias expiare ac divinam iustitiam compescere student; aliae contra, actuosam in assidua bonorum operum exercitatione aetatem agentes, in nosocomiis, in hospitiis, in scholis et in militaribus quoque castris, sollicita Marthae ministeria sortitae in proximorum emolumentum, industria christianae charitatis, studio incumbunt. Has inter, admirando non minus quam iucundo spectaculo anxiis bonorum animis de sorte iuventutis utriusque sexus, tot obnoxiae periculis ex impiorum hominum diuturno molimine, lectissimae illae sunt foeminae quae virginum animis, ceu teneris virgultis excolendis, et ad solidam pietatem doctrinamque informandis, quasi positae custodes in vineis animum adiecerunt, iuxta illud Ecclesiastici: (XXIV, 42) *Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.* Hanc illustrem in aciem iure enumeranda est Venerabilis Dei Famula Iulia Billiart, saeculo XVIII Gallici coeli lucidum sidus, optime de christiana republica per puellarum institutionem merita, et Mater legifera Congregationis Sororum Beatae Mariae Virginis. In veteris Picardiae oppidulo, cui vulgo nomen *Cuvilly*, dioecesis Bellovacensis intra fines nata et lustralibus aquis abluta est die XII mensis Iulii anno MDCCLI et Mariae Rosae Iuliae nomina infantulae sunt indita. Parentes tenuis conditionis habuit, qui agros colentes et exiguam mercaturam agentes, victum sibi suisque quaeritabant. Vix tener animus sese explicuit, constat mirificam in puellula enituisse virtutis indolem, quae quotidie magis confirmata est cum ad eam accederet optima parentum disciplina, qui in Iuliam e natis dilectissimam, curas omnes suas diligenti studio ponebant, ut pia et laboris amans succresceret. Ea aetate, quae maxime solet ineptiis nugisque esse dedita, nihil ipsa pueriliter fecisse dicitur, sed genitoribus ac magistris obsequens et domi ad modestiam composita, ut ne leviter quidem de ea parentes queri possent, curavit. In schola tam uberes brevi progressus fecit et doctrinae christianae praeceptis sic est erudita, ut puella septennis iam eadem in curiali templo aequalibus suis, annuente parocho, facile posset tradere. Videre erat Iuliam iam zelo illo, accensam, quo per vitam integram exarsit, pueros et puellas natalis oppidi ultro ad se accire eosque christianae fidei rudimenta mira patientia docere. Qua morum innocentia primam aetatem duxerit, ex eo facile coniici potest, quod eidem novenni et iam maximo coelestis convivii desiderio flagranti concessum fuerit, ut Sacrae Mensae particeps fieret, idque secreto, ne caeterarum invidiam excitaret. Sic adolevit dulcis egregiaeque indolis puella, singulari illi christianarum virtutum excellentiae praeludens, quam postea fuit consequuta. Annum agens quartumdecimum aetatis suae, quo coelesti Sponso liberius deserviret, se voto castitatis obstrinxit. Interea coetibus et ludis etiam licitis abstinens saepe in secretum domi seducta, divina mysteria meditabatur, et quotidie domesticis negotiis studiose absolutis, subsecivum tempus in Ecclesia devote ante Sanctissimam Eucharistiam flexis genibus orans insumebat, quasi in coelestium rerum contemplatione defixa, Deum flagitaret ut novas sibi vires animumque adderet ad proximos tribulationis dies tolerandos. Crescentibus enim rei familiaris angustiis, ad parentum inopiam sublevandam vel agrestes labores aggredi non dubitavit, ingenti cum fructu colonorum quos inter ipsa versabatur, haud minus operum socia, quam pietatis magistra. Saepe sub diu dum intermisso labore recederent, illa rusticos homines ad divinas simul laudes concinendas compellebat. Nondum quintum aetatis lustrum compleverat, cum subito in ipso iuventutis flore, paralysi correpta in lectulo iacuit ubi duos ac viginti annos affixa mirae fortitudinis ac patientiae documentum extitit. Et saevos enim destinati morbi cruciatus aequo iugiter animo

sustulit, et exemplo, precibus, consilio, adhortationibus nunquam iuvare proximos intermisit. Pueros et puellas circa lectulum assidentes catechesim docebat, saepe adultos homines, sed religionis praecepta non minus ignorantes, dulci eloquio ad eadem mandata servanda atque ad virtutis semitam terendam haud frustra hortabatur. Impetrata a parocho quotidianae Communionis venia, plures diei noctisque horas orationi dicabat, atque orans amore erga Deum ita inflammabatur, ut coelestis ille ignis ex ore ipso atque oculis emicaret. Sed brevi spirituale hoc etiam solatium Venerabili Dei Famulae defuit. Nam ea tempestate in Galliis, nefarie Rege interempto, summa rerum in manus profligatissimorum civium venit; hinc teterrima in bonos orta insectatio praesertim in nobiles et ecclesiasticos viros, qui Deo Regique fideles, iuramentum reipublicae detrectabant. Pulso in exilium patrii oppiduli Parocho, Iulia quam iam sanctae vitae fama invisam christiani nominis hostibus dabat, non sine praesenti Dei auxilio mortem effugit. Clam elata, infirmis enim cruribus insistere nequibat, huc illuc saepe ad necem a factiosis hominibus quaesita, perfugit. Itinerum difficultate, coeli inclementia, morbi cruciatibus, et instantis mortis metu confecta, vix querulas edere voces poterat, donec fere semianimis Ambianum traducta, penes piam et nobilem foeminam Comitissam de Boudoin securo tandem in asylo consedit. Hic futuri operis sociam Mariam Ludovicam Franciscam Blin, nobilitate generis non minus, quam virtutum ornamento praeclaram puellam reperit, quae lectulo Iuliae christianae charitatis spiritu adducta dum assideret, arctis se cum paupere infirma spiritualis et frugiferae amicitiae vinculis devinxit. Cum Venerabilis Dei Famula tot etiam ac tanta inter discrimina in apostolatu suo perseveraret, haec nobilis puella accitis ad se quinque aliis sociis ad finem praecipuum tradendi infantibus catechesim, prima posuit religiosae familiae fundamenta, ipsa in domo quae infirmam Iuliam recipiebat; et eam, quae licet decumbens, precibus et consiliis inchoatum opus sospitabat, dulci ineuntis communitatis matris superiorissae nomine coepit compellare. Interea cum paullum civilis tumultus in Gallia resedisset, accidit ut Patres a Fide nuncupati sacrae Missionis causa, duce Patre Varin e Societate Iesu, Ambianum peterent. Hic auctor Venerabili Dei Famulae consilii fuit instituendae societatis ad christianam puellarum educationem; hoc adiutore atque auspice frugiferum opus continuo obediens aggressa est. Nam Iulia illis cum paucis, quas sibi adsciverat, sodalibus operam religiosis viris contulit saluberrimam de foeminis populi edocendis maxime sollicita, quarum nonnullae in tanta temporum tristitia rudimenta religionis ignorabant. Quo vero utilius commisso apostolico munere fungi posset, pater qui missionibus praeerat nomine Enfantin probe noscens quot uberes, si convaluisset Venerabilis Dei Serva in Dominico agro fructus perceptura foret, labente mense Maio anno MDCCCIV quasi divino spiritu afflatus, Iuliam ut novendiales Sacro Cordi Iesu preces funderet, flagitavit. Quinto earumdem die ipsam in viridario piae domus Ambianensis de more sedentem adit, ut ambulet iubet, et statim dicto audiens Iulia e sella surgens incedit. Sic viginti ac duos post annos divinitus propulsata paralysi, novissimo illius novendialis supplicationis die Venerabilis Dei Famula firmo procedens gressu, mirantibus omnibus adstantibus et Sororibus puellisque, quae dulcibus consolationis lacrymis temperare non poterant, solemnes in communitatis sacello pro recuperata valetudine Deo gratias agere potuit. Alacrior effecta restitutas sibi vires omnes, quantum vita superfuit in operis suscepit propagationem effudit. Primum Instituto regulas ipse pater Varin dedit; illique nomen factum est: *Congregatio Sororum Beatae Mariae Virginis.* Nec mora; Venerabilis Dei Famula mirandum in modum nullis laboribus parcens, asperrima per aestus per glacies itinera suscepit, et ea nunquam fere intermisit, sive ut suae Congregationi nova domicilia excitaret, sive ut iam constitutis melius consuleret. Sed ardua pluribus obiectis impedimentis initia operis fuere, verum iam tot adversis rebus exercita planeque erudita Fundatrix, in Deo confisa nunquam animo cecidit, sed sparso felici semine et aucto in dies postulantium et alumnarum numero sollicitudinis constantiaeque condignum brevi praemium tulit. Et sane quamvis Venerabilis Dei Famula Galliam, ubi iam plures aperuerat domos, deserere, et in Belgium una cum Sororibus migrare coacta fuerit, maximos inibi, veluti uberi solo commissa arbor, Congregatio Sororum Beatae Mariae Virginis progressus nacta est. Florentes enim alumnarum frequentia domus pluribus in Belgii civitatibus, magno cum civium plausu et annuentibus Episcopis, erectae sunt, praesertim Gandavii et Namurci qua in urbe Fundatrix domum Congregationis principem collocavit. Ipse autem decessor Noster Pius Papa VII dum apud Castrum Fontebellaqueum iniqua in custodia tenebatur, Iuliae ad sua genua provolutae spem bonam dederat, futurae per universum terrarum orbem propagationis tam frugiferi operis pro ecclesiae iuventutis et christianarum familiarum bono feliciter atque ex auspicato instituti. Ab anno MDCCCVII ad annum mortalis aevi supremum, septem in Belgio Venerabilis Dei Famula domos aperuit, quarum pio regimini atque etiam incolumitati, licet inter maximi belli discrimina, mira prudentia prospexit; ac verbo, epistolis, sanctaeque vitae potissimum exemplis, in humilitatis, paupertatis, orationis, charitatis et christianae perfectionis spiritu Instituti sui religiosas sorores confirmavit, ita ut vere suavissimae Sororum Beatae Mariae Virginis appellationi responderent, atque in puellarum institutione, meliori illo uterentur magisterio quod manat ab exemplo, sicut ait Paulus Apostolus: *imitatores mei estote sicut et ego Christi.* Verum tot pro gloria Dei, proximorum salute et Congregationis propagatione laboribus exantlatis simulque voluntariis cruciatibus extenuata adesse sibi finem persensit. Extremi morbi dolores tres menses aequissimo animo perpessa Mariae Franciscae Blin, dulcissimae amicae et apostolatus sociae, quae Matris a Sancto Ioseph nomen in religione assumpserat et pro viribus in ministerio Fundatricem adiuverat, universae communitatis regimen concredidit, atque in obtutu Crucifixi Redemptoris haerens placidissimo exitu obdormivit in Domino, coelestes virginum choros tandem assequuta et Eius aspectu potita *in quem desiderant angeli prospicere* Namurci septimo idus Apriles anno MDCCCXVI aetatis suae sexagesimo quinto. Vita functae vultus nova quadam pulchritudine nituit; corpus aliquot post menses corruptionis expers repertum est. Quae autem viventem prosequuta est fama sanctitatis ea non defecit mortuam, sed viguit roborata miraculis quae per eius intercessionem a Deo patrata ferebantur. Religiosa autem communitas ab ea fundata, cui tot christianae familiae, temporibus difficillimis optimam puellarum institutionem acceptam referre debent haud se Namurci Belgiique finibus continuit, sed a Sancta

Sede probata vel in remotissimas plagas brevi se effudit, et sic maternae sanctitatis odor longe lateque manavit. Quare collectis testimoniis, et iuridicis inquisitionibus rite persolutis penes Sacrorum Rituum Congregationem Causa agi coepta est. Et cum Venerabilis Serva Dei adeo multiplici virtute floruerit, ut exempla eius proponi cuivis ferme vitae generi possint, modestiam enim et mansuetudinem cum fortitudine et constantia sociavit, cum urbanitatis officiis patientiam, cum sollicitudine regiminis poenitentiam, cum pietate charitatem, et cum assidua coelestium rerum contemplatione actuosam vitam, ipse Decessor Noster sanctae memoriae Leo Papa XIII in solemni conventu in Vaticanis aedibus in sua praesentia habito plane recordatus est se quo tempore Nuntii Apostolici munere apud Belgas fungebatur, saepissime graves e Clero viros atque etiam Episcopos audivisse praeclarissimae illius foeminae sanctimoniam summis cum laudibus efferentes, et per decretum octavo Idus Ianuarias anno MCMIII (1) datum, Venerabilis Dei Famulae Iuliae Billiart virtutes heroicum attigisse fastigium asseruit. Inita est deinde actio super tribus miraculis, quae ea deprecante patrata a Deo ferebantur, omnibusque iuridicis probationibus absolutis, Nos ipsi per decretum die X mensis Decembris anno superiore datum (2) de singulis constare diximus. Cum autem de virtutibus ac de tribus miraculis iam esset iudicium prolatum, unum supererat inquirendum, nimirum ut Venerabiles Fratres Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales Congregationi Sacrorum Rituum praepositi interrogarentur, utrum Beatorum coelitum honores Venerabili Dei Famulae Iuliae Billiart decerni tuto possent. Hoc praestitit dilectus filius Noster Dominicus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Ferrata Causae Relator in generali conventu coram Nobis, in Vaticanis aedibus tertio Kalendas Februarias vertentis anni habito, omnesque tum memorati Cardinales, tum qui aderant Patres Consultores affirmative responderunt. Nos vero ab aperienda mente Nostra supersedimus, rati exorare Deum oportere ante edendum in re tam gravi supremum iudicium. Quod cum impense fecissemus tandem Dominica prima Quadragesimae huius anni, Eucharistico litato Sacrificio, accitis et adstantibus Aloisio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Tripepi Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefecto et Dominico Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Ferrata Causae Ponente, una cum Venerabili Fratre Diomede Panici Archiepiscopo Laodicensi eiusdem Congregationis Secretario, nec non Reverendo Patre Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, solemni decreto sanximus tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Dei Famulae Iuliae Billiart Beatificationem quarto nonas Martias anno MCMVI (3). Quae cum ita sint, Nos precibus permoti universae Congregationis Sororum Beatae Mariae Virginis, auctoritate Nostra Apostolica harum litterarum vi facultatem facimus, ut Venerabilis Serva Dei Iulia Billiart, Institutrix eiusdem Congregationis, Beatae nomine in posterum nuncupetur eiusque Corpus seu Lypsana seu Reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica Nostra auctoritate concedimus, ut de illa recitetur Officium, et Missa celebretur singulis annis de Communi Virginum cum orationibus propriis a Nobis approbatis. Eiusmodi vero Missae celebrationem et Officii recitationem fieri dumtaxat concedimus in dioecesi Namurcensi et in omnibus ecclesiis et oratoriis, quibus ubique terrarum utitur Religiosa Congregatio Sororum Beatae Mariae Virginis ab omnibus fidelibus tam saecularibus quam regularibus, qui horas canonicas recitare teneantur: et quod ad Missas attinet ab omnibus sacerdotibus ad templa in quibus Beatae eiusdem festum agitur confluentibus, servato decreto Sacrorum Rituum Congregationis (3862 Urbis et Orbis) die IX Decembris anno MCCCXCV. Denique concedimus ut Sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei Famulae Iuliae Billiart in dioecesi ac templis supradictis celebrentur ad normam decreti seu instructionis Sacrorum Rituum Congregationis die XVI Decembris anni MDCMII de triduo intra annum a Beatificatione solemniter celebrando; quod quidem statis legitima auctoritate diebus, fieri intra annum postquam eadem sollemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris extensis haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XIX Martii anno MCMVI, Pontificatus Nostri anno III.

L. ✠ S.

ALOISIUS Cardinalis MACCHI.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XI, p. 28.
(2) *Item*, vol. XIV, p. 23.
(3) *Item*, vol. XIV, p. 24.

XIX.

De Sacris Congregationibus super Disciplina Regulari et de Statu Regularium Ordinum extinguendis.

PIVS PP. X.

MOTU PROPRIO.

Sacrae Congregationi super negotiis Episcoporum et Regularium providentissime constitutae duplicem aliam Romani Pontifices, decessores Nostri, congruenter necessitatibus temporum, adiecerunt. Nam Innocentius XII, ad tuendam in religiosis Italiae familiis sancti instituti integritatem, die XVIII Iulii an. MDCXCV Const. *Sanctissimus*, Congregationem instituit *super Disciplina Regulari;* quae quidem Congregatio, praeter propriam provinciam, conservandi scilicet inviolatam in Italia disciplinam religiosorum Ordinum internam, propositum habuit, opportuna Summo Pontifici consilia suggerere quae ad fovendam et reparandam eam ipsam disciplinam etiam extra Italiam pertinerent. Pius autem IX fel. rec. Congregationem *de Statu Regularium Ordinum,* quam ab Innocentio X fundatam Innocentius XII sustulerat, decreto die VII Septembris an. MDCCCXLVI edito tamquam extraordinariam restituit, eiusque hoc voluit esse munus, quod memoratae modo Congregationis partim fuerat, disciplinam in religiosis Ordinibus per universam Ecclesiam instaurare *novisque fovere decretis.*

At vero, mutatis hodie adiunctis rerum ac temporum, iam non satis esse causae videtur, cur hae duae Congregationes a Congregatione Episcoporum et Regularium distinctae permaneant; multum esse, cur ipsae cum illa coalescant, nempe ut religiosorum negotia melius et facilius, servato rerum ordine ac similitudine, expediantur. Eo magis, quod Congregatio super Disciplina regulari iamdiu communi utitur Cardinali Praefecto, et communis cum Congregatione Episcoporum et Regularium est utriusque Secretarius: Congregatio autem de Statu Regularium Ordinum munus sibi demandatum iam magna ex parte ad exitum feliciter adduxit. Itaque hisce omnibus mature perpensis, Nos Motu proprio Congregationem tum super Disciplina Regulari tum de Statu Regularium Ordinum penitus abolemus, abolitasque esse declaramus, ac facultates ipsarum omnes in Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium perpetuo transferimus. Quod autem his litteris decretum est, ratum firmumque auctoritate Nostra Apostolica iubemus esse, contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die 26 Maii anno millesimo noningentesimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

I.

DECRETUM. — IACEN. ET CAESARAUGUSTAN.

Paroecia Pradilla distrahitur a dioecesi Iacen. et adiungitur Archid. Caesaraugustan.

Intra fines Metropolitanae Ecclesiae Caesaraugustanae undique paroeciis eidem Archiepiscopali Ecclesiae subiectis circumsepta paroecia existit Pradilla nomine, quae iurisdictioni Iacensis Episcopi subest. Attentis incommodis quae ex hac rerum conditione necessario consequuntur, agi coeptum est cum Hispanico Gubernio eum in finem, ut supradicta paroecia a territorio Iacensis dioecesis distrahi posset, et Caesaraugustanae Ecclesiae Metropolitanae adiungi; cumque Hispanicum Gubernium nihil sua quod attinet obstare declaraverit quominus proposita unio fieret, tum R. P. D. Ioannes Soldevila et Romero Caesaraugustanus Archiepiscopus, tum R. P. D. Franciscus Valdes et Noriega Iacensis Antistes Apostolicae Sedi supplicarunt, ut paroecia, cui nomen Pradilla, a territorio Iacensis dioecesis Apostolica auctoritate distraheretur, et territorio Metropolitanae Ecclesiae Caesaraugustanae uniretur.

Re ad SS.mum D.num Nostrum Pium Papam X per me infrascriptum Sacrae Congregationis rebus consistorialibus expediendis praepositae Secretarium delata, Sanctitas Sua, spirituali fidelium regimini, meliori, qua fieri potest, ratione, consulere cupiens, omnibus matura deliberatione perpensis, ac probe noscens expostulatam separationem et unionem in animarum bonum esse cessuram, oblatas preces benigne excipere dignata est, ac de Apostolicae potestatis plenitudine paroeciam Pradilla nuncupatam cum omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus a territorio Episcopalis Ecclesiae Iacensis divisit et avulsit, eamdemque pariter ut supra cum omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus territorio Metropolitanae Ecclesiae Caesaraugustanae adiunxit et univit, ita ut in posterum memorata paroecia iurisdictioni Archiepiscopi Caesaraugustani eiusque successorum sit subiecta, prout hactenus Iacensis Antistitis spirituali regimini subiecta fuit, cum clausulis solitis et consuetis, suppleto, quatenus opus est, quorumcumque hac in re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Hisce autem super rebus eadem Sanctitas Sua praesens fieri iussit Consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si Litterae Apostolicae in forma Brevis super praemissis expeditae fuissent, cuius executionem, cum facultatibus necessariis et opportunis, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, demandavit praedicto Archiepiscopo Caesaraugustano, et Decretum ipsum referri voluit inter Acta Sacrae eiusdem Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die 15 Sept., anno Domini 1903.

† Raphaël, Archiep. Nicaenus,
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Secretarius.*

II.

DECRETUM — S. HIPPOLYTI ET LINCIEN.

Nonnullae domus separantur a dioecesi S. Hippolyti, et uniuntur Dioecesi Lincien.

Apostolicae Sedi litteris die 11 Aprilis hoc anno datis, retulerunt R. P. D. Ioannes Roessler, dioecesis S. Hippolyti Episcopus, et R. P. D. Franciscus Salesius Doppelbauer, Linciensis Episcopalis Ecclesiae Praesul, aliquarum domorum incolas et possessores, septem numero, quorum nomina sunt Georgius Panhuber, Thomas Wirleitnez, Franciscus Marck, David Seyerlehner, Florianus Eichinger, Iosephus Dürnberger, Leopoldus Eisenriegler, omnes ex paroecia Sancti Petri, dioecesis S. Hippolyti, priore tantum excepto, qui intra fines parochialis Ecclesiae a S. Michaële nuncupatae eiusdem dioecesis Sancti Hippolyti commoratur, enixis precibus a se expostulasse ut ipsorum domus cum adnexis terrulis a memoratis paroeciis dioecesis S. Hippolyti separarentur, et territorio parochialis Ecclesiae loci Neustift vocati Linciensis dioecesis, utpote proximioris, adnecterentur. Hanc vero unionem praedicti Antistites a civilibus Moderatoribus Austriae tum superioris, tum inferioris, in quarum finibus enumeratae domus existunt, approbatam renuntiarunt, eamque peropportunam asseruerunt, ideoque dignam quae ab Apostolica Sede decernatur; filii enim dictorum virorum ex civilis auctoritatis mandato scholas loci Neustift, cui uniri volunt, adire tenentur, et insuper infirmi, qui in dictis domibus commorantur, in extremis constituti, mutuo parochorum consensu iam ex antiquis temporibus sacramenta ex parochiali Ecclesia eiusdem oppidi Neustift recipere solent.

Re ad SS.mum Dominum Nostrum Pium PP. X per me infrascriptum Sacrae Congregationis rebus consistorialibus expediendis praepositae Secretarium delata, Sanctitas Sua, omnibus mature perpensis, cuncta, quae in spirituale animarum bonum cessura intelliguntur, decernere cupiens, attentis expositis, vota praedictorum Episcoporum benigne excipere dignata est, ac de apostolicae potestatis plenitudine, domus ad supra numeratos viros actu pertinentes cum terrulis adnexis omnibusque in ipsis commorantibus a territorio dioecesis S. Hippolyti divisit ac seiunxit, easdemque, ut supra cum adnexis terrulis et incolis in perpetuum territorio paroeciae loci Neustift vulgo nuncupati intra fines Linciensis Episcopalis Ecclesiae univit et aggregavit; ita ut in posterum dictae domus earumque incolae iurisdictioni Linciensis Praesulis sint subiecti, prout hactenus iurisdictioni Episcopi dioecesis S. Hippolyti subiecti fuerunt, cum clausulis solitis et consuetis, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Hisce autem super rebus eadem Sanctitas Sua praesens edi mandavit Decretum consistoriale perinde valiturum ac si Litterae Apostolicae super praemissis in forma Brevis expeditae fuissent, cuius executionem committi voluit R. P. D. Francisco Salesio Doppelbauer, Linciensi Antistiti, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, ac Decretum ipsum referri iussit inter Acta Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die 10 Octobris 1903.

† Raphaël, Archiep. Nicaenus,
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Secretarius.*

III.

Paroecia Zapponeta disiungitur ab Archidioecesi Tranen. et unitur Archid. Sipontinae.

Cum R. P. D. Thomas de Stephano, Tranensis et Barolensis metropolitanae Ecclesiae Archiepiscopus, litteris ad Apostolicam Sedem die 24 Octobris hoc anno datis, exposuerit paroeciam quandam suae Archidioecesis *Zapponeta* dictam, a tercentis fere incolis inhabitatam, atque prope Archiepiscopalis Sipontinae Ecclesiae fines sitam, a Metropolitana Tranensi civitate adeo longe abesse, ut pastorem inter et fideles necessaria commercia, hiemali praesertim tempore, ob viarum asperitatem difficilia admodum evadant; ideoque SS.mo D. N. Pio PP. X humiles obtulerit preces, ut eamdem paroeciam a sua archidioecesi separare et territorio Archiepiscopalis Ecclesiae Sipontinae, cui proxima est, cuiusque provinciae civilibus in negotiis subest, aggregare vellet; cumque R. P. D. Paschalis Gagliardi, Sipontinus Antistes, se memoratae paroeciae cessionem libenter excepturum declaraverit, idem SS.mus D.nus Noster, de omnibus per me infrascriptum Sacrae Congregationis Consistorialibus rebus expediendis praepositae Substitutum certior factus, omnibus mature perpensis, ac probe noscens propositam paroeciae *Zapponeta* unionem Sipontinae Archidioecesis territorio spirituali animarum saluti perutilem fore, attento Sipontini Praesulis consensu, votis Archiepiscopi metropolitanae Ecclesiae Tranensis et Barolensis benigne annuendum censuit.

De Apostolicae itaque potestatis plenitudine, Sanctitas Sua, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, paroeciam, cui nomen *Zapponeta*, cum omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus, a territorio Metropolitanae Ecclesiae Tranensis et Barolensis separavit et divisit, eamdemque pariter cum omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus Sipontinae Archidioecesis territorio adiunxit et aggregavit, ita ut in posterum memorata paroecia iurisdictioni Archiepiscopi Sipontini pro tempore sit subiecta, prout hactenus subiecta fuit iurisdictioni Praesulum Ecclesiae metropolitanae Tranensis et Barolensis; cum clausulis opportunis et necessariis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Ne quod autem detrimentum ex hac unione fidelibus paroeciae *Zapponeta* obveniat, praecepit eadem Sanctitas Sua, ut documenta omnia, eamdem paroeciam eiusque incolas respicientia, ab archivo metropolitanae Ecclesiae Tranensis et Barolensis extrahantur, atque debita forma, Cancellariae Sipontinae Archidioecesis tradantur, in eiusdem tabulario in posterum servanda.

Ad praemissa demum exequenda, Beatitudo Sua deputandum censuit eumdem Tranensem Archiepiscopum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quamcumque aliam personam ecclesiastica dignitate insignitam, nec non definitive pronunciandi super quacumque oppositione in executione peragenda quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione intra tres menses ad Sacram hanc Congregationem mittendi exemplar, authentica forma exaratum, peractae executionis, iussitque praesens hisce super rebus edi decretum consistoriale, perinde valiturum ac si super praemissis Litterae Apostolicae sub plumbo, vel in forma Brevis expeditae fuissent, et decretum ipsum inter acta Sacrae huius Congregationis Consistorialis asservari mandavit.

Datum Romae, hac die XXII Novembris, anno Domini MDCCCCIV.

Pro R. P. D. Secretario, Iulius Grazioli
S. Congr. Consistorialis et Sacri Collegii *Substitutus*

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 19 Maii 1906, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda :

A. — Per Summaria precum.

I. Nuscana. — Congruae curatae seu ordinationis capituli. — R. *Ad mentem.* (Reservata).

II. CERVIEN. — Dispensationis ab irregularitate. — R. *Dilata et ad mentem.*

III. FULGINATEN. — Subsidii quoad praebendas canonicales Ecclesiae Cathedralis. — R. *Ad mentem.* (Reservata).

B. — In folio.

I. ROTHOMAGEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative ad cautelam.* (Sub-secreto).

II. VILNEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative ad cautelam.* (Sub secreto).

III. SYRACUSANA. — Nullitatis matrimonii. — R. *Sententiam esse confirmandam.*

IV. AQUINATEN. — Privationis paroeciae. — R. *Ad mentem.* (Reservata).

V. POTENTINA. — Iurium. — R. *Ad 1um Affirmative ad 1am partem, negative ad 2am. Ad 2um Enunciatam summam dividendam esse pro prudenti arbitrio et conscientia Episcopi partim favore duorum Vicariorum Curatorum qui in Agro Avilianensi constituendi sunt, partim favore participantium ecclesiae receptitiae, excluso Archipresbytero. Ad 3um Negative. Ad 4um et 5um Servetur consuetudo.*

VI. PISCIEN. — Inhibitionis celebrationis Missae — R. *Attentis actualibus adiunctis affirmative et ad mentem.* (Reservata).

VII. VITERBIEN. — Adscriptionis seu adiudicationis bonorum. — R. *Negative in omnibus et amplius.*

VIII. VIENNEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative ad cautelam et vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta S. Congregatione.*

(Sub-secreto) Extra-ordinem.

A. — Per Summaria Precum.

2150/4 II.

Cervien. — Dispensationis ab irregularitate.

Ad instantiam oratoris 47 annos nati et ab Episcoco valde commendati, ut scilicet dispensatio concedatur ab irregularitate ex defectu facultatis visivae valde imminutae ob debilitatem nervi optici, responsum fuit: dilata et ad mentem.

Sub finem iam elapsi anni clericus Victorius Maria Zanfrognini clero Cerviensi rite adscriptus et in aetate an. 47 constitutus, cupiens ad sacros ordines ascendere, quam vocationem ad statum ecclesiasticum usque a prima aetate ipse confoverat, dispensationem ab irregularitate ex defectu facultatis visivae valde imminutae ob debilitatem nervi optici expostulabat. Hic defectus in fide medica Doctoris Baviera, ita declarabatur:

« Certifico io sottoscritto, dottore in Medicina e Chirurgia « residente a Cervia, che il signor Zanfrognini Vittorio è « affetto da diminuzione notevolissima del potere visivo in « ambo gli occhi, con prevalenza a destra, per debolezza « bilaterale del nervo ottico, per la quale presentemente è « impossibilitato a leggere e scrivere, e che devesi ritenere « possibile un miglioramento della funzione oculare tanto « più se si consideri che tale miglioramento si è in piccola « parte verificato da che il signor Zanfrognini dimora in « questa città di Cervia ».

Preces vero Oratoris enixe commendabantur ab Episcopo Cerviensi sequenti favorabili testimonio:

« Etsi Orator iam a prima aetate Divinam sibi noverit vocationem ad militiam Ecclesiasticam et in hunc finem sua litterarum studia et virtutum cultum converterit, attamen ad hanc usque aetatem pluribus adversis eventibus, suum votum differre coactus est. Ad annum usque vicesimum in Carpensi Seminario moratus eximia tum honestae vitae, tum in studiis profectum obtinuit testimonia. Postea, id exigentibus singularibus rei familiaris conditionibus, ad dissitas se transtulit regiones, in quibus, uti constat ex documentis inter acta positis, laudabilem vitae rationem semper tenuit, religionem et pietatem excolens et in humaniora, philosophica et iuridica studia sedulo incumbens. Notarilem lauream quoque obtinuit et de linguis edocendis doctor renuntiatus est. Dum tertium S. Theologiae cursum iniverat, conciliare S. Ioannis de Cuyo, in quo se receperat in America, propter infirmitatem relinquere coactus est et in suas redire regiones. Superiori anno 1904 audiens in hac Nostra Civitate Opera Pia deesse ad recte et sancte Christianos iuvenes instituendos, habitis a suo Episcopo litteris dimissorialibus huc se contulit expostulans ut sibi permitteretur institutio Operae Piae ab Episcopo Cerviensi designandae, pro cuius dotatione ex sua liberalitate decem mille Italicos argenteos persolvendos promisit. Hic theologicis studiis vacat sub privata disciplina praeclarissimi Canonici Doctoris, et adeo eximia suae scientiae pietatis et virtutum dedit et dat specimina, ut Nobis ne ullum supersit dubium, quominus Divinam habeat ad sacerdotium vocationem.

« Cum itaque Orator suae ordinationis titulum in promptu habeat ex Patrimonio sacro (instituto ex dispositione testamentaria Petri Tosatti, diei 3 Iulii 1821, pro eo ex familia Zanfrognini qui sacerdotium amplecti cupit), cum nullum dedecus sacri ordinis sit pertimescendum, visionis enim defectus minime exterius apparet, cum non leve sit bonum obventurum, suppliciter iterum exoramus ut petita dispensatio concedatur ».

Hisce acceptis, Episcopum rogavi ut Oratorem subiiceret inspectioni alterius periti physici, qui iuratam relationem de statu oculorum perficeret.

Medicus ab Episcopo deputatus, sub iuramenti religione deponit quod Orator: « Può migliorare alquanto nella po« tenza visiva. Egli è stato affetto da gravissima neurite « ottica in ambo gli occhi, ed ora s'avvia verso un processo « atrofico (del nervo ottico) se non si sottopone quotidiana« mente per molto tempo, ad una cura adequata ». Episcopus in transmittendo hanc medici declarationem iterum instat pro benigna gratiae elargitione, praesertim attento magno spirituali bono « che proverrà alla città di Cervia « dall'efficace concorso del Zanfrognini alla fondazione di « un istituto educativo per la gioventù maschile, alla quale « città come in tutto il resto della provincia nei tempi pas« sati, non si è mai provveduto alla cultura religiosa e « morale dei giovani, e dove mancano affatto le risorse che « abbondano in altre provincie, nelle quali a confronto con « questa, sono minori i bisogni ».

In themate agi de vera irregularitate vix est ut edoceam. Id aperte deducitur ex cap. *Presbyterum, de cler. aegrotante,* et cap. *Thomas... de corp. vitiat.* atque sancitum invenitur in pluribus causis agitatis apud H. S. C. uti videre est in *Neapolitana,* diei 17 Septembris 1814, in *Florentina,* 19 Aprilis 1823 et in aliis quamplurimis quae passim referuntur sive a Canonistis, sive ab Ephemeridibus Ecclesiasticis. Potius inspiciendum utrum attenta vigenti Ecclesiae disciplina et praxi H. S. C. congruum sit expetitam dispensationem ex apostolica benignitate concedi.

Iam vero gratiae aditum plura intercludere videntur. In primis morbi qualitas ea est, ut eius imminutio iuxta me-

dici fidem nonnisi post multum tempus obtineri queat, eoque magis si ratio habeatur provectae oratoris aetatis iam an. 47 supergressi. Hinc in re tam gravis momenti tutius evaderet hanc convalescentiam opperiri et interim gratiam differre.

Accedit quod ex constanti praxi huius Sacrae Congregationis huiusmodi dispensationes difficulter concedi solent, quando agitur non de promotis sed de promovendis. Reapse non desunt casus fere praesenti similes, in quibus non obstante bono Ordinarii testimonio, expetita habilitatio denegata fuit. Ita in *Vercellen.*, diei 28 Iulii 1860, clerico Aegidio Ferrari debilitate facultatis visivae affecto expetenti ad sacros Ordines initiari, ut dein Missam votivam B. M. V. in Festis duplicibus, et in semiduplicibus Missam defunctorum celebrare valeret, EE. PP., omnibus perpensis responderunt: *Non expedire.* — Ita in *Colonien.*, diei 13 Septembris 1862, cum Vincentius Krahe ob debilitatem facultatis visivae omnes res parum clare et distincte discernere nequiret, quamvis Missale Romanum grandiuscolis litteris Salisburgi auctoritate Archiepiscopi impressum perlegere valeret, tamen eius preces reiectae sunt per rescriptum: *Quoad sacros Ordines non expedire.* — In utroque casu Episcopus favebat precibus Oratoris, et testabatur de utilitate dioecesi obventura ex tali promotione. Ita demum rescriptum fuit in quadam *Carcassonen.*, diei 27 Februarii 1869, et in aliis quae consuli possunt in collectione causarum per summaria precum facta a Reus et Lingen, pag. 17-26.

Ex altera vero parte Oratoris preces videntur esse excipiendae. Praeter quam quod enim Episcopus eius pietatem et ingenium maxime commendat, adest etiam favorabilis periti physici relatio superius exscripta iuxta quam Orator progressu temporis « può migliorare alquanto nella potenza visiva ». Iam vero haec gratia concessa fuit cuidam clerico Alexandro Domitiano Mola in iisdem fere adiunctis constituto ac est Orator. Ipse enim ita laborabat in facultate visiva, ut nonnisi difficulter in Missali legere valeret, et res non videbat nisi in confuso. Tamen quia medicus curans testabatur: « Che detta debolezza non andrà mai oltre, anzi « havvi motivi fondati di sperare che terminata la crescenza « del corpo, la lamentata acuità visiva abbia da rinvigo- « rirsi », ideo benigna dispensatio concessa fuit per sequens rescriptum: *Arbitrio et conscientiae Episcopi, facto verbo cum SS.mo.* — Uti patet ex causa *Eporegien.: Dispensationis ab irregularitate*, diei 23 Iunii 1900 (1). In folio huius causae citantur aliae consimiles factae concessiones, quas operae pretium duco exscribere ut pateat vigens Ecclesiae disciplinae in hoc puncto et praxis huius Sacrae Congregationis.

« In quadam *Lavallen. Irregul., 14 Maii 1870*, gratia fuit concessa clerico Eduardo Privet, dioecesis Lavallensis, qui ob debilitatem oculorum nullo modo Sacrum in Missali legere valeret; attamen responsum prodiit: « Pro gratia « arbitrio Episcopi, facto verbo cum SS.mo ». Et in quadam *Geneven. Irregularitatis, die 20 Martii 1880*, dispensatio concessa fuit, ut Sacrum Ordinem Presbyteratus susciperet diaconus Franciscus Dufresne, qui oculorum usum ferme ita amisit, ut *rerum quemdam generalem et nebulosum conspectum haberet;* nihilominus, EE. PP., attenta oratoris pietate et Ecclesiae utilitate rescripserunt: « Attentis pecu- « liaribus circumstantiis pro gratia cum facultate Oratori « celebrandi Missam B. M. V. et obligatione adsistentiae « alterius sacerdotis vel diaconi, facto verbo cum SS.mo ». Item in *Faventina, Irregul., die 15 Februarii 1879*, nec non in *Maioricien., diei 30 Maii 1891*, dispensatio remissa fuit arbitrio et conscientiae Episcopi favore cuiusdam clerici, qui a nativitate ita caecutiens erat ut nonnisi difficulter

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. VIII, p. 292.

legere posset in Missali, etiam conspicillis munitus. Tandem in una *Augustana, diei 17 Iunii an. 1899* (1), gratia concessa fuit clerico Ludovico Hoefner, in aetate 24 constituto, qui ob visivae facultatis debilitatem irregularitate praepeditus erat; et tunc hoc prodiit favorabile responsum: « Pro « gratia dispensationis ab irregularitatis defectu, dummodo « orator celebret cum adsistentia alterius Sacerdotis, facto « verbo cum SS.mo ».

Haec quoad praxim H. S. C. In themate specialis etiam succurrit ratio favore Oratoris nempe quod ipse maximum auxilium impendere valet educationi religiosae puerorum in dioecesi, unde eius promotio vergit in magnam Ecclesiae utilitatem. Nec demum omittendum quod Orator habet passivam vocationem ad Sacrum patrimonium familiare, quod ipse consequi nequit nisi per ascensionem ad Sacros Ordines.

Quare, etc.

Responsum fuit: *Dilata et ad mentem.*

B. — In folio.

3972/4 V.

Potentina. — Iurium.

In hac causa, agitatur conflictus iurium quoad congruam, supplementum congruae, incerta etc. inter Archipresbyterum et Clerum Ecclesiae Receptitiae non numeratae.

In oppido — *Avigliano* — Potentinae dioecesis, parochialis extat Ecclesia receptitia sub titulo B. M. V. e Carmelo. Huius Archipresbytero in animarum cura ipsiusque paroeciae administratione vicissim per hebdomadas Vicariam operam usque praebuisse videtur totus eiusdem Ecclesiae clerus, eumque ab immemorabili e communi massa quae parochi congruam efformabat, caeterorum instar e receptitio clero, aequalem percepisse partem ferunt, licet ex quodam huius Ecclesiae Statuto — *Piano della Chiesa* — maior pro ipso, scilicet 200 duc. summa statuta fuerit.

Quoad utriusque stolae incerta dividenda inter Archipresbyterum et Clerum dictae Ecclesiae, haec in articulis 18 et 19 Instructionis 18 Nov. 1822 statuta sunt: « Art. 18. — « I diritti parrocchiali minori, detti anche di stola bianca « e nera, si divideranno in due parti uguali, delle quali « una prenderà il Parroco, ed un'altra si dividerà fra tutti « i partecipanti.

« Art. 19. — Nelle associazioni di Cadaveri, il Parroco, « quando intervenga o per se stesso o per mezzo di altri « che faccia le di lui veci, prenderà sempre una porzione « doppia ».

Archipresbyter Pace qui nunc Parochiam obtinet, dictam 200 ducatorum summam pro congrua a Gubernio relictam, in communem, prouti antea a suo decessore factum fuerat, contulisse massam videtur spatio 18 vel 19 annorum, donec anno 1904 obtentis pro congruae ipsius parochiae augmento a Gubernio libellis mille, prout refert Episcopus, « di motu- « proprio, cioè senza neppure informarne il proprio Vescovo, « ritira a sè tutto il Beneficio della congrua parrocchiale; « — di motu-proprio licenzia tutto il Clero ricettizio dalla « cura ed amministrazione spirituale della parrocchia; — « di motu-proprio si sceglie e nomina quattro nuovi coadiu- « tori (tra cui un proprio nipote, giovanissimo e verso cui « ho pochissima fiducia), e due sacerdoti a cui da poco « avevo sospeso le facoltà *ad audiendas;* — di motu-proprio

(1) *Item*, vol. VII, p. 288.

« dispone delle nuove mille lire e le assegna ai nuovi coa-« diutori arbitrariamente ed insipientemente nominati. Dopo « cotesti motu-proprî dell'Arciprete, non è a dire se il Clero « ricettizio facesse reclami, proteste e rumori, con le neces-« sarie conseguenze di confusione e disordine nell'Ammini-« strazione della Parrocchia, di indignazione e scandalo in « mezzo al popolo cristiano ».

Quare idem Episcopus die 18 Octobris 1904 eiusmodi edidit decretum: « Praesentibus Litteris decernimus et mandamus: *Nihil esse immutandum* tum quoad redditus, tum quoad servitium et administrationem spiritualem dictae Paroeciae; usque dum responsum auctoritativum non habeatur ab Episcopo Ordinario, vel a S. C. Congregatione rem definiente.

« Ideoque qui a Clero receptitio usque nunc servitium Ecclesiae et curam animarum praestiterunt, praestare perseverent; et omnes redditus, eo modo quo usque nunc distributi fuerunt, distribui volumus et mandamus.

« Novos reddítus, qui, nuperrime e gubernio civili redempti, in beneficium Ecclesiae Avilianensis obvenerunt, volumus et iubemus integros et absque ulla diminutione servari apud ipsum Archipresbyterum Pace, et id ad nutum Apostolicae Sedis super hac re citissime interrogandae ».

Verum Archipresbyter Pace cum idem decretum quod in S. Visitatione ab eodem Episcopo latum fuisse negabat, exequi renueret, iterate iste sub poena censurae ipsum ad hunc finem monuit. Immo cum ille asseruisset dictam S. Visitationem nunquam ab Episcopo in Avilianensi civitate fuisse peractam, hic die 8 Septembris 1905 ipsum Archipresbyterum a divinis suspendit, usque dum quae dictitaverat non retractasset.

Exinde Archipresbyter ad H. S. C. appellationem instituit, simul significans nullum citatum Episcopi decretum robur habere. Hic autem occasione abrepta petit ut actualis parochiae ac receptitiae Ecclesiae status Avilianensis civitatis immutatus maneat, tum etiam ut libellae 1000 nuper obtentae, pro duabus in Avilianensi agro perpetuis Vicariis erigendis impendantur, quae quidem propter distantiam a parochiali Ecclesia, ut animarum bono consulatur, prouti refert, necessariae videntur.

Partium procuratores, ad omnem in posterum quaestionem vitandam, plura proposuerunt dubia sive circa congruae curatae naturam, sive quoad libellarum 1000 elargitionem a Gubernio factam, sive quoad ius vice-parochos nominandi, sive denique quoad utriusque stolae caeteraque incerta dividenda, eaque de partium consensu concordata ita exscribuntur.

Parochi patronus ad expeditiorem dubiorum solutionem aliqua praemittit de natura atque origine congruae parochialis. Veteri disciplina elapsa, iuxta quam Episcopus unicus administrator habebatur omnium reddituum singularum Ecclesiarum, oblationes fidelium Massam Communem constituebant, ex qua sumebatur quod necessarium esset ad cultus expensas, ad pauperes, atque ad ministrorum conservationem. Parochialis congrua, ut Van Espen *Ius Eccl. Univ., pars II, sect. IV, tit. III De Portione congrua Parochorum*, refert, exorta est, cum commodis eorum consulendum esset qui animarum curam haberent in Ecclesiis ad Capitula et Monasteria pertinentibus, et semper cautum fuit ut haec portio sufficiens esset ad honestae vitae sustentationem: quare etiam *portio sufficiens* atque *competens* dicta fuit (Decret. *cap. 10, 12, de praeb.*).

Post saec. XI portio congrua, quae antea tantum pro *paroeciis unitis* constituta fuerat, pro *liberis* quoque statuta fuit, in quibus communis massa erat, et insuper *beneficii proprie dicti* naturam sumpsit, cum omnibus requisitis dotibus quae iuxta vigentem disciplinam hoc modo possunt resumi. — *a*) Congrua certis ac praefinitis redditibus erigi debet; sine congrua non concipitur parochus; — *b*) Congrua iisdem parochialis Ecclesiae redditibus constituitur, et sufficere debet ad honestam parochi conservationem, ne is odio fidelibus veniat cum *tenacius* ea quae vocantur *incerta* expetat; — *c*) Congruae bona, ut cuiusvis beneficii, ad ecclesiastica bona per Episcopalem collationem vel institutionem evehenda sunt; — *d*) Congrua naturam habet alimentarii subsidii; — *e*) In congrua adventitii redditus haud computandi sunt, quamvis computari possint emolumenta quae firmum constituunt proventum; — *f*) In congrua ne curionis quidem domus est computanda.

Deinde orator gressum facit ad naturam declarandam Ecclesiarum quae Receptitiae dicuntur, quaeque in Italiae inferioribus Provinciis praecipue reperiuntur. Istarum Ecclesiarum originem ex primis Ecclesiae temporibus repetit, considerans ius quod omnes sacerdotes servitio earum addicti habebant percipiendi de massa communi. Iuxta civilia decreta Receptitiarum Ecclesiarum bona usque ad extrema tempora ut laicalia servata esse affirmat, ita ut minime in iis Episcopus se inferret. Sacerdotes his Ecclesiis adscripti, ex iure civili religiosam quamdam societatem constituebant, quae patriae Ecclesiae cultum servabat, ex ea alimenta accipientes. Istae Ecclesiae semper *liberae* manserunt, animarumque curam in iis semper adscripti sacerdotes exercuerunt in communi, aequalem inter se de communi massa portionem dividentes, quin ulla nunquam beneficii neque congruae species statueretur, cum bona utpote laicalia civilibus municipalibusque legibus subiicerentur.

At quia in communitatibus aliqua officiorum distributio necessaria perutilisque evadit, ipsi participantes ut thesaurarium ad res sacras, cantorem ad regendum chorum etc., eligebant quoque vicarium curatum ad animarum curam, qui etsi interdum Archipresbyteri Priorisve nomen caperet, semper tamen ut Hebdomadarius non erat nisi Participans tantum, qui munus suum exercebat.

Attamen subsequentibus temporibus, prius per Regium Decretum *26 Aug. 1797*, quod *concursum* et *examen* instituebat (iuxta Trid. Conc. *cap. 18, sess. XXIV de Ref.* ac Benedicti XIV *Bullam « Cum illud »*), et postea per Concordatum anni 1818 inter Pium VII et Ferdinandum I, factum est ut Ecclesiae Receptitiae, servata aliquatenus antiqua natura, ad actuales ecclesiasticae disciplinae necessitates redigerentur. Qua de re bonorum laicitas cessavit et post decreta ab Episcoporum Commissione edita, ex portionibus totidem sacrae ordinationis tituli constituti sunt naturam induentes quasi-beneficiorum, ac omnes Receptitiae *numeratae* evaserunt. Quoad Receptitiae Ecclesiae paroeciam, Episcoporum Commissio nonnullas praescripsit regulas quas breviter ita resumit Patronus.

a) Constitutum est, Parochum receptitii Cleri caput esse debere, penes eum totam animarum curam manere; omnes autem Participantes uti Parochos Coadiutores considerandos, salvo Episcopi iure circa modum coadiuvationem stabiliendi. Qua de re Clerus non amplius curae dominus fuit.

b) Species massae unicae servata est cum Procuratore ex Clero, qui eam administraret; at cautum fuit ne redditus cuiusvis naturae incerti in ea computarentur, sed tantum ex bonis stabilibus, certisque redditibus summa quaedam deductis impensis, definiretur, atque ex ea primum Parochi congrua detraheretur, atque ex reliqua portiones constituerentur, quae veluti sacrae ordinationis tituli haberentur.

Proventus ac redditus incerti hoc modo distincti fuere: redditus ex *parochialibus iuribus*, et proventus ex *functionibus extra-parochialibus*.

c) Quoad incerta parochialia constitutum est, ut quaedam solus Parochus perciperet (veluti ea quae lucrantur ex actis de matrimonio, vel baptismate etc. fidem facientibus); alia quae albae nigraeque stolae redditus dicuntur, dividerentur dimidiatim inter parochum et participantes, cetera, idest funerarii redditus inter omnes dispertirentur, duplici portione Parocho tributa.

d) Quoad alios extra-parochiales proventus decretum fuit, ut in unum colligerentur, ad eam quae Massa parva vocata fuit, efformandam et inter omnes praesentes, sine ulla distinctione, distribuerentur.

Ex his rebus orator concludit in Receptitiis quoque Ecclesiis parochiale institutum reapse iuxta commune ius, ut in ceteris Ecclesiis, moderatum esse, et ad trutinam revocat adversariorum argumenta, quorum praecipuum in eo sistit, quod praedictae leges nunquam in Receptitia loci *Avigliano* Ecclesia viguissent, atque ad *consuetudinem* appellant, at inepte.

Factum enim contra legis dispositionem magis aequum esse debet quam lex ipsa, aliter factum illud veluti legis corruptela existimatur, proindeque uti malus usus vitandus. In casu, si parochus loci Avigliano contra decreta Episcoporum Commissionis congruam suam aliosque proventus non esset assecutus, lex contempta esset ideoque nunc urgendum id fieri quod tunc minime factum fuit; si autem congrua specie tantum ad Archipresbyterum pertinuisset, re vera aequaliter inter omnes participantes esset distributa, haud intelligi posset quomodo congrua illa, Parocho debenda, iure inter Participantes distributa esset. Insuper praetermitti plurimas, quae adduci possunt, auctoritates ex quibus colligitur nullam consuetudinem praescriptionemve contra parochialia iura valere posse, praesertim contra illud praecipuum ius congruae.

At potius factum suppositae consuetudinis attentius orator examinat, et tres diversas aetates considerat: *a)* Ante annum 1828, quo Potentinus Episcopus Planum Receptitiae ecclesiae loci *Avigliano* edidit; *b)* Ab an. 1828 usque ad annum 1853, quo Ecclesiae loci Avigliano leges de nova disciplina comprobatae sunt; *c)* Ab an. 1853 usque ad praesens. Ante annum 1828 libenter conceditur Archipresbyterum loci *Avigliano* propriam congruam haud habuisse.

Anno 1828 Potentinus Episcopus Planum publicavit, quod Episcoporum Commissionis decreta diligenter exsequitur, Participantium portiones determinat, congruam 200 ducatorum Parocho debendam statuit, omnesque illas dispositiones ita resumit ut novum statutum constituere videatur, quod reapse anno 1832 redactum est. Fragmentum quod inveniri potuit in Curia non paucas allusiones ad Parochi congruam continet; adest praeterea relatio, quam anno 1851 Clerus loci *Avigliano* ad Episcopum misit ut Plani supplementum decerneret, propter reddituum incrementum; qua in relatione Planum anni 1828 nominatur uti adhuc vigens. Tandem adest executio novi Plani, in qua pariter Parocho 200 ducatorum congrua confirmatur.

Restat igitur ut factum illud consideretur ab anno 1853. Parochi patronus admittit generaliter omnes Parochos usque ad praesens, contra ius suum, congruam inter omnes divisisse, sed hoc ex mera et voluntaria concessione factum fuisse affirmat, ex qua nullum perpetuum ius exoriri potuisse.

In casu, ne agitur quidem de vera conventione, sed de simplici quadam largitione, quae ad nutum immutari et revocari poterat.

Si diuturnitas temporis consideretur, ne 40 quidem anni continui habentur. Animadvertendum insuper singulos Parochos in dividenda congrua, diversam fuisse secutos methodum, distributionem ad tempus concessisse, sed tamen non eam concedendi, libertatem sibi reliquisse.

Primo dubio absoluto, orator gressum facit ad alia, in quibus tamen paulo immoratur cum eorum solutio tota pendeat a praecedenti. — Quoad II^{um} haec breviter adnotat. Certum est 1000 lib. illas a Gubernio solutas, pro coadiutoria, natura sua ad statutarios Participantes, veluti ad nativos Parochi Coadiutores pertinere. Ceteris enim Participantibus pensione fruentibus Gubernium ipsum propterea mercedem solvit. Verum eadem lex, quae omnes Participantes ut Parochi coadiutores indicat, constituit quidem, Episcopi esse Coadiutoriam illam actu moderare. Archipresbyter Pace salva Episcopi meliori sententia haec proponit: *a)* ut 300 lib. Oeconomo Curato loci *Filiano* adsignentur; *b)* 300 lib. statuantur pro Ecclesia loci *S. Angelo* quae ad oeconomiam curatam erigenda videtur: *c)* ceterae 400 lib. dividantur inter duos statutarios qui sunt Coadiutores Ecclesiae Matricis.

Quoad III^{um} dubium haec observat. Omnes Participantes iure Parochi Coadiutores sunt, cumque in praxi hunc vel illum Participantem delegare utile sit, qui efficacius Parochum coadiuvet, cumque mos ille semper viguerit in nova disciplina, opportune factum est, ut Parochus Participantes Episcopo indicaret, quos magis idoneos putaret. Quae praxis plerumque a S. V. C. in similibus causis comprobata fuit.

Quoad IV^{um} et V^{um} dubium, patronus ducit ea revocanda quae supra dicta sunt de praescriptione, de consuetudine etc. In specie quoad IV^{um} recolit legis dispensationes in nova disciplina; quoad V^{um} subiicit factum nempe Archipresbyterum Pace omnesque eius antecessores semper adventitiorum portionem vel parvam Massam percepisse.

— E contra Cleri receptitii patroni ostendere satagunt in Avilianensi civitate ius illud commune ab adversa parte allatum non fuisse in praxim traductum, sed ius quoddam particulare viguisse ac vigere.

Et quidem primum indicium ad probandum idem ius commune non fuisse ibi receptum, desumunt tum ex eo quod Clerus receptitius innumeratus manserit, tum quia Breve *Impensa* gratuitum prohibens servitium, non fuerit observatum, cum constet neo-sacerdotes Avilianensis ecclesiae per plures annos absque ulla mercede divino cultui inservisse.

Sane ex diuturna ac laudabili Cleri Avilianensis consuetudine, patere aiunt tum animarum curam tum quoscumque redditus penes cunctos Participantes distribui, adeo ut parochialis congrua de facto non existat, nec portiones maiores ac minores, sed omne aequali modo inter omnes dispertiatur.

Hinc recolunt de eadem consuetudine loqui Participantes qui nunc sunt ex eiusdem ecclesiae clero.

Imo probant non solum congruam parochialem sed quodcumque congruae supplementum ab omnibus aequaliter fuisse perceptum.

Nec officere nonnullos participantes declarationem quamdam subscripsisse, quae videtur parocho Pace favere. Nam tres ex his sacerdotibus, nempe D. Sileo, D. Genovese, H. Masi bona fide illam attestationem emisere, eamque veritate detecta retractarunt.

Cum itaque ex decem et octo sacerdotibus Participantibus qui in eadem ecclesia numerantur, tres tantummodo obsistant, scilicet sac. Donatus Pace senior, recurrentis Archipresbyteri nepos, sac. Vincentius Merlino, cui parum interesse aiunt de hac quaestione, utpote senex et annuatim pensione fruens lib. 189, 29; ac denique sac. Caietanus Stolfi, de industria quidem a parocho Pace contra Episcopi beneplacitum nominatus; iam sequitur omnes alios dictam consuetudinem invocare.

Hanc insuper et Procuratores Capituli, et Vicarius Foraneus et Episcopus Potentinus confirmant.

Et quidem adnotant patroni huiusmodi tum Participantium declarationem tum Procuratorum, tum Vicarii Foranei ac Episcopi confirmationem in pluribus documentis inniti quae ab an. 1828 usque in praesens habentur, adeo ut consuetudinem septuaginta fere annorum efforment.

Nec minus, iuxta ipsos, fundamentalia eiusdem receptitiae ecclesiae statuta praesenti quaestioni favent. Sane in Instructionibus 18 Nov. 1822 art. 2 ista habentur: « I Vescovi « nelle cui diocesi esistono Ricettizie formeranno i loro Piani « per ciascuna di esse, avendo riguardo al numero delle « anime, alle circostanze locali.... ». Iamvero cum Avilianensis paroecia tunc temporis fere 25.000 animabus constaret, et territorium, prouti hodie, late pateret, consequens est Episcopos Potentinos ita Statuta confecisse, ut in bonum paroeciae spirituale, huius curam cunctis sacerdotibus participantibus committerent, bonaque proinde communis massae omnesque redditus unicuique aequaliter assignarent.

Nec omittunt Parochum Pace eadem statuta e Curiae Archivio dolose subtraxisse, plurimasque, utpote ipsi contrarias, lacerasse paginas. Unde cum dicta Statuta iubeant omnes sacerdotes eodem gradu debere curam animarum gerere, iam patet ipsa etiam implicite congruae divisionem admittere.

Neque oggeratur Avilianensis Ecclesiae statuta in art. 33 specialem parocho congruam conferre. Siquidem animadvertunt patroni eumdem articulum recenti manu fuisse conscriptum ac diversum praeseferre atramentum, adeo ut de eius genuinitate dubitari possit; eo vel magis quod fini et naturae Statutorum contradicat.

Caeterum notum est parochum Avilianensem a tempore quo Statuta condita sunt usque in praesens (1832-1904) de facto eidem congruae nuncium misisse, prout ex Conclusione Capitulari diei 14 Sept. 1844 constat.

Pariter anno 1851 quamvis Clerus huius civitatis Episcopo exhibuerit Statum proventuum et expensarum Ecclesiae, ut scilicet Statutum suppletivum conficeretur, nullus tamen de speciali congrua parocho elargienda sermo factus est. Sic etiam ex relatione parochi Aloysii Carrieri anno 1868 Episcopo facta.

Aliud argumentum pro Receptitio Avilianensi Clero ex eo derivat, quod Bulla collationis paroeciae nullam contineat mentionem congruae duc. 200 pro solo parocho; imo contrarium apparet, cum Bulla expresse recenseat proventus parochiales ecclesiae octoginta ducatorum, una vero cum incertis centum ducatorum, non autem ducatorum 200.

Hinc memorant capta paroeciae possessione, parochum Pace congruam duc. 200 massae capitulari cessisse, prout fatentur D. Sileo, sac. H. Masi ipseque Episcopus.

Nec silentio praetereunt « Alcune modifiche sullo Statuto « fondamentale della Chiesa R. di Avigliano diei 24 Otto« bris 1900 », quibus ex una parte sacerdotes ad servitium semi-gratuitum in ecclesia parochiali praestandum obligantur, ex alia parochus cum ipsis proventus dividere tenetur.

His addunt aliud factum ex quo constat, quod redditus qui in fine anni supererant, a toto Clero dividebantur, parocho participante, contra Instructiones diei 18 Nov. 1822 quae statuunt: « Se vi saranno avanzi nella fine dell'anno, o per « aumento di rendita, o per vacanza di qualche participa« zione, si divideranno similmente fra tutti i Partecipanti, « escluso il parroco, il quale giusta l' articolo 10 deve « nella sua congrua avere una porzione notabilmente mag« giore delle altre partecipazioni ». Quare si dictus parochus Avilianensis dividit cum aliis etiam hos proventus, nempe « avanzi », iam sequitur specialem congruam ipsi haud esse assignatam.

Exinde concludunt pacificam in casu adesse consuetudinem, ex qua patet congruam duc. 200 non uni spectasse parocho, sed aequaliter inter totum Clerum semper divisam fuisse.

Ulterius patroni quadruplici ratione probare satagunt eamdem consuetudinem septuaginta circiter annorum non solum esse validam ac licitam, sed imo maxime laudabilem.

Ac primo quia ipsa in salutem animarum vertitur.

Ea siquidem fundatur in animarum concura, quae cumulative est apud omnes sacerdotes receptitios, qui eamdem curam sustinent, non solum quia hoc a natura ipsa ecclesiae expostulatur, quae receptitia est, sed attenta speciatim loci et paroeciae illius natura, adeo ut ipsi ab hoc onere sese eximere nequeant. Antiquitus enim non una sed duae ibi recensebantur paroeciae, scilicet SS. Rosarii et B. M. V. e Carmelo: nunc autem illa suppressa, unica extat paroecia B. M. Virginis e Carmelo in territorio tam lato ac difficili.

Et hoc revera evenisse recolunt, nam ex libro *Conclusionum Capitularium* patet omnium fuisse officium sub poena puncturae, sacramenta administrare SS. Viatici ac Extremae Unctionis, adeo ut illi qui hanc operam praestare renuerint, e gremio capitulari expuncti fuerint. Concuram autem semper habitam esse iubentibus Statutis, prout ex *Conclusione Capitulari* diei 14 Septembris 1844 apparet, nec non ex aliis documentis, ac praesertim ex conventione diei 24 Octobris 1900 « Alcune modifiche allo Statuto ». Qua super re ita retulit Episcopus: « L'Arciprete è stato sempre « coadiuvato nella cura delle anime ed amministrazione « della Parrocchia da tutto il Clero per turno ebdomadario, « senz'altra coadiutoria diversa e speciale ».

Quo igitur iure, concludunt patroni, parochus Pace sibi reservare praesumit congruam ducatorum 200, quae e contra merces et praemium esse debet pro veris Avilianensis Ecclesiae operariis?

Eadem secundo consuetudo laudabilis iuxta ipsos dicenda est quia nullo modo nocet parocho, imo potissimum ei favet. Nam ex una parte praecisione facta a congrua duc. 200, ipse habet totum quod parocho spectat, cum intacta maneat pro eo, ob alios proventus, congrua quae pro parochis est in duc. 100 iuxta cap. 13 sess. 24 Conc. Trid. de Ref.; ex alia minuitur pro ipso onus curae spiritualis, ita ut idem parochi nomen habeat, in facto autem ab aliis sacerdotibus parochiale munus impendatur.

Tertio quia ista consuetudo est iuxta ius commune. Etenim Conc. Trid. cap. IV, sess. de Reform. praecipit: « Episcopi etiam tamquam Apost. Sedis delegati, in omnibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, cogant rectores vel alios ad quos pertinet sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum ».

Iamvero, cum in casu de vasta paroecia agatur, quae nimio populo constat, et loci sint montuosi ac praerupti, sicut omnes sacerdotes receptitii coadiutorum munere fungi coguntur, ita omnes pariter aequum est ut appositam mercedem lucrentur, quae in divisione proventuum et congruae parochialis consistit.

Quarto denique laudabilis dicenda est dicta consuetudo, quia in casu tempus aptum ad praescribendum adest, scilicet septuaginta annorum. Et sane Capitulum intra idem temporis spatium congruam parochialem aeque divisit, nullo unquam parocho reclamante, imo cum Ordinariorum approbatione. His habitis, recte concludi posse contendunt patroni

consuetudinem in casu vere esse optimam legum interpretem et tuto sequi debere.

Praeter consuetudinem, aliud in themate argumentum afferunt ex ratione possessionis desumptum, quae Capitulo suffragatur. Cum enim constet ipsum per annos plurimos simul cum parocho proventus omnes divisisse, iam sequitur non licere illud e pacifica hac possessione disturbare. Caeteroquin quamvis parochus Pace ab initio parochatus libellas 200 e capitulari massa petiit, non autem duc. 200, quia decessor Archipr. Carrieri libellas tantum 200 e Capituli massa desumebat, recolunt tamen Capitulum obstitisse eiusmodi Archipresbyteri Pace postulationi, quia parochus Carrieri non quatenus parochus, sed alia ex ratione illam pecuniam ex massa sumebat. Ideoque idem parochus Pace qui tali cum conditione paroeciam acceptavit, nequit congruam praetendere, eo vel magis quod huic in parochatus decursu renuntiavit.

Post haec Cleri patroni difficultates diluere satagunt ab adversariis allatas. Isti enim contendunt nullam in themate adesse consuetudinem, cum obstet ius commune specialem parocho assignans congruam; ita in art. VII Concordatus inter S. Sedem et Regem Neapolitanum an. 1818; ita in Ministeriali diei 1 Octobris 1853 data pro Ecclesiae Avilianensi, in qua parocho huius Ecclesiae tribuitur congrua duc. 200; atque ita in « Piano della Chiesa Ricettizia di Avigliano » eiusdem anni 1853.

Verum quamvis ipsi concedant congruam statutam esse pro parocho, animadvertunt tamen legem in casu nunquam de facto fuisse applicatam, cum congrua divisa fuerit inter Clerum et parochum, prouti probatum est.

Neque difficultatem facessere addunt Archipresbyterum Carrieri super massam communem desumpsisse libellas 200. Nam « il Carrieri dopo il 1866 ebbe L. 200 come gli altri « pensionati. Fatto parroco non avrebbe potuto prendere « più di L. 200 come pensionato, e la congrua come pa« roco per legge civile, non potendo godere due beneficii » (*in Actis*). Et Episcopus: « Sopravvenute le leggi eversive, « l'Arciprete Carrieri (ch'era Arciprete del tempo) non ri« tenne per sè la propria porzione di 200 ducati, rispar« miatagli dal Governo, ma seguitò a metterla in massa co« mune, e a condividerla in parti eguali con gli altri con« fratelli sacerdoti: e ciò per non privare la importante e « difficile Parrocchia d'Avigliano dell'opera e dell'assistenza « di tutto il Clero ricettizio (come è accaduto in tutte le « altre Parrocchie) ».

Exinde patet dictum Archipresbyterum consuetudinem antiquissimam servasse dividendo scilicet cum Clero congruam parochialem.

Secundo opponunt adversarii quod, etsi de consuetudine ageretur, haec in casu esset irrationabilis et proinde a iure reprobata. Praetensa enim consuetudo esset contra iura parochorum, et implicite contra Breve *Impensa* quod Ecclesias innumeratas esse vetavit, ac sustulit contrarias quascumque consuetudines; et esset contra alias dispositiones, quae rationabiliter congruam dant parocho. Signanter Breve *Impensa* vim habet legis universalis, atque, ut valeat, non pendet ab acceptatione vel minus subditorum; hinc licet agatur de consuetudine *ab immemorabili* in contrarium, haec nullum haberet robur; eo vel magis quod in alia *Potentina* diei 21 Maii 1904 (1), H. S. C. iussit applicationem Brevis *Impensa*, quamvis ageretur in casu de consuetudine contraria octoginta annorum.

Huic difficultati, adversae partis patroni respondent negando dictam consuetudinem irrationabilem dici posse, cum potius sit iuxta ius commune et Breve *Impensa*, in animarum quidem utilitatem latum atque in Ecclesiarum sanctiorem cultum; et haec omnia magis consequi si proventus inter Clerum dividantur, iam supra probasse adnotant.

Quoad vero allatam causam *Potentinam*, negant paritatem, animadvertentes quaestionem quae tunc inter Episcopum et Capitulum Cathedrale Potentinum vertebatur diversi generis fuisse, meritoque illam consuetudinem fuisse reprobatam, cum esset contra quaedam inviolabilia Episcopi iura. Hinc nil mirum si H. S. C. quaesitui: « An Ecclesia Cathedralis Potentina subiaceat dispositionibus Brevis *Impensa* », reposuit: Affirmative. E contra in casu contrarium accidit, cum dicta consuetudo non noceat parocho, ac maximum afferat fidelibus bonum, attenta speciali natura Ecclesiae illius, et paroeciae, ac territorii Avilianensis.

Neque oggeratur consuetudinem hanc nullo modo posse sustineri, cum Breve *Impensa* ad hoc datum fuerit ut tolleret quodcumque statutum contrarium et privilegium ac consuetudines in Ecclesiis receptitiis. Contendunt siquidem idem Breve reprobasse consuetudines reprobandas, id est iniquas et irrationabiles; eam vero de qua agitur licitam esse ac laudabilem. Ad rem afferunt quae habet Reiffenstuel lib. I, tit. IV, n. 185 seq.

Nec pariter mutatio rerum invocari potest inducta a Gubernio italico per leges eversivas assis ecclesiastici; nam iuxta iuris canonici principium, quidquid a laica potestate incompetenter circa res ecclesiasticas disponitur, tamquam irritum retinendum est. Hac super re celeberrimum adest Decretum « *Ad dirimendas* » diei 22 Februarii 1876, ab H. S. C. ad tollendas quotidianas quaestiones datum, relate ad parochiales praebendas a Fisco adsignatas ex bonis Massae communis Ecclesiarum Capitularium, Collegiatarum vel Receptitiarum.

Unica proinde in praxi manet quaestio, an scilicet revera bona a Fisco pro congrua parocho adsignata, fuerint ex massa communi desumpta; quod quidem cum ab Archipresbytero a Clero atque ab Archiepiscopo fuerit confirmatum, extra controversiam manet. Eo vel magis autem quod eadem congrua tenet locum illius quae antea a Municipio Avilianensi solvebatur titulo supplementi congruae parochialis, quamque omnes sacerdotes lucrabantur, prout ipse parochus Pace fassus est.

Quapropter cum congrua parochialis quam parochus solus percipere vult non aliud sit quam antiqua massa communis, super quam omnes Participantes ius habebant, iam sequitur eam inter omnes dividi debere. Et hinc nullum dubium iuxta patronos, quod parochus reddere quoque debeat: « I « due o tre semestri che capricciosamente ed ostinatamente « ha ritenuto per sè fino all'epoca del decreto vescovile 18 Ottobre 1904 », ceu observat Episcopus in sua Informatione.

Nec omittunt, quocumque modo resolvatur quaestio, congruam pro parocho non posse esse ducatorum 200, prout esse poterat cum redditus Ecclesiae summarii concedebant duc. 800; nam hodie cum hi redditus sint valde imminuti, imminuenda etiam est parochi congrua.

— Ad alteram quaestionem devenientes patroni, an scilicet elargitio 1000 libellarum facta a Gubernio, impendenda sit pro quatuor vice-parochis, vel potius eroganda sit iuxta mentem Episcopi in casu, reponunt eamdem summam non pertinere parocho, ut deinde illa utatur pro quatuor viceparochis, sed omnibus sacerdotibus Participantibus, qui tamen huic elargitioni renuntiantes, secundum Episcopi mentem distribuendam sinunt, ut scilicet, de ipsa pro meliori fidelium bono disponat. Et sane cum dictae mille libellae quas nunc Gubernium, praeter congruam lib. 900, paroeciae Avilianensi concedit, nihil aliud sint nisi restitutio quaedam

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. XII, p. 191.

bonorum quae in supprimenda Receptitia Collegiata arripuit, profecto tum eiusmodi congrua lib. 900 tum nova libellarum 1000 elargitio per Gubernium facta, sunt ipsa antiqua massa communis totius Cleri, ac proinde in eam sunt iterum immittendae.

Mens autem Episcopi haec est: ut duabus vicariis perpetuis in Agro Avilianensi constitutis, minuatur pro parocho parochialis ministerii onus in tam vasto territorio.

— Ad tertium dubium descendentes patroni, ius vice-parochos nominandi respiciens, praeterquam quod haec quaestio ipsis videtur otiosa, cum iidem Participantes habeant curam animarum « per turno ebdomadario », discordiam et animarum etiam damnum parere adnotant.

Iura autem Episcopi circa coadiutorum electionem salva esse debent, quibus proinde eorum nominatio ac confirmatio spectat. Ita Concordatus (1818) art. XI: « Sanctitas Sua concedit Episcopis Regni huius (Neapolitani) conferendi paroecias, quae quovis anni tempore erunt vacaturae... »; hinc Ministerialis diei 13 Martii 1850: « Poichè, tanto nel Con« cordato in vigore, del quale sono rimasti in piedi solo i « veri patronati, e non altre concessioni e privilegi, che col « Breve Pontificio *Impensa*, e Sovrane Istruzioni, non deve « dedursi servitù alcuna nella istallazione dei parroci, ma « sia di libera collazione dei Vescovi... » (*Collez. citata par. XII, n. 2*). Et quoad electionem Participantium, per Breve *Impensa* hoc inductum est: « I Vescovi che un tempo « nelle nomine de' Partecipanti non avevano altro diritto « che quello di una nuda conoscenza di idoneità, ora confe« riscono le partecipazioni con giudizio indipendente ed inap« pellabile... » (Torelli, *Chiave del Concordato 1818, v. II, par. 2, pag. 75, nota 27*).

Unde si Archipresbytero Pace facultas nominandi coadiutores pro arbitrio concederetur, servitus ex parte Episcopi haberetur, quod est contra ius commune et ius particulare neapolitanum.

— De quarto denique ac quinto dubio disserentes, quae respiciunt sic dicta « diritti minori » parochi, contendunt patroni consuetudinem, quae valet pro aequa congruae parochialis divisione inter omnes Participantes et Archipresbyterum, valere etiam pro incertis stolae albae et nigrae aliisque cunctis adventitiis.

Et hanc praxim iam ab anno 1844 invaluisse adnotant. Unde sequitur consuetudinem hanc immemorabilem, quae praescriptionem et possessionem Clero favorabilem gignit, observandam esse instar alterius consuetudinis, quae parochialis congruae divisionem respicit.

Eo vel magis, addunt, quod Parochus Pace cuncta stolae albae incerta sibi assumit, quae recensentur in *art. VI*, Plani, 1828, dum e contra in *art. 18*, Instr. 18 Nov. 1828 statuitur: « I diritti di stola bianca si divideranno in due « parti eguali, delle quali una ne prenderà il Parroco, ed « un'altra si dividerà fra tutti i partecipanti ».

Aliud argumentum ipsis suffragatur a conventione die 24 Octobris 1900, parochum inter et Clerum inita adstante Episcopo, qua neo-sacerdotes per triennium tenentur servitium semi-gratuitum parocho offerre, quo praestito, quisque eorum « parteciperà a tutto l'introito », seu « all'intera congrua « parrocchiale... e a « qualunque altro possibile introito, da « qualsiasi fonte e per qualsiasi ragione ». Ideoque capitulares ius habent ad aequam partitionem non solum congruae parochialis eiusque supplementi, sed et ad aequam partitionem, facta proportione, aliorum emolumentorum.

His accedit aequitatis ratio, ex eo quod scilicet clerus gravi prematur inopia.

Quare ob peculiarem oeconomicam Avilianensis Receptitii Cleri conditionem expetunt, ut iuris aequitatisque normae in casu applicentur, donec novum Statutum condi possit, prout factum est in *Potentina* diei 21 Mai 1904 quoad cathedrale capitulum; item ut in posterum licitum parocho non sit suam portionem lucrari dum est absens; pariterque illi qui parochi vices in funeribus gerit, si unus sit e Participantibus non liceat amplius portionem propriam et portionem parochi percipere.

His itaque relatis, modo sequentia proponuntur resolvenda

DUBIA

1um. *An Archipresbytero Ecclesiae Receptitiae loci* Avigliano *spectet congrua 200 ducatorum, seu potius eadem congrua dividenda sit inter Clerum memoratae Ecclesiae, in casu?*

2um. *An elargitio libellarum 1000, facta a Gubernio, impendenda sit pro Vice-parochis, vel potius eroganda sit iuxta mentem Episcopi, in casu?*

3um. *An eidem Archipresbytero spectet ius nominandi Vice-parochos, salvo iure Episcopi eosdem confirmandi, in casu?*

4um. *An incerta utriusque stolae dividenda sint inter Archipresbyterum et Clerum dictae Ecclesiae ad tramites articulorum XVIII et XIX Instructionis 18 Nov. 1822, in casu?*

5um. *An quoad cetera incerta eidem Archipresbytero spectet aequa portio una cum Participantibus, in casu?*

Responsum fuit: *Ad 1um Affirmative ad 1am partem, negative ad 2am. Ad 2um Enunciatam summam dividendam esse pro prudenti arbitrio et conscientia Episcopi partim favore duorum Vicariorum Curatorum qui in Agro Avilianensi constituendi sunt, partim favore participantium ecclesiae receptitiae, excluso Archipresbytero. Ad 3um Negative. Ad 4um et 5um Servetur consuetudo.*

3133/5 VII.

Viterbien. — Adscriptionis seu adiudicationis bonorum.

Decernitur hodierno Collegio-Convictui Viterbiensi nullum competere ius in bona antiqui Collegii Iesuitarum, rite concessa die 2 Ianuarii 1827 Seminario et Collegio episcopali.

An. 1622 in civitate Viterbiensi erectum fuit Collegium S. Iesu, quorum munus erat publicas habendi scholas pro iuventutis institutione. Secuta ex dispositione Clementis XIV an. 1773 suppressione huius Societatis etiam collegium fuit extinctum, et eius bona R. Camerae Apostolicae fuerunt devoluta. Verum instante Episcopo Viterbiensi primum domus et ecclesia cum omnibus suppellectilibus extincti Collegii, et deinde huius bona ex benignitate Summi Pontificis Seminario dioecesano donata et cessa fuerunt. Verum quia cum cessione bonorum etiam adiectum fuit onus publicam tradendi instructionem sicuti antea Iesuitae solebant; ita Seminarium passim nuncupari coepit Seminarium et Collegium Episcopale.

Anno 1815 restituta Societate Iesu auctorante Pio VII, Moderatores Communitatis Viterbiensis preces porrexerunt eidem Pontifici pro redintegratione extincti Collegii Iesuitarum et pro retrocessione huius favore bonorum quae Seminario obvenerant ex facta extinctione. Utrique petitioni annuente Pontifice, Collegium S. Ignatii redintegratum fuit, et quo meliori modo Seminarii indemnitati consuleretur, hoc a domo Collegii penes Conventum Carmelitarum provisorie fuit translatum. Insuper inter restitutum Collegium et dictam

Communitatem conventio inita fuit, vi cuius ex una parte Patres Societatis Iesu sese obligabant nedum ad habendas scholas publicas, sed etiam ad retinendum apud se convictum seu collegium puerorum, ex altera vero Communitas sese adstringebat ad rependenda quotannis eidem Iesuitico Collegio 500 scutata pro scholis publicis, et alia 300 pro manutentione dicti Convictus, ut cautum legitur in instrumentis publicis dierum 15 et 29 Aprilis 1816.

Hoc Iesuitarum Collegium cum publico athenaeo et convictu perduravit usque ad annum 1826 quo decreta a Superiore Generali suppressione nonnullarum domorum, haec etiam extincta mansit. Collegio dissoluto Episcopus Viterbiensis, uti alias evenerat an. 1773, cupiens Seminarii necessitatibus occurrere, expostulavit a Summo Pontifice ut bona collegii Seminario addicerentur. Verum quia Episcopus in animo habebat publicas scholas continuare, et convictum puerorum retinere sicuti iam a Iesuitis peractum fuerat, idem Epicopus per privatas litteras monitus fuit Pontifici magis expediens videri, pro bono Seminarii regimine « di separare « le scuole pubbliche da quelle del Seminario medesimo e « che (*Episcopus*) coi beni retroceduti dai Padri Gesuiti ed « appartenenti all'antico loro patrimonio provveda al suo « Seminario, ed alla Comune resti il peso di mantenere le « scuole comunali a proprie spese, vale a dire coll'assegna- « mento che pagava ai PP. Gesuiti ». Huic Pontificis menti Episcopus non acquievit, sed iterum instetit pro prima propositione, idest, « che la Comune iterasse col Seminario « quei patti, quali già fece nel 1816 colla Compagnia di « Gesù ».

Cum Pontifex Episcopo morem gessisset, hinc inter Episcopum Viterbiensem, et Communitatem sub die 14 Octobris 1826 concordia inita fuit sequentibus distincta articulis: « 1° Mons. Vescovo si degna di dare alla Comune sei mezzi « posti, quattro in qualità di alunni e due in qualità di « convittori, etc. 2° La Comune in corrispettività, previa « l'approvazione pontificia, si ripromette di osservare gli « stessi patti convenuti con i PP. Gesuiti nell'Istrumento 29 « aprile 1816, cioè di dare sc. 500 a titolo di scuola, e sc. 300 « all'apertura del Convitto..... 5° In coerenza sempre delle « massime come sopra stabilite della rinnovazione dei patti « fra la Comune e l'Ordinario di Viterbo, si mettono attual- « mente a disposizione di Mons. Vescovo tutti i beni urbani « e rustici, crediti e ragioni secondo la nota inserita in « detto Istrumento, compreso ancora il Predio delle Conver- « tite, dato in compenso dell'incendio seguito nel Collegio, « con facoltà che Egli a nome del Seminario ne possa pren- « dere il possesso, come e quando gli parrà opportuno ». Dicta conventio subiecta fuit S. P. Leoni XII qui sub die 21 Decembris an. 1826 eam ratam habuit.

Deinde anno sequenti 1827 sub die 2 Ianuarii inter Episcopum et Deputatos Seminarii ex una parte et seniores Communitatis ex altera, publicum super ea conventione redactum est instrumentum.

Ex eo tempore in aedibus Seminarii duo incoeperunt adesse instituta nempe Collegium clericorum et laicorum Convictus, qui novissime ab an. nempe 1878 insigniri coepit nomine *Collegio-Convitto*. Haec duo instituta sub unica administratione fuerunt, et quamvis Communitas Viterbiensis nixa fuerit cessum patrimonium vindicare coram laico tribunali, tamen causa cecidit. Recenter vero occasione separationis bonorum utriusque entis exorta est quaestio utrum et quatenus dictum Collegium ius haberet in bonis a Iesuitarum Collegio an. 1827 ad Seminarium devolutis. Hodiernus Episcopus ut litis expensas vitaret et quo facilius partes sese componerent, quaestionem pro solutione Episcopo Montisfalisci remittere satius duxit, et super hoc per appositas litteras partes monuit eas invitans ad sua iura deducenda coram eodem Episcopo.

Partium deductionibus acceptis, Episcopus Montisfalisci sub die 4 Iunii 1905 laudum omnino favorabile emisit favore seminarii seu declaravit quod Collegium-Convictus nullum ius habet in Iesuiticum patrimonium eidem Seminario an. 1827 transmissum. Collegii Moderatores datam decisionem non uti arbitralem sententiam, sed potius uti simplex votum reputantes, recursum ad H. S. C. porrexerunt instantes ut quaestio iuris ordine servato dirimeretur. Adlecti partium procuratores in sequens dubium discutiendum convenerunt scilicet, « *an et in quanam mensura constet de iure Collegii Episcopalis Viterbiensis in bona antiqui Collegii Iesuitarum per cessionem diei 2 Ianuarii 1827 Seminario et Collegio Episcopali data in casu?* ».

Sit modo compendium rationum quas, ex traditis mihi licet non suo tempore allegationibus, pro meo officio colligere curabo.

Seminarii patronus duo sibi probanda proponit nempe: 1° Seminarium Viterbiense semper fuisse et esse unicum dominum bonorum antiquitus ad Collegium Iesuitarum pertinentium. 2° Dato et non concesso quod praeter Seminarium aliud collegium ipsorum condominus constitutum fuerit, hoc profecto dici non posse actuale Collegium-Convictus. ita ut ei omnis actio est deneganda.

Prioris asserti veritatem prae primis patere ait ex ipsa factorum historia, quam ita breviter reassumit. An. 1773 suppresso Iesuitico Collegio Viterbiensi in ipsius bona unice successit Seminarium ex concessione SS. Pontificum Clementis XIV, Pii VI et Pii VII. Restituto Collegio an. 1815 eidem ab uno Seminario fuerunt retrocessa: et tandem an. 1826 iterum Iesuitarum Collegio extincto, bona ipsius ab Episcopo expetita fuerunt in favorem sui Seminarii; Pontifex, uti ex documentis erui licet, in facienda concessione nonnullas conditiones circa separationem scholarum publicarum a Seminario apponere volebat, at refragante eas Episcopo Viterbiensi, tandem eius votis plene annuit, et inter eumdem Episcopum et Communitatem Viterbiensem inita fuit concordia.

Haec vero concordia, qua bona Collegii Seminario adiudicabantur, supposita fuit Pontificio beneplacito, et Pontifex eam ratam habuit. Dein ipsa conventio in publicum instrumentum redacta fuit, at intercesso Apostolico beneplacito, per factum instrumentum ea substantialiter variari non poterat, prouti evenisset si iura Seminarii imminuta forent per admissionem alterius instituti ad bonorum concessorum participationem. Nam de bonis extincti Collegii iam S. Sedi devolutis, licet provisorie et uti in deposito a Communitate Viterbiensi retentis, nonnisi Summus Pontifex disponere poterat. Hinc post interventum beneplacitum Episcopus et Communitas in stipulatione instrumenti quamvis de communi consensu, nihil statuere valebant sub poena nullitatis in praeiudicium factae assignationis. Quare etiamsi paulisper admittatur quod ex littera instrumenti aliquod ius in concessis bonis Collegio-Convictui adscribatur non ideo tamen dici potest probatum eius condominium, cum instrumentum corrigere seu variare nequivisset iam in terminis approbatam a Pontifice conventionem.

Sed, urget advocatus, nulla substantialis discrepantia inter concordiam et instrumentum existit, si demas nonnulla vocabula et denominationes, quae, si bene historia duce intelligantur, melius et proprius donationis subiectum demonstrant.

Sed ulterius advocatus expendenda aggreditur verba citati instrumenti et in iis nullam esse substantialem contradictionem cum inita conventione contendit..... Clara itaque est, ait advocatus, vocabulorum aequivocatio. Suffecto Seminario

extincto collegio Iesuitico etiam in scholis publicis, nil mirum est si Seminarium etiam nomine collegii fuerit insignitum. Sed ex hoc non sequitur quod duo extiterint entia distincta, sed unum institutum duplici nomine, et hoc sensu etiam usurpatum est in praecitato instrumento.

Hoc praestituto advocatus refutare satagit libellum litis introductivum a Collegio-Convictu exhibitum, nam si Collegium satis pingue patrimonium ante an. 1827 possidebat sive per se sive per PP. Iesuitas, profecto intelligi non potest, cur Iesuitarum Collegio dissoluto, ea bona non fuerint separata, sed potius primo cesserint ad Communitatem et dein ad instantiam Episcopi translata et assignata fuerint favore Seminarii et Collegii Episcopalis; profecto si meum est praedium, hoc a tertio mihi cedi aut transferri dici non potest.

Quin obiiciatur hodiernum Collegium partem bonorum Iesuitis spectantium haereditasse, quando illorum patrimonium cessum et translatum fuit favore Seminarii et Collegii Episcopalis. Nam, ut superius animadversum est, Seminarium et Collegium Episcopale unum institutum efformabat tempore factae cessionis, et Convictus a Iesuitis retentus in proprio collegio, nondum erat Seminario adiectus. Imo ut hic in Seminario aperiretur, fuit necessaria conventio inter Episcopum et Communitatem vi cuius haec sese obligabat « di pagare annualmente ed in perpetuo scudi 500 a titolo « di sussidio per le scuole e scudi 300 per il convitto ». Si itaque aperitio Convictus in Seminario est posterior superius relato instrumento, concipi non potest ipsum cum Seminario constitutum fuisse haeredem patrimonii extincti Collegii Iesuitarum; nec insuper explicari posset, quomodo Episcopo Viterbiensi tam in conventione, quam in instrumento, data esset facultas apprehendendi possessionem dicti patrimonii nomine unius Seminarii.

Demum advocatus expendit, ab an. 1827 quo Convictus Seminario fuit adiunctus, pensionem persolutam a Convictoribus fuisse in maiori quantitate ac illam ab alumnis Seminarii persolutam. Pensio enim pro alumnis primitus erat in annuis scutatis 50, quae dein ad 72 evecta fuit. E contra Convictores primo persolverunt scutata 72, adaucta postea pensione ad scutata 96. Sed posito Convictus condominio in praefato patrimonio, eiusmodi pensionis distributio aequa non fuisset, praesertim attento quod dictum collegium erat ditatum annuis 300 scutatis a Municipio Viterbiensi rependendis. Relate vero ad alias rationes quae adhuc afferri possent, advocatus rogat EE. VV. ut eas perlegere dignentur in laudo emisso ab Episcopo Montisfalisci, et quod typis exaratum separatim describere curavit.

Absoluto primo orationis capite, ad secundum divertitur advocatus, et probare satagit, quod dato etiam et non concesso, quod praeter Seminarium, tempore factae conventionis, aliud extaret institutum, hoc profecto dici nequit fuisse hodiernum Collegium-Convictum, cui proinde omnis actio est deneganda. Re quidem vera, ut regressus fiat ad historiam, extincto an. 1826 Iesuitico Collegio, unum remansit Seminarium. Equidem Iesuitae convictum retinebant, sed eorum collegio dissoluto, etiam cessavit convictus sive hic spectetur ut Collegii accessorium, sive in collegio consideretur obligatio illud manutenendi, quo postremo casu demortuo Collegio desiit obligationis subiectum: indeque reciprocus superius relatus contractus ex parte Iesuitarum retentionis Convictus, et ex parte communitatis solvendi quotannis 300 scutata penitus resolutus fuit.

Ut Convictus restitueretur iam cum discessu Iesuitarum expiratus, necessaria fuit iteratio conventionis inter Seminarium et Communitatem ad exemplum illius stipulatae cum Iesuitis anno 1815, prouti factum fuit assentiente Pontifice. Si igitur Convictus nondum existens cohaeres esse non poterat cum Seminario, profecto cum lucernis esset scrutandum iuxta advocatum, quale institutum praeter Seminarium in praecitato instrumento designetur, quatenus nomine Seminarii et Collegii Episcopalis iuxta adversarios duplex ens intelligi velit.

Insuper quoniam nomine Collegii Episcopalis de quo in saepe dicto instrumento, indicari praetenditur hodiernum institutum, nomen ab ipso assumptum et modus quo res contigit, id apertissime excludit. Instrumentum, uti ex eo liquet, loquitur nedum de Seminario et Collegio Episcopali sed etiam de Convictu aperiendo. Post factam a Communitate sponsionem de 300 scutatis pro eo solvendis annuatim, in iisdem aedibus praeter Clericorum Seminarium etiam Convictus existere incoepit, qui nunquam nomine Collegii, aut Collegii-Convictus decoratus fuit ante an. 1878: ab hoc anno tantum hoc nomen usurpatum invenitur.

Qua ratione id evenerit, ita enarrat advocatus. Communitas Viterbiensis datam fidem iuxta conventionem solvendi quotannis favore Seminarii scutata 500 pro scholis publicis, et scutata 300 pro Convictu religiose servavit ab an. 1827 usque ad an. 1870, quo tempore secuta Gubernii italici occupatione, Seminarii scholae ex neotericis legibus non amplius recognitae sunt.

Ex eo tempore Communitas non amplius solvit pacta 800 scutata, et sic Convictus sensim sine sensu vitam amittens an. 1874 plene fuit extinctus. Seminarium proinde solum dominus superfuit patrimonii sibi ex suppresso Iesuitico Collegio transmisso, et quamvis Viterbiensis Communitas Seminario vadimonium dixerit coram laico Tribunali ad dictum patrimonium sibi vindicandum utpote scholasticum, tamen eius actio fuit reiecta. Cessato, uti iam notatum fuit, Convictu usque ad annum 1878 tantum Seminarium Viterbio extitit. Verum ex solertia et zelo nonnullorum sacerdotum factum est, ut ex eo tempore aedes Seminarii iterum aperirentur iuvenibus laicis pro morali et civili instructione. Prima itaque vice tunc Convictus donatus fuit hoc nomine *Collegio-Convitto*: sed hoc novum institutum toto coelo differt ab antiquo convictu, cuius favore ab an. 1827 promissa fuit persolutio annualis 300 scutatorum Seminario facienda, ut facile quisque intelligit, et uti patet ex approbatione ipsius civilis potestatis concedentis ut collegium tamquam novum institutum aperiretur. Unde advocatus ex enucleatis concludit, etiamsi paulisper velit admitti quod sub nomine Seminarii et Collegii Episcopalis in dicto instrumento aliud institutum praeter Seminarium indigitetur ad successionem Iesuitici patrimonii, tale profecto esse non posse hodiernum Collegium-Convictum, ipsumque propterea ab ipso iudicii limine esse repellendum, imposita ei insuper damnatione ad expensas ob temerariam intentatam litem.

Completa duplicis thesis seu capitis demonstratione, advocatus nonnulla carptim delibat de laudo tradito ab Episcopo Montisfalisci in praesenti quaestione, et sustinet partes vere in arbitrum compromisisse. Siquidem actualis Episcopus Grasselli eas monuit controversiam pro arbitratu remissam fuisse Episcopo Montisfalisci, coram quo easdem impulit ad sua iura deducenda: deductiones intra congrua statuta tempora exhibitae sunt, et hisce expensis Episcopus Faliscodunensis suum laudum seu sententiam arbitralem edidit. Quare de vero arbitratu dubitari non posse colligit advocatus.

Ex adverso Collegii defensor, adnotato quod sibi multa documenta Collegio faventia praesto esse non possunt, utpote ablata a Rectore Seminarii in cubiculo Rectoris Collegii occasione arrepta huius absentiae, antequam causae meritum ingrediatur, nonnulla primum disputanda censet circa naturam, originem et destinationem controversi patrimonii.

Revera origines Collegii S. Ignatii atque Seminarii Collegiique Episcopalis fere coaevae fuerunt; attamen finis utriusque instituti valde diversus. Nam primum erectum fuit tantum pro institutione laicae iuventutis, e contra Seminarium et Collegium Episcopale praecipue intendebant clericorum educationem. Exinde evenit ut benefactores horum institutorum, maxime hos fines respexerint in suis largitionibus; nempe donarunt Collegio Iesuitico pro laicali instructione tantum promovenda, Seminario vero et Collegio Episcopali pro clericali et laicali simul obtinenda educatione. Igitur inspecta dantium voluntate, Iesuiticum patrimonium est patrimonium scholasticum laicale.

Neque natura huius patrimonii immutata est ex pluribus translationibus successivis favore Seminarii et Collegii. Ita in precibus Cardinalis Episcopi Pianetti illud expetentis pro Seminario et Collegio appellatur « rendite già in perpetuo « e legittimamente destinate alla pubblica istruzione »: et quando hi redditus cesserunt Seminario et Collegio Episcopali devoluti sunt cum titulo oneroso seu « col peso di mante« nere in Viterbo le pubbliche scuole ». Neque in huiusmodi translatione ulla secuta fuit confusio, sed dicti reditus semper manserunt destinati pro institutione laicae iuventutis. Igitur concludit defensor nullo modo dubitari licet de iure Collegii Episcopalis ad dictum patrimonium inspecta eius natura et voluntate donatorum, potius inquirendum esset quo titulo Seminarium sibi addicere praetendat, dicta bona publicae instructioni destinata.

Hisce praemissis advocatus ius collegii Episcopalis vindicare satagit, in duas partes orationem suam dividens: in quarum prima agit de iure Collegii post concessionem dierum 21 Decembris 1826 et 2 Ianuarii 1827. Re quidem vera an. 1826 antequam Iesuitarum scholasticum patrimonium transferretur, Episcopus Pianetti supplicavit Leoni XII ut istud esset addictum Seminario Episcopali. Cum annuisset petitioni Pontifex, sequens contractus inter Episcopum et Communitatem, praevia iam approbatione R. Pontificis, die 2 Ianuarii 1827 initus fuit: « I lodati signori Gonfalonieri « ed Anziani cedono e trasferiscono a favore del Seminario « e Collegio Vescovile già aperto.... tutti e singoli diritti « azioni e ragioni sopra i suddetti beni ». Haec documenta interpretatione non egent, cum aperte loquantur de cessione etiam favore Collegii Episcopalis. Igitur sive expendantur Episcopi preces, sive examinetur concessio et contractus in quo ea fuit relata de iure Collegii Episcopalis una cum Seminario ad patrimonium extincti Iesuitici Collegii, dubitare nefas est.

Quin ab adversariis oggeratur, antiquitus tempore secutae conventionis nomine Seminarii et Collegii Episcopalis unum tantum designari institutum nempe Seminarium, cuius proinde bono tantum facta fuit cessio dicti patrimonii. Reponit advocatus hanc interpretationem esse contra historiam et factum: nam ante dictam conventionem iam existebant regulae pro institutione et educatione utriusque instituti compositae ab Episcopo Viterbiensi Connestabili et in lucem editae a Delegato Apostolico E.mo Castiglione. Episcopus Connestabili diem obierat supremum an. 1806 et Cardinalis Castiglione an. 1815; igitur illae regulae cessionis instrumentum antecedunt. Advocatus ut probet distinctionem utriusque instituti sequentes earum articulos recitat: « Art. 1. « Esercizi di devozione. I. La mattina al primo suono della « campana dovranno tutti, tanto alunni che collegiali, pron« tamente alzarsi dal letto etc.

« Art. II. Della disciplina e dei costumi. 1. Tutti, tanto « alunni che collegiali, puntualmente obbediranno a tutti i « superiori etc.

« Art. IV. Del vestire. 2. Nell'uscire a spasso gli alunni « andranno sempre con sottana e soprana paonazza, i col« legiali poi vestiranno l'abito corto di color nero etc. ». Et ita deinceps eadem distinctio inter Alumnos et Collegiales invenitur in toto parvo volumine. Aliud proinde de facto erat institutum pro clericis et aliud pro collegialibus.

Item data interpretatio est contra historiam ab ipsis adversariis admissam in nonnullis foliis typis editis. In Seminario Viterbiensi, ita ibi, « si ammettevano anche con« vittori, non essendovi altro istituto di educazione con con« vitto ». Hoc eveniebat an. 1766. Anno 1809 « nel Semi« nario erano 19 alunni e 19 Convittori ». Non unum itaque tantum antiquitus adfuit institutum seu Seminarium. Fortasse, ait defensor, contingere potuit ut tempore existentiae Iesuitici Collegii ab an. 1816 ad an. 1826, Collegium Episcopale passum sit alumnorum penuriam: at quidquid de hoc sit, illud certum est ante factam bonorum Iesuitarum assignationem ab Episcopo Pianetti Collegium Episcopale pro laicis fuisse restitutum, uti ex ipsius precibus et secuta conventione diei 2 Ianuarii 1827 eruitur.

Sed opponunt adversarii. Si tempore factae concessionis extabat Collegium a Seminario distinctum, cur huic facta est obligatio « di mantenere un convitto di giovani secolari »? Hanc difficultatem diluit defensor observando, quod collegium ante impositam conditionem ab Episcopo tenebatur pro lubitu, in posterum vero ad eius manutentionem obligatus mansit vi contractus. Caeterum etiamsi sub nomine Seminarii et Collegii Episcopalis tantum Seminarium designatum intelligatur, non ideo dici debet Collegii ius peremptum. Nam uti liquet sive ex Episcopi precibus sive ex contractu secuto, Seminario imposita fuit in bonorum cessione conditio « di mantenere a vantaggio del pubblico le « scuole... nonche un convitto di giovani secolari ». Unde collegium in his bonis si ius non habet ut terminus factae assignationis, saltem habebit ut terminus impositae conditionis.

Secundum argumentum advocatus derivat ex saeculari observantia. Sane quod an. 1826 et 1827 publicis actis fuit sancitum, id aevo subsequenti fuit per fere 80 annos in praxim deductum.

Sed praeter usum, ait advocatus, suffragantur etiam datae tempore non suspecto interpretationes sive a Congregatione oeconomica, sive ab Episcopis sive ab aliis. Anno 1869 quando actum est de separatione bonorum utriusque entis, Congregatio oeconomica administratrix tum Seminarii tum Collegii declaravit in coetu habito coram Cardinali Episcopo Gonnella, omnia bona derivantia ex patrimonio Iesuitico spectare ad Episcopale Collegium. Idem senserunt tum Emus Episcopus tum eius Vicarius Generalis Mariani, tum componentes dictam Congregationem. Haec declaratio vero de bono Collegii iure fuit etiam roborata ex facto sequenti.

Vix edita decisio innotuit, duos sacerdotes aientes se cleri mentem interpretari violenter coram eodem Episcopo protestati sunt de facta propositione separandi bona utriusque instituti, at insimul bonum ius Collegii admiserunt uti ex verbis recursus facile deprehendi potest.

Quin imo in eadem protestatione dicti sacerdotes novam resolutionem proponentes, nempe quod unitas administrationis aliquandiu servaretur, etiam apertius ius Collegii agnoscunt. Igitur Collegii ius neque ab ipsis Seminarii defensoribus impugnari potuit.

Attamen refert advocatus, quod dicta protestatio vix Curiae Episcopali exhibita fuit, reclamantes severe coarguti sunt ab eodem Episcopo per epistolam in qua haec leguntur: « Io « non posso nè devo giustificare decisioni da me sanzionate « ed approvate dalla sola autorità competente a darmi « consigli di amministrazione del Seminario, quale si è la

« Congregazione economica ». Neque aliter sese gessit canonicus Polidori tunc Cleri praefectus, qui non dubitavit « so« lennemente protestare e colla massima pubblicità » contra audaciam eorumdem duorum sacerdotum qui falso interpretantes Cleri mentem absque eius mandato reclamaverant.

Sed neque hoc satis: cum proposita separatio ad effectum deduci non potuerit ob secutam Societatis Iesu civilem suppressionem, quae ad utrumque institutum regendum iam erat destinata, anno 1892 ea iterum sub Episcopo Paolucci decreta fuit. Tunc, quod est sedulo notandum iuxta patronum, sub novo Episcopo, sub novo Vicario Generali et nova Congregatione oeconomica, noviter ius Collegii confirmatum et solemniter recognitum fuit.

Ex superius vero disceptatis sive de saeculari observantia, sive de saeculari interpretatione, advocatus novum ac plenum argumentum exurgere ait, nempe argumentum praescriptionis. Huius vero effectus hic est, quod etiamsi Collegii ius clarum et indubitatum non elucesceret ex praecitatis instrumentis concessionis Pontificiae, tamen idem ius esset asserendum ex saeculari praescriptione.

Descendens deinde ad disserendum de altero capite suae allegationis, nempe de iure Collegii Episcopalis post peractam eiusdem separationem a Seminario, haec recolit. In primis subiicit ex facta separatione Seminarium Episcopale amisisse ius ad dicta bona patrimonii Iesuitarum. Finis enim praecipuus ob quem bona concessa fuerunt Seminario et Collegio Episcopali, procul dubio fuit catholica institutio et educatio laicae iuventutis. Id patet, uti iam visum fuit, nedum ex precibus ad S. Pontificem ab Episcopo Pianetti directis, sed etiam ex ipsa concessione Pontificia, et ex ipsa stipulata conventione, in qua imposita fuit conditio « di mantenere « nel Seminario e Collegio Vescovile a vantaggio del pub« blico le scuole.... nonchè un convitto di giovani secolari »: et patet demum ex mente donantium, qui ideo suas largitiones dederunt Collegio Iesuitarum, ut inservirent pro instructione laicali.

Quoad usque Seminarium et Collegium Episcopale unum ens efformarunt, hoc institutum impositae conditioni parebat promovendo instructionem laicae iuventutis; hinc sibi cesso patrimonio iure uti poterat. At secuta separatione, impositam conditionem amplius Seminarium exequi non valet, quia ex sui natura tantum incumbit clericorum educationi. Quare ad dicta bona nullum ius iactare valet; e contra Collegium adhuc implet dictam conditionem, et obtinere potest finem et destinationem dicti patrimonii, quia laicae iuventutis instructionem curat et promovet. Ergo huic praefata bona pertinere debent: et in hanc sententiam ivisse Emum Episcopum Gonnella aliosque spectabiles viros nuper demonstratum esse ait patronus.

Hoc autem Collegii ius luculentius admissum fuisse in facta bonorum separatione an. 1892 inter utrumque institutum deducitur quoque ex facto, quod aedes in quibus extabat Seminarium et Collegium, ita divisae sunt ut Collegium pro refectorio, pro dormitorio, pro cappella et pro ingressu uteretur partibus melioribus et ornatioribus; e contra pro Seminario statutum fuit, ut eadem commoda seu cubicula aedificarentur in parte humiliori seu viliori earumdem aedium, quae vocatur *Palazzaccio* et quae ad patrimonium Iesuiticum minime spectabat. Proinde merito licet inferri verum dominum illorum bonorum fuisse Collegium, Seminarium vero uti institutum quod Collegii bonis vivebat.

Demum advocatus antequam suam orationem concludat duo praenotare censet: *1*) Immerito Rectorem actualis Collegii Orsium Franchetti accusatum fuisse a Seminarii Rectore consentiente uno vel altero sacerdote, quasi ipse fuisset primus ad haec Collegii iura asserenda et vindicanda contra Seminarium eique molestias inferendas. Quantum id a veritate distet, tum hucusque deducta tum documenta in Summario extantia abunde demonstrare ait.

2) Subiicit quod Seminarium Viterbiense magnis licet redditibus provisum, tamen perpaucos (viginti aut paulo plures) alumnos in suis aedibus habet: e contra in Collegio Episcopali plus quam sexaginta iuvenes recensentur, qui inibi educationem et institutionem recipiunt. Hoc Collegium cum maxima aestimatione polleat apud omnes, fit ut praestantiores patresfamilias qui in Catholica religione et pietate filios suos educare cupiunt, eos certatim illuc mittant. Quare praeter allatas rationes, bonum etiam societatis et religionis exigere ait, ut tam florens Collegium in suis aedibus et iuribus conservetur.

Hisce ex partium allegationibus delibatis, modo pro solutione sequens exscribitur

DUBIUM

An et in quanam mensura constet de iure Collegii Episcopalis Viterbiensis in bona antiqui Collegii Iesuitarum per cessionem diei 2 Ianuarii 1827 Seminario et Collegio Episcopali concessa, in casu?

Emi Patres rescripserunt: *Negative in omnibus et amplius.*

E SACRA CONGREGATIONE
EPISCOPORUM ET REGULARIUM

ORDINIS S. BENEDICTI.

Indultum pro Fratribus conversis, circa privatam recitationem Officii parvi B. Mariae Virg.

Beatissime Pater,

Praeses Congregationis Benedictinae Bavaricae exponit quod Constitutiones a Capitulo generali recognitae atque Apostolica auctoritate nuperrime confirmatae, sub. n. 93 praescribunt: « Conversi pro Officio divino Dominicis et festis de praecepto Officium parvum Beatae Mariae Virginis communiter recitant; aliis vero diebus SSmi Rosarii quinque decades cum una ex litaniis approbatis ». Porro quum in quibusdam monasteriis in usu iam sit quotidie recitandi publice Officium parvum Beatae Mariae Virginis lingua latina, vespere autem litaniam una cum precibus vespertinis necnon privatim SSmum Rosarium, humiliter declarari postulat:

I. An Fratres conversi celebrare possint Officium parvum B. M. V., quod in Breviario invenitur, etiam diebus infra hebdomadam?

II. An iidem Fratres, non obstante supra relata Constitutionum praescriptione, illud recitare valeant lingua latina?

Vigore specialium facultatum a SS.mo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, Praesidi Congregationis Bavaricae, firmis remanentibus Constitutionibus, facultatem tribuit permittendi ut Fratres conversi, qui hucusque Officium B. M. V. quotidie celebrare solebant publice, ex

mera devotione privatim persolvere valeant, servata, quoad linguam sive latinam sive vernaculam, uniuscuiusque monasterii consuetudine.

Romae 29 Ianuarii 1906.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

Philippus Giustini, *Secretarius.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

ORDINIS FRATRUM MINORUM

Approbantur pro Ordine Fratrum Min. Officia propria ac Missae de Mysteriis Viae Dolorosae D. N. I. C., et de septem Gaudiis B. M. Virginis.

Exercitium pietatis a Via Dolorosa, sive Crucis, nuncupatum, quo reverens fidelium studium in praecipua Loca et Mysteria Dominicae Passionis magnopere nitescit, merito coaevum Ecclesiae primordiis censendum est. Exemplo namque Deiparae Virginis et Apostolorum inciti Christifideles, tum indigenae, tum advenae pie Hierosolymam peregrinantes, ea Monumenta et sacrum potissime ad Calvariam iter, divini sanguinis vestigiis purpuratum, numquam colere desiverunt. Pia tamen Ordinis Minorum industria, praecipue a saeculo decimo quinto et deinceps factum est, ut quemadmodum Hierosolymis, ita alibi sacrum illud iter a Praetorii situ ad Calvariae locum in spiritu a fidelibus conficeretur, nempe per exercitium, ut aiunt, Viae Crucis. Hoc sane pietatis exercitio, quod sensim fere ubique institutum, Sancti Leonardi a Portu Mauritio ferventi opera per Italiae regiones saeculo decimo octavo labente diffusum, viget ac floret nostra hac aetate; depictis tabellis Mysteria Christi Dolorum, vel sacris litteris vel constanti universali traditione innixa, seorsim referentibus, quatuordecim Loca sive Stationes illius itineris (per auctores et peregrinos cuiuscumque saeculi, necnon ex locali traditione indubie designatas) velut invisimus, ipsumque Dominum patientem et Cruce oneratum devota mente subsequimur. Saluberrimum vero eiusmodi morem sive piam peregrinationem Viae Crucis Romani Pontifices multo indulgentiarum thesauro locupletarunt. Tantis rationum acti momentis Franciscales praesertim e Custodia Hierosolymitana, iamdudum concupierant, ut quae pia Mysteria hactenus privato tantum et populari velut more ubique gentium coluntur, ea ipsis in locis, ubi parta sunt, atque ab Ordine Minorum universo legitime celebrari liceret. Hisce itaque votis libenter obsecundans Reverendissimus Pater Bonaventura Marrani, Procurator totius Ordinis Minorum, et nomine Reverendissimi Patris Ministri Generalis, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam Decimum humillimis precibus rogavit, ut Festum de Mysteriis Viae Dolorosae Domini Nostri Iesu Christi Feriae VI ante Dominicam Septuagesimae, sub ritu duplici secundae classis in Kalendario ac Breviario et Missali Ordinis affigi valeat, cum Officio ac Missa propriis, quorum schema supremae sanctioni Apostolicae Sedis demississime subiecit.

Quum insuper ad peculiarem devotionem omni antiquitatis aevo celeberrimam, Sancto Martyri Thomae Cantuariensium Antistiti valde familiarem, atque a Summis Pontificibus indulgentiarum largitionibus ditatam, qua Deiparam Virginem in gaudio non minus quam in dolore admirabilem pientissime veneramur, Minorum Ordo antiquitus vocatus dici possit, quemadmodum de Virginis ipsius Doloribus praedicandis et assidue colendis Servorum Ordini munus coelitus traditum fuit; hinc Reverendissimus idem Pater Procurator Generalis Festum quoque Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis sub eodem ritu duplici secundae classis, Dominica prima post Octavam Assumptionis, cum exhibitis officio ac Missa propriis, ab ipso Minorum Ordine recolendum flagitavit.

Itaque, ad iuris tramitem, quum Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Dominicus Ferrata, Relator, eiusmodi Officia cum Missis propria de utroque Festo in Ordinariis Sacrorum Rituum comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, proposuerit; Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurato examine perpensis, auditoque R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, ita rescribere censuerunt: *Pro gratia; et ad Eminentissimum Ponentem cum Promotore Fidei.* Die 20 Februarii 1906.

Postmodum duobus iisdem Officiis ac Missis diligenti studio revisis atque emendatis, hisque omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Pro Praefectum relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacri ipsius Consilii ratam habens, benigne indulgere dignata est, ut Festum Viae Dolorosae Domini Nostri Iesu Christi atque alterum Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis sub ritu duplici secundae classis cum eiusmodi Officiis ac Missis propriis ab Ordine Fratrum Minorum quotannis expetita Feria et Dominica recoli valeant: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 14 Martii, eodem anno.

A. Card. TRIPEPI, *Pro Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laod., *Secret.*

II.

SAMOGITIEN.

De absolutione ad tumulum, et de cantu Responsorii « *Libera me* » post Missas de die.

Hodiernus R.mus Episcopus Samogitiensis a Sacrorum Rituum Congregatione humiliter expetivit, ut, ad devotionem populi pro animabus defunctorum fovendam et secundum antiquam ac vigentem in dioecesi Samogitiensi consuetudinem, licite possit post Missas de die et non de Requie, cantatas vel lectas, in medio ecclesiae extendi pannus niger, et, posito prope et extra illum crucifixo, cantari a sacerdote induto pluviali nigro et a cantoribus *Libera* cum aspersionibus et incensationibus, quae fieri solent ad tumulum.

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Servetur Decretum n. 3780 *Romana* 12 Iulii 1892 ad VIII; et si dicatur Officium defunctorum, fiat in casu Absolutio immediate post ipsum et ante Missam.

Atque ita rescripsit, die 17 Martii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

LINCIEN.

Loco Missae de Requie, fundatae a Ven. Epo Rudigier, celebretur Missa de SSma Trinitate, pro felici Causae exitu.

Venerabilis Servus Dei Franciscus Iosephus Rudigier Episcopus Linciensis in ultimo suo testamento paucis ante obitum diebus scripto inter alia fundari Missam quotannis die obitus sui in Ecclesia nova cathedrali celebrandam iussit.

Quare ex substantia ab ipso relicta tantum desumptum est, quantum exigitur ad fundandam Missam solemnem de Requie una cum Officio Defunctorum, et haec Missa necnon Officium exinde quotannis die 29 Novembris, qui est dies obitus Venerabilis Servi Dei, solemnissime celebratum est, populo fideli magno numero adstante.

Quum vero die 6 mensis Decembris, elapsi anni 1905, Sanctissimus Dominus Noster Pius X signare dignatus sit Commissionem introductionis Causae beatificationis eiusdem Ven. Servi Dei, R.mus D.nus Franciscus Salesius Maria Doppelbauer Episcopus Lincien. a Sacrorum Rituum Congregatione humillime postulavit an in posterum celebranda sit Missa fundata de Requie pro ipso Venerabili, vel potius omittenda, fundationem transferendo sive pro Anniversario in levamen Episcopi defuncti qui Ven. Servo Dei immediate successit quique Missam quotannis celebrandam pro se non fundavit, sive pro expensis sustinendis in Causa beatificationis et canonizationis eiusdem Venerabilis Servi Dei.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X relatis, Sanctitas Sua, audito etiam R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, declarare dignata est, pium legatum a praedicto Ven. Dei Famulo institutum esse servandum; ea tamen mutatione inducta, ut interim, loco funeris quotannis die obitus ipsius Ven. Servi Dei peragendi, Missa solemnis celebretur de SS.ma Trinitate pro felici Causae exitu. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 2 Aprilis 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IV.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Additio Martyrologio Ordinis S. Benedicti inserenda quinto Idus Iulias (die 12).

In Rhaetiae superioris monasterio Disertinensi, Sanctorum Fundatorum Sigisberti Hiberni, primi eiusdem Coenobii Abbatis, et Placidi Martyris, nobilis Rhaeti et primi ipsius discipuli: qui vitae sanctitate et miraculorum gloria monasticam disciplinam et Ecclesiam Dei illustrarunt: quorum cultum ex sacrorum Rituum Congregationis consulto Pius Papa X ratum habuit et confirmavit (1).

Romae, beati Pii etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto, suprascriptam Additionem rite revisam Martyrologio Ordinis S. Benedicti inserendam, instantibus Rev.mis DD. Benedicto Prevost Abbate Disertinensi, et Hildebrando de Hemptinne Abbate Primate totius Ordinis Benedictini, benigne approbare dignatus est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9 Maii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secr.*

V.

NAMURCEN. — DECRETUM

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Iuliae Billiart institutricis Congregationis Sororum B. Mariae Virginis.

SUPER DUBIO

An stante approbatione virtutum et trium miraculorum Tuto procedi possit ad solemnem Ven. Servae Dei beatificationem.

Caelesti Sponso, *qui pascitur inter lilia,* fecundam esse virginitatem placuit non solum singulari nativitate sua, sed etiam ita consito Ecclesiae agro, ut eo fertilior evaderet, quo magis integritatis flore vernaret. Quare merito Ciprianus: *Gaudet per virgines atque in illis largiter floret Ecclesiae matris gloriosa fecunditas* (De discipl. et habitu Virg.). Hinc tot inclytae filiae Sion, quarum aliae candidis ligustris cruentas palmas intexuerunt; aliae sollicita Marthae ministeria, aliae optimam partem sororis eius elegerunt; aliae, utroque studio coniuncto, suae simul et proximorum saluti dederunt operam, quibus de se licet affirmare: *Videte quia non soli mihi laboravi* (Eccl. 24, 46).

Extremi huius generis Matrem sortita plane illustris et egregie merita Congregatio Sororum B. Mariae Virginis, Ven. Dei Famulam Iuliam Billiart, deque propositis eidem Beatarum Virginum honoribus iure gaudet; nec minus ipsae sibi gratulantur tot christianae familiae, quod ei sanctissimae Foeminae acceptam referre debeant optimam puellarum institutionem temporibus difficillimis. Nec sane meliori uti magisterio licet, quam eorum, qui, exemplo docentes antequam verbo, ad sui imitationem provocare possunt Pauli

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, in praesenti vol. p. 22.

Apostoli verbis: *Imitatores mei estote sicut et ego Christi.* In Ven. autem Iulia fuit ita multiplex virtus, ut eius exempla proponi cuivis ferme vitae generi possint. Ipsa enim cum solida religionis doctrina humanitatis ac litterarum studia coniunxit: cum coenobii disciplina sollicitudinem regiminis; cum voluntaria corporis afflictatione exercitâque diu patientia propter acerbissimos corporis animique cruciatus, gratiam et urbana officia nobilis matronae; cum modestia et mansuetudine fortitudinem atque constantiam; cum pietate charitatem, cum assidua caelestium rerum contemplatione actuosam vitam. Quare mirum non est si ab Ipsa instituta Sororum Familia haud se Namurci finibus continuit, ubi coepit initia, sed vel in remotissimas plagas brevi se effudit; si maternae sanctitatis odor longe lateque manavit; si piam in Iuliae patrocinio fiduciam saepe Deus conspicuis miraculis confirmavit. Horum super tribus instituta est actio penes SS. Rituum Congregationem; quibus de singulis SSmus D. N. Pius Papa X constare edixit decreto diei decimae decembris anni mox elapsi.

Unum inquirendum supererat, iuxta sacri huius Fori statuta, utrum Beatorum Caelitum honores Ven. Dei Famulae Iuliae Billiart *Tuto* decerni possent. Itaque in Congregatione generali habita coram SSmo D. N. tertio cal. Februarii ineuntis anni a Rmo Cardinali Dominico Ferrata Causae Relatore propositum est dubium: *An stante approbatione virtutum et trium miraculorum*, Tuto *procedi possit ad solemnem huius Ven. Servae Dei beatificationem.* Quamvis vero Rmi Cardinales et Patres Consultores unanimi suffragio *Tuto* fieri posse respondissent, nihilominus Beatissimus Pater ab aperienda sua mente supersedit, ratus exorari Deum oportere ante edendum supremum in re tam gravi iudicium.

Hac autem Dominica I Quadragesimae, sacris piissime operatus in suo privato sacello, Vaticanae huic aulae nobiliori succedens ac pontificio solio assidens, ad Se advocari voluit Rmos Cardinales Aloisium Tripepi S. R. Congregationi Pro-Praefectum et Dominicum Ferrata Causae Ponentem, una cum R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore meque infrascripto Secretario, iisque praesentibus solemni Decreto sanxit: Tuto *procedi posse ad solemnem Ven. Servae Dei* Iuliae Billiart *beatificationem.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta SS. RR. Congregationis inseri, Litterasque Apostolicas sub plumbo de Beatificationis solemnibus in patriarchali Basilica Vaticana ubi primum licuerit celebrandis expediri iussit quarto Non. martii, anno 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

VI.

ROMANA SEU BARCINONEN. — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Fr. Bonaventurae a Barcinone Laici Professi Ordinis Minorum S. Francisci, Conditoris S. Recessus S. Bonaventurae de Urbe.

SUPER DUBIO

An, et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Medias inter veteris Urbis ruinas contemplanti surgentem e Palatino colle Recessum a S. Bonaventura nuncupatum, adhuc resonare videntur Isaiae verba LI, 3. *Consolabitur Dominus omnes ruinas eius, et ponet desertum eius quasi delicias, et solitudinem eius quasi hortum Domini.* Hoc Franciscalium domicilium, quasi testimonium christianae humilitatis victoriam referentis super ethnicum fastum, non insignem doctrina virum conditorem iactat, sed religiosum sacris nullis ordinibus initiatum, nullis pene imbutum litteris, Ven. Dei Servum Bonaventuram Gran, ab Eo divinitus datum, qui *vocat ea quae sunt tamquam ea quae non sunt.*

Ortus in oppido Riudoms prope Barcinonem VIII cal. Decembr. an. MDCXX parentibus humili genere, Ven. Dei Servus ea vitae innocentia pueritiam transegit eaque pietate praefulsit, ut angeli speciem praeseferret. A patre compulsus ut uxorem duceret, paruit quidem, sed obedientiae meritum cum virginitatis flore coniunxit, illibatam cum annuente coniuge, tamquam cum sorore, vitam traducens. Ea brevi vivis erepta, desiderium quo iamdiu aestuabat explens, Franciscalium institutum amplexus est, quod ante instauratam unitatem, Reformatorum vocabatur. Per varia eius ordinis coenobia humilioribus functus officiis, eminenti sanctitate ac singularibus gratiae donis omnium in se admirationem concitavit. Actus vehementi studio instaurandae inter suos Apostolicae vivendi formae, sacros recessus, in quibus rigidius perfectiusque vivendi genus coleretur, in provincia romana, non sine multis contentionibus ac laboribus, varios extruxit, in quibus hac ipsa in Urbe celeberrimum illud, quod a Doctore S. Bonaventura nomen accepit. Ubi, postquam plures ex institutis a se familiis sanctissime rexit atque aptissimis legibus fulcivit, *dilectus Deo et hominibus* praesertim romano populo, cui exemplis et prodigiis spectaculo fuerat, intemeratae vitae cursum absolvit III Id. Septembr. an. MDCLXXXIV, aetatis suae quarto supra sexagesimum.

Haec licet fuerit viri sanctitas, et quamvis eidem illustrandae signa et miracula non defuerint, nihilominus inscrutabili Dei iudicio factum est ut Beatorum caelitum honores ei serius decernerentur. Itaque post decretum approbationis virtutum a sa. me. Pio PP. VI editum XVIII cal. Septembr. an. MDCCLXXV, de duobus miraculis, quae per Ven. Dei Servum a Deo patrata ferebantur, accurata inquisitio peracta est, tabulaeque iudiciales a SS. Rituum Congregatione recognitae ac probatae sunt.

Horum primum accidit sub annum ferme MDCCXC in oppido Riudoms. Maria Padrell, ex vicina urbe Maspuiol equo vecta redibat; quum hic, repentino canis incursu exterritus, dorso insidentem excussit, circumvolutaque eius pedibus habena, eamdem iactare et raptare miserrime coepit. Ereptam, suique vix compotem domum delatam statim ut chirurgus inspexit, eiusque dexterum crus vidit dire sauciatum, pedem autem diffractis nervis paene avulsum a tibia, nullam esse salutis viam nisi in celeri amputatione declaravit. In ea rerum desperatione Maria ad Ven. Bonaventuram conversa, cuius reliquiam circumferre consueverat, eius opem cum lacrimis implorare coepit. Vix absoluta prece, sanatam se illico sentiens, lecto descendit, reiecto neptis auxilio ad eam accurrentis, ac firmo liberoque gradu, dum vixit, ambulavit.

Alterum contigit miraculum anno MDCCCX in eodem oppido Riudoms. Rosa Masò et Puigdengolas, puerum enixa, post aliquot horas gravissimo insultu correpta est, quem medicus epilepsim iudicavit. Nihil proficientibus remediis,

aegrota in horas ruebat in peius, donec in lethale coma incidit. Iamque rigentem omnique sensu destitutam qui aderant veluti mortuam deflebant, et quae ad eam efferendam opus erant apparabant. Admovetur a parocho Ven. Bonaventurae reliquia, cuius contactu aegrota revocatur ad vitae munia, lectoque desilit plena valetudine pollens.

De utroque miraculo Apostolica auctoritate confecta sunt acta, annis MDCCXXV et MDCCCXXVII. Eorum agnita et probata validitate, instaurata est actio cum diligenti inquisitione, primum in antepraeparatorio Conventu in aedibus Rev.mi Cardinalis Dominici Ferrata Causae Relatoris, octavo cal. sextiles superioris anni; rursus in praeparatorio ad Apostolicum Palatium Vaticanum decimo sexto cal. Februarii volventis anni; tertio denique in generali Coetu, habito octavo cal. Maii eiusdem anni coram SS.mo D. N. Pio PP. X; quo in coetu ab eodem Rev.mo Cardinali Dominico Ferrata propositum est dubium: *An, et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Suffragiis Consultorum et PP. Cardinalium constare affirmantium exceptis, SS.mus Dominus a Supremo suo edendo iudicio abstinuit, monuitque praesentes ut in re tam gravi caeleste lumen efflagitarent.

Tandem, hodierno die Dominica III post Pascha, Idem SS.mus Dominus e domestico Sacello, ubi Sacrum pientissime litaverat, nobiliorem aulam Vaticanam ingressus ac pontificio solio assidens ad Se accivit Rev.mos Cardinales Aloisium Tripepi SS. RR. Congregationi Pro-Praefectum et Dominicum Ferrata Causae Relatorem, una cum R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, meque infrascripto a secretis, iisque adstantibus solemni Decreto sanxit: *Constare de duobus miraculis;* de primo: *Instantaneae perfectaeque sanationis dexteri pedis Mariae Padrell, pessime lacerati;* de secundo: *Instantaneae perfectaeque sanationis Rosae Masò et Puigdengolas a gravissima eclampsia puerperali.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in SS. Rituum acta referri iussit, pridie nonas Maii anno MDCCCCVI.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secretarius.*

VII.

ROMANA SEU BARCINONEN. — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Fr. Bonaventurae a Barcinone Laici Professi Ordinis Minorum S. Francisci Conditoris S. Recessus S. Bonaventurae de Urbe.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, Tuto *procedi possit ad solemnem eiusdem Ven. Servi Dei beatificationem.*

Divino consilio factum videtur ut, dum praesens aetas plurimis gloriatur doctrinis et litteris, in quibus Franciscana etiam, uti vocant, studia non ultimum locum obtinent, catholica Ecclesia virum proponat Beatorum Caelitum honoribus exornandum, qui Patris Assisiensis indolem suavissimam referens, facere magis, quam dicere assueverit, exemploque plus quam doctrina christianae perfectionis incrementa curaverit. Haec nempe, quae derideri solet iusti simplicitas, Ven. Dei Servi Bonaventuram potentem effecit ad iacienda fundamenta celsissimae sanctitatis, iuxta Doctoris Augustini sententiam (Serm. X de verb. Dom.): *Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis.*

Piis nulloque censu parentibus ortus Ven. Dei Servus anno MDCXX, non minus animo quam agro colendo adolescens operam dedit. Mox, Deo monente, Francisci Patris institutum professus est, vilioribus addictus officiis. Brevi tamen patuit quam altus humili sub specie lateret animus, quanta coenobitae sanctitas esset, quanta obscuri hominis vis fiduciam omnem in Deo collocantis. Nam, etsi rudis ac pene litterarum expers, rigidioris disciplinae conditor extitit, constituitque in romana reformatorum provincia recessus, quibus ipsemet praefuit, auctor idem et legifer et moderator. Inter eos praecipuus ille numeratur, qui a Palatino clivo adsurgit et a S. Doctore Bonaventura nomen habet; quem locum, quum multi sancti viri coluerunt, tum potissimum Leonardi a Portu Mauritio apostolatus effecit memorabilem. Atque hic, ubi propter eminentem virtutem et plane singularia dona poterat de se ipse affirmare: *tamquam prodigium factus sum multis* (ps. LXX); hic, ubi plurimi habitus est et conquisitus a clarissimis ex omni ordine viris, a PP. Cardinalibus atque ipsis a Summis Pontificibus, ita ut ei convenirent verba ps. LXX: *Quoniam non cognovi litteraturam introibo in potentias Domini,* hic Ven. Dei Servus, quasi *turtur in nido ubi ponat pullos suos,* beata fine quievit III Id. Septembr. an MDCLXXXIV.

Aucta post obitum Bonaventurae sanctitatis fama et prodigiis confirmata, agitata causa est, serius illa quidem propter publicarum rerum in Hispania conversionem, et super duobus miraculis actio instituta, de quibus SS.mus D. N. Pius PP. X Decreto diei vicesimi quarti mensis Aprilis mox elapsi constare edixit. *(Vide supra).*

Unum supererat iuxta S. huius Fori statuta inquirendum, utrum Beatorum Caelitum honores Ven. Dei Servo Bonaventurae, Tuto decerni possent. Itaque in S. huius Congregationis generali conventu habito coram SS.mo D. N. octavo cal. Maii labentis anni, Rev.mus Cardinalis Dominicus Ferrata Causae Relator dubium proposuit: *An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum,* Tuto *procedi possit ad solemnem Ven. Servi Dei* Bonaventurae a Barcinone *beatificationem.* Quamvis vero Rev.mi Cardinales et PP. Consultores unanimi suffragio Tuto fieri posse respondissent, Beatissimus Pater mentem Suam aperire distulit, praesentes adhortatus ut effusis precibus divinam opem implorarent.

Hodierno autem die, Dominica III post Pascha, Salutari Hostia devotissime oblata, ad Vaticanas aedes accivit R.mos Cardinales Aloisium Tripepi SS. RR. Congregationi Pro-Praefectum et Dominicum Ferrata Causae Relatorem, una cum R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus rite edixit: Tuto *procedi posse ad solemnem Ven. Servi Dei* Bonaventurae a Barcinone *beatificationem.*

Hoc autem Decretum evulgari, in acta SS. Rituum Congregationis referri, Litterasque Apostolicas sub plumbo de beatificationis solemnibus in patriarchali Basilica Vaticana,

ubi primum licuerit, celebrandis expediri iussit, pridie Nonas Maias anno MDCCCCVI.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

VIII.

ASSISIEN. — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Antonii Pennacchi, Presbyteri Saecularis.

E regione Umbriae Assisium, Francisci et Clarae ortu, sanctitate atque sepulchro gloriosum et per orbem celebratum, novis augetur honoribus per sacerdotem e clero saeculari quem eodem spiritu repletum itemque Christi imitatorem et sanctimoniae fama illustrem eadem civitas grato iucundoque animo prosequitur atque exhibet Antonium Pennacchi. Bictonii, intra fines Assisiensis dioeceseos, e parentibus Ioanne ibi medicam artem exercente et Silvestra piissima foemina, die 27 Ianuarii an. 1782, ortus est eademque die baptizatus hic Dei Famulus. Sacro chrismate linitus mense Iunio an. 1787 et religione bonisque moribus institutus modestiam, obedientiam et castitatem angelicam servasse atque Ecclesiam ad sacra audienda et recipienda diligenter frequentasse perhibetur. Aetate succrescens litterisque incumbens in classe Rethoricae amplissimo laudis testimonio a suo praeceptore decoratus est. Adolescens duodeviginti annorum Assisium petiit, quasi alteram patriam et palestram virtutibus ac studiis proficiendo magis idoneam. In sortem Domini se vocatum sentiens tantos in scientiis ecclesiasticis progressus fecit, ut superiorum suffragiis commendatus minores ac maiores ordines ipsamque sacerdotalem dignitatem die 22 Martii an. 1806 suscipere meruerit. Statim in eo eluxit divini cultus provehendi ardor cuius testes sunt et Patriarchalis Aedes S. Francisci et Ecclesia Cathedralis et Asceterium S. Andreae ubi cappellani munere sedula constantique ratione ipse functus est. In seraphico clericorum collegio grammaticam superiorem docens habilissimus erat in alumnis erudiendis quos simul amore et timore sibi devinciebat. Neque tantum ex cathedra magister sed etiam e suggestu concionator pietatis charitatisque sensus in animis audientium excitasse compertum est. Umbriae civitates atque oppida eius apostolatus fructus perceperunt: neque Fulginates terraemotus calamitate afflicti neque Hispellenses simili infortunio vexati Servi Dei opportunam opem et salutiferas missiones oblivisci unquam poterunt. Sed prae caeteris Assisiensis civitas ac dioecesis eius actuosae virtuti solertique ministerio latissime patuit. Totus ibi erat in audiendis confessionibus sive christifidelium in Ecclesia sive monialium in monasteriis sive alumnorum in seminario, ubique se exhibens optimum pietatis magistrum quem ipse Episcopus sibi elegit atque in gravioribus negotiis ad animarum regimen pertinentibus libenter adhibuit. Nunquam vero intermisit Antonius pueros in templo S. Margaritae aliisque in ecclesiis christiana doctrina instruere, sacratissimi Rosarii decades publice recitare, aegrotos tum in nosocomiis tum in privatis domibus decumbentes corporis animique subsidiis consolari, atque populos sacris expeditionibus salutariter excolere, cum admiratione ostensus uti vir sanctus et alter Philippus Nerius nuncupatus. Quam sanctimoniae famam adeptus, brevi sed gravi morbo correptus fuit. Praesciens proximum suae vitae finem omnibus ecclesiae sacramentis refici voluit. Preces quoque liturgicas *commendationis animae* cum sacerdote et adstantibus, quantum potuit, recitavit. Litaniis in honorem B. Mariae Virginis Lauretanae incoeptis, ad verba *Ianua coeli* exultasse visus est, morientem quoque se dicens et in Paradisum iturum. Invocata vero Deipara Virgine *Auxilium Christianorum*, quum ipse sanctissima nomina *Iesu et Mariae* pronunciasset, ponens ea super cor atque os suum veluti signacula peculiaris illius affectus et cultus quos erga eadem veneratissima nomina in vita habuerat et propagaverat, die 9 Novembris an. 1848 placidissime expiravit. Obitus Servi Dei nuncio per civitatem diffuso, frequentissimi cuiusque ordinis cives ad asceterium S. Andreae confluxerunt, ingeminantes mortuum fuisse sanctum, volensque quisque sibi aliquid arripere, memoriae et devotionis causa, quod ad Antonium pertinebat. Interim Eius exuviae in ecclesiam monasterii deductae, solemnibus exequiis honoratae fuere. Deinceps in templum S. Petri translatae ibique religiose reconditae splendidum ac perenne extant testimonium ac monumentum de fama sanctitatis Servi Dei. Super qua fama magis in dies inclarescente, postremis hisce temporibus, penes ecclesiasticam Curiam Assisiensem Ordinaria Auctoritate iuridice inquiri coeptum est. Absoluto Processu Informativo et ad Sacrorum Rituum Congregationem transmisso, revisis probatisque scriptis Servi Dei, ac dispensato tum lapsu decennii tum interventu et voto Consultorum ad ulteriora progressum est. Itaque instante R.mo D.no Iosepho Prof. Pennacchi, cum Servo Dei necessitudine et agnatione coniuncto, atque huius Causae Postulatore, attentis litteris postulatoriis quorumdam E.morum S. R. E. Cardinalium, plurium R.morum Archiepiscoporum et Episcoporum necnon R.mi Capituli et Cleri Assisiensis atque sodalitatum religiosarum atque laicarum utriusque sexus praesertim e civitate ac dioecesi Assisiensi caeterisque locis eiusdem Umbriae regionis, E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Dominicus Ferrata memoratae Causae Ponens seu Relator, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* » Et E.mi ac R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi post relationem ipsiusmet E.mi Cardinalis Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibus accurate perpensis rescribere rati sunt: « *Affirmative seu signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit* ». Die 8 Augusti 1905.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis ratam habuit et probavit; atque insuper Commissionem Introductionis Causae Venerabilis Servi Dei Antonii Pennacchi, presbyteri saecularis, propria manu signare dignata est, die 23, eisdem mense et anno.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Arch. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

INFORMATIO

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

E.me ac R.me Domine.

1. — Magnam in orbe terrarum celebritatem sibi comparavit Assisium, civitas profecto nobilissima, quae alias Umbriae sorores magnopere antecedit; nomine enim et fama S. Francisci illustratur, qui in teterrimis mediae aetatis temporibus virtutibus adeo inclytis praestitit, et tanta refulsit sanctimonia, ut nedum Umbria atque Hetruria, quae propius gesta praeclari Fundatoris familiae Seraphicae sunt admiratae, sed Italia tota et catholicus orbis, eum velut columnam Ecclesiae validissimam, et instauratorem pietatis ac religionis merito agnoscerent. Septimum porro elapsum est saeculum, ex quo illustris Dei vir, caelo ac terrae iucundus, ingentes apostolicosque labores in commune societatis bonum contulit, et fundamenta illorum Ordinum iecit, qui maximo fuere Ecclesiae praesidio atque ornamento. Hodie vero, dum sub christianae religionis impulsu amor in pauperes et in debiliores societatis classes iterum exardescit, nomen S. Francisci splendidiori coruscat luce, et merito usurpatur velut nomen viri, qui toto animo defensioni plebium intendit, et pro viribus adlaboravit, ut fraterno ac suavi charitatis vinculo hominum voluntates fortiter coniungeret.

2. — In eadem civitate, quae S. Franciscum genuit eiusque corpus laudabili diligentia ac devotione custodit, recentiori vixit tempore saecularis sacerdos, qui, spiritum viri seraphici exhibens, talia ac tanta virtutum specimina praebuit, ut iure laudes totius civitatis, popularium praesertim, sibi mereret. Profecto Antonius Pennacchi, cuius Causam tanta animi alacritate defendendam suscipimus, speculum atque imago appellari potest, in qua materia ac sanctitas Fundatoris Franciscanae familiae ad amussim exprimuntur. Francisco atque Antonio Assisium eodem iure gloriatur; ille enim, vestigia Apostolorum persequens, regiones et urbes peragrabat, ut luce evangelicae veritatis mentem hominum illustraret, eorumque evelleret vitia; hic item, eodem spiritu ductus, non modo Assisii, sed in aliis quoque provinciae oppidis ac civitatibus totus erat in verbo Dei praedicando, et in pietate, quae tunc languescere coeperat, iterum excitanda. Ille, quam maxime de interiori spiritu colendo sollicitus, in solitudinem saepe confugiebat, ubi facilius perfectionem acquirere poterat: hic, summa praeditus humilitate, vitam satis obscuram ducebat, et, laudes hominum omni industria effugiens, ab omni re abhorruit, quae pios intimosque animi sensus misceret. Ille tandem incredibili animi ardore paupertatem amplexus est, quam tamquam sororem vehementissime amabat: hic pariter magnopere excelluit in hac virtute heroice excolenda, in qua adeo Franciscum aemulatus est, ut nemo sit, qui Antonio anteferatur, pauci vero pares putentur. Hac mira propositorum congruentia et persimili virtutum luce gaudet civitas Assisiensis, quae sepulcra duorum virorum tot tantisque cumulat honoribus, ut illa velut conspicuum gratiarum ac beneficiorum fontem consideret, quae in bonum ac salutem civium abunde effluunt.

3. — Cum igitur hodierna aetate omnia in Christo instaurare Romanus Pontifex cupiat, utile erit atque opportunum memoriam Antonii Pennacchi celebrare, eiusdemque Causam introductionis promovere, qui christianam instaurationem suo tempore in populo fovit. Quapropter, postquam ex more recepto vitam Dei Servi brevi oratione tradiderimus, suarum virtutum excellentiam demonstrabimus, et famam sanctitatis, quae in eo amplissima fuit, asseremus.

CAPUT I.

VITAE SYNOPSIS SERVI DEI.

4. — Agentes de vita Servi Dei exordiamur oportet ab eius nativitate recolenda. Ipse porro Bictonii, quod oppidum intra fines Dioeceseos Assisiensis positum est, ortum habuit die 27 Ianuarii 1782, eademque die ad sacrum fontem fuit adductus, ut baptismatis sacramento sine mora ablueretur. Parentes habuit Ioannem ac Silvestram: primus, e Dioecesi Camarini oriundus, medicam artem Bictonii exercebat: altera rebus domesticis vacabat: ambo bonis moribus erant praediti: quin etiam mater adeo in virtutum exercitatione profecit, ut titulo sanctae ab aliquo teste decoraretur. Fratres ac sorores quoque habuit Antonius: inter primos recensetur Raphaël, qui, dignitate sacerdotali insignitus, honorifico Praesulis titulo fuit deinceps ornatus, et apud gubernium Brasilianum praesto fuit Nuntio in rebus pro Apostolica Sede laudabiliter gerendis: ex sororibus mentio fit Faustinae, quae nuptiarum gratia in gentem Preziotti ingressa est. Noster puer rectam christianamque institutionem a parentibus accepit, ob quam ab incunabulis non levia ostendit signa illius perfectionis, quam postea esset nacturus. Testes concordes sunt in commendanda ratione ac laudabili vita, quam Antonius in patria degit. Parentibus enim obedientissimus semper exstitit, in moribus angelicam servavit castitatem; Ecclesias quotidie adibat, ubi primis muneribus clericalibus fungebatur: et nihil in eo fuit notatum dictum vel factum, quod futurae sanctimoniae quodammodo contradiceret.

Quae contra Dei Famulum in posterum obiecit hostis humani generis, illum arguens alicuius culpae, quam in pueritia contraxerat, nullius sunt ponderis, cum de menda levissima agatur, cui debita accessit satisfactio: quin etiam virtutem infantis confirmant, qui deinceps ad perfectionis fastigium perveniens vesanos daemonis furores excitavit.

5. — Quinque post annos ab ortu, videlicet mense Iunii 1787 ab Episcopo Assisiensi, Carolo Zangari, Sacramento Confirmationis fuit communitus. Dum aetate percrescebat, sollicitus quoque fuit ad homologesim sacramentalem accedendi, qua bis in mense animam suam lustrabat. Interim operam dabat sedulissimam primis disciplinis addiscendis, in quibus adeo profecit, ut humanarum litterarum magister exhiberet testimonium maximi existimandum.

6. — Ita animo comparatus, annum octavum et decimum agens, Assisium petiit, ubi faciliori negotio studiis navare potuisset, ut vitam sacerdotalem iniret, ad quam amplectendam magnopere inclinabatur. En altera palaestra, ubi dotes adolescentis mirum in modum innotuerunt, eiusque virtutes, aliis roboratae praesidiis, magnam bonorum operum segetem erant pariturae, quemadmodum arbores iuvenili robore vigentes et solertis agricolae manu excultae optimos fructus solent gignere. In hac civitate, quam velut alteram habuit patriam, perseveravit in pietate impensius colenda: et, ad hunc assequendum finem, nedum frequentius Sacramentis se muniebat, sed solitudinem coetibus saecularibus praeferebat, et studiosissimus erat continuam assiduamque operam praestandi, ut omnia rite ac solemniter in templis perficerentur: qua de re laudem cleri populique existimationem statim sibi vindicavit. Quid dicam de profectu in studiis, cum in Processus tabulis testimonia exhibeantur Doctorum Theologiae moralis ac dogmaticae, qui, dum pietatem adolescentis celebrant, summis efferunt praeconiis alacritatem ac diligentiam, qua theologicum explevit cursum? Haec confirmantur a XII Teste docente, Dei Servum in ecclesiasticis scientiis versatissimum esse.

7. — Quae indicia satis libertatem ostendunt, qua tandem ad limina ecclesiastici ministerii accessit; secus enim nec animi bonitatem nec vitae sanctimoniam deinceps praetulis-

set. Postquam minores ordines recepit, ad honores Diaconatus die 25 Septembris 1805 fuit evectus, et subsequente anno, die 22 Martii, ad sacerdotalem dignitatem promotus. Dignus profecto tantis honoribus erat Dei Servus, cuius merita eo magis enitebunt, quo diligentius severitas consideretur, qua Dioeceseos Antistes ad sacros ordines provehere suos clericos solebat. Nunc incipit vita nova, in qua iuvenem aspicimus presbyterum non modo mandata Dei, praecepta Ecclesiae et officia sacerdotali conditioni inhaerentia fideliter servasse, sed munus praecipuum obivisse, quod in sanctitate populi fovenda constabat. Iamvero, de primo sacerdotis officio disserentes, noscamus oportet mirum fervorem, quo ad aras operabatur: nam quotidie tanta religione Sacrum litabat, ut in extasim rapi videretur. Accedat studium, quo cultum in templis Deo praestandum opere atque exemplo provehere satagebat. In asceterio vero S. Andreae munere Cappellani est perfunctus constanti ac sedula ratione, quin unquam suum negligeret officium.

8. — In Seraphico Clericorum Collegio munus praeceptoris Grammaticae superioris diutissime adimplevit: in hoc fuit adeo diligens, ut, hora lectionum appropinquante, omnia alia praetermitteret negotia. Memor porro verborum, quibus rex David sapientissimum rerum omnium moderatorem Deum alloquebatur: « *bonitatem et disciplinam et scientiam doce me* » (1), habilissimus erat in alumnis erudiendis, quos amore et timore instituebat. Ita discipulorum amorem sibi comparavit, quorum nonnulli gratos animos veteri praeceptori etiam in posterum exhibuere.

9. — At sacerdos non tantum ex cathedra debet docere magister, sed necesse est e suggestu sacro surgat concionator, ut arguat, obsecret, increpet et Dei evangelium praedicet. In hoc nobilissimo mandato apostolico exercendo enituit Antonius, qui ad fidelium salutem procurandam nulli labori vel incommodo pepercit. Pluries enim Assisii conciones habebat, ad quas frequentissimus conveniebat populus: et sive de Deo ac SS. Virgine loqueretur, sive praeconia Sanctorum celebraret, sermo Dei Famuli simplex et apostolicus, sed mira efficacia et incredibili ardore dictus, Christifidelibus lacrymas saepe excutiebat, eos adigens ad vitae tenorem mutandum. Quinimo asserere possumus Antonium singulis diebus a mane usque ad vesperas sensum pietatis excire, et ignem charitatis erga Deum accendere in animis suorum concivium, quos in templis, foris ac viis precibus atque sermonibus evangelizabat. Nec Assisium tantum, sed propinqua quoque oppida et aliae Umbriae civitates vocem tanti praeconis audiverunt. Iamvero, cum terraemotus calamitas Fulginium afflictasset, magnoque terrori civibus fuisset, statim fuit advocatus Dei Famulus, cuius meritorum ac sanctimoniae fama illuc quoque pervenerat: ibique in Ecclesia Cathedrali, sacras peregit missiones, maximo cum animarum emolumento. Item, alia et quidem infausta occasione, Hispellum se contulit, ubi non in templo, quod tam innumeros auditores continere nequivisset, sed in publico foro habuit concionem, in qua adeo vehementer illos hortatus est ad noxias vitandas et virtutem amplectendam, ut omnes unanimi affectu in lacrymas effunderentur, zelum ac sanctitatem concionantis amplissime commendantes.

10. — Cum sacerdos ratione sui muneris salutem animarum provehere debeat, oportet ut in tribunali poenitentiae sedeat iudex ad conscientiam Christifidelium perscrutandam ac moderandam. Certum tamen exploratumque est, huiusmodi officium adeo esse grave ac momentosum, ut cuilibet presbytero indiscriminatim committi non valeat. Sacerdotes porro requiruntur virtute atque experientia probati, qui omni cautela obnitantur pervicaciam peccatorum vincere, et in melius illos referre. Antonius prae caeteris talis erat, ut tanto munere omni diligentia perfungeretur: quapropter Episcopi auctoritate fuit deputatus ad sacramentalem homologesim pluribus in monasteriis excipiendam, sive consueta ratione sive extra ordinem hoc ageret. Quinimo saepius ad sanctimoniales de rebus divinis dicebat, cum spirituales haberet meditationes; quod munus, communi omnium consensu, maximo animarum fructu, obibat. Pariter mandatum accepit Confessiones audiendi alumnorum, qui in Seminario degebant. In hisce omnibus negotiis gerendis ita Dei Famuli prudentia emicuit, ut Episcopus frequenter eius ope uteretur sive in sui ipsius conscientiae regimine sive in aliis expediendis rebus, quae aliquam praeseferebant difficultatem.

11. — In toto suae vitae curriculo ab otio semper abhorruit; Antonius enim indefessus fuit in apostolica explenda missione, quam alacriter amplexus erat: idcirco nunc aspiciebatur in templo S. Margaritae, ubi erat intentus pueris in catechesi christiana edocendis, nunc in aliis Ecclesiis ad suam rosarii coronam persolvendam, nunc apud aegrotos, quos levamine fidei et subsidio charitatis solabatur. Nemo igitur erat in tota Dioecesi Assisiensi, qui zelum Dei Servi superaret in gloria Dei et spirituali fidelium utilitate comparanda. Siquidem tantus erat eius fervor in rebus religionem spectantibus, ut ab omnibus certatim exquireretur, a sanctimonialibus praesertim, quae in eo Dei virum agnoscebant. Quae omnia maiori luce nitebunt, si consideretur, Antonium exemplar perfectionis exstitisse, et ceu tale ab omnibus esse habitum. Quapropter non solum nemo erat, qui de eo malum proferret verbum, sed omnes in unum consentientes laudem tanti viri praedicabant. Si quis vero sciscitetur, quomodo potuerit vitam tam intemeratam ducere, dum perniciosa labebantur tempora, tribunal poenitentiae commonstrabo, ad quod pene quotidie Dei Famulus humiliter accedebat, ut remissionem noxiarum, quibus se esse infectum perperam arbitrabatur, a Deo peteret, intimamque cum illo communionem servaret: ita eximius sacerdos puritatem continenter in animo custodivit, et mira virtutum exempla potuit praebere.

12. — Haec quoad vitae synopsim. Fortasse quis notitias ampliores et maiora desiderabit argumenta, ex quibus potiori iure liceat inferre summam Dei Famuli sanctitatem. At recolere iuvat Antonium nullius Ordinis religiosi fuisse fundatorem, in parva ac brevi civitate commoratum esse, nullumque opus magnum ac mirabile suscepisse, quo inter dissitas etiam gentes gloriam sibi comparasset. Aliud porro fuit mandatum, aeque nobile ac sanctum, quod a Deo habuit, etsi modestis definiretur limitibus: proindeque pronum est intelligere, vitam nostri herois non in magnitudine operum vel celebritate fundationum constare, sed totam esse positam in exercitatione virtutum, quae adeo fuerunt praeclarae, ut stuporem admirationemque populi excitarent, et laudem posterorum mererent. Cum res ita sint, plura vitam Dei Servi spectantia consulto praetermisimus, quia tam arcte virtutibus connectuntur, ut nulla quidem ratione ab istis seiungi valeant. Item, quoad postremas vices eximii presbyteri eiusque obitum attinet, nullam hic fecimus mentionem, cum de eadem re suo loco agere debeamus, ut nostro officio iuxta morem in hisce Causis receptum rite perfungamur. Sit itaque de heroicis Antonii virtutibus, quae eius vitam fusius explanabunt, et studium E.morum Suffragatorum adeo incendent, ut benevolentissimo animo hanc Causam expendant et iudicent.

CAPUT II.

DE HEROICIS VIRTUTIBUS.

13. — Quoniam de singulis Dei Famuli virtutibus pecu-

(1) *Psal. CXVIII, n. 66.*

liarem disceptationem instituere praestet, pauca satis erit in hoc innuere capite, ex quibus liceat inferre, qua ratione et quo gradu cunctas exercuerit virtutes. Testis XIII paucis verbis singulas exhibet notas, quibus illae ornabantur. « Il « Servo di Dio (inquit) esercitò le cristiane virtù *usque ad* « *mortem* ed in un grado a mio giudizio eroico, cioè in un « grado superiore a quello, con cui sogliono praticarle gli « altri, con tutto lo zelo e fervore, con fermezza, costanza « e vincendo tutti gli ostacoli, secondochè ho notato in tutti « gli atti della sua vita e così pure sempre intesi ripetere « dagli altri ». Quod testimonium amplissime confirmatur a caeteris testibus, quorum alter et vicesimus tanta vi atque efficacia sermonis haec fatetur: «.... posso dare non uno, ma « venti giuramenti ed anche mille, che il Servo di Dio « D. Antonio Pennacchi esercitò tutte le virtù cristiane in « grado eroico fino alla morte ».

14. — Porro laudandus est vir, qui mandata Dei et Ecclesiae servat, et officia cuiusque conditioni inhaerentia adimplet. At, qui tali ac tanto aestuat fervore, ut admirabili constantia et serenitate, summa alacritate ac laetitia, suis muneribus perfungatur, contumelias improborum in se provocet, easque aequo invictoque animo perpetiatur, iste profecto heroicitatem attingit, et altarium honoribus dignus est censendus. Talis fuit Antonius, qui in virtutibus excolendis fine supernaturali movebatur, et inter coaevos eminentiori excelluit ratione: nemo enim inter viros optimae etiam famae reperiebatur, qui comparari quodammodo posset cum nostro heroe, cuius sanctimonia communiter praedicabatur.

15. — En potissima ratio, ob quam Dei Servus adhuc in vita maximum obsequium et non communem reverentiam sibi meruerat. Testis vero XXIX merito arbitrabatur « che « l'esercizio delle virtù fosse in lui non in grado comune, « ma del tutto distinto »: et hanc opinionem deducebat « dal fatto che egli era stimato sopra tutti gli altri eccle« siastici, anche da' meno buoni, a' quali incontrandolo..... « pareva vedere il Signore ». Haec postrema verba, ni fallor, argumentum suppeditant amplissimum ad heroicas Antonii virtutes demonstrandas, quibus publicum populus reddebat testimonium: argumentum porro ineluctabile, quod nemo contemnere ausus fuerit, qui notum tritumque noverit effatum: *vox populi, vox Dei.*

CAPUT III.

DE HEROICA FIDE.

16. — Perduelliones, quae, duodevicesimo saeculo exeunte, Galliarum regiones sanguine ac morte obturbaverant, causa fuerunt, cur etiam Italia iisdem afflictaretur malis. Accedant exercitus magni imperatoris, Napoleonis I, qui nostras in terras irruperant, et una cum calamitatibus temporalis ordinis adduxerunt pravam morum licentiam, qua sanctitas vitae insane labefactabatur. Addantur quoque doctrinae impiae ac scelestae, quae ex Alpibus in Italiam profluxerunt, et, summo ardore a novatoribus exceptae, huc et illuc pervulgatae fuere. Quapropter etiam illis in locis, ubi historia, traditiones, monumenta fidem magnopere celebrabant, audacter patuit incredulitas, maxima porro calamitas, quae pacem fortunamque populorum facile subvertit. Civitates atque oppida Umbriae, patrocinio commissa tot atque illustrium Sanctorum, quorum memoria vel corpora illis praesidio erant ac decori, vocem novatorum audiverunt: exhinc perversitatis periculum, quod Christifidelibus imminebat. Tunc Antonius totis animi viribus, voce atque exemplo, lumine ac splendore heroicarum virtutum propugnaculum fidei surrexit, et tantum discrimen a patria avertere est conatus. Iamvero toto suae vitae curriculo nedum praeco atque cultor exstitit fidei, sed huius tam sollicitus strenuusque fuit defensor, ut merito Testis XII affirmare posset: « Io credo che il Servo « di Dio sia stato talmente investito dalla fede, che questa « fosse l'anima sua ».

17. — Palam omnibus est fidem ex operibus demonstrari, quae non modo illam illustrant, sed tali ac tanta eloquentia atque efficacia sunt instructa, ut per ipsa fides populi reviviscere valeat. Et sane Dei Servus hunc finem suis operibus sibi statuerat assequendum, mentem nempe studiumque hominum erga Christum convertere, in quo fides tamquam in solido fundamento innititur atque elucescit. Ipse enim, cum causa sit et via, qua homines salutem aeternam adipisci possint, talis est, ut cultum fiduciamque hominum mereatur. Quam ob rem cultum religiosum omni arte atque industria Antonius promovit; sacris, quae in templis celebrabantur, semper interfuit: et si interdum in cultu Deo praestando aliquid invenisset vitii, hoc sine ullo timore improbabat.

18. — Cum autem fides in excellentissimo Missarum sacrificio praesertim innotescat, illud tanto ardore Deo offerebat, ut ab adstantibus e terra extolli videretur. Hisce non contentus, quotidie in diversa civitatis templa se conferebat, ut Sacris adesset et etiam inserviret. Inter caetera fertur, non semel vel bis, sed duodecies quoque in die officium ministri obiisse in Missarum celebratione. Circa vero fervorem ac studium, quo presbyteri et ministri munere perfungeretur, Monialem professam Benedictinarum Cassiniensium audiamus aientem: « Nel celebrare la S. Messa il suo fervore « era visibile, e tanta era la venerazione che aveva al Divin « Sacrificio che trovava il suo diletto nel servir le Messe; « ricordo che anche mentre confessava nel nostro Monastero, « sospendeva le Confessioni per esercitare quel ministero ». Quod si aliquem reperiisset sacerdotem, qui Sacra faciens diligentissimus non foret in caeremoniis rite servandis, statim illum monebat, ne deinceps in easdem incurreret mendas. Pariter cum in una vel altera Ecclesia solemniter ac publice Sacramentum Eucharistiae proponeretur, assiduus erat in adoratione Christo praestanda, et tali ardore incendebatur erga maximum fidei mysterium, ut coram ipso angelicum praeseferret aspectum, et in extasim raperetur. Qui Antonium genibus provolutum coram altari in templo aspiciebant, intensae fidei adsertorem illum praedicabant.

19. — In pietate erga Matrem Dei nobilissima heroicae fidei manifestatio quoque dignoscitur: qua de re Rotae Auditores, in pertractanda Causa angelici iuvenis Aloisii Gonzagae, eius fidem ac sanctitatem laudibus extulerunt, eo quod « Deiparam Virginem omnium advocatam mortalium « maxima animi devotione colebat » (1). Quis vero in dubium revocare poterit amorem, quo Antonius SS. Virginem est prosequutus? In eius honorem suis sumptibus aediculam condidit, in qua imaginem Deiparae collocavit sub titulo *Auxilium christianorum:* Christifideles constanter hortabatur, ut angelica precatione Mariam salutarent: in eius laudem suos urgebat concives, ut mane, meridie ac vespere singulariter illam colerent: et pulcherrimam precem « *Angelus Domini* » suaviter cum iisdem recitabat, quos ad hunc finem invitare solebat frequentissimos. Ad rem mira enarrantur a Teste XVI. Item praxim mensis Mariani impense fovit, singulis enim annis nedum huic piae exercitationi intererat, sed illa occasione conciones quoque habebat, summopere curans, ut adolescentuli laudes B. Virginis canerent. Peculiarem exhibuit cultum etiam doloribus tantae Matris, quos frequentibus sermonibus ita celebrabat, ut saepius lacrymas refrenare nequiret. Huiusce devotionis sedulissimus cultor nullum diem vel horam transigebat, in

(1) *Tit. de relig.*, § *12.*

qua caelesti reginae debitos non redderet honores. Qua de re dignus fuit, qui singulari dono ornaretur gratias obtinendi et prodigia patrandi, nomine ac virtute potentissimae Deiparae, quam tanta dilectione ac reverentia cumulabat.

20. — Heroica Servi Dei fides eluxit quoque, ni fallor, in illa constanti ac laudabili ratione Nomina sanctissima Iesu et Mariae celebrandi: Nomina porro veneranda, in quibus salus mundi continetur, et incrementum, gloriam, humanitatem populi reperiunt. Hic opus presbyteri Assisiensis, qui non modo suam civitatem sed oppida etiam provinciae peragrabat, sanctissima illa Nomina ubique recolens ac praedicans. Visus est peculiare mandatum caelitus habuisse, per quod titulo apostoli illius devotionis merito est condecorandus. Iure igitur affirmare possumus cultum erga talia Nomina merito Antonii effloruisse, qui illum in animos concivium inserere sategit; quod quidem maximo ardore et sine ulla instantia vel ostentatione semper gessit.

21. — S. Laurentius Iustinianus hanc tradidit doctrinam: « *Deo credit qui Sanctis suis credit, in quibus loquitur Deus* » (1). Hic profecto Dei Servi fides firmiori communitur argumento; nam viros eximios, quos Deus supernaturalibus muneribus cumulavit, et Ecclesia ad honores altarium extulit, precatione et reverentia semper honestavit: ratione peculiari S. Iosephum, Petrum, Paulum et Franciscum Assisiensem dilexit, quorum virtutes ac sanctimoniam piis precibus celebravit. Non secus se gessit erga Romanum Pontificem, « per ubbidire al quale avrebbe fatto qualunque « cosa benchè ardua »; ipsum enim velut Vicarium Iesu Christi semper habuit et coluit, eique docilem alacremque praestitit obedientiam, quae tunc temporis ab illis detrectabatur, qui, licet christianum nomen praeferrent, spiritu tamen religionis non ducebantur. Eadem ratione impulsus sacerdotes honoribus prosequebatur, et quamvis ipse pari dignitate fuisset insignitus, tamen manum eorum saepius osculabatur, profecto sciens, obsequia ministris Dei exhibita non ad eosdem terminari, sed ad illum referri.

22. — In precationibus assiduis ac ferventibus aliud luculentissimum fidei argumentum dignoscitur, uti illustris Cardinalis de Lauraea scribit: « *maximae fidei signum est maxima et non cessans oratio; quia maxime creditur Deum et posse et velle exaudire* » (2). Iamvero Antonius in orationibus dies et annos suae vitae contrivit; mente enim soli Deo intenta studiose curabat, ut illum sibi propitium faceret, eiusque supernos impetraret favores. Talis insuper erat Servi Dei fervor, dum rosarium recitabat, vel in templo adprecabatur, vel quotidianum divinarum laudum pensum absolvebat, ut in Deum absortus quidquid circiter accidebat non attenderet. Praeterea, iuxta consilium Chrysostomi « *ubicumque sis, ora, templum est, ne locum quaeras* » (3), non solum in penetralibus domi vel Ecclesiae, sed in viis, plateis, officinis, diversoriis et cauponis quoque Antonius orabat: et illum vidisses homines cuiuscumque generis ad hoc laudabile officium explendum invitantem, qui, exemplo tanti viri permoti, preces palam omnibus perfundebant.

23. — Tam mirus zelus adeo animum Dei Servi excitavit, ut sedulo is advigilaret, ne familiae christianae in silentio ac recessu domuum recitationem rosarii sero praetermitterent. Non taedeat verba perlegere Testis VIII inquientis: « La sera alle volte si recava per le vie vicine alla sua « abitazione per sentire se nelle famiglie si recitava il Santo « Rosario, e trovando che in qualche famiglia non si reci« tava, bussava alla porta e dicendo la sua solita giacula« toria — Sia lodato Gesù e Maria — esortava e pregava « a recitarlo. Questo sistema che teneva fu causa, per « quanto ho inteso dire, che alcuni malviventi lo appostas« sero e lo percuotessero. Egli però non solo perdonò loro, « ma, per quello che ho inteso dire, li compensò con un « papetto e invitato dal governatore a deporre contro essi, « si schermì occultandone il nome e nascondendo il fatto ». Huiusmodi patientia, qua adversa patiebatur, et summa animi laetitia, qua percussiones accipiebat, atque percussoribus veniam libenter dabat, satis fidei heroicitatem demonstrant, ad quam usu constanti et quotidiano pervenit; scimus enim ex Mathaeuccio: « *fides ad patientiam inclinat..... inde constat quod quo intensior est fides..... maior est in adversis patientia, et maior in tribulatione laetitia* » (1).

(1) *In lig. vitae, c. 4 de fide.*

(2) *In 3 Sent. Tom. 2, disp. 32, art. 9.*

(3) *Hom. 2 de Orat.*

24. — Nemo profecto negaverit, ardorem, quo Dei viri religionis veritates illustrare solent, et animos peccantium ad bonam frugem revocare contendunt, signum esse non dubium heroicae fidei, qua prae caeteris excellunt. Ab officio concionatoris vel apostoli exercendo nunquam destitit Antonius; saepe enim conciones habebat in templis non modo Assisii, sed aliarum civitatum vel pagorum provinciae. Catechesim maxima sollicitudine pueros edocebat: alumnos scholarum exemplo ac doctrina in fide confirmabat: Sacris, quae pro iisdem alumnis quotidie litabantur, sponte adstabat, et sua praesentia sensus pietatis ac devotionis in illos insinuabat: ad piam sodalitatem Oratorii frequenter conveniebat, ubi bis in hebdomada sermones habebat, quibus animi adstantium ad fidem actibus idoneis exercendam impellebantur: et, cum scivisset subsidiorum inopia Oratorium clausum iri, divinae Providentiae magnopere innixus institit, ut piae exercitationes, quae in illo fiebant, non abrumperentur: insuper mirabili exemplo in supplicationibus fidem populi excitabat. Apostolus itaque iure est appellandus Antonius, qui nulli labori pepercit, et nullam praetermisit industriam in illa virtute praedicanda, quam ipse altiori gradu colebat.

25. — Quae cum ita sint, unusquisque facile videt atque intelligit, quanta fidei excellentia et praestantia in Dei Servo emicuerit. Ipse enim semper commendabat fidem, cuius verbum ex suo ore constanter prodibat: siquidem legimus in actis, quod olim Bictonii visus fuit: « rimpetto alla Chiesa « della Collegiata girarsi attorno e gridare con esultanza: « — Fede, figliuoli miei, che andremo tutti in Paradiso, « viva Gesù e Maria, venite con me a lodar la Madonna —; « ed entrato in Chiesa con molto seguito di popolo prostrossi « in terra e cantò le litanie ». Alias autem, cum terraemotus calamitas cives graviter angeret, Antonius hanc veritatem sollicitus erat ubique praedicandi: « se ci fosse più « fede, sarebbero minori i castighi di Dio ». Haec virtus adeo tam insignem praeconem inflammavit, ut hic desiderio flagraret in exteras remotasque regiones proficiscendi, ad populos ethnicos lumine fidei illustrandos, eosque ad catholicam religionem adducendos. At, cum huiusmodi votum explere nequiret, populares Assisienses coram icone SS. Virginis supra ianuam civitatis collocata convocabat, et cum iisdem integrum persolvebat rosarium, aliasque effundebat preces ad infidelium conversionem, Deipara opitulante, comparandam.

26. — Pari ardore peccantes in melium referre sategit: quod sane amplissimum perhibet testimonium de fidei heroicitate, iuxta sententiam Angelici Doctoris: « *ex zelo avertendi peccata et pro iis satisfaciendi heroica fides probatur.* Quis vero studium poterit apte commendare, quo peccatum abhorrebat, et viros nomen Dei blasphemantes christiana charitate corrigebat? Tam notus erat horror, quo peccatum aspernabatur, ut, vix in publicum prodibat, omnes

(1) *Tit. 2, Cap. 27.*

a quolibet verbo minus honesto vel pio proferendo abstinerent: immo populares, simul ac virum Dei appropinquantem conspicabantur, eius nomen ad invicem pronunciabant, et rectam agendi rationem servantes cavebant, ne blasphemiis vel culpis animum Servi Dei exacerbarent. De hac re disserentes, innuamus oportet, quod olim « per riprendere un « bestemmiatore fu da questo gravemente percosso. Il Servo « di Dio sostenne pazientemente quest'ingiuria, anzi so che « dicesse: — dammene più, dammene più, Giovanni, che « me lo merito — ». Quid tempore bacchanalium egerit pro civibus a periculo noxiarum removendis, ediscamus a Teste III ex officio, asserente: « ....specialmente nel carnevale « procurava che i cittadini desistessero dal ballo per timore « del peccato, e so che in parecchie case presentossi pro- « prio nel momento del ballo, e dopo aver invitato tutti « alla recita di tre *Ave Maria* offrì del denaro, perchè si « procurassero una cena, a patto, s'intende, che cessasse ogni « festino ».

27. — En igitur vir, qui, zelo avertendi peccata flagrans, et pro iis libenter satisfaciens, clarissima praetulit signa illius fidei, quae quidem heroica fuit, cum tantam nacta sit praestantiam, ut merito aequiparari possit virtuti, qua illustriores Dei Servi excelluerunt.

CAPUT IV.

DE HEROICA SPE.

28. — Sicut fides, iuxta mentem Doctorum, rerum divinarum contemplatorum, principii rationem habet, ita spes primo et praecipue ad finem inclinat, iisque duobus quasi cardinibus solidissimis perfectio vertitur sanctimoniae, quae in charitate completur. Cum vero finem consequi non liceat, quin apta nobis suppeditentur praesidia, et utrumque a bonorum omnium largitore iure sit expectandum, idcirco fit ut spes duplici exerceatur ratione; dum enim caelestem appetimus beatitatem, simul confidimus media ad illam comparandam idonea Deum nobis esse daturum. Iamvero, si acta vitae Servi Dei sedulo perpendantur, prima fronte patebit illum prae oculis semper habuisse vitam aeternam, quam toto animo totisque viribus se fore adepturum sperabat.

29. — In hoc vehementissimo Servi Dei desiderio consistit perfectionis fastigium, ad quod suis actibus alacriter pervenit. Legimus enim in S. Bernardo: « *Spes perfecta facit nos concupiscere non terrena quae videmus, sed caelestia quae speramus* » (1). Congruenter huic sententiae Antonius noster quiquid mundani vel caduci sapiebat aspernabatur, et honorum laudumque mundi contemptor nihil aliud quaerebat praeter caelitum gloriam ac felicitatem. Quapropter Testis I merito fatetur: « Rammento che essendo « stato innalzato alla Prelatura un suo fratello, Uditore di « Nunziatura in Portogallo (?), mentre tutti si rallegravano « con lui per questo fatto, fra i quali ero anch'io, il Servo « di Dio disse: — che Prelatura! che Prelatura! è il Pa- « radiso che dobbiamo cercare ». Ideoque semper de hoc Beatorum regno tali ac tanto impetu affectus loquebatur, ut auditores commoveret, et firmam tutamque ostenderet fiduciam illud certissime assequendi. Hoc unanimi suffragio plures affirmant testes. Non agitur ergo de qualibet fiducia, quam caeteris homines virtutem ordinariam exercentes habere possint: sed fiducia Antonii certitudinem pertingebat, quae, meritis Iesu Christi innixa, illum in angustiis ac tribulationibus solabatur et adeo erigebat, ut mente atque animo recogitaret aeternam illam beatitatis sedem, in qua tandem conquievisset. Nunc facile intelligitur ratio illius cultus singularis, quo S. Franciscum Assisiensem prosequebatur; namque Dei Servus sperabat sibi iam iam morituro efficacissimum praesto fore auxilium sancti patroni, qui eius spiritum in caelestem adduxisset patriam.

(1) *In parabolis de fide, spe et charitate.*

30. — Firmissimae spei non leve invenitur iudicium in illa suavissima delectatione, qua quis bono, quod sperat, amplissime fruitur. Sicut enim repugnantiam ac moestitiam experimur erga malum quod timemus, ita quadam inexplicabili voluptate perfundimur, animo recogitantes praemium, quod certissime sumus adepturi. Quis igitur aptis verbis referre poterit Antonii gaudium in recolendo illo regno caelesti, cuius beatitudinem certo sperabat? Quis exprimere verba, quae ex ore ac corde Servi Dei prodeuntia manifestissimum erant signum interioris laetitiae, qua efferebatur? Tota civitas Assisiensis fuit tantae laetitiae spectatrix. Stat igitur virtutem Dei Famuli heroicam quidem fuisse in vita aeterna speranda; nullus enim timor vel dubium tantam turbavit spem, quae magnum ipsi afferebat gaudium.

31. — At habitus spei secundario adiuvat in mediis et auxiliis sperandis, quae ad ultimum finem assequendum apte conferunt. Et sane haec media, quae iuxta varias hominum propensiones atque indoles Deus sapientissima largitur discretione, alacriter ac firmissime Antonius speravit et habuit. Nemo certe negabit inter media necessaria principem obtinere locum vivam intensamque fiduciam in Dei miseratione et bonitate; talis enim fiducia basis est ac fundamentum caeterorum subsidiorum, quorum rectissimo usu in Beatorum sedem ingredi pronum est. Nunc certo constat, nostrum Presbyterum hanc fiduciam maximo habuisse gradu: hoc testes concordibus depositionibus passim affirmant: hoc testantur verba, quae saepius Dei Famulus proferebat: hoc conciones, quas tenebat, perplurimae: hoc tandem eius ratio agendi erga infirmos aliosque homines, qui solatio vel fiducia indigerent. Haec fiducia in Dei Famulo alebatur fervente ac perseverante oratione, quae iuxta Theologorum et Ascetarum sententiam signum est luculentissimum heroicae spei.

32. — Vivissima spes desumitur etiam ex tolerantia vexationum, quibus aliquando Dei Servi ex parte hostis humani generis afficiuntur. S. Athanasius in vita S. Antonii Abbatis « spei in Deum adscribit celeberrimam victoriam, quam « Antonius, multitudine daemonum oppressus, et inflictis « plagis paene exanimis relictus reportavit » (1): ergo firmissimae in Deum spei victorias adscribo, quas non semel vel bis sed pluries alter Antonius contra inferorum insidiatores retulit. Scitum enim est, virtutis nostri herois furorem rabiemque excitasse daemonis, qui omni arte sategit animum illius deiicere, et fiduciam eius in auxiliis divinis debilitare vel extinguere. Siquidem narrant testes, daemonem fustibus Antonium cecidisse: hunc incedentem per vias ex arboribus turpes deformesque species praeferentibus minatum esse: ingressionem in Ecclesias ei acriter contendisse: epulas, quae ipsi apponebantur, sanguine inquinasse: illum denique variis multisque modis ita cruciasse: ut aliquando demens vel saltem perfecto usu rationis destitutus videretur. Sed Antonius, qui suam fiduciam in Deo penitus collocaverat, fortiter ac strenue aggressionibus obstitit, et sanctissima Iesu et Mariae nomina invocando insidias daemonis repulit, eiusque vim, Deo favente, contudit.

33. — Vexationibus spiritus tenebrarum addantur hominum adversitates atque offensiones. Dei Famulus nemini fecit unquam iniuriam: omnes osculo charitatis amplectebatur, et piis consiliis ac propositis ad rectam semitam adducere conabatur. Haec eadem ratio, ob quam, ipso naturae officio, gratos animi sensus sibi conciliare debebat Antonius, malevolos contra illum irritavit, qui in eorum offensionibus medium dignoscebat idoneum ad aeternam salutem asse-

(1) *Bened. XIV, De Beat. et Can. l. III, c. XXIII, § 2, n. 14.*

quendam: ideoque eius spes iterum firmabatur. Audiamus Testem XXX. Hic porro enituit Dei Famuli constantia, qua, oculis caelo tantummodo intentis, omnia tulit mala, et acerbitates sibi ab humana malitia allatas aequo animo perpessus est. En heroicitas spei, cuius amplissima in actis extant testimonia. Nomine omnium loquatur Testis XLV: « Se la virtù della speranza si ha in grado eroico, quando « si amano e sostengonsi con pazienza e con impertubata « costanza le avversità e le offese, sempre in ordine all'eterna « vita, a quello che ho sentito dire, il Servo di Dio D. An« tonio Pennacchi esercitò questa virtù in grado straordina« rissimo ». Quod interea mentes maximo percellit stupore, iucunda est vultus hilaritas et perfecta animi tranquillitas, quam adversis in casibus constanter servavit: res profecto miranda, quae aliud praebet indicium illius perfectionis, quam virtus Antonii certissime attigit.

34. — Ut huiusmodi caput rite absolvamus, licet nobis innumeros ingentesque recolere labores, quos Antonius pro Dei honore fovendo et pro salute animarum comparanda exantlavit. Cur, inquam, diu ac noctu, assidue adlaboravit in ministerio sacerdotali diligenter exercendo: cur igne charitatis succensus, huc et illuc advolavit, ut proximorum necessitatibus prospiceret: cur nunquam destitit a tot bonis operibus suscipiendis ac prosequendis, nisi vi ac robore spei suffulciretur? Si spes caeli acquirendi aeternamque assequendi mercedem ei defuisset, profecto a tantis laboribus sustinendis temperasset. Quid tandem demonstrat illa admirabilis perseverantia, qua usque ad extremum vitae diem suos nervos contendit ad instaurationem christianam in populo promovendam? Nemo igitur erit, qui habitum perseverantiae Dei Famuli adscribere nolit spei, quae in illo adeo fuit firma ac viva, ut indelebilem in civitate Assisii excitaret memoriam, quae adhuc hodie inter miserias asperitatesque vitae homines cuiuslibet ordinis, populares praesertim, adiuvat et solatur.

(Sequetur).

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

Indulg. conceduntur Archiconfr. a Corde Iesu Eucharistico.

Beatissime Pater,

Mathias Raus, Congregationis SS. Redemptoris Superior generalis, nec non Archisodalitatis SS.mi Cordis Iesu Eucharistici supremus Moderator, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, suppliciter petit, ut Christifidelibus eidem Archisodalitati addictis, sequentes plenarias indulgentias, defunctis quoque applicabiles, Sanctitas Vestra benigne concedere dignetur, nempe:

I. Quo die SS. Sacramentum in tabernaculo reclusum, in ecclesia Archisodalitatis vel in ecclesiis seu oratoriis ubi aliqua sodalitas Archisodalitati legitime aggregata reperitur, saltem per dimidium horae adoraverint.

II. Prima dominica vel prima feria quinta cuiusvis mensis.

III. In festis et diebus infra descriptis, scilicet: 1. Epiphaniae Domini N. Iesu Christi; 2. Die anniversaria erectionis primae sodalitatis (22 Ian.); 3. S. Tarcisii Mart. (27 Ian.); 4. Purificationis B. M. V. (2 febr.); 5. S. Thomae Aquinatis (7 Mart.); 6. S. Ioseph, Sponsi B. M. V. (19 Mart.); 7. S. Benedicti J. Labre (16 April.); 8. S. Paschalis Baylon (16 Maii); 9. S. Antonii Patavini (13 Iunii); 10. B. M. V. de Perpetuo Succursu (dominica ante festum S. Ioannis Bapt.); 11. Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. Ch. (dominica prima mensis Iulii); 12. SS.mi Redemptoris (dominica tertia mensis Iulii); 13. S. Alphonsi M. de Ligorio (2 Aug.); 14. S. Ioachim, patris B. M. V. (dominica infra octavam Assumptionis); 15. Nativitatis B. M. V. (8 Sept.); 16. S. Theresiae Virg. (15 Oct.); 17. S. Gerardi Majella (16 Oct.); 18. Omnium Sanctorum; 19. Commemorationis Fidelium defunctorum; 20. Immaculatae Conceptionis B. M. V. (8 Dec.); 21. S. Ioannis Ap. et Evang. (27 Dec.).

Dummodo praefatis diebus iidem sodales confessi ac sacra Synaxi refecti ecclesiam Sodalitatis devote visitaverint, et inibi ad mentem Sanctitatis Vestrae pias preces fuderint.

Et Deus, etc.

Ex Audientia SS.mi diei 22 Novembris 1905.

SS.mus D.nus Noster Pius PP. X benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces, in perpetuum, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 29 Novembris 1905.

A. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

Indulg. 300 dierum conceditur recitantibus infrascriptam iaculatoriam.

Cunctis invocantibus B.mam Virginem per iaculatoriam « *Notre-Dame des Bonnes Etudes, priez pour nous* » semel in die Indulgentiam tercentorum dierum in Domino concedimus.

Die 16 Maii 1906.

PIUS PP. X.

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem...

Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 22 Maii 1906.

† D. PANICI, Arch. Laodicen., *Secretarius.*

E SECRETARIA STATUS

Ad Emum Card. Goossens, de auctoritate suprema S. Sedis abusive non invocanda a privatis sacerdotibus.

Eminence Révérendissime,

Il a été porté à la connaissance du Saint-Siège que les deux prêtres belges, Daens et Fonteyne, condamnés justement par leurs évêques pour cause d'insubordination et

pour avoir fomenté la discorde parmi les fidèles, se permettent constamment d'invoquer l'autorité du Souverain Pontife dans leurs discours et dans les journaux qu'ils rédigent, sans avoir obtenu l'autorisation requise, comme si eux et leurs partisans agissaient en conformité des doctrines et des enseignements du Saint-Siège, et comme si les évêques belges, interprétant mal ces doctrines et ces enseignements, avaient réprouvé et continuaient à réprouver à tort leur manière d'agir.

Le Saint-Père, ayant eu connaissance de tout cela, a jugé, dans sa grande sagesse et sa prudence, qu'il est opportun de mettre fin à un état de choses qui pourrait nuire gravement aux intérêts de la religion catholique en Belgique. Il est, en effet, facile de comprendre que si l'on continue à tolérer certains agissements, un certain nombre de catholiques de bonne foi pourraient être induits en erreur, et qu'ainsi, parmi les fidèles, se perpétuerait le germe de la discorde qu'il importe souverainement de faire disparaître.

Le Saint-Père veut donc que Votre Eminence sache et fasse savoir en même temps aux évêques et aux catholiques belges qu'il condamne cette façon d'agir des prêtres mentionnés, qui invoquent abusivement l'autorité suprême du Saint-Siège.

Je profite de l'occasion pour vous redire les sentiments de profonde vénération avec lesquels, etc.

Rome, 27 février 1905.

R. Card. MERRY DEL VAL.

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

XXXIX. **Die Sabbati 11 Martii 1679.**

Dubia. — Negociationis. — R.
Dubia. — Missionariorum Tunchini et Cochinchinae. — R.
Taurinen. — Iurispatronatus. — R. *Negative.*

133. **Taurinen. — Iurispatronatus.**

Extat in dioecesi Taurinen. locus Villaforchiando, cuius habitationes et Ecclesia parochialis bellorum incommodis pene destructae fuerant, hinc pietate motus Ignatius Carocius Patruus Domini loci in temporalibus Ecclesiam cepit reexstruere, et quasi ad perfectionem redegit; et quoniam redditus certi dictae parochialis non sunt nisi scuta quindecim circiter, idem Ignatius intendens construere etiam aedes parochiales supplex instetit pro reservatione iurispatronatus ad sui favorem, nepotum et descendentium. Ad hanc instantiam remissam a s. m. Clemente X die 24 Novembris 1674 S. Congregatio respondit: arbitrio Emi pro-Datarii. Is vero die 15 Novembris 1675, ita respondit: Non videtur intrare arbitrium. Nepos autem oratoris iterum supplex instetit apud SS.mum qui rescripsit: Alla Congregazione del Concilio, che considerando quello si adduce di nuovo, dia parimente il suo voto.

Nunc vero ultra expensas scutorum 600 factas pro fabrica adducitur quod augetur dos in annuis ducatis sex, et tribus quartis auri de camera, et licet incerta parochialis possint attingere scuta undecim monetae, inquit non videri consideranda. Ex his igitur, et ex deducendis per informantem, quaeritur:

An petita iurispatronatus reservatio sit concedenda?
R. *Negative.*

XL. **Die Sabbati 22 Aprilis 1679.**

Mutinen. seu Nullius Carpen. — Iurisdictionis. — R. *Ad primum, in decisis. Ad secundum, dilata et stricte videatur in alia Congregatione circa secundum requisitum. Ad tertium, recedendum a decisis, et non concurrere requisitum sufficiens privilegii in limine fundationis. Ad quartum, affirmative facto tamen verbo cum Sanctissimo.*

Dubium. — Irregularitatis. — R. *Negative.*
Barchinonen. — Observationis festorum. — R.
Dubia. — Negociationis. — R.
Dubia. — Votorum. — R.

134. **Mutinen. seu Nullius Carpen. — Iurisdictionis.**

Iterum, atque iterum resoluta dubia, revocantur iterum ad examen; quare abs re non erit in nova hac discussione decretorum telam retexere, siquidem septies materia haec revoluta fuit, nempe sub diebus 26 Martii, 18 Iunii, 20 Augusti et 19 Novembris ac 3 Decembris 1678, nec non 28 Ianuarii et 4 Februarii currentis anni; et omissis decretis ordinatoriis sub die 18 Iunii, ad quatuor tunc proposita dubia S. Congregatio respondit:

Ad 1. In casu, de quo agitur esse Carpen. extra fines utriusque dioecesis Mutinen. et Regien.

Ad 2. Requiri quod in limine fundationis adsit sufficiens concessio a S. Sede approbata iuxta notata in resolutione facta in causa *Messanen.* 4 Augusti 1588 vel habeat copulative territorium separatum, quod sit nullius, iurisdictionem ordinariam in clerum et populum privative quoad episcopum, ius congregandi synodum quod legitime congregaverit, examinatores elegerit, vel post concilium privilegium apostolicum sufficiens obtinuerit.

Ad 3. Concurrere sufficiens requisitum fundationis, nihilominus ad tollendas omnes controversias, supplicandum Sanctissimo pro concessione indulti, ad instar privilegii concessi abbatiae Sublacen. et Nonantulanae.

Ad 4. Supplicandum Sanctissimo.

Demum etiam sub die 28 Ianuarii proxime praeteriti S. Congregatio stetit in decisis; voluit tamen expungi a decreto resolutionem *Messanen.* citatam in responsione, ad secundum, et sub die 4 Februarii censuit edendum esse decretum deleto in responso, ad tertium periodo nihilominus etc.

Ad haec tamen Sanctissimus haesit, voluitque afferri Episcopo novam audientiam, cumque illius agens non satis

aperte animum explicaret, praefinita fuit repropositio in praesenti Congregatione pro qua citato Episcopi agente ad tollendas etiam ambiguitates, supplicatur ad eadem dubia ex integro responderi. Proinde quaeritur:

1. An esse in confiniis dioecesium, importet esse intra vel extra illarum fines, et proinde an archipresbyteratus Carpen. sit intra vel extra fines dioecesis Mutinen. et Regien.?

2. An et quae requirantur ne praelati inferiores comprehendantur sub dispositione Concilii in Cap. 10, Sess. 23, de reform.?

3. An ista requisita concurrant in Archipresbytero Carpen. ad effectum petitum concedendi dimissoriales suis subditis, et eisdem conferendi ordines minores.

4. An litterae Apostolicae dispensationum matrimonialium et aliae huiusmodi generis, prout etiam commissiones causarum et brevia quae subditis archipresbyteratus Carpen. a Sede Apostolica concedantur, dirigenda sint ipsi Archipresbytero?

R. *Ad primum, in decisis. Ad secundum, dilata et stricte videatur in alia Congregatione circa secundum requisitum. Ad tertium, recedendum a decisis, et non concurrere requisitum sufficiens privilegii in limine fundationis. Ad quartum, affirmative, facto tamen verbo cum Sanctissimo.*

135. **Dubium. — Irregularitatis.**

Clericus Palentinus orator, alias cum coniugata deprehensus a marito, vulnere affectus fuit; post longum temporis spatium in idem commercium reincidit, ex quo factum est, ut quadam nocte, marito superveniente, orator aufugerit, sed maritus de fuga animadvertit, quare uxorem interfecit. Propter hoc Ordinarius irregularitatis praetextu denegat oratori assensum ad Sacros Ordines. Proinde per libellum a Sanctissimo remissum quaeritur:

An propter hoc, orator irregularitatem incurrerit?

R. *Negative.*

XLI. **Die Sabbati 13 Maii 1679.**

Barchinonen. — Observationis festorum. — R. *Negative.*

Dubia. — Votorum. — R. *Negative in omnibus.*

Ulixbonen. — Beneficii. — R. *Negative, sed posse cum dispensatione pontificia concedi in administratione.*

Sabinen. — Reparationis Ecclesiae. — R. *Ad primum, spectare ad Eminentissimum Abbatem. Ad secundum, restaurandam ad formam antiquae Ecclesiae et providendam de necessariis pro administratione sacramentorum.*

Taurinen. — Iurispatronatus. — R. *Negative.*

N. N. — Absolutionis. — R. *Pro dispensatione ad cautelam cura retentione beneficii.*

Bituricen. — Proprietatis. — R. *Affirmative.*

Tricarien. — Negociationis. — *Negative.*

Dubia. — Negociationis. — R.

De celebratione Missarum. — R. *Scribatur Ordinariis locorum et notificetur Superioribus Regul. in Urbe, ut pro eorum munere incumbant pro observatione omnimoda decretorum Sacrae Congregationis approbatorum per s. m. Urbani VIII de anno 1625 et de adimplemento iuxta instructionem mittendam doceant quolibet anno S. Congregationem Concilii.*

De privilegiis fori. — R.

136. **Barchinonen. — Observationis festorum.**

Dignentur EE. PP. reassumere folium S. Congregationis habitae 25 Februarii et 22 Aprilis proximi praeteriti et respondere:

An mercatores praetextu assertae consuetudinis licite valeant retinere apertas eorum apothecas diebus festis, et in eis vendere merces, et profanas negociationes facere.

R. *Negative.*

137. **Dubia. — Votorum.**

Dignentur pariter reassumere dictum folium 22 Aprilis et ad dicta dubia respondere. Nempe:

1. An monaci laici, qui tria solemnia vota emiserunt castitatis scilicet, paupertatis, et obedientiae in religione Congregationis S. Georgii in Alga a s. m. Clemente IX suppressa, possint uxores ducere, ita, ut per suppressionem supradictae religionis sint dispensati a voto solemni castitatis?

2. An testari possint.

3. An succedere possint fidecommissis et haereditatibus, et acquirere possint, ac si nunquam professi fuissent, et in saeculo permanissent?

R. *Negative in omnibus.*

138. **Ulixbonen. — Beneficii.**

Alias 27 Novembris 1677 (1) propositum fuit dubium: An religiosus militiae S. Benedicti de Avis instituendus esset ad prioratum Curatum saecularem; et Sacra Congregatio respondit negative. Cumque postmodum decretum impugnaretur, ex quo non fuerat approbatum a Sanctissimo, eadem Sacra Congregatio 10 Septembris respondit: servandum esse decretum. Attamen recurrente religioso, et afferente complura exempla ad sui favorem, datae fuerunt litterae ad D. Nuncium Apostolicum pro habenda informatione tam de exemplis allegatis, quam de formula professionis huiusmodi religiosorum; et D. Nuncius rem altius exordiendo ita respondet:

Ordinis militaris S. Benedicti de Avis sub regula S. Benedicti incertus est institutorum, *(sic)* ac tempus institutionis. Certum autem est semper adfuisse in dicto ordine alios milites ad bellum destinatos, et alios ad servitium Ecclesiae qui fratres vocantur. Antiquitus indistincte tam milites, quam fratres profitebantur tria vota essentialia scilicet castitatis perpetuae, paupertatis, et obedientiae, et omnes de licentia vivebant, nisi in bello reperirentur, vel alibi de licentia praelati. Primo a Ioanne XXIII dispensati sunt milites pro medietate pt. mihi constitit ex asserto cuiusdam bullae s. m. Iulii II de qua inferius dicam. Postmodum ab Alexandro VI concessum est iis qui deinceps militiae tamquam milites adscriberentur posse uxorem ducere. Tandem Iulius II confirmavit quoddam statutum Capituli generalis Ordinis, quo data est ampla facultas testandi militibus, et fratribus dummodo solvissent mediam annatam omnium commendarum. Quare hodie milites degunt omnes extra monasterium sive conventum, ac profitentur castitatem coniugalem, paupertatem iuxta dictum statutum, et obedientiam magno magistro, ut in formula quae allegatur. Fratres vero emittunt votum castitatis perpetuae, paupertatis iuxta constitutiones Apostolicas, et obedientiae secundum formulam, quae datur in folio. Isti tamen fratres

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. XIII, p. 262.

sunt duplicis speciei. Aliqui enim minime conventuales sunt, et factis octo diebus probationis profitentur, ut caeteri fratres, et hi ut plurimum sunt, qui adepto beneficio aliquo Ordinis debent profiteri ut illo frui possint. Profitentur etiam hoc modo aliqui ecclesiastici qui assumpti a serenissimo principe ad tribunal conscientiae, et Ordinum, in quo tribunali negocia ad Ordines spectantia dirimuntur, ut in eodem tribunali licite assistere possint, debent in aliquo Ordine militari profiteri; et huius speciei sunt de praesenti Ludovicus Vierne de Sylva, et Rodericus de Moura Telles ambo canonici Elborenses. Altera species est fratrum conventualium qui peracto novitiatus anno ad formam S. Concilii Tridentini professionem emittunt ut supra dictum est, et in conventu vivunt usque dum de aliquo beneficio Ordinis provideantur, vel obtineant licentiam exeundi a Conventu et de facto isti conventuales utuntur facultate testandi, concessa per statutum approbatum a s. m. Iulio II et tempore, quo vivunt in Conventu, licet mensa communi utantur, expleto anno fiunt computa, et residuum reddituum non consumptorum, inter eosdem conventuales actu in Conventu viventes, quorum numerus est certus, distribuitur.

Exempla quae in scriptura fr. Benedicti Figuerra allegantur, non omnia conferunt suae intentioni, quia licet multi ex nominatis, qui adepti sunt beneficia saecularia absque eo quod mihi constet, fuisse dispensatos per Sedem Apostolicam vere fuerint conventuales, verum alii nunquam fuerunt conventuales, imo suscepto prius habitu militari, et forsan professione emissa, quae a militibus emitti consuevit, ad ordines sacros promoti sunt, et beneficia ecclesiastica saecularia adepti sunt. Qui fuerunt conventuales littera C signati in scriptura apparebant et sunt numero quindecim.

Formula professionis quam emittunt milites ordinis S. Benedicti de Avis:

Ego N. profiteor Deo, et coram S. P. M. promitto obedientiam magistro eiusque successoribus can. intrantibus, et conversionem morum meorum, de bono in melius, omnibus diebus vitae meae usque ad mortem, et promitto castitatem coniugalem et non habere proprium iuxta formam brevis papae Iulii II, consuetudinem et statuta Ordinis absque solutione mediae annatae bonorum quae ex illo recepero.

Formula professionis fratrum praedicti Ordinis:

Ego N. sacerdos, diaconus, vel subdiaconus, clericus, vel laicus promitto stabilitatem meam, et conversionem meorum morum et obedientiam D. magistro, seu Gubernatori Nostro N. Tibi Domino praesuli gerenti vicem eius, vestrisque successoribus secundum regulam S. Benedicti Abbatis Ordinis Cisterciensis et nostrum militare institutum, sub paupertatis forma per sanctiones Apostolicas approbata coram Deo, et omnibus Sanctis eius in hoc loco, qui vocatur Avis, constructo in honorem S. M. Virginis in praesentia Ill.mi ac R.mi D. fratris N. Magni prioris etc., die etc.

His igitur stantibus iterum quaeritur:

An dictus fr. Benedictinus instituendus sit ad prioratum de quo agitur.

R. *Negative, sed posse cum dispensatione Pontificia concedi in administratione.*

139. Sabinen. — Reparationis Ecclesiae.

In terra Canis mortui, reperitur Ecclesia curata reparatione, imo ampliori edificatione, ac Sacris supellectilibus summopere indigens. Illius vicarius non habens nisi annua scuta septuaginta quinque se dicit ab onere immunem. Populus vero praetendit hoc spectare ad Eminentissimum D. Carolum Barberinum Commendatarium Abbatiae S. Mariae de Plano, cui dicta Ecclesia unita dicitur, sive ad D. Marchionem Nari a quadraginta annis pensionarium. Interim inter disceptationes, fatiscens Ecclesia totalem ruinam minatur. Proinde ad celerem provisionem Ill.mus D. N. negotium remisit ad hanc S. Congregationem pro declaratione in qua audito Eminentissimo Episcopo super miserabili Ecclesiae statu, et monitis partibus ad informandum quaeritur:

1. An et ad quem spectet reparatio Ecclesiae de qua agitur?

2. An et quomodo sit restauranda sive potius reedificanda Ecclesia, et providenda de necessariis, ita ut sit locus sequestro super fructibus, et cui sit committenda exequutio?

R. *Ad primum, spectare ad Eminentissimum Abbatem. Ad secundum, restaurandam ad formam antiquae Ecclesiae et providendam de necessariis pro administratione sacramentorum.*

140. Taurinen. — Iurispatronatus.

Die 11 Martii ad infrascriptum dubium emanavit resolutio negative *(Vide supra)*. At quoniam in reaedificatione iam fuerunt erogata scutorum 600 bona fide ut ex attestatione iurata, et augetur dos in duobus tertiis respective fructus certi, iterum supplicatur decerni:

An petita iurispatronatus reservatio sit concedenda?

R. *Negative.*

141. N. N. — Absolutionis.

Sub die 10 Septembris 1678 perlectus fuit infrascriptus supplex libellus a SS.mo remissus pro voto:

Cum Titius canonicus Collegiatae N. litem habuisset cum Francisco ad cuius favorem a Sempronio cessum fuerat ius, quod habebat ad eumdem canonicatum; cumque varia decreta, et sententiae emanassent ad ulteriores lites recidendas, per amicorum interpositionem, Franciscus cessit iuri suo ad favorem Titii: Titius e contra exbursavit Francisco libras 4700 quae constituunt scuta monetae romanae 1400 propter graves expensas in lite factas; cessio huiusmodi effectum habuit, sed in ea expressa non fuit praedicta solutio, quae fuit secreta. Ideo Titius angitur scrupulo, ac dubio simoniae, quamvis haec facta fuerint bona fide. Cumque non habeat aliunde unde vivat, supplicat pro absolutione et retentione dicti canonicatus cuius nullos fructus percepit, quamvis sit possessor pacificus.

Tunc Sacra Congregatio existimans rem maturius examinandam ideoque voluit describi in folio exprimendo ad cuius favorem sententiae emanassent, et an expensae pro expeditione factae in summa soluta continerentur. Nunc itaque exprimitur sententias fuisse ad favorem Titii, et expensas factas a Francisco pro expeditione non comprehendi in dictis libris 4700 quae soluta fuerunt pro expensis litis. In quibus circumstantiis videtur inspiciendum:

1. An commissa fuerit simonia?

2. An concedenda petita absolutio et retentio?

R. *Pro dispensatione ad cautelam cum retentione beneficii.*

142. Bituricen. — Proprietatis.

Monasterium monialium S. Clarae strictioris observantiae reformationis S. Collectae in Gallia, possidet nonnulla immobilia, et legata ab immemorabili etiam ante Concilium. Et quatenus sine huiusmodi bonis non posset subsistere ob decrescentes eleemosynas, supplicat decerni:

An ipsum Monasterium possit licite dicta bona immobilia et legata pia possidere?

R. *Affirmative.*

143. Tricarien. — Negociationis.

Inter caetera bona spectant ad mensam episcopalem terrae ad pascua tantum aptae; ut uberes ex iis fructus percipiat Episcopus, partim emit de proprio, et partim emere intendit animalia, illorumque fructus, et foetus honesta ratione vendere supplex quaerit:

An huiusmodi industriae sint negociationes illicitae?

R. *Negative.*

144. De celebratione Missarum.

SS.mus D. N. pro suae pastoralis providentiae inclito zelo animadvertens in Missarum celebrandarum missionibus piorum fidelium voluntates frequentissime defraudari, malis huiusmodi obviare decrevit.

Id praesertim contingit in regularibus et exemptis, qui ultra conventuum, et Monasteriorum vires eleemosynas quantae quaeque offerant, pro Missis celebrandis, recipiunt, illisque consumptis Missisque non celebratis pro compositione vel condonatione in dies recurrunt.

Quoad onera quidem perpetua per decretum s. m. Urbani VIII per hanc S. Congregationem editum 21 Iunii 1625, si illius observantiae invigiletur satis forte consultum est, et nisi in hoc etiam aliquid addere videatur. Tota provisio versari debebit circa eleemosynas quae dantur ad manus.

In notula remissa suggeritur fore opportunum si etiam regularibus et exemptis prohibeatur in posterum ne pro Missis eleemosynas recipiant nisi prius per libros coram Ordinario docuerint antea susceptis oneribus esse satisfactum, deindeque, de mense in mensem tam eleemosynarum susceptarum quam Missarum celebratarum notulas eidem Ordinario exhibere teneantur cum caeteroqui tabellarum in Sacristia retentio nequaquam videatur sufficere, cum praecipuus defectus consistat in manualibus eleemosynis quae dietim obveniunt.

Opportunum etiam futurum suggeritur, si praesertim regularibus prohibeantur capsulae et liberculi quos sacristani retinere consueverunt, mandando ne in posterum eleemosynae recipi possint nisi a superiore cum assistentia duorum patrum gravium, imponendo poenam praesertim vocis activae et passivae, non solum ad superiores locales verum etiam ad provinciales et generales in casu contraventionis. Si vero huiusmodi remedia non existimentur adaequata, non graventur EE. PP. pro eorum summa prudentia decernere quod magis in Domino expedire iudicaverint.

R. *Scribatur Ordinariis locorum et notificetur superioribus Regul. in Urbe, ut pro eorum munere incumbant pro observatione omnimodo decretorum Sacrae Congregationis approbatorum per s. m. Urbani VIII de anno 1625 et de adimplemento iuxta instructionem mittendam docent quolibet anno S. Congregationem Concilii.*

ANALECTA VARIA

Decretum diei 29 Dec. 1905 circa recensionem bonorum ecclesiasticorum peragendam in Galliis, vigore iniquae legis 9 Dec. 1905, (1).

Le président de la République française,

Sur le rapport du ministre de l'instruction publique, des beaux-arts et des cultes, du ministre des finances et du ministre de l'intérieur;

Vu la loi du 9 décembre 1905, concernant la séparation des Eglises et de l'Etat, et notamment les articles 3 et 43, paragraphe 1er, ainsi conçus:

« Art. 3. — Les établissements dont la suppression est ordonnée par l'article 2 continueront provisoirement de fonctionner conformément aux dispositions qui les régissent actuellement jusqu'à l'attribution de leurs biens aux associations prévues par le titre IV, et, au plus tard, jusqu'à l'expiration du délai ci-après.

« Dès la promulgation de la présente loi, il sera procédé par les agents de l'administration des domaines à l'inventaire descriptif et estimatif:

« 1° Des biens mobiliers et immobiliers desdits établissements;

« 2° Des biens de l'Etat, des départements et des communes dont les mêmes établissements ont la jouissance.

« Ce double inventaire sera dressé contradictoirement avec les représentants légaux des établissements ecclésiastiques ou eux dûment appelés par une notification faite en la forme administrative.

« Les agents chargés de l'inventaire auront le droit de se faire communiquer tous titres et documents utiles à leurs opérations.

« Art. 43, § 1er. — Un règlement d'administration publique, rendu dans les trois mois qui suivront la promulgation de la présente loi, déterminera les mesures propres à assurer son application »;

Le Conseil d'Etat entendu,

Décrète:

Art. 1er. — Le directeur général des domaines désigne les agents chargés, dans chaque département, de l'inventaire prescrit par l'article 3 de la loi du 9 décembre 1905.

S'il y a lieu, il commissionne des agents auxiliaires, lesquels sont choisis exclusivement parmi les fonctionnaires appartenant aux services de l'administration des finances déterminés par arrêté ministériel.

Art. 2. — Le directeur des domaines du département, après s'être concerté avec le préfet, fixe les jour et heure de l'ouverture des opérations et il en avise, au moyen d'une

(1) Cfr. *Anal. Eccl,*, fasc. praec., p. 41, ubi praedicta lex reperitur. *N. D.*

notification faite par les soins du préfet, dans la forme administrative et cinq jours au moins à l'avance, savoir :

1° Pour les fabriques des églises et chapelles paroissiales, et pour les menses curiales ou succursales, le curé ou desservant et le bureau des marguilliers en la personne de son président ;

2° Pour les fabriques des églises métropolitaines, ou cathédrales, l'archevêque ou l'évêque ou, en cas de vacance du siège, les vicaires capitulaires ou, à défaut de ceux-ci, le doyen du chapitre ;

3° Pour les menses archiépiscopales ou épiscopales, l'archevêque ou l'évêque ou, en cas de vacance du siège, le commissaire administrateur ;

4° Pour les chapitres, le chapitre en la personne du doyen ;

5° Pour les séminaires, le bureau d'administration en la personne de son président ;

6° Pour les maisons et caisses diocésaines de retraite ou de secours pour les prêtres âgés ou infirmes, le Conseil d'administration en la personne de son président;

7° Pour les conseils presbytéraux et consistoires des églises réformées, les conseils presbytéraux, consistoires et synodes particuliers de l'Eglise de la confession d'Augsbourg, les consistoires israélites, le conseil, consistoire ou synode en la personne du président.

Avis des opérations est donné par le préfet aux maires qui pourront y assister.

Art. 3. — Indépendamment de la faculté qu'ont les membres des conseils administratifs ci-dessus désignés d'assister à titre individuel aux opérations de l'inventaire, ces conseils peuvent s'y faire représenter par un ou plusieurs délégués pris parmi leurs membres.

En outre, les bureaux des marguilliers peuvent se faire représenter par un ou plusieurs des autres membres du conseil de fabrique et les consistoires israélites par le commissaire administrateur ou par un ou plusieurs membres des commissions administratives, prévus par l'article 21 de l'ordonnance du 25 mai 1844.

Les archevêques et évêques peuvent se faire représenter par un membre du chapitre, les curés et desservants par un membre du conseil de fabrique.

Art. 4. — Dans le cas où aucun des représentants d'un établissement ne se rend à la convocation, il est passé outre par l'agent des domaines, qui procède alors en présence de deux témoins.

Si l'agent rencontre un obstacle dans l'accomplissement de sa mission, il le constate et en réfère immédiatement par l'intermédiaire du directeur, au préfet qui prescrit les mesures nécessaires.

Art. 5. — L'inventaire est établi, tous droits et moyens des parties réservés.

Il est rédigé en simple minute et sur papier non timbré.

Il contient notamment :

1° Les noms, qualités et demeures des comparants ;

2° L'indication des lieux où l'inventaire est fait ;

3° La description et l'estimation de tous les biens mobiliers et immobiliers inventoriés ;

4° L'indication des deniers et valeurs en caisse ;

5° La déclaration des titres actifs et passifs;

6° La déclaration par les représentants de l'établissement, lors de la clôture des opérations, qu'à leur connaissance il n'existe pas d'autres biens susceptibles d'être portés à l'inventaire ou la mention du refus de cette déclaration.

Les dires et protestations des intéressés, au cours des opérations, y sont consignés.

Art. 6. — La partie descriptive et estimative de l'inventaire est divisée en deux chapitres :

Le premier comprend les biens de toute nature qui appartiennent à l'établissement. S'ils proviennent de l'Etat, mention est faite de cette origine ainsi que des fondations pieuses qui les grèvent et de la date de ces fondations. S'ils ont une autre provenance, l'inventaire indique les affectations de toutes espèces dont ils peuvent être grevés.

Le second chapitre est relatif aux biens de toute nature appartenant à l'Etat, au département ou à la commune, et dont l'établissement n'a que la jouissance.

Art. 7. — Après lecture, l'inventaire est revêtu de la signature de l'agent des domaines et de celle des comparants ou des témoins. En cas de refus de signature, il en est fait mention.

Art. 8. — Aussitôt après la clôture des opérations, l'inventaire est adressé, par l'intermédiaire du directeur, au préfet pour être déposé dans les archives de la préfecture. Une copie conforme en est délivrée, sans frais, par les soins du préfet au représentant légal de l'établissement, sans préjudice du droit des intéressés d'en prendre communication sur place ou d'en obtenir une expédition dans les conditions de tarif légal.

Art. 9. — Au cas où, après la clôture de l'inventaire, des biens qui n'y ont pas été portés viennent à être découverts, il est dressé un supplément d'inventaire.

Art. 10. — Les autres mesures propres à assurer l'application de la loi du 9 décembre 1905, notamment en ce qui concerne l'attribution des biens, seront déterminées par des règlements d'administration publique ultérieurs.

Art. 11. — Le ministre de l'instruction publique, des beaux-arts et des cultes, le ministre des finances et le ministre de l'intérieur sont chargés, en ce qui les concerne, de l'exécution du présent décret, qui sera publié au *Journal Officiel* et inséré au *Bulletin des lois.*

Fait à Paris, le 29 décembre 1905, etc.

ROMANAE INSTITUTIONES

Casus Conscientiae propositi et soluti Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli, A. 1904-905.

XII.

De absolutione a censuris ab Episcopo reservatis extra mortis periculum.

Die 13 Iulii 1905, hora 18 ¹/₄ (6 ¹/₄ pom.).

Titius, ut se disponat ad communionem paschalem, apud Caium confitetur, cui praeter alia aperit, se incestum semel patrasse cum sibi consanguinea in secundo gradu. Ex confessarii animadversione discit, quod prius ignorabat, scilicet: in ea dioecesi peccatum illud esse Episcopo reservatum cum adnexa excommunicatione, et proinde apud eumdem confiteri oportere, cum ipse in huiusmodi reservata facultate careat. Verum Titius, utpote minus firmae valetudinis, nequit ad Episcopum in civitate valde dissita residentem se conferre; et insuper die sequenti, scilicet feria V in Coena Domini, solet quotannis cum uxore accedere ad communionem, quam proinde non posset sine infamia et scandalo omittere, eo vel magis, quod eius uxor iam in suspicionem patrati incestus devenerat. His auditis, confessarius eum hortatur, ut ad Parochum accedat, quem scit necessaria facultate praeditum. Et quidem Titius, licet aegro animo, ad eum se sistit, a quo tamen non sine indignatione rescit, facul-

tatem in reservata episcopalia ad tempus sibi concessam, paulo ante cessasse. Nihilominus parochus eum solatur et audita sacramentali confessione absolvit; eo quod, bono fato, praeditus nunc facultate absolvendi casus Pontifici reservatos, a fortiori potest a reservatis Episcopo poenitentem relaxare. Qui enim, ut ipse ratiocinatus est, potest plus, potest etiam et minus in eodem genere praestare.

Quaeritur:

1° *An et quando extra mortis periculum simplex confessarius possit poenitentem absolvere a censuris Episcopo reservatis?*

2° *An Caius potuisset Titium ignorantem censuram episcopalem, absolvere?*

3° *An Parochus recte se gesserit et recte ratiocinatus sit?*

Respondeo ad 1um. — In hoc postremo casu est sermo de absolutione a censuris ab Episcopo reservatis.

De absolutione a censuris Romano Pontifici reservatis iam disputatum fuit eodem hoc anno in altero casu sub numero IX, qui resolutus fuit *die 22 Maii.* Ex quo patet, per decretum a S. Inquisitione editum *die 23 Iunii 1886*, traditam fuisse specialem normam, a iure communi diversam, in absolutione casuum papalium sequendam.

Sed quoniam hoc decretum, prout constat ex ipso illius tenore, respicit solummodo reservata pontificia et non episcopalia, hinc circa casus episcopales etiam nunc antiquum Decretalium ius viget. Igitur secundum hoc ius resolvemus propositum casum.

Sermo est de absolutione a censuris ab Episcopo reservatis *extra mortis articulum.*

Concilium Tridentinum, *Sess. XIV, cap. 7,* loquens de absolutione reservatorum, tum in mortis articulo, tum extra articulum mortis haec docet:

« Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt; *extra quem articulum sacerdotes, cum nihil possunt in casibus reservatis, id unum poenitentibus suadere nitantur, ut ad Superiores et legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant* ».

Qui igitur in censuram ab Episcopo reservatam inciderit, et extra mortis articulum versetur, tenetur ordinarie loquendo ad Superiorem personaliter accedere, quin possit a simplici confessario absolvi. Verum facile accidere poterit, quod poenitens sit legitime impeditus ex impotentia physica vel morali, quominus ad Episcopum accedat, et simul cum impedimento adeundi Superiorem coniungatur urgens aliqua causa consequendi absolutionem: v. g. si absque infamia et scandalo nequeat omitti communio aut Missae celebratio, vel sit adimplendum praeceptum confessionis vel communionis annuae, vel si poenitens diu in statu peccati mortalis remanere deberet etc. In tanta casus urgentia Ecclesia pia mater et quilibet Superior non potest censeri, velle poenitentem obligare ad aliquid impossibile, vel ad magnum incommodum subeundum. Hoc igitur in casu ad quemlibet inferiorem h. e. ad quemcumque simplicem confessarium adprobatum devolvitur facultas absolvendi; qui inferior quoad hoc diversimode se gerere debet pro diversa casus indole et impedimenti diuturnitate.

Sit in primis sermo de impedimento adeundi Episcopum, *brevis temporis,* duraturo scilicet non ultra sex menses. Stante huiusmodi impedimento et causa urgente, simplex confessarius potest poenitentem absolvere saltem indirecte; imposita tamen obligatione, ut poenitens data opportunitate se sistat Superiori, vel alteri facultatem in reservata habenti, ut directe absolvatur.

Si vero impedimentum adeundi Episcopum sit *longi temporis,* quod computatur a sex mensibus ad quinquennium, tunc poenitens etiam directe absolvi poterit, cum onere se sistendi Superiori, aut delegato, si peccatum sit reservatum cum censura, secus, si censuram adnexam non habeat.

Si tandem impedimentum sit *perpetuum,* seu ultra quinquennium duraturum, reservatio censetur simpliciter sublata, et poenitens directe absolvitur, quin ullum onus postea coram Superiore vel eius delegato comparendi eidem imponatur.

Confer S. Ligorium, lib. VI, num. 585; lib. VII, num. 85 seqq.; Bucceroni, *Comment. De Censuris,* num. 47 seqq.

Respon. ad 2um. — Affirmative: scilicet Caius potuisset absolvere Titium a peccato incestus ab Episcopo reservato cum adnexa excommunicatione.

Sane, si ageretur de casu a Rom. Pontifice cum censura reservato, nulla esset difficultas. Nam communis est DD. sententia huiusmodi reservationem non incurri ab iis, qui censuram ignorabant. Nam casus papales *principaliter* et *immediate* reservantur propter censuram, a qua regulariter excusat ignorantia. Cum igitur in his casibus immediate reservatur censura et mediate peccatum, quod est censura ligatum, ideo cum peccatum sit indivisibile a censura, reservata censura, etiam peccatum manet reservatum; contra vero, cum censura sit medium quo reservatur peccatum, sublato medio, idest censura, non remanet reservatum peccatum. *Confer S. Ligorium lib. VI num. 580.*

Quando autem casus aliquis reservatur ab Episcopo cum censura, certum pariter est, censuram ab eo non incurri, qui eam ignorabat. Sed quaestio fit, an si ob ignorantiam, quis excusetur ab incurrenda episcopali censura, casus tamen seu peccatum, quod Episcopus sibi reservavit, adhuc maneat reservatum.

Et Doctores quidem inter se dissident, ut videre est apud *S. Alphonsum lib. VI, num. 581, dubit. 2.*

Sunt qui id, quod de papalibus communiter docetur, tenendum putant etiam de casibus ab Episcopo cum censura reservatis; nisi forte Episcopus diserte contrarium statuerit, nam id eius potestatem non excederet.

De qua re ita *Aversa De poenit., q. 17, Sect. II, § 6:* « Posset quidem simpliciter tolli censura, et remanere reservatio peccati. Realiter tamen et concomitanter ita se res habet, ut, ablata censura, eo ipso cesset etiam reservatio peccati... et ab initio si excusetur quis ab incurrenda censura, quamvis non a culpa, ut contingere potest ob ignorantiam, excusetur pariter a reservatione ipsius culpae. Quia nempe ex intentione Superioris ita coniungitur culpae reservatio cum censura, ut nonnisi cum illa inveniatur. *Et in hac doctrina communiter Doctores conveniunt* ».

Inter recentiores *Cardin. D'Annibale Summ., Vol. I, n. 340, edit. 3,* haec habet: « In casibus a Rom. Pontifice seu sibi, seu Ordinariis reservatis, convenit reservationem censurae esse principalem, peccati accessoriam; quamobrem, si quid excusat a censura, reservatio penitus cessat. In his, quae Ordinarii sibi reservarunt, non satis convenit; sententia communior tenet, utramque reservationem aeque principalem esse; ac proinde, etsi censura exulet, peccati reservationem manere putant; minus communis, quae mihi verior videtur, tenet, in his idem iuris esse, ac in censuris a Rom. Pontifice reservatis: atque ideo, si censura non incurritur reservationem cessare ». In eamdem sententiam concedit *Ballerini-Palmieri, Vol. V, num. 476, edit. III.*

Contrariam tamen sententiam, tamquam veriorem, sequitur *S. Alphonsus loc. cit. num. 581.* Pro hac sententia sequentes rationes solent afferri.

a) In hoc differunt casus papales ab episcopalibus, quod in papalibus principaliter et indivisibiliter reservatur censura; in episcopalibus vero principaliter et per se reservatur peccatum, eique adnectitur censura.

b) Quod confirmatur ex verbis quibus casus episcopales in tabella reservationum ab episcopis adnotantur: *Casus reservati, quibus est adnexa excommunicatio.*

c) Idem probatur ex fine reservationis, ut nempe peccantes fortius ligentur, et per duplicem reservationem a peccato absterreantur.

Sed non est difficilis ad singulas rationes responsio.

Et quantum ad primam rationem allatam attinet, certe ius canonicum illi distinctioni non suffragatur; et insuper verba, quibus illa ratio exprimitur, non praeferunt argumentum, quo sententia firmetur, sed aliis verbis ipsam sententiam repetunt.

Ad alteram rationem respondet ipse D'Annibale, loc. cit. (nota 25), scilicet verba, quibus reservationes huiusmodi exprimi solent in tabellis, nullatenus cogere: « nam et *nexus* pignori fundus in iure dicitur (*L. 2, de Curat. furios. dan.*) et res pignori *nexae* dicuntur (*L. 22, de Iure fisci*); et nemo profecto fundum vel rem *accessoria* pignori dixerit ».

Tandem ratio non patitur, ut pro minus gravibus criminibus, qualia sunt quae ab Episcopis reservantur, si comparentur cum reservatis a Papa, immitior sit reservatio, quam pro gravioribus.

Concludimus igitur, quod sententia, quae tenet, in censuris ab Episcopo reservatis idem iuris esse ac in censuris reservatis a Papa, gravi profecto tum intrinseca tum extrinseca probabilitate non caret. Atqui hoc satis, superque erat, ut Caius illam sententiam potuisset in praxim deducere, et illi innixus Titium absolvere.

Verum etiamsi Caius voluisset sequi sententiam a S. Alphonso propugnatam, scilicet in casibus Episcopalibus, sublata ob ignorantiam vel ob aliam causam censura, adhuc remanere reservationem, in hac etiam sententia potuisset Titium absolvere.

Etenim 1) Titius, ut patet ex casu, non solum censuram, sed etiam reservationem ignorabat. Iam vero licet sententia communior teneat cum *S. Alphonso, lib. VI, n. 581,* ignorantes reservationem illam nihilominus incurrere, sententia tamen opposita, quam plures Doctores tenent, docet ignorantiam reservationis ab illa incurrenda excusare. Confer *Gury-Ballerini, De sacramento poenitentiae, num. 383.*

Verum, hoc etiam omisso, 2) constat ex casu, quod Titius ex una parte non poterat, utpote minus firmae valetudinis, personaliter accedere ad Episcopum in civitate valde dissita residentem; et ex alia parte, cum solitus fuisset quotannis communionem paschalem una cum uxore sumere in feria V^a^ maioris hebdomadae, urgebat ut tali die communicaret, ne secus infamiam incurreret et scandalum praeberet, eo vel magis quod eius uxor iam in suspicionem patrati incestus devenerat. Agebatur igitur de poenitente, qui licet extra mortis articulum constitutus, erat tamen legitime impeditus, quominus ad Episcopum accederet; et simul cum impedimento, brevis temporis ut videtur, coniungebatur urgens necessitas communicandi. Iam vero ut constat ex dictis in responsione ad 1um Caius potuisset in tanta casus urgentia Titium absolvere *saltem indirecte,* imposita eidem obligatione, ut data opportunitate se sisteret Episcopo vel alteri habenti facultatem in reservata. Dixi *saltem indirecte* iuxta sententiam communiorem, quam tradit *S. Alphonsus, lib. VI, n. 585:* quia ex *Conc. Trid. Sess. XIV, cap. VII,* simplices sacerdotes in reservatis nihil possunt. Sed alii theologi opinantur quoad casus etiam Episcopales absolutionem semper directam esse, stante etiam impedimento brevis temporis. Neque obstat locus Tridentini a S. Alphonso allegatus; nam ibi clare supponitur, adesse potestatem adeundi superiores: « Extra quem articulum, sacerdotes, cum nihil possunt in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur *ut ad superiores et legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant* ». Hi tamen admittunt in hoc casu manere obligationem se sistendi Superiori non quidem ad confitendum, sed ad poenam congruentem vel salutaria monita ab eo recipienda; ac proinde practice fere idem onus absoluto maneret.

Resp. ad 3um. — Sicut Caius, prout diximus in responsione ad 2um, ita et parochus, potuisset poenitentem Titium absolvere. Ergo parochus, re in se inspecta, illum absolvendo recte egit.

Attamen male ratiocinatus est. Etenim nullus confessarius, etiam regularis vel praeditus facultate ad absolvendum a casibus Pontificiis, potest valide vel licite absolvere a casibus, quos sibi Episcopus reservavit, nisi specialem facultatem obtinuerit. Controversiis, quae de hoc argumento movebantur, praesertim ob privilegia regularium, finem imposuit Clemens X in Constitut. *Superna,* qua declaravit: « Ex facultatibus per *Mare magnum* aliave privilegia regularibus cuiuscumque ordinis, instituti, aut societatis, etiam Iesu, concessis, factam eis non esse potestatem in casibus ab Episcopo reservatis.... Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere ».

Male etiam parochus applicavit principium: Qui potest plus, potest etiam et minus in eodem *genere.* Hoc enim principium valet quando plus et minus continentur non in eodem genere simpliciter, sed in eodem genere *proximo;* ut puta si quis habeat potestatem dispensandi in aliquibus votis, in iisdem habet hoc ipso potestatem commutandi. Item si quis habeat facultatem absolvendi a casibus pontificiis *speciali modo* reservatis, potest et a casibus pontificiis *simpliciter* reservatis absolvere. Iam vero casus a Pontifice reservati, et casus reservati ab Episcopo continentur quidem sub genere remoto reservatorum, sed non sub eodem genere proximo.

PETRUS CHECCHI
Epitomator ex officio.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ
NE PEREANT

—

Mai 1906.

2 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Laurent Chieppa, Ev. de Cariati; — et Mgr François Isola, Ev. de Concordia.

4 Vendredi.

S. G. Mgr Abraham Brownrigg, Ev. d'Ossory, est reçu en audience.

5 Samedi.

S. Exc. M. Cyrille Narychkine, Ministre de Russie à Stuttgart, est reçu en audience.

6 Dimanche.

Promulgation faite au Vatican *coram SS.mo* de deux Décrets sur les miracles et sur le *Tuto* pour la Cause de Béatif. du V. Serv. de Dieu Bonaventure de Barcelone. (*Voir aux Anal. nova. p.* 194).

7 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Joseph Morabito, Ev. de Mileto; — Mgr Ange Dolci, Ev. de Gubbio; — Mgr Abraham Brownrigg, Ev. d'Ossory; — et Mgr François do Rego Maia, Ev. de Belem.

8 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Joseph Doubrava, Ev. de Königgratz; — et Mgr Joseph Cagliero, Arch. Tit. de Sébaste, Vic. Ap. de la Patagonie Septentr.; — ainsi que le T. R. P. Dom Edmond Ford, O. S. B. Abbé de S. Grégoire à Downside; — et le T. R. P. Abbé Dom Joseph Pothier, Président de la Commission Pontificale pour l'édition Vaticane des livres liturgiques grégoriens.

— Congr. Antéprép. des S. Rites, tenue auprès de Son Em. le Card. Oreglia, Ponent, sur l'héroïcité des vertus du Vén. Serv. de Dieu François-Marie Libermann, Fondateur de la Congr. du St-Esprit et du Cœur Immaculé deMarie.

9 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Alphonse-Marie Giordano, Ev. de Calvi et Teano; — Mgr Philippe Schelshaut, Ev. de Roseau; — Mgr Thomas-Ludovic Heylen, Ev. de Namur; — et Mgr Désiré Mercier, Arch. de Malines.

10 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Joseph-Marie-Ignace Montes de Oca y Obregon, Ev. de St-Louis-Potosi; — Mgr Nicolas Piccirilli, Arch. de Conza et Campagna; — et Mgr Auguste-Joseph Duc, Ev. d'Aoste.

11 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Thomas De Stefano, Arch. de Trani et Barletta; — et Mgr Bonaventure Cerretti, ex-Secrétaire de la Délégation Apostolique au Mexique.

12 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Joseph Weber, Arch. Tit. de Darmi, Auxiliaire de Lemberg pour le rite latin; — et Mgr Ferdinand-Marie Cieri, Ev. de S. Agata de' Goti.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Vincent Vannutelli est nommé Président Honoraire du Comité Permanent pour les Congrès Eucharistiques.

13 Dimanche.

Dans la Basilique Vaticane, s'accomplit la cérémonie solennelle de la Béatification de la Vén. Julie Billiart, Fondatrice des Filles de Marie de Namur. Dans l'après-midi e St-Père descend pour vénérer les reliques de la nouvelle Bienheureuse.

14 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Dominique Marinangeli, Patriarche d'Alexandrie pour le rite latin; — Mgr Benoit Tommasi, Arch. de Sienne; — et Mgr Désiré Mercier, Arch. de Malines.

15 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Pascal Rubian, Arch. Tit. d'Amasea; — Mgr Grégoire Chomyszyn, Ev. Grec Ruthène de Stanislawow; — et Mgr Ernest Fontana, Ev. de Crema.

— Congr. Ordinaire des S. Rites, tenue au Vatican pour examiner:

1° L'introduction de la cause de béatification du Serv. de Dieu Joseph Cafasso, prêtre séculier, recteur du Collège Ecclésiastique de Turin;

2° L'introduction de la cause de béatification du Serv. de Dieu Dominique Blasucci, clerc scholastique de la Congrégation du T. S. Rédempteur.

16 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr François Giacci, Ev. des Marsi; — et Mgr Jacques Schwebach, Ev. de La Crosse.

17 Jeudi.

S. Em. le Card. Jean Katschthaler, Arch. de Salzbourg, est reçu en audience.

18 Vendredi.

Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Albert Battandier et le Rev. P. Joseph Kauffmann, des Mineurs, sont nommés Consulteurs de la S. C. de Propagande.

20 Dimanche.

Cérémonie solennelle de la Béatification des Martyrs Dominicains. Le St-Père, retenu par un accès de goutte, ne peut pas descendre dans l'après-midi pour vénérer les reliques des nouveaux Martyrs.

22 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Jean Katschthaler, Arch. de Salzbourg; — et S. G. Mgr Joseph Cadena y Eleta, Ev. de Vitoria.

23 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Ernest Fontana, Ev. de Crema; — Mgr Raphaël Capone, Ev. de Muro Lucano; — Mgr Célestin Douais, Ev. de Beauvais; — et Mgr Vincent-Théophile Popiel, Arch. de Varsovie.

24 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Antoine Delenda, Arch. d'Athènes; — Mgr Léon-Adolphe Amette, Arch. Tit. de Sida, Coadjuteur de Paris; — Mgr Ferdinand Fiandaca, Ev. de Nicosia; — Mgr J.-B. Boracchia, Ev. de Massa Marittima; — Mgr Jean Benlloch y Vivò, Ev. Tit. d'Hermopolis Majeure, Admin. Apost. de Solsona; — Mgr Dominique Darmanin, Ev. de Sira; — et Mgr Jean Privilegio, Ev. de Tine et Micone.

25 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Philippe Meunier, Ev. d'Evreux; — Mgr Joseph Cadena y Eleta, Ev. de Vitoria; — et Mgr Joseph Torrès y Bagès, Ev. de Vich.

— S. G. Mgr Douais, Ev. de Beauvais, présente au St-Père, dans la Salle du Consistoire, un groupe de nombreux pèlerins français, venus pour la Béatification des Carmélites de Compiègne.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Joseph Aversa, Sous-Secrétaire de la S. C. des Aff. EE. EE., est nommé Délégué Apost. à Cuba et Portorico;

le Rév. Humbert Benigni, Minutante de la S. C. de Propag., est nommé Sous-Secrétaire de la S. C. des Affaires Eccl. Extr.;

et S. Em. le Card. Mathieu est nommé Protecteur de la Congrégation des Sœurs de St-Joseph du Bourg.

26 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Jean Camilleri, Ev. de Gozo; — et Mgr Joseph Cecchini, Evêque Tit. d'Halicarnasse, Archiprêtre d'Altamura et Acquaviva delle Fonti (Bari).

— Le St-Père reçoit dans la Salle du Consistoire le premier groupe des pèlerins espagnols.

27 Dimanche.

Cérémonie solennelle de la Béatification des seize Carmélites de Compiègne. Le St-Père descend dans l'après-midi dans la Basilique Vaticane pour vénérer les nouvelles Bienheureuses.

28 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Vincent-Théophile Popiel, Arch. de Varsovie; — Mgr Pierre-Joseph Hurth, Ev. de Dacca; — et Mgr Bernardin-Joseph Doebbing, Ev. de Nepi et Sutri.

29 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Léon Livinhac, Ev. Tit. de Pacando, Sup. Gén. des Pères Blancs; — Mgr Victor Roelens, Ev. Tit. de Girba, Vic. Ap. du Congo Supérieur; — Mgr François Gerboin, Ev. Tit. de Tuburbo, Vic. Ap. de l'Unianembé (Afrique); — et Mgr Hippolyte Bazin, Ev. Tit. de Tacia Montana, Vic. Ap. du Sahara.

— Congr. nouvelle préparatoire des S. Rites, tenue au Vatican, pour l'examen des deux miracles proposés pour la Canonisation du Bienheureux Pierre Chanel.

30 Mercredi.

Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Cardinal Vivès y Tuto est nommé Protecteur de la Vén. Archiconfrérie de St-Michel Archange *dei Corridori in Borgo*. F. C.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente*.

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS QUARTUS

FASCICULUS SEXTUS - JUNIUS 1906

SUMMARIUM

Analecta Nova.

Analecta Vetera.

Analecta Varia.

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Territorium de Joliette separatur e dioecesi Marianopolitana et erigitur in distinctam dioecesim.

PIVS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastorale Romani Pontificis officium postulat ut in regionibus potissimum peramplo terrarum marisque spatio a catholici orbis centro disiunctis ea sedulo studio decernantur, quae christiano nomini provehendo aeternaeque fidelium saluti curandae bene, prospere, ac feliciter eveniant. Iamvero cum Archidioecesis Marianopolitana in Canada amplitudine territorii et catholicorum numero conspicua regionem quamdam ad Septentrionem amplectatur, quae colonorum numero in dies percrebrescente peculiarem curam quoad spirituales populi necessitates requirere videtur, atque ipse Archiepiscopus Marianopolitanus Nos enixis precibus flagitaverit, ut regionem illam e sua Archidioecesi detractam in peculiarem Episcopalem Sedem erigere de Apostolica Nostra Auctoritate dignaremur, Nos, collatis consiliis cum Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, memorati Antistitis votis annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi ab Archidioecesi Marianopolitana territorium separamus, quod amplectitur tres Comitatus vulgo nuncupatos *de Joliette*, *Borthier*, et *Montcalm*, nec non quatuor parochias existentes in Comitatu vulgo de l'Assomption cum actualibus limitibus, quae respective nuncupantur *ab Epiphania*, *S. Rochi de l'Achigan*, *S. Henrici de Mascouche*, et *S. Lini des Laurentides.* Ex hoc territorio novam effingimus Dioecesim distinctamque, eiusque sedem Episcopalem erigimus in civitate *Joliette* appellata, eique Joliettensi nomen facimus, et Marianopolitanae Archi-

dioecesi suffraganeam volumus. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVII Ianuarii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI.

II.

Pius X gratias habet R. P. Pothier de *Cantu Mariali* nuper oblato.

Dilecto Filio Iosepho Pothier Abbati ex Ordine S. Benedicti.

PIVS PP. X.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras accepimus, quibus gratum Nobis animum significabas ob ea, quae nuper de musica sacra ad veteres liturgiae leges exigenda, ac praesertim de cantu Gregoriano ad pristinos modulos revocando praescripsimus. Iucundum fuit istud a te exhibitum officium, in quo obsequium agnovimus pietatemque erga Nos tuam: eo iucundius, quod a viro exhibitum erat, liturgiae in primis perito ac de Gregoriani cantus disciplina praeclare merito. Quod autem polliceris non defuturam deinceps in hac causa navitatem Nobis tuam, paterno studio istam complectimur voluntatem, Deumque, ut labores tuos benignus adiuvet, precamur. Horum porro laborum novum fructum gratulamur: *Cantus Mariales* intelligimus, a te Nobis muneri missos; de quo munere et suavi et opportuno gratiam habemus.

Auspicem caelestium bonorum, eamdemque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, et sodalibus istis tuis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV Februarii anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

III.

Pius X laudat Archiepum Neo-Eboracensem de curis in favorem Italorum adhibitis, et de oblata petriana stipe.

Venerabili Fratri
Ioanni Mariae Archiepiscopo Neo-Eboracensi.

PIVS PP. X.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Haud ita pridem nobilem istam dioecesim suscepisti Archiepiscopus regendam, iamque multa extant, quae pastoralem diligentiam tuam egregie probant. In his laudare satis non possumus paternas quas adhibes curas Italis, qui istuc commigrarunt; id curans maxime, ut tuti a variis de fide periculis in avitae religionis cultu permaneant. Huc pertinere intelligimus, quod educendis rite clericis de colonia italica proprium Seminarium peropportuno consilio condidisti, illud quidem munificentiae quoque monumentum tuae.

Itaque cum gratulamur tibi ex animo, tum gratiam non mediocrem habemus, etiam quod oblata stipe sublevare angustias, quibus Apostolica Sedes laborat, studuisti. Tua vero studii pastoralis pietatisque promerita benignus Deus remuneret, suique ubertate auxilii et promoveat tua coepta, et eorum, quos beneficiis afficis, obsequium tibi amoremque in dies magis conciliet. Interea divinorum munerum auspicem itemque peculiaris Nostrae benevolentiae testem, tibi, Venerabilis Frater, et clero populoque tuo Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVI Februarii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

IV.

Pius X commendat consociationem cui nomen *Société de secours mutuels pour la propagation du Plain Chant*.

Dilecto Filio Nostro Petro S. R. E. Presbytero Cardinali Coullié Archiepiscopo Lugdunensi et Viennensi. — Lugdunum.

PIVS PP. X.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Quod tibi vehementer ista probetur consociatio cui nomen *Société de secours mutuels pour la propagation du Plain Chant*, equidem non miramur. Tale enim persequitur propositum, quod valde cordi sit Episcopo, curanti, prout officium postulat, ut augustae Altaris caeremoniae rite usquequaque peragantur. Cognitionem autem usumque Gregoriani cantus vulgando, operam apprime utilem navat christiano populo, quem ad sustinendas melius in sacrorum celebratione rituum suas partes adducit, magno cum pietatis publicae incremento. Nobis vero facile intelligis pergratas accidisse eiusdem Societatis litteras, quas, tua ipsius commendatione auctas, perferendas ad Nos proxime curasti. Itaque dilecto filio Iosepho Lucien-Brun, praesidi, universisque sodalibus gratias Nostro nomine agas cupimus de studiosae obsequentisque voluntatis testimoniis, gratuleris de perceptis adhuc suae diligentiae fructibus, significes Nos eis, ut bene de Ecclesia mereri pergant, lectissima quaeque a Deo precari munera. Horum auspicem itemque paternae benevolentiae Nostrae testem, tibi, Dilecte Fili Noster, memoratae Societati, cui honoris causa praesides, cunctoque clero et populo tuo Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXI Aprilis MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

V.

Pius X extollit Sodalitatem conditam pro clericis lapsis, ad sanctitatem vitae revocandis.

Dilecto Filio Eugenio Prévost, Sacerdoti. — Parisios.

PIVS PP. X.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Navitas egregia tua, quae in opere parando condendoque eluxit Leonis XIII fel. rec. Decessoris Nostri singulari laude honestato, intimo Nos laetitiae sensu perfundit. Scribis enim florere sodalitatem a te paucos ante annos excitatam, in qua, praecellentissimae charitatis instinctu, cura impenditur iis, qui in sortem Domini vocati, ab officio et gratia misere deflexerint. Nimirum probe tenes quanta clericos oporteat sanctitate fulgere, quorum ministerii dignitas omni vitae generi praestat. Integros quippe mores sic alere et custodire iisdem est opus, ut haud indigni famulatu illius existimentur cuius natura sanctitas est. Quapropter viros sacri ordinis tam religiose et graviter se gerere iubet Augustinus, ut divini illico agnoscantur homines, per quos condendi sunt quodammodo populi. Iis nempe non modo cavendum ne a probitate discedant, sed contentio adhibenda est omnis ut expressam virtutis imaginem ad imitandum ostendant, tantumque praeter caeteros viros bonos excellant, quanto terris praestantius est caelum. Haec quum essent tibi, sacerdoti optimo, explorata, plurimi quoque referre intellexisti ut, si quis e multis in clero immemorem se honestissimae dignitatis impertiat, is studio omni ac diligentia ad integritatis consilia revocetur. Possit ne pietas aut charitas esse magis animo Nostro iucunda? Nam si insita Nostro in corde atque affixa summopere est christiani gregis universi sollicitudo, at compertum quoque et perspicuum habemus informari recte aut componi fidelium mores non posse, exemplis aliquando sacerdotum adversis. O utinam ferat tibi Deus opem, qui tantae facinus utilitatis es aggressus! A Nobis quidem quantum est, nec animus tibi ad perficiendum deerit, nec perfectae probatio rei. Perge igitur, dilecte fili, secundis coeptis alacriter insistere, Nostraque confide laude, praecipua quidem ac merita, eo vel magis quod in ipsis aedibus in quibus aberrantes a recto tramite excipiuntur, iis etiam a charitate vestra locus patet qui, senio aut valetudine, impares sacro muneri sint effecti. Praemium porro reddet profecto Deus, sanctissimi conditor sacerdotii, suorumque administrorum custos providentissimus. Nos interim uberes tibi caelestes gratias deprecamur, earumque auspicem ac Nostrae benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem tibi tuisque sodalibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXV Aprilis MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

VI.

Pius X Societati Bonifacianae laudes et animos addit.

Dilectis Filiis Francisco Nacke, Antistiti Urbano, praesidi caeterisque viris de supremo consilio Societatis Bonifacianae. — Paderbornam.

PIVS PP. X.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Non ignota Nobis quidem erant insignia erga Ecclesiam promerita Societatis vestrae, iamdudum elaborantis, ut Germanicae nationis catholici homines, qui, acatholicis et schismaticis permixti, Germaniam, Austriam et Helvetiam incolunt, salvam et incolumem ab horum consuetudine convictuque periculoso conservent fidem. Singularem vero voluptatem nuper coepimus ex eo libro, quem ad Nos cum summae observantiae significatione misistis de ratione cursuque instituti vestri, unde cognovimus quae, toto hoc annorum plus quinquaginta spatio, in salutem vestrorum popularium egeritis. Profecto ista Nos reputantes, facere non possumus quin et Dei providentis bonitati ingentes agamus gratias, et diligentiam vestram, aeque ac Decessores Nostri, laudibus ornemus.

Nunc autem fructus istius diligentiae etiam ampliores, Deo item auxiliante, polliceri Nobis posse vehementer gratum est. Vos enim parati, uti convenit, illuc accurrere prolixius opitulatum, unde maior necessitas opis ostenditur, rectissime operam vestram amplificare et intendere cogitatis in Austriae finibus, per Bohemiam maxime; quippe ibi fervet maxime actuosa vis haereticorum, quibuslibet artibus molientium divellere et abstrahere quamplurimos possunt a sinu complexuque Romanae Ecclesiae. Et revera pro facultatibus nominatim, quibus abundant, nimium quantum proficiunt! Huius tanti mali progressionibus obsistere (quod quidem, nisi mature cohibeatur, evasurum brevi est in teterrimum perduellionis incendium, idque fortasse maius quam ut restingui possit) non modo vobis debet esse propositum, sed omnibus bonis, quicumque istic illatas Ecclesiae matri iniurias et detrimenta dolent, atque aegre ferunt fratrum suorum vicem, qui misere ruunt in interitum. Itaque conata laboresque vestros in hac religionis et animarum clade prohibenda, dubitare non possumus quin primum, pro conscientia pastoralis officii, magis magisque, auctoritate gratiaque sua, velint adiuvare Episcopi, ac praesertim efficere, ut Societatis vestrae Opus in singulis dioecesis suae paroeciis aut instituant, aut iam institutum refoveant. Sed universos praeterea, potissime ex Austria, catholicos valde confidimus, pro sua quemque facultate, vobis suppetias venturos. Quos quidem, etsi satis per se promptos intelligimus ita contendere pro fide ut tempus postulat, velimus tamen voce quoque excitari Nostra, qua studiosissime eos hortamur quaesumusque ut, quavis mutua concertationis causa seposita, omnes, coniunctis animis foederatisque viribus, contra communem religionis et civitatis hostem, operam vobis navando, dimicent.

At praeter istas regiones, in quibus usque adhuc salutaris industria Bonifacianae Societatis se continuit, videte quanti referat eiusdem beneficia ad ipsam proferre Italiam. Hic enim in praecipuis urbibus vestrates bene multos habitare novimus, eosque maximam partem expertes catholicae fidei. Quum his ante omnia praesidia abunde suppetant ad

colenda sacra professionis suae, dolendum interea est, qui sunt catholici, eos nec ita paucos, si excipias qui Romae commorantur, in magno salutis aeternae versari discrimine; siquidem destituti sacerdotum ministerio, ob sermonis utrinque inscientiam, sibique prorsus relicti, nimis facile fit ut tandem inducant animum aut christianae vitae officia deserere, aut ad heterodoxos, quibuscum vivunt, sese adiungere. Rem cernitis agi eiusmodi, quae Bonifacianae Societati operam et adiumenta imprimis desideret. Quare vos, pro instituto vestro, hos etiam populares, quos dicimus, incolas Italiae certe habebitis curae, nec patiemini quemquam ex eis, pene in conspectu Romanae Sedis, fidei sanctae iacturam facere. Nos interim precamur ex animo uberrima coeptis vestris caelestia munera: quorum auspicem ac peculiaris benevolentiae Nostrae testem, vobis, dilecti filii, universis Societatis vestrae sodalibus atque omnibus qui suis vos opibus iuvant, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die I Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

VII.

Pius X gratulatur Universitati Lavallianae de optimis fructibus Ecclesiae simul et civitati allatis.

Venerabili Fratri Ludovico Nazario Archiepiscopo Quebecensi, Magno Cancellario Universitatis studiorum Lavallianae. — Quebecum.

PIVS PP. X.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Vehementer Nos delectarunt communes litterae, a moderatoribus Collegioque doctorum decurialium istius Universitatis datae, ac per te, Magnum Cancellarium, Nobis redditae. Ex his enim intelleximus, non modo quam studiosa vestrum omnium sit erga Pontificem Romanum pietas, sed etiam quam religiose Apostolicae Sedis documenta servetis et praescripta in negotio tanti momenti ac ponderis, quanti est recte formare et instituere in gravioribus disciplinis iuventutem. Itaque mirum non est, complures numerari in ordine vel sacro vel civili praestantes viros, qui Lavalliani nomen Instituti, cuius extitere alumni, Ecclesiae simul et civitati egregio testimonio commendent. De his operae vestrae fructibus uti vos, et quidem iure, gaudetis, ita Nos vobis gratulamur: eo magis quod in optimo proposito sic vos constare perspicimus, ut ex praeterito tempore coniicere futurum liceat. Pergite igitur bene de Canadensi et Ecclesia et patria mereri; certum habentes, vobis cum Romani Pontificis comprobatione nec hominum proborum gratiam opesque, nec vero uberrima Dei defutura auxilia. Horum auspicem et peculiaris Nostrae benevolentiae testem, tibi, Venerabilis Frater, et omnibus istius lycaei magni moderatoribus, doctoribus, alumnis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die II Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

VIII.

Praefectura Apostolica Insularum Annobon, Corisco et Fernando Póo erigitur in Vicariatum Apostolicum.

PIVS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesiae universae divinitus commissa Nobis cura postulat, ut quae in spirituale christiani gregis bonum atque emolumentum cedant, Apostolica Auctoritate interposita, praestare maturemus. Iam vero cum nuper expositum Nobis fuerit Praefecturam Apostolicam insularum *Annobon, Corisco* et *Fernando Póo*, cui modo magnum continentale territorium adnexum fuit, ita, opitulante divina gratia, floruisse, ut conveniens existimetur eam in Vicariatum Apostolicum erigere; Nos, collatis consiliis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, haec quae infra scripta sunt, statuenda idcirco censuimus. Nimirum omnes et singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine praesentium tenore perpetuum in modum Praefecturam Apostolicam insularum *Annobon, Corisco* et *Fernando Póo*, servatis confiniis quibus in praesens ipsa continetur, in Vicariatum Apostolicum evehimus *de Fernando Póo* appellandum, cura eiusdem relicta Missionariis Congregationis Filiorum Immaculati Cordis Mariae. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque etiam speciali atque individua mentione et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XII Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI.

IX.

Seiunguntur nonnulli Comitatus e Dioecesi Helenensi et in novam Dioecesim Great-Ormensem coguntur.

PIVS PP. X.

Ad futuram rei memoriam.

Universalis Ecclesiae procuratio Nobis, licet immerentibus, divinae Providentiae credita consilio Nos admonet, ut novas in Orbe Catholico Dioeceses constituamus, quum id ad maiorem dominici gregis utilitatem cedere videatur. Cum vero bo. me. Ioannes Baptista Brondel, Episcopus Helenensis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, nuper defunctus,

enixe ab hac Apostolica Sede postulavisset, ut, ad incrementum religionis et ad maius animarum bonum, nova Dioecesis in Provincia Ecclesiastica Oregonopolitana erigeretur per suae Dioeceseos divisionem, cumque Venerabiles Fratres Archiepiscopus Oregonopolitanus et Episcopi comprovinciales eamdem petitionem unanimi consensu commendaverint; Nos, omnibus rei momentis attente perpensis, ac de consilio etiam DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, in hoc suffragiis suffulto Venerabilis Fratris Diomedis Falconio, Archiepiscopi titularis Larissensis et illius praedictae regionis Apostolici Delegati, huiusmodi preces benigne excipiendas censuimus. Quare ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque plenitudine Apostolicae Auctoritatis praesentium vi, Motu-Proprio, e Dioecesi Helenensi sequentes regiones, seu, uti vocant, Comitatus Choteau, Cascade, Fergus, Sweetgrass, Yellowstone, Carbon, Rosebud, Custer, Dawson, Valley et Park, qui in parte orientali status Montana siti sunt, seiungimus ac dismembramus, eosdemque in veram ac proprie dictam Dioecesim erigimus et constituimus, cuius Episcopalem Sedem sitam volumus in Civitate cui nomen « Great-Falls » atque exinde novam hanc Dioecesim « Great-ormensem » nuncupari mandamus, cum cathedratico pro sua Episcopali mensa discreto arbitrio Episcopi imponendo. Hanc porro Dioecesim Great-ormensem suffraganeam esse iubemus Archiepiscopi Oregonopolitani, atque honoribus, privilegiis et iuribus frui, quibus aliae Episcopales Ecclesiae fruuntur et gaudent. Decernentes has Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non Benedicti XIV Decessoris Nostri Constitutione super Divisione Materiarum, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI.

X.

Pius X gratulatur Epis Peruvianis de nuper ab illis celebrato triennali conventu, iuxta praescriptum Concilii Plen. Americae Latinae.

VENERABILIBUS FRATRIBUS EMMANUELI, ARCHIEPISCOPO LIMANO, CETERISQUE EPISCOPIS REIPUBLICAE PERUVIANAE.

PIVS PP. X.

Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Magnopere Nos vestra vel in pastorali officio diligentia, vel sanctarum praescriptionum custodia, vel studiosa erga Iesu Christi Vicarium observantia delectat, confirmata a vobis proxime, quum una simul convenistis, ecclesiarum vestrarum causa, quumque, conventu habito, certiores Nos de rebus communiter actis per amantissimas litteras fecistis. Equidem persuasum habemus, hos Episcoporum conventus permagni esse momenti ad tuendum ac firmandum in quaque regione aut provincia Regnum Dei; conferendo enim inter se consilia sacrorum Antistites, non modo fit, ut perspiciant melius suorum necessitates populorum, et, quae sint magis opportuna factu, statuant, sed etiam ut cohaerescant invicem coniunctius: quae coniunctio magnam addit singulorum contentioni efficacitatem. Quare legis instar sanctissimae illud servari velimus, quod est in Plenario Americae Latinae Concilio praescriptum, ut exacto quoque triennio, episcopales in singulis nationibus vestris habeantur coetus. Huic vos quidem praescriptioni obsecuti estis: neque est dubium, quin semper in posterum obsecuturi sitis diligenter.

Nostis horum iniquitatem temporum, quantumque adhiberi studium oporteat, ut et disciplinae integritas apud Clerum in tuto sit, et fides moresque probi vigeant in populo, et ab impugnationibus omne genus, quibus obnoxia est, Ecclesia vindicetur. Ista vero vobis esse curae, consulta et decreta demonstrant conventus vestri: quem Nos, vobis adnitentibus, iuvante Deo, salutares laturum fructus, qui expectantur, confidimus. Auspicem divinorum munerum ac testem effusae benevolentiae Nostrae vobis, Venerabiles Fratres, ac vestro cuiusque gregi Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 24 Septemb. anno 1905, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

XI.

Pius X gratulatur de mox celebranda centenaria commemoratione ab aedificata cathedrali Baltimorensi.

DILECTO FILIO NOSTRO IACOBO TITULI S. MARIAE TRANS TIBERIM S. R. E. PRESB. CARD. GIBBONS, ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSIUM.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quum centum ante annos primus Baltimorensium Archiepiscopus primum statuebat lapidem aedi isti cathedrali aedificandae, lapidem enimvero collocasse dicendus est, quo super, in fastigium et in gloriam, deberet America Sacra consurgere. Nam sive ad efflorescentem eorum propaginem intendamus animum, qui aucti sacerdotio sunt aut Episcopi consecrati, sive coacta apud vos ad haec usque tempora concilia cogitemus, sive habita istic splendidissima quaeque sollemnia recolamus, haec videmus omnia in Cathedrali Baltimorensi templo nativum quasi locum fortunate reperisse. Fortunate, dicimus, et cum omine meliorum quotidie rerum; quarum quidem argumento sunt et prolata apud gentem vestram hierarchia, et auctus catholicorum numerus, et tranquilla religionis conditio, et firma cum Romana Sede necessitudo, et solatia omne genus, quae praebita cordi nostro virtutibus vestris fuere.

Quapropter plurima dignum commendatione consilium

arbitramur agendi communibus laetitiis auspicatam praeclari facinoris memoriam.

Harum vero celebritatum non equidem opus est enarrare quam libenti Nos animo quantis cum votis partem capiamus. Nostis enim omnes quaecumque maxime valerent ad decus Religionis nostrae in Americano populo provehendum, ea Nos et praecipuo semper desiderio quaesiisse et velle nunc eodem ardenti studio complecti. Complectimur autem idcirco cupidius, quia compertum exploratumque habemus responsuros fore vos invitationi Nostrae, una et eadem consensione voluntatum, si per opportunam hanc iucundamque tempestatem, eiusmodi impulsi sacrorum progressuum memoria, cohortemur Americanum populum ad maiora etiam quam usque adhuc comparandae rei catholicae incrementa.

Id quidem instantissime facimus, eo vel magis quod non modo ad amplificandam religionem, sed ad exaugenda etiam rei civilis commoda sciamus verba nostra debere conducere. Vobis propterea universis, de sacris patrum memoriis ac de fidei illustrandae gloria sollicitis, intimo ex corde gratulamur, laudemque vere meritam, et pro studio unde laetitias publicas paratis, et pro eo qui inde elucet habitu animorum, tribuimus.

Tali sane animo vos esse demonstratis, qualem in catholicis omnibus valde expeteremus; tali nimirum, qui firmam fecundamque contineat futuri temporis spem.

Pro vestrarum felicitate ecclesiarum, itemque pro solemnium saecularium exitu laetissima nuncupamus vota, auspicemque coelestium munerum ac testem praegrandis dilectionis Nostrae Apostolicam Benedictionem tibi, Episcopis, clero universoque populo Americae Septentrionalis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die II Martii anno MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X.

XII.

Breve Beatificationis octo Martyrum Tunquinensium, ex Ordine Praedicatorum.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Martyrum purpurata sanguine vel ab ipsis primordiis Ecclesia Dei exhibere postea per consequentes aetates nunquam destitit mira exempla fortitudinis, et in omnibus vel longo terrarum marisque tractu dissitis regionibus, in quas vera fides est primum invecta, hi ante alios morte constanter tolerata christianam doctrinam confirmarunt, qui eam praedicatione vulgaverant, proprio videlicet sanguine quam verbo et sudore severant arborem irrigantes. Id porro non sine providentissimo Dei consilio factum est, nimirum ut manifeste constaret durissimo certamini a coelis adesse auctorem fidei nostrae Christum Iesum qui, ut scripsit Sanctus Cyprianus, « praeliatores et adsertores sui nominis in acie confirmavit, erexit, qui pugnavit et vicit in servis suis », et simul appareret vere sanguinem martyrum semen esse Christianorum. De Catholica Ecclesia ac de civili societate meritus Ordo Fratrum Praedicatorum, Martyrum palmis iamdudum assuetus, inter complures evangelii praecones, qui, uti loquitur Sanctus Ioannes Chrysostomus, « et laborando fortiores et moriendo victores effecti sunt », novum hodie eumdemque duplicem manipulum exhibet, alterum eorum qui decimo octavo, alterum qui decimonono saeculo in Regno Tunquinensi « tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia ». Una enim eademque sub insectationis procella occubuisse dicendi sunt, quippe a medio saeculo decimo octavo ad annum usque sexagesimum secundum nuper elapsi saeculi odium contra christianam fidem in regionibus Tunquini nunquam deferbuit. Venerabiles Dei famuli Franciscus Gil de Federich, Matthaeus Alonso Leziniana, Hyacinthus Castañeda et Vincentius Liem a Pace sacerdotes Missionarii Ordinis Praedicatorum primae aciei pugiles fuere. Horum duo primi in Hispania nati sunt: Franciscus Derthusae e nobili genere, Matthaeus in oppido Nava del Rey nuncupato, dioecesis Vallisoletanae. Adolescentes adhuc Fratrum Praedicatorum Ordinem ambo professi vehementi flagrantes desiderio longinquas easque barbaras terras peragrandi, ut ad animas « in tenebris et in umbra mortis sedentes » evangelii lumen afferrent, impetrata tandem venia ad Religiosam Provinciam SS.mi Rosarii in Philippinis insulis post difficilis ac diuturnae navigationis discrimina appulerunt, Tunquinense dein iter aggressi tot exantlarunt pro Christi fide provehenda labores, tot se in pericula coniecerunt, tot adversa tulere, ut sententiam confirmarent « vix Martyres effici nisi eos qui a Deo multis prius aerumnis sunt exerciti et quasi praeparati ad martyrium ». Christiana religione iampridem in Tunquino proscripta prior ethnicam crudelitatem expertus est Franciscus Gil toleratis plures per annos squallore carceris, vinculorum pondere, militum contumeliis diuturnisque vexationibus quas inter nec ab apostolatu cessit, sed licet captivus exemplo et verbis innumeras animas Christo lucrifecit. Eum brevi post Matthaeus Alonso Leziniana plura et acerba quidem perpessus eadem in custodia sequutus est, passionis socius non minus, quam in poena capitis appetenda aemulus. Damnatus enim perpetuo carcere firmissime obtestatus est velle se adiungi Francisco cum eoque obtruncari. Cuius voti ubi compos factus est, ambo crucem manu gestantes ad supplicii locum rapti sunt. Ibi Christi fidem iterato professi, palis colligati, ut sincere fidei eidem haererent circum adstantes hortati sunt, et continuo unico ensis ictu decollati ceciderunt, XI Kalendas Februarias anno MDCCXLV.

Sex lustris ab hoc triumpho nondum exactis aliud nobile par Dominicianae Familiae Fratrum, Venerabiles Servi Dei Hyacinthus Castañeda, Hispanus, Setabi intra fines dioecesis Valentinae ortus, et Vincentius Liem a Pace, Tunquinensis, novis coronis Ordinem suum Ecclesiamque decorarunt. Horum alter Hyacinthus, qui in ipso iuventutis flore nec parentum, nec ipsius matris amore eum detinente ad barbaras illas oras volens libens solverat, et primum in Sinis dein in Tunquino apostolicum munus impigre et sancte obiverat, tandem comprehensus, ac biduo cibi potusque expers, huc illuc pertractus ad magistratum adducitur. Inde in arundineam caveam tam arctam depressamque detruditur, ut neque standi locus esset neque cubandi. Haud ita multo post et Vincentius qui nobili sanguine in Tunquino natus e genitrice christiana ac Manilae institutus se Guzmanae familiae mancipaverat, atque ad natalem terram veram fidem allaturus sacerdotio donatus se Hyacintho dederat in apostolatu comitem, dum

SS.mi Rosarii pervigilio sacris operam navat, ab ethnicis capitur et pari immanitate in similem caveam coniicitur. Mox ad Regem deducti et in eius conspectu catholicam fidem invicto animo professi capitali poena plectuntur. Hos etiam inter fortissimos christiani nominis adsertores singularis extitit in martyrio aemulatio. Vincentius enim cui in eadem causa constituto, utpote Tunquinensi oblata evadendi opportunitas fuerat, quod capitalis illa lex indigenas non afficeret, sociae mortis aemulatione incensus fugam detrectavit. Itaque confirmata sententia una cum Hyacintho ad supplicium traducitur. Hi in conspectu populi et procerum, tantam constantiam mirantium, fusis precibus et recitato simul Apostolorum symbolo, ter gladio perculsus Hyacinthus, unico ictu Vincentius, capite truncantur VII idus Novembres anno MDCCLXXIII, Apostolatus sui cursum felicissime consummantes.

Alterius agminis officii dignitate praecipui sunt Venerabiles Dei famuli ex eadem inclyta Dominiciana familia Hieronymus Hermosilla, Episcopus Miletopolitanus, Valentinus Berrio-Ochoa, Episcopus Centuriensis, simulque horum adiutor Petrus Almató, eiusdem Ordinis sacerdos, et Hermosillae servus Iosephus Khang, Catechista indigena. Hieronymus Hermosilla, natus pridie Kalendas Octobres anno MDCCC in Civitate S. Dominici Calceatensis, vix e pueris excessit, in religiosam Praedicatorum familiam coepit cogitare. In ipsa receptus mox ad Philippinas insulas primum transmigravit, deinde Sacerdotio auctus missus est in Tunquinum, ubi gliscente iugiter contra Christi fidem teterrima insectatione aspera multa sustinuit, ut nequissimi illius regis furorem insidiasque satellitum vitaret. Beato Ignatio Delgado Episcopo, qui eo temporis Apostolico Vicariatui Tunquinensi Orientali praeerat, adiutor datus, postquam ille ab ethnicis est in odium fidei nefarie interemptus, ex decreto Sanctae huius Apostolicae Sedis vacantis Vicariatus regimen suscepit, addito Episcopali titulo Ecclesiae Miletopolitanae, atque ad necem usque quaesitus plures annos in montium speluncis, silvarum dumetis et coeno paludum inter caedes, incendia, tumultus huc illuc transfuga delituit, sed in ipso mortis limine interritus invictusque commissi sibi gregis spirituali bono prospexit. Tandem post Apostolicos plurimos labores, quum ad naviculas quasdam piscatorum fidelium confugisset, per proditionem comprehensus est una cum alumno famuloque suo Iosepho Khang, indigena, et in provinciae orientalis principem urbem traductus. Cuius ad limina distentam Christi Cruci adfixi Imaginem conspicatus, ultra progredi nisi illa, ne profanaretur, sublata, recusavit. Tum cavea inclusus nec in duri illius carceris squallore divini verbi praedicationem intermisit, donec Kalendis Novembribus anno MDCCCLXI, aetatis suae sexagesimo secundo, una cum Episcopo Valentino Berrio Ochoa et Petro Almató Sacerdote capite caesus est.

Nam eodem die quo Sanctorum omnium celebritatem recolit Ecclesia haud absimili Martyrio iisdemque fere adiunctis vitam nitide actam nobilitarunt memorati Christi athletae Valentinus Berrio-Ochoa et Petrus Almató. Horum prior natus XVI Kalendas Martias anno MDCCCXXVII in oppido Elorrió, dioecesis Victoriensis in Cantabria, e piis ac nobilibus parentibus, in Ordinem Fratrum Praedicatorum adolescens adlectus, et ipse Philippinis ab insulis in Tunquinum centralem martyrii desiderio flagrans transmeavit, ubi eius cognita sanctitate brevi est Centuriensis titularis Episcopus universaeque Missionis Moderator ab hac Sancta Sede renuntiatus. Recrudescente vero in eius Vicariatu Centralis Tunquini persecutione, ita ut iam nullus perfugii locus superesset, ad orientalem Tunquini partem appulsus in horrido antro delituit, ubi pro viribus ministerio suo functus est. Inde pagum petiturus Van-Dinh appellatum, quum se ad easdem naviculas recepisset, ubi quatriduo ante Episcopus Hermosilla et Iosephus Khang fuerant comprehensi, ethnici cuiusdam proditione in satellitum manus incidit una cun Sacerdote Petro Almató. Uterque ligneo collari et catenis onusti ad urbem provinciae caput deducuntur, cui non succedunt nisi adorata prius ac deinde remota Cruce ad calcandum proiecta. Prope caveam Hermosillae Valentinus inclusus eodem die quo ille trahitur ad supplicii locum, ubi stipiti alligatus capitalem pro Christo poenam fortiter subiit. Eidem neci datus est Petrus Almató sacerdos, quem pariter Hispania protulit Sanctorum Martyrum, Confessorum et Virginum foecunda parens. Hic in pago Sazerra cui vulgo nomen, intra fines dioecesis Vicensis in Catalaunia ortus, et in Sancti Dominici religiosum Ordinem inscriptus, lucidum vitae intemeratae exemplar enituit et indefessus Antistitum supradictorum in Apostolico ministerio adiutor dignus plane visus est, qui eodem atque illi die anno aetatis suae trigesimo primo gloriosas cum sociis palmas intexeret. Novissimus in certamen venit Iosephus Khang, in pago Tra-Vi provinciae Nam-Dinh Tunquini christianis parentibus anno MDCCCXXXII editus. Iste Hermosillae alumnus ac famulus et in tertium Ordinem S. Dominici cooptatus, quum in fidelium piscatorum cymbis cum suo praesule delitesceret, a militibus, quorum e manibus vinctum illum eripere nitebatur, tres ictus ensis accepit, cum eoque ad provinciae principem urbem captivus et saucius traductus est. Ac primum quaesitus de Apostolicis viris reticuit: iteratis deinde verberibus compulsus interrogantibus prudenter satisfecit. Mox ad Crucem proterendam proposita libertate invitatus, maluit viginti supra centum virgarum ictus perferre quam a Fide desciscere; stetit, ut Cyprianus ait, « torquentibus fortior, et saevissima diu plaga repetita inexpugnabilem fidem expugnare non potuit ». Quare et ipse ad supplicium tractus eodem in loco ubi sex et triginta ante dies dilecti Praesulis ac domini sui sanguis effluxerat, annum agens vigesimum nonum truncato capite optatam coronam consequutus est octavo idus Decembres eiusdem anni MDCCCLXI.

Gloriosum horum omnium fortissimorum virorum exitum plura de coelo signa illustrarunt. Quum enim de Francisco Gil et Matthaeo Alonso supplicium sumptum est, sol nitidum caput obscura ferrugine texisse dicitur; circum morituros Hyacinthum Castañeda et Vincentium Liem albae duae quasi summo ab aethere dimissae columbae volitarunt. Ingens alborum papilionum agmen humi strata Hieronymi Hermosilla, Valentini Berrio-Ochoa et Petri Almató corpora ferme quodam angelico candore perfudit, atque avulsa capita miro per noctem splendore micarunt: tandem post eorum gloriosam in conspectu Domini mortem pervicacium quorumdam infidelium adversus religionem conversio et teterrimae poenae quibus tyranni aliique caedis auctores obnoxii fuerunt, Martyrum coelestem coronam luculenter confirmarunt. Quare de ipsorum Beatificationis causa apud Congregationem sacris tuendis Ritibus praepositam agi coeptum est, ac iuridicis probationibus rite expensis de Venerabilium Servorum Dei

Martyrio eiusque causa itemque de signis Martyrium ipsum confirmantibus constare Nos ediximus duplici seiuncto decreto, altero edito XV Kalendas Maias anno MCMIV (1) et altero VIII Kalendas Iunias anno MCMV (2). Id unum inquirendum supererat, ut Venerabiles Fratres nostri eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis Cardinales rogarentur num stante, ut superius dictum est, approbatione Martyrii, Martyriique causae, tuto procedi posse censerent ad Beatorum honores iisdem Dei servis decernendos. Hoc praestitit dilectus filius Dominicus S. R. E. Cardinalis Ferrata, loco et vice Cardinalis Seraphini Cretoni causae Relatoris, in generali conventu coram Nobis habito XVIII Kalendas Decembres superioris anni MCMV, omnesque tum Cardinales tum Consultores qui aderant, unanimi suffragio affirmativam sententiam ediderunt. Nos vero in re tanti momenti Nostram aperire mentem distulimus, donec fervidis atque iteratis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem quarto Idus Decembres eiusdem anni MCMV, nempe Dominica Adventus secunda qua Virginis Sanctissimae Lauretanae festum agebatur, Eucharistico litato sacrificio, accitis adstantibusque dilectis filiis Nostris Aloisio Cardinali Tripepi Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto, et Dominico Cardinali Ferrata una cum Venerabili Fratre Diomede Panici, Archiepiscopo Laodicensi, eiusdem Congregationis Rituum Secretario, et Rev. P. Alexandro Verde Fidei Promotore, unico decreto sanximus tuto procedi posse ad solemnem memoratorum octo Venerabilium Dei Servorum Beatificationem (3). Quae cum ita sint, Nos precibus etiam permoti universi Fratrum Praedicatorum Ordinis necnon Cleri populique plurium Hispaniae dioecesium, auctoritate Nostra Apostolica praesentium vi facultatem facimus, ut Venerabiles Dei famuli Franciscus Gil de Federich, Matthaeus Alonso Leziniana, Hyacinthus Castañeda et Vincentius Liem a Pace, sacerdotes Missionarii Ordinis Praedicatorum, itemque Hieronymus Hermosilla, Episcopus Miletopolitanus, Vicarius Apostolicus Tunquini Orientalis, Valentinus Berrio-Ochoa, Episcopus Centuriensis, Vicarius Apostolicus Tunquini Centralis, Petrus Almató, sacerdos Missionarius eiusdem Praedicatorum Ordinis, et Iosephus Khang, catechista indigena tertii Ordinis S. Dominici Beatorum nomine in posterum nuncupentur, eorum corpora et lipsana seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, eorumque imagines radiis decorentur. Praeterea auctoritate Nostra concedimus, ut de illis recitetur Officium et Missa de communi Martyrum iuxta rubricas Missalis et Breviarii tum Romani tum Ordinis Fratrum Praedicatorum, cum orationibus propriis per Nos approbatis. Eiusmodi vero Officii recitationem et Missae celebrationem fieri concedimus tum intra fines Vicariatuum Apostolicorum Tunquini Centralis, Orientalis et Septentrionalis, tum in illis Hispaniae dioecesibus unde plerique ex istis Martyribus ortum habuere, tum denique in omnibus templis, coenobiis Ordinis Praedicatorum etiam Monialium ac tertii Ordinis S. Dominici ubique terrarum adnexis, ab omnibus Christifidelibus qui horas canonicas recitare teneantur: et quod ad Missam attinet ab omnibus sacerdotibus tum saecularibus tum regularibus ad Ecclesias in quibus festum agitur confluentibus, servato decreto Sacrae Rituum Congregationis N. 5862 *Urbis et Orbis* IX Decembris MDCCCXCV. Denique concedimus ut solemnia Beatificationis eorumdem octo Martyrum supradictis in templis celebrentur ad normam decreti seu instructionis S. Rituum Congregationis die XVI Decembris MCMII de triduo intra annum a Beatificatione solemniter celebrando, quod quidem statis legitima auctoritate diebus fieri praecipimus intra annum postquam eadem solemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata.

Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac decretis de non-cultu editis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu secretarii dictae Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris extensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XV Aprilis MCMVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

L. ✠ S.

ALOIS. Card. MACCHI.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 207.
(2) *Item*, vol. XIII, p. 254.
(3) *Item*, vol. XIV, p. 24.

XIII.

Sanctuarium B. M. Virginis de Caravaggio erigitur in Basilicam Minorem.

PIVS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Templa Dei antiqua christiani populi religione celebria, quae prae caeteris vetustate, structura et artis operum splendore eniteant, Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, peculiaribus titulis honoris cohonestare pro re ac tempore satagimus. Hoc consilio nuper quinquagesimo anno a memorabili dogmatica definitione, ex quo Immaculatae Deiparae Virginis fulgentissimo diademati, novus accessit ac potissimus splendor, novos liturgicos honores, nempe Officium cum Missa proprium, in festo et per octavam Apparitionis B. M. V. de Caravaggio (addita Missa ritus etiam Ambrosiani), approbavimus et decrevimus. Nunc autem cum Venerabilis Frater Ieremias Bonomelli Episcopus Cremonen. una cum dilecto filio hodierno Sanctuarii Caravagiensis Custode, Nos enixis iteratisque precibus flagitaverit, ut ipsam Sacram B. M. V. Caravagiensem Aedem primitus anno 1432 aedificatam in amplissimum deinde templum saeculo decimosexto magnificis artis operibus conversam, quod ingentibus undique porticibus circumdatur, dívite et copiosa suppellectili sacra refectum est, ac multo indulgentiarum thesauro a Decessoribus Nostris Romanis Pontificibus locupletatum, et cui, uti par est, sufficienti numero Clerus assidue famulatur, ad Basilicae Minoris dignitatem evehere dignaremur; Nos preces huiusmodi excipiendas peramanter existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus hae Nostrae Litterae favent, a quibusvis ecclesiasticis censuris, sententiis ac poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes at absolutos fore censentes, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, perpetuumque in modum, templum Caravagiense Deo in honorem Beatissimae Virginis Mariae dicatum, Basilicae Minoris titulo ac dignitate

augemus, cunctis honorificentiis et privilegiis eidem attributis, quae Minoribus Almae Urbis Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, die 7 Maii 1906, Pontificatus Nostri anno tertio.

L. ✠ S.

A. Card. MACCHI.

XIV.

Breve Beatificationis Ven. S. D. Bonaventurae a Barcinone.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Salvator ac D. N. I. Christus, qui *infirma mundi eligit, ut fortia quaeque confundat* saepe numero humili atque obscuro loco natos homines, nullis artibus, nulla eruditione, nulla eloquentia, nullo denique instructos humanae potentiae praesidio excitat, ad illustria facinora pro Ecclesiae suae bono et religionis incremento patranda. Inclyta Minorum Fratrum Familia, vertente saeculo decimo septimo, inscrutabilis huius Divinae Providentiae consilii mirabile exemplum prodidit, quum humilis illius laicus Venerabilis Dei Famulus Bonaventura a Barcinone, non sine maximis contentionibus et laboribus tutum communire sodalibus suis asylum ad rigidius ac perfectius vivendi genus ineundum, atque etiam Sacrum in hac Alma Urbe Nostra Recessum fundare non dubitavit. Nimirum in eo apparuit quantae sit veritatis ac virtutis Summi illa Magistri promissio: *qui sequitur me habebit lumen vitae,* nam divina tantum spe fretus, et propositum sibi finem, omnibus difficultatibus devictis, assequutus est feliciter, et innumeros socios ad sanctitatis semitam decurrendam instruxit, et vitae suae actis universo Franciscali Ordini novum decus atque ornamentum addidit.

Anno reparatae salutis MDCXX die Novembris mensis quarto et vicesimo, in oppidulo Riudoms prope Barcinonem urbem Hispaniarum florentissimam, a Michaële Gran et Catharina eius uxore natus, eodemque die lustralibus undis ablutus, Michaël Baptista nomen habuit. Parentes tenuis conditionis fuere, sed vitae integri, qui agrorum cultura sibi victum suisque comparabant. Accepta ab iis Christianae pietatis rudimenta, vel a primis annis moribus suis, egregiae indolis puer, optime expressit; nugis enim atque oblectamentis aetatis illius propriis omnino abstinens ac solitudinis potius silentiique cupidus, innocentia, pudicitia et mira erga genitores obedientia floruit. Scholam non sine laude per breve tempus celebravit, nam crescentibus rei familiaris angustiis, illam deserere coactus, et magistro et condiscipulis magnum sui desiderium reliquit. Itaque custodiae gregis addictus, assiduae rerum divinarum commentationi vacavit, et saepe rusticas ante aras in Virginis Imagine defixus, devote flexis genibus orans, suavi illam matris nomine compellabat. Postquam prima vice ad Synaxim accessit, cum dilecto Iesu consociatus pius adolescens ad uberiores efficiendos in virtute progressus curas omnes suas cogitationesque intendit, ideoque religiosas induere vestes, seque Deo totum mancipare summopere cupiebat. Sed licet invito nuptias parabat pater, dictoque audiens Michaël, quam ille proposuerat puellam, duxit uxorem. At nuptiarum die laetum fugiens convivium, novus in templo sponsus manebat, Angelorum Dominam fervidis precibus flagitans, ut sibi quaeque vitae comiti virginitatis florem intactum servaret. O praeclarum facinus et angelicae potius quam humanae naturae proprium! Michaël a sponsa tuendae puritatis promissionem obtinuit, et donec uxor vixit, videlicet sexdecim mensium spatio, sanctissimis coniuges, non sine Dei praesensione, promissis steterunt. Equidem morti proxima mulier, assidenti matri, se Michaëli sororem fuisse, non uxorem, et purum illibatumque Deo corpus reddere fatebatur.

Mortua uxore, atque impetrato tandem genitoris consensu, S. Francisci Assisiensis habitum postulavit; sed Provincialem loci patrem diu reluctantem expertus est, qui denique humilitate ac virtutum Michaëlis fama motus, illum diuturni voti compotem reddidit. Anno MDCXXXX aetatis suae decimo nono, die mensis Iulii decimo quarto, quo S. Bonaventurae Doctoris festum agitur, in Coenobio S. Michaëlis oppidi Escornalbon asperum Fratrum Minorum sagum, coelestiali laetitia profusus, assumpsit, et Michaëlis in illud auspicatissimum Bonaventurae commutavit. Vix tirocinium posuerat, iamque in ipso vitae claustralis exordio, Christianae perfectionis formam apprime referre visus est. Religiosae disciplinae observantissimus, ne in minimis quidem illi unquam defuit, et paupertatem, castimoniam, humilitatem ac virtutes omnes servantem munientemque obedientiam, singulari prorsus studio est prosequutus. Paupertatem ita dilexit ut in victu cultuque vilissima quaeque semper requireret, vestibus uteretur obsoletis, munera infima libens impleret et cellam inhabitaret angustiorem. Simplicitatem et candorem cum poenitentia coniungens, innocens corpus ieiuniis, flagellis, vigiliisque compescuit. Ad obedientiam quod attinet mandata praepositorum adamussim servavit, et nullam unquam parendi moram interposuit: tandem in unaquaque virtute ita enituit, ac si caeteris posthabitis, illam unam viribus totis solummodo excoluisset. Ex eo factum est, ut a tironibus non modo, etiam a provectioribus sodalibus absolutissimum Seraphicae vitae exemplar sit habitus.

Tirocinii anno rite confecto sollemnia vota nuncupavit, atque inter Ordinis laicos cooptatus est. Continuo Morae, Tarassiae ad S. Agnetis atque in illis Catalauniae regularis provinciae Coenobiis in quibus moram duxit Venerabilis Dei Servus Bonaventura vitae sanctimonia admirationem sibi omnium conciliavit, accedentibus etiam coelestibus signis. Nam cum ipse conrogandae stipis cura fuit concredita, per compita et finitima loca pedetentim incedens, patientiae et christianae charitatis documenta dedit miranda. Sollertia maxima et flexanimis verbis perditos homines ac dissolutas foeminas e vitiorum coeno revocare nitebatur, aegrotos et pauperes humanis officiis recreabat, alebat. Puerum iam fere animam agentem, obstupescente medico, a suffocationis periculo liberavit.

Saepe dum coqui munus obiret, paratas dapes aut ignis

absumpsit, aut rapuere feles, aut ipse egenis imprudens distribuit, et nihilominus statis horis suavioribus cibis mensa fratrum redundavit. Saepe in extasim coram populo rapiebatur procul a terra, et licet in ipsum, ira aestuans christiani nominis osor, interdum noctu diris cruciatibus et multo verbere saeviret. Omnipotens Deus, qui iam Venerabilem Dei Servum ad maiora vocabat, humilem eumdem laicum delegerat, in quo abundantioris gratiae suas divitias ostenderet. Quare ab omnibus Frater Sanctus appellari publice coepit, et cum divino spiritu afflatus Romam adeundi veniam a superioribus, id aegre ferentibus, impetravit, magna christiani populi discessum morantis turba ad portum usque Barcinonensis urbis Bonaventurae est comitata. Sed ille tenax propositi, nec fletu fidelium nec terrae natalis charitate permotus, navim conscendit, et post varia procellosae navigationis pericula et piratarum incursionem in nomine Domini reiectam, Genuam appulit. Inde regulae statutis obsequens, etsi adulta hyeme altis terra rigeret pruinis, longum Romam versus iter pedes emensus est, et primum Sanctam Lauretanam domum invisit, dein Assisium, qua in urbe, dum loca S. Francisci vita et miraculis clara summa devotione lustrat, quod iamdiu coeperat consilium coelesti signo acceptum superis esse perpensit. Nam dum noctu ad S. Damiani, coram SSma Eucharistia, orans advigilat, audivit vocem de coelo dicentem: « I Romam laetatum domum meam ». Et sane Ven. Dei Famulus Bonaventura a Barcinone salutare illud propositum animo moliebatur instituendi in Romana Provincia Sacrum pro religiosis viris sui Ordinis Recessum, in quo iidem rigidiori ratione Seraphici Patris legem servantes, suae proximorumque saluti atque aedificationi uberius consulere possent; eumdemque ad finem ex Hispania ad hanc Almam Urbem ipse properabat.

Vix Romam pervenit anno MDCLIX ianitor in Conventu S. Isidori positus, in humili officio tanta ac tam singulari virtutum praestantia enituit, ut non modo penes confratres, verum etiam penes Romanos omnis conditionis cives magnam sanctimoniae famam adeptus fuerit. Verum ubi primum instituendi Recessum consilium patefecit, innumerae continuo ortae difficultates, ipsis regularibus superioribus mirantibus, quod laicus Hispanus, qui vix litteras calleret, italicae linguae ignarus atque omni prorsus eruditione destitutus, tam arduum opus aggredi praesumeret. Sed destinatus Dei Servus, in Eo tantum sperans qui humiles corde exaltat, adversa cuncta patientia constantiaque vicit. Cardinalis enim Barberinius, Franciscalis Ordinis Protector, Bonaventurae votis annuens, illum ad pedes Alexandri PP. VII rec. memoriae Praedecessoris Nostri adduxit, qui in obscuro laico Dei spiritum agnoscens, Sacri Recessus institutionem probavit, illiusque regulas et statuta ab eodem Dei Servo exarata, Apostolicis Litteris quorum initium « Ecclesiae Catholicae regimini » die XXX mensis Augusto anno MDCLXII datis, suprema auctoritate interposita, sanxit.

Idcirco Recessui Sacro inchoando adsignatus fuit Conventus S. Mariae e Gratiis oppidi Ponticelli in Sabina, montanus ac silvester, sed aptus solitudini ac poenitentiae locus. Plures sine mora religiosi viri Franciscales illuc ad umbratilem vitam, in assidua oratione, ieiunio, et carnis afflictationibus ducendam confluerunt, quibus gratum admodum fuisset, si sanctus institutor ac legifer Recessus ipsius regimen obtineret. Sed renuit humilis laicus praeesse sacerdotibus, atque utpote coquus sodalibus suis maluit inservire, donec a Cardinali Protectore, sub sanctae obedientiae vinculo adstrictus, Custodis munus licet invitus assumpsit. Qua prudentia commissum officium implerit, qua charitate, qua sollertia in timore Dei et virtutum omnium exercitatione, suis potissimum exemplis, sodales confirmaverit, ex eo facile coniici potest, quod recurrentibus impedimentis ac difficultatibus feliciter superatis, primum Montorii, dein variae in agro Tiburtino duae aliae sacri recessus domus brevi apertae fuerint. His Venerabilis Dei Servus modo uti Custos praefuit, modo uti Commissarius Visitator advigilavit, modo omni abdicata dignitate, dimissis in officiis ianitoris, coqui vel olitoris inservit. Interea sanctitatis illius fama percrebuit in dies *tamquam prodigium factus multis:* quocumque incederet, dimissus et pedes, laeto populorum concursu excipiebatur: inter finitimas gentes veteres simultates iam ad caedem prorumpentes, quasi e Coelo delapsus angelus, adspectu suo tantum composuit; omnesque eum optimum tamquam parentem ducebant sanctumque appellabant, mutationis enim cordium et prophetiae dono divinitus pollebat.

Anno Iubilaei MDCLXXV et Romae, in hoc Orbis Catholici centro, pia Sacri Recessus domus condita fuit. Nam Cardinalis Barberinius, ab eodem Venerabili Dei Famulo a certae mortis discrimine liberatus, illi locum in Urbe ubi Conventum aedificaret quaerenti, penes veteres Caesarum Palatii ruinas solitarium ac praeruptum, spinis et dumetis refertum agri modum donavit. Nulla mora, benefactorum tantum eleemosynis fretus, perarduam ille operam inchoat, et quamvis paupertatis voti observantissimus ne obolum quidem possideret, tamen operarii fabricae addicti ne uno quidem die pacta mercede caruerunt. Ipse Bonaventura, permixtus aliis laicis, saxa et latera congerens, structores adiuvabat, et post plurimos per quinquennii spatium exantlatos labores, Coenobio et continenti templo ad finem adductis, quod templum Deo in honorem S. Bonaventurae Ecclesiae Doctoris sacrum esse voluit, Venerabilis Dei Servus tum novi Conventus Custos, cum universi Recessus moderator et praepositus est Apostolica Auctoritate renuntiatus. Verum etsi iure ac merito supremus esset sacri Recessus praeses, vilia tamen officia nunquam detrectavit, immo sese in illis versari maxime in deliciis habuit. Itaque dum Recessus coenobia ex demandato sibi officio lustrat diligentissime, nunc Variae, nunc Montorii, nunc in Conventu S. Mariae Gratiarum vel mensae confratrum consulit, vel stipem pro iis, sarcinis onustus, quaeritat, vel infirmis suavibus fraternae charitatis officiis ministrat. At Romae non modo populares, sed viri Principes, Praesules et Sanctae Romanae Ecclesiae etiam Cardinales certatim ad S. Bonaventurae Conventum Dei Famulum allocuturi confluebant, nemo non recreatus abibat, minime deficientibus prodigiis, cum humana subsidia deficerent. Divino enim lumine illustratus cum viris doctissimis de theologicis disceptationibus indoctus disseruit, et Patris Assisiensis indolem suavissimam referens, nudo simplicique dicendi genere animorum motus et lacrymas ciebat. Romanis quoque Pontificibus Alexandro VII, Clementi IX ac X atque Innocentio XI Praedecessoribus Nostris rec. mem. acceptissimus fuit, qui humilis laici coeptis annuentes, Sacrum auctoritate sua Recessum firmarunt, eleemosynis sospitarunt, indulgentiis ac spiritualibus gratiis auxere.

At sanctus Fundator dissolvi cupiens et cum Christo esse, hilari vultu *in paradisum, in paradisum* repetens, adesse sibi finem praesentiebat. Mors autem fuit vitae tam sancte

actae plane consentanea. Nam febri correptus, etsi medici eum morti proximum minime subolerent, tamen se triduo moriturum nunciavit, et revera die undecima mensis Septembris anno MDCLXXXIV, aetatis suae sexagesimo quarto, Ecclesiae Sacramentis rite munitus, benedictis confratribus suis circa lectum adstantibus, placidissimo exitu mortale aevum cum immortali commutavit. Quoniam vero *in memoria aeterna erit iustus*, corpus quidem conditum sepulchro est non sine tumultu Romanorum civium, sancti viri vultum postrema vice invisentium: virtutum vero famam consequentes etiam aetates exceperunt; nam Sacri Recessus opus, ab ipso Venerabili Dei Servo tam strenue propugnatum, uberiora semper in Franciscalis familiae bonum incrementa suscepit; et surgens adhuc medias inter veteris urbis ruinas in Palatino clivo Recessus, a S. Bonaventura nuncupato, quasi testimonium christianae humilitatis super ethnicum fastum victoriam referentis, pluribus in posterum sanctissimis viris tuta fuit sedes ac potissimum Leonardi a Portu Mauritio apostolatu praefulsit.

Itaque etsi serius propter publicarum rerum in Hispania conversionem de Bonaventurae fama sanctitatis et prodigiis penes SS. Rituum Congregationem causa agitari coepta est, et iuridicis probationibus rite confectis, virtutes illius heroicum attigisse culmen rec. mem. Pius PP. VI Praedecessor Noster decreto edixit XVII kal. Septembres anno MDCCLXXV dato. Inita deinde actio est de miraculis quae eo deprecante divinitus patrata ferebantur, omnibusque de iure absolutis, Nos Ipsi per decretum diei vicesimi quarti mensis Aprilis nuper elapsi super duobus miraculis Apostolica Auctoritate constare sanximus (1). Cum autem de virtutibus ac duobus miraculis iam esset iudicium prolatum, unum supererat inquirendum nimirum ut VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales Congregationi SS. Rituum praepositi interrogarentur, utrum Beatorum Coelitum honores Venerabili Dei Famulo Bonaventurae a Barcinone tuto decerni possent. Hoc praestitit Dilectus Filius Noster Dominicus S. R. E. Cardinalis Ferrata, causae Relator, in generali conventu coram Nobis in Vaticanis Aedibus octavo kal. Maii labentis anni habito, omnesque tum praedicti Cardinales cum qui aderant Patres Consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero ab aperienda mente Nostra supersedimus, rati exorari Deum oportere ante edendum supremum in re tam gravi iudicium. Quod cum impense fecissemus, tandem Dominica tertia post Pascha huius anni, Eucharistico litato Sacrificio, accitis adstantibusque Aloisio S. R. E. Cardinali Tripepi SS. Rituum Congregationi Pro-Praefecto et Dominico S. R. E. Cardinali Ferrata, causae Relatore, una cum Venerabili Fratre Diomede Panici Archiepiscopo titulari Laodicen., eiusdem S. Congregationis Secretario ac Rev. Patre Alexandro Verde, Sacrae Fidei Promotore, sollemni decreto sanximus tuto procedi posse ad Venerabilis Servi Dei Bonaventurae a Barcinone laici professi Ordinis Minorum S. Francisci et conditoris sacri Recessus S. Bonaventurae Almae huius Urbis sollemnem Beatificationem (2).

Quae cum ita sint, universi Ordinis Minorum S. Francisci supplicationibus permoti, Auctoritate Nostra Apostolica, harum Litterarum vi, facultatem facimus, ut Venerabilis Dei Servus Bonaventura a Barcinone, eiusdem Ordinis laicus professus, nomine Beati in posterum nuncupetur, eiusque Corpus et lypsana, seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Auctoritate Nostra Apostolica concedimus, ut de illo recitetur officium et Missa singulis annis de communi Confessorum non Pontificum, cum orationibus propriis per Nos approbatis iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus, in hac Alma Urbe Nostra eiusque districtu, et in civitate ac Dioecesi Barcinonensi, nec non in templis omnibus et oratoriis, quibus ubique terrarum utitur Ordo Minorum, ab omnibus fidelibus tam saecularibus, quam regularibus qui horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet, ab omnibus Sacerdotibus saecularibus sive regularibus ad Ecclesias in quibus festum agitur confluentibus, servato Decreto SS. Rituum Congregationis N. 3862 *Urbis et Orbis* IX Decembris MDCCCXCV. Denique concedimus, ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei Famuli Bonaventurae a Barcinone in templis supradictis celebrentur ad normam seu instructionem SS. Rituum Congregationis die XVI Decembris MCMII de Triduo intra annum a Beatificatione sollemniter celebrando, quod quidem fieri praecipimus, die per Ordinarium designanda intra annum postquam eadem sollemnia in Basilica Vaticana celebrata fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Denique volumus, ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii praefatae Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce Litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die XXI Maii MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

ALOIS. Card. MACCHI.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIV, p. 212.
(2) *Item*, vol. XIV, p. 213.

XV.

Pius X gratulatur P. Lépicier de variis et quidem optimis vulgatis operibus.

Dilecto Filio Alexio Mariae Lépicier, Sac. ex Ordine Servorum Mariae, Doctori decuriali sacrae theologiae tradendae in scholis Collegii christiano nomini propagando.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum tu magisterium sacrae theologiae in scholis Collegii Urbaniani iamdudum egregia cum laude obtineas, recte facis planeque secundum vota peritorum, ea vulgando quae his non paucis annis commentatus es in usum disciplinae. Sic enim non modo alumnis tuis melius consulis; sed multo pluribus copiam praebes de ingenio eruditione studioque tuo proficiendi. Itaque existimare debes pergrata accidisse Nobis oblata a te nuper volumina, in quibus ad mentem Doctoris Angelici *de Deo uno, de Sanctissima Trinitate* (1), *de Incarnatione Verbi* (2) tractas. Et quidem probari in his videmus

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XI, p. 280.
(2) *Item*, vol. XIV, 272.

vel subtiliter explanatam copioseque ex similibus locis illustratam doctrinam Aquinatis, vel nervose Scripturarum Patrumque fundamentis constituta dogmata, vel idoneos e scientiae incrementis petitos fructus, vel perspicuum ac tamquam pietatis odore imbutum scribendi genus. Nec minus placuisse doctis viris intelligimus cactera tua scripta, quae Nobis pariter obtulisti, libros « *de Opere sex dierum* » ac *Tractatum de Beatissima Virgine Maria Matre Dei* (1), iterum a te emendatiorem auctioremque editum. Quare gratulamur tibi; atque etiam magnopere auctores sumus, ut quidquid praeterea in hoc genere confeceris, ne intra tuae scholae fines contineas, verum cum bono multorum emolumento in lucem proferas. Auspicem caelestium munerum ac testem singularis benevolentiae Nostrae tibi, dilecte Fili, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXXI Maii anno MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 30 Iunii 1906, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda:

A. — Per Summaria Precum.

I. Licien. — Remotionis impedimenti sponsalium. — R. *Sententiam Curiae esse infirmandam: et ad mentem.*

II. Melevitana. — Iuris deferendi stolam. — R. *Decretum Episcopi esse confirmandum, salvo Vicario Curato iure deferendi stolam, si incedat loco proprio sui officii.*

III. Hieracen. — Nominationis ad Canonicatum. — R. *Praevia sanatione ad cautelam ob non servatam regulam Decreti* Ad dirimendas, *collationem factam favore Sacerdotis Caserta sustineri.*

B. — In folio.

I. Parisien. — Nullitatis matrimonii. — R. *Sententiam esse confirmandam.*

II. Avenionen. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

III. Ripana. — Dispensationis matrimonii. — R. *Negative.*

IV. Mediolanen. — Redintegrationis beneficii. — R. *Infirmandam esse sententiam.*

V. Feretrana. — Translationis sedis paroecialis. — R. *Recedendum a decisis; et residentiam Parochi transferendam esse in loco Mercatino Conca, salva potestate Episcopi providendi curae animarum in planitie superiori existentium, sive per Vicarium cum plenitudine paroecialis iurisdictionis, sive per unionem ad proximas paroecias, sive alio Canonico modo sibi magis beneviso.*

VI. Pontiscurvi. — Iuris funerandi. — R. *Servandum esse ius commune.*

VII. Ianuen. — Iurium. — R. *Confirmandum esse Decretum Archiepiscopi: et ad mentem, quae est ut tres Sacerdotes dimissi statim restituantur, et in posterum secuta vacatione duarum participationum, caedem non provideantur, donec dos massae proportionaliter non augeatur.*

VIII. Mileten. — Matrimonii. — R. *In decisis.* (Extra-ordinem).

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. X, p. 52.

A. — Per Summaria precum.

4612/4 I.

Licien. — Remotionis impedimenti sponsalium.

Agitur de remotione impedimenti sponsalium per congruae summae solutionem.

Haec causa relata inter supplices libellos, proposita primum fuit die 26 Augusti proxime elapsi anni. In ea autem agebatur de remotione impedimenti sponsalium ab Annita contra Ernestum oppositi; sin minus de congruae summae solutione ob damnorum compensationem, pro qua propter passam deflorationem cum sequuta prole eadem Annita instabat.

S. H. C. censuit propositae quaestionis solutionem differre, et interim mandavit ut Episcopo scriberetur ad hoc ut prudenter ageret et pertractaret pro inducendo Ernesto ad congruam solvendam summam Annitae quam ipse attentis omnibus aequam in Domino aestimasset, atque ita ad compositionem partes induceret.

Ernestus per suum procuratorem, uti compositionis modum, solutionem libellarum 1000 proposuit, nuncium insimul mittens cuicumque indemnitati quae sibi competere posset pro expensis latis in iudicio coram laico tribunali. Cum haec propositio ab actrice Annita haud fuerit accepto habita, hinc est quod causam iterum proponitur.

Partes, licet rogatae, nullam mihi allegationem exhibuerunt. Quare benigne resumpto praeterito folio, EE. VV. rogantur ut, re iterum ad trutinam revocata, definitivam, prout magis in Domino expedire censuerint, iudicium proferant.

Quare etc.

Responsum fuit: *Sententiam Curiae esse infirmandam: et ad mentem.*

3993/5 II.

Melevitana. — Iuris deferendi stolam.

Confirmatur decretum Episcopi statuens ius deferendi stolam cum praecedentia super Capitulum in associandis in ecclesiam defunctis, spectare ad digniorem in Capitulo, non autem Vicario Curato, salvo praedicto Vicario Curato iure deferendi stolam, si incedat proprio loco sui officii.

In civitate Conspicua Melevitanae Dioecesis an. 1822 Capitulum Collegiatae Ecclesiae a Pio VII institutum fuit, cui ab ipsa erectione habitualis animarum cura commissa fuit, reservata canonico Archipresbytero cura actuali. Contentio-

nibus inter utrumque de peragendis functionibus exortis, Pius VIII an. 1830 sua Constitutione decrevit ut animarum cura ab Archipresbyteratu perpetuo disiuncta, eadem tum actualis tum habitualis Capitulo concederetur et uniretur, exercenda tamen vel per dignitarios et canonicos, vel per Vicarium curatum ab eodem Capitulo deputandum.

Attamen cum eadem Constitutio ob plures difficultates exequi non potuerit, serius praeeunte Melevitano Episcopo, concordia a Capitulo inita est, dein per Bullam Ap. Pii IX an. 1850 confirmata. Ista sequentis est tenoris:

« 1° Ut cura actualis unita cum habituali exerceri debeat perpetuo et inamovibiliter a Vicario curato per Capitulum universum, comprehenso Archipresbytero, eligendo:

« 2° Ut ad Vicarium ipsum curatum spectet tantum administratio Sacramentorum et quidquid memoratum actualis animarum curae exercitium ei commissum stricte respicit; salvis et reservatis favore Capituli caeteris iuribus et privilegiis etiam super huiusmodi exercitio quae eidem Capitulo uti Ecclesiae Rectori debeantur, caetera vero iura et privilegia eidem Capitulo uti Ecclesiae Rectori reservata sint et remaneant ».

Nihilominus cum idem Capitulum plures adhuc parochiales functiones per seipsum expleret, Vicarius curatus ad H. S. C. recursum habuit, quae ad primum dubium: « *An iuxta Constitutiones Apostolicas universa actualis cura animarum competat Vicario curato in casu* », die 20 Dec. 1902 respondit: « *Affirmative quoad exercitium curae animarum* » (1).

Contentionibus tamen inter Capitulum et Vicarium curatum haud extinctis, hic die 13 Maii 1904 supplicem eidem Curiae libellum porrexit, expetens ut dictum Capitulum ad executionem decisionis S. C. Concilii die 20 Dec. 1902 datae adigeretur, in specie autem in quibusdam se manuteneri iuribus expostulavit, inter quae ut sibi ius esset stolam deferendi cum praecedentia super Capitulum in deferendis in ecclesiam defunctis. Verum cum Episcopus die 3 Febr. elapsi anni declarasset ius stolae spectare ad digniorem in Capitulo, Vicarius Curatus Azzopardi eiusmodi decisione se gravatum sentiens ad H. S. C. appellationem instituit.

Patronus quem sibi delegit, ut demonstret Vicario curato in funeribus ius gestandi stolam spectare, contendit haud dubitari posse idem ius ad illum pertinere qui sit actu parochus, idque ex inducta a SS. Rituum Congregatione disciplina, prout in causa *Aliphana* diei 24 Nov. 1691, desumit: « An canonicus cui commissa fuerit cura animarum debeat, « uti parochus, stola amictus praecedere canonicos, aut stare « et sedere in loco suae receptionis sine stola, illamque « potius deferri a prima dignitate aut canonico? Canonicus « cui collata est cura animarum, *si velit incedere in fune-* « *ribus* cum stola et gerere personam Parochi, locum non « habet inter canonicos: sed incedere debet uti Parochus « ante Capitulum Cathedralis Ecclesiae post caeteros presby- « teros. Si autem velit interesse uti canonicus stare debet « loco suae receptionis, sed sine stola, deferenda hoc casu « per digniorem de Capitulo ».

Nec praeterit ut eadem norma ubique servaretur generaliter ab eadem S. C. nuperrime praeceptum esse, adeo ut quicumque animarum curam agat sive sit Parochus sive Capituli Vicarius in mortuo efferendo, Capitulo excluso, stola decoretur: « La stola nelle associazioni funebri è *diritto* « *indiscutibile* del Parroco, o sia egli titolare, o sia Vicario « curato » *(Monitore eccl.* vol. VI, p. II, p. 243).

Ulterius advocatus ad exceptionem a Capitulo motam evertendam pergit, qua sibi suffragari consuetudinem sustinet, allegans aliud S. C. Rituum decretum, quo Capitulis Collegiatarum Ecclesiarum ius in funeribus stolam gestandi tributum est, si eadem consuetudo sit legitime inducta: *Recens S. Cong. Rituum decretum super exequiis ex officio datum sub die 23 Apr. 1895, n. 3854, n. c. nullum hac de re dubium reliquit: quamvis enim n. II declaraverit:* « ius et onus inesse semper, etiam praesente Capitulo Ca- « thedralis Ecclesiae, extra hanc tamen Parocho induendi « stolam et officia omnia persolvendi super cadavere defuncti « ad suam pertinentis Ecclesiam, usquedum e loco obitus « ingressus fuerit Ecclesiam tumulantem » — *nihilominus n. III clarissimis verbis statuit* — « eumdem Parochum « primas habere super omnem Clerum, excepto si interfue- « rit, Capitulum Cathedralis Ecclesiae, quod in associatione « incedet, post ipsum Parochum: excepto etiam Capitulo « Collegiatae, si ita consuetudo ferat. Hoc tamen in casu « dignior Capituli Cathedralis incedat cum stola et etiam « cum pluviali, quod tamen non ferat Parochus: et idipsum « servabitur si Capitulum Ecclesiae Collegiatae post Paro- « chum incedat ». *Consuetudo autem in re ista stat favore Capituli ab initio erectionis Collegiatae, quod in dubium non revocatur.*

Attamen allegatum decretum haud amplius vigere contendit, neque si vigeret, id quod Capitulares expetunt significaret, imo etsi id significaret, eidem tamen Capitulo non suffragaretur.

Iamvero cum dictum decretum fuerit in decretorum collectione omissum (uti erronee putat advocatus, cfr. cit. collect. tom. 3, p. 283) quae Pontificis auctoritate recognoscitur, iam uti abolitum merito coniiciendum esse adnotat, ac proinde incassum contra Vicarium perpetuum consuetudinem allegari.

Hinc recolit quae die 14 Iulii 1882 statuta sunt: « Utrum « consuetudines, quantumvis immemorabiles rubricis missalis « breviarii, caeremonialis Episcoporum, ritualis romani et « S. R. C. Decretis in collectione Gardellini contentis aperte « repugnantes servari possint? R. Expositas consuetudines « removendas esse, utpote corruptelas, rubricas et decreta « omnino servanda ».

Unde cum decretum quod invocat Capitulum exceptionem contineret, eo abolito, ipsum corruere dicendum est.

Etsi insuper idem decretum non esset abolitum, huic tamen causae haud noceret, subdit patronus, si recte interpretetur. Animadvertit sane ipsum duas partes complecti: harum autem primam Vicarii perpetui ius non modo haud imminuere sed potius confirmare, cum iubeat in demortuis efferendis stolam gestari a parocho, licet non modo collegiata ecclesia sed etiam Cathedralis Capitulum ad idem funus vocetur: « Ius et onus inesse semper, etiam praesente « Capitulo Cathedralis Ecclesiae, extra hanc tamen, Parocho « induendi stolam et officia omnia persolvendi super cada- « vere defuncti ad suam pertinentis Ecclesiam ».

Alteram decreti partem, videlicet — si ferat consuetudo, — tria Capitulo Collegiatae Ecclesiae tribuere adnotat, videlicet potiorem in funere locum, ius pluvialem induendi excluso parocho, denique ius gestandi stolam non tamen parocho excluso, sed ita ut tum parochus tum canonicus dignitate primus in Capitulo ea honestetur: « Eumdem « Parochum primas habere super omnem clerum, excepto, « si interfuerit Capitulum Cathedralis Ecclesiae, quod in « associatione incedet post ipsum Parochum: excepto etiam « Capitulo Collegiatae, si ita consuetudo ferat. — Hoc tamen « in casu dignior Cathedralis incedet cum stola et etiam cum « pluviali, *quod* tamen non ferat Parochus et idipsum ser- « vabitur si Capitulum Ecclesiae Collegiatae post Parochum « incedat ». Illud proinde sequi ait stolam gestari ab utro-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XI, p. 192.

que, tum a Vicario perpetuo, tum a Capituli Praeside, idque in causam non cadere.

Exinde contendit Episcopum errore ductum diversam in partem decretum accepisse. Nam illa decreti verba « dignior Capituli incedat cum stola et etiam cum pluviale; « *quod* tamen non ferat Parochus » ita sonare iudicavit, veluti si Parochus tum pluviali tum stola interdiceretur. Verum si mens decreti fuisset neutrum gestari a parocho, profecto dictum fuisset — quae non ferat parochus. Unum proinde Parocho interdictum fuisse contendit per illud singularem numerum *quod*, scilicet non stolae usum sed pluviale: eoque magis tum quia pronomen *quod* proximo verbo *pluviali* cohaereat oportet, tum quia foemininum genus, stola, cum neutro genere *quod* componi nequit.

Et quidem si aliter decretum interpretaretur, absurdum eveniret. Nam posita generali norma nullis terminis circumscripta, qua ius dicitur esse parocho ut stolam in funeribus gestet, etiamsi Cathedrale Capitulum adsit si consuetudini ea vis tributa fuisset ut stolam adiudicaret Capitulo, eadem generalis norma in irritum cederet.

At etsi concederetur decretum non esse abolitum, contendit tamen patronus consuetudinem Capitulo non suffragari. Revera recolit consuetudinem non dari quin legitima possessione fundetur; possessionem autem minime esse legitimam, quae errore nitatur...

Iamvero ante H. S. C. responsum quo cura actualis excluso Capitulo demandata est perpetuo Vicario, hic communi opinione censebatur ex Capituli ipsius delegatione tantummodo sacramenta administrare; proinde cum funera sacramentis non annumerentur, consequens erat ea sibi vindicari Capitulum, adeo ut sicut missam praesente cadavere litabat, ita stolam in exequiis deferret. Detecto itaque errore, consuetudo quae inde originem duxerat corruat oportet, et Vicarius perpetuus ut missam litat praesente corpore, quam antea Capitulum litabat, ita stolam gestare debet in exequiis quae antea a Capitulo gestabatur; secus enim animadvertit advocatus, si Capitulo concederetur omnia munera exequi praeter sacramentorum administrationem, idem S. C. responsum, quo actualis animarum cura Vicario perpetuo concredita est, in irritum cederet.

Quin imo prosequitur patronus, non modo ius stolam gestandi, sed potior quam Capitulo locus Vicario perpetuo in exequiis adiudicandus est. Neque praesenti casui ait Sacrae Congregationis decretum in causa *Aliphana* officere, quo licet curam animarum agenti stolae gestandae in exequiis ius tributum sit, primum tamen locum Capitulum obtinuit, cum recens H. S. O. disciplina qua illi et stolam gestandi et primum locum tenendi adiudicatur magis rationi consentanea sibi videatur, prout etiam factum esse recolit in altera *Galtellinorensi* causa diei 22 Iun. 1891, qua licet Capitulum ex una parte Vicario perpetuo concederet ut stolam gestaret, ex altera primum sibi locum vindicaret, S. V. O., utrumque tum scilicet ius gestandae stolae tum primum locum eidem Vicario adiudicavit: « An canonicus curatus « iure distincto frui possit in defunctorum exequiis, Capitulo « assistente: et an a Capitulo vel a Canonico curato perfi- « ciendae sunt rituales absolutiones in casu? — *R. Si agatur « de exequiis parochianorum, praecedentiam spectare ad « Canonicum curatum ratione stolae* ».

Ex altera parte haec retulit Archiepiscopus:

« L'unica ragione che l'appellante produca a provare il « suo dritto contro detta sentenza e la decisione di cotesta « S. C. in *Galtellinoren.* data il 27 Giugno 1891, la quale da- « rebbe secondo lui, il dritto di precedenza al Vicario Cu- « rato sul Capitolo.

« Ora a leggere solo quel che cotesta S. C. decise sotto « la citata data, vedesi bene che l'appellante neppure sa « quel che cita; poichè quivi di tutt'altro parlasi, cioè delle « funzioni che spettano o no al Vicario Curato in Chiesa « Cattedrale o Collegiata. Esso evidentemente voleva alle- « gare, e di fatto dalle parole risulta che allega la deci- « sione data il 9 Aprile e 23 Luglio 1892, già nella sen- « tenza impugnata citata. La quale decisione tuttavia non « fa al caso: 1° perchè essa non decide dell'uso della stola « ma della precedenza soltanto, e dà la precedenza al Vi- « cario Curato *ratione stolae*, onde se esso Curato per qua- « lunque ragione non portasse la stola, non avrebbe la pre- « cedenza. Ora nel caso nostro la questione è chi deve por- « tare la stola nei funebri associamenti e quindi avere la « precedenza; 2° perchè la sentenza della mia Curia, attesa « la summenzionata decisione in *Galtellinoren.* ed altre molte « allegate nella sentenza medesima, che l'appellante non si « curò di allegare, riconobbe spettare per dritto ordinario « al Vicario Curato l'uso della stola in detti associamenti, « ma non quando la consuetudine è contraria, specialmente « se è tale fin dalla erezione della Collegiata, e i Canonici « abbiano non solo la cura abituale, ma anche l'attuale, « come è il caso nostro; 3° perchè alla più volte citata de- « cisione in *Galtellinoren.* la stessa Sacra Congregazione po- « steriormente, cioè nel 23 Aprile 1895 ed *ex officio* ha, per « ragione sempre di consuetudine, decretato contrariamente ».

Sane quamvis huius decretum ex una parte in § II declaret « ius et onus inesse semper etiam praesente Capitulo « Cathedralis Ecclesiae, (extra hanc tamen) parocho induendi « stolam et officia omnia persolvendi super cadavere defuncti « ad suam pertinentis Ecclesiam usquedum e loco obitus « ingressus fuerit Ecclesiam tumulantem »; ex altera vero parte in § III clarissimis verbis statuit « eumdem parochum primas habere super omnem clerum *excepto* (si interfuerit) *Capitulo Cathedralis Ecclesiae quod in associatione incedet post ipsum parochum; excepto etiam Capitulo Ecclesiae Collegiatae, si ita consuetudo ferat. Hoc tamen in casu dignior Capituli Cathedralis incedat cum stola et etiam cum pluviali, quod tamen non ferat parochus et id ipsum servabitur si Capitulum Ecclesiae Collegiatae post parochum incedat* ».

Quare tota controversia in eo versatur, an revera favore Capituli Conspicuae adsit *consuetudo* quae ab ipso Decreto, ad instar necessariae conditionis requiritur.

Iamvero Vicarius Curatus Azzopardi non denegans factum consuetudinis, hanc tamen in casu invocari non posse contendit. Hinc referre iuvat quae idem Archiepiscopus in eadem relatione habet:

« L'appellante impugna tal consuetudine per tre ragioni: « 1° perchè in tal maniera non è allegabile; 2° perchè se mai « esistesse sarebbe effetto di errore, in quanto prima della « risoluzione del 20 Dicembre 1902 il Vicario Curato di Co- « spicua era considerato dal Capitolo come suo mercenario « abilitato solo per sua delegazione ad amministrare i Sacra- « menti; 3° perchè la mia Curia nella sentenza impugnata « non diede peso alla consuetudine per quel che riguarda « la Messa *praesente cadavere*. Alle quali ragioni è molto « facile la risposta.

« La prima infatti sta positivamente in opposizione di- « retta a quanto stabilisce il Decreto *ex officio* di cotesta « S. C. del 23 Aprile 1895 da me sopra integralmente ci- « tato (Excepto etiam Capitulo Ecclesiae Collegiatae si ita « consuetudo ferat, dice il Decreto). La seconda esiste solo « nella immaginazione dell'egregio avvocato dell'appellante, « poichè lo stesso appellante non può negare che nè batte- « simi nè altri Sacramenti furono mai amministrati dai Ca- « nonici, non ostante la vantata cura attuale, senza sua de-

« legazione. E quando anche si volesse concedere quanto « s'immagina resta sempre vero che la consuetudine ci è « e il Decreto non distingue tra consuetudine e consuetu-« dine. La terza è fuor di luogo, in quanto nessuno ha op-« posto contraria consuetudine ».

His itaque ex utraque parte relatis modo praesens quaestio sapientissimo Vestro subiicitur iudicio.

Quare etc.

Responsum fuit: *Decretum Episcopi esse confirmandum, salvo Vicario Curato iure deferendi stolam, si incedat loco proprio sui officii.*

3670/4 III.

Hieracen. — Nominationis ad Canonicatum.

Praevia sanatione ad cautelam, ob non servatam regulam Decreti *Ad dirimendas*, sustinetur elevatio beneficii sacristae ad canonicatus honorem, collatioque facta in favorem sacerdotis Caserta.

Ecclesiae Cathedralis Hieracensis Capitulum olim 24 hodie 12 tantum Canonicis praebendatis constat. In praesentiarum 11 tantum recensentur praebendati: eo, quod vacet Primiceriatus; et iisdem alii 8 adiunguntur Canonici *ad honorem*. — A remotis temporibus constitutum etiam fuit, ad facilius et dignius sacras functiones obeundas, aliud beneficium quod obtinebat Sacrista Maior. Iste, quamvis non fuerit de Capitulo, attamen, saltem ab anno 1593, in choro sedem habuit post novissimum Canonicorum, et in processionibus praecedentiam super caeterum clerum; nec non vi institutionis munus punctatoris exercere valebat, quamvis hoc officium ex usu inveterato iuxta Capitulares Constitutiones ab uno ex Canonicis alternis hebdomadis persolutum sit.

Anno 1856 sub die 2 Ianuarii nominatus fuerat uti Sacrista Maior sacerdos Simeon Ricupero, qui credito officio renunciasse perhibetur, die 2 Iulii 1904, etsi huius renunciationis vel resignationis actus penes Curiam documentum non existat, nec Capitulo aliquid de ipsa notum factum fuerit.

Interim Episcopus, volens elevare ad Canonicatus honorem beneficium Sacristae, votum Capituli exquisivit hisce verbis: « Essendoci decisi di elevare la Sagristania agli onori e con « gli obblighi di un Canonicato, abbiamo bisogno sapere se « il R.mo Capitolo sarebbe disposto ad accettare il Sagri-« stano *pro tempore*, come Canonico sopranumerario, con « questa sola modificazione, che il Sagristano Canonico non « avesse porzione delle messe dei legati, tranne quella del « Vescovo Perrone ». Comitia capitularia convocata ad hoc fuerunt, at non modo et forma extraordinaria, ut par erat, verum forma consueta: et de 11 Canonicis, 9 personaliter interfuerunt. De aliis duobus, Hector Migliaccio non interfuit, eo quod personaliter non fuerat invitatus; et Ioseph Ferrari, valde senex, interfuit per procuratorem, putans agi de ordinario Capitulo, et nihil sciens de fine speciali illius convocationis. Capitulum ita adunatum, sub die 24 Iulii 1904, votum affirmativum emisit circa Episcopi petitionem.

Praehabito Capituli consensu Episcopus, die 10 Augusti elevavit beneficium Sacristae ad honorem Canonicatus, quamvis neque de hac elevatione habeatur documentum authenticum in Archivio Curiae, et die 20 ipsius mensis Bullam edidit, qua nominabat Sacristam Maiorem Subdiaconum Paschalem Caserta nepotem renunciatarii, eumdemque Canonicum supernumerarium cum omnibus iuribus et honoribus consequentibus. Subdiaconus Caserta institutionem corporalem seu beneficii possessionem, die 28 eiusdem mensis per manus primae Capituli dignitatis adeptus est, quamvis quidam de Canonicis praesentibus protestationem emiserit, choro illico relicto.

Novus beneficiatus satisfacere coepit omnibus sibi impositis oneribus, tam in qualitate Sacristae, quam in qualitate Canonici; redditus praebendae seu muneri Sacristae respondentes percepisse videtur, at redditus Canonicalis, nec non vox sive activa sive passiva, immo ipsa personalis praesentia in coetibus Capitularibus iugiter eidem denegata fuit, neque de hoc formalem protestationem Canonicus Caserta exhibuit, sed tantum querelas.

Contra vero huiusmodi Episcopi agendi rationem, sub die 13 Decembris 1905 recursum habuit ad hanc S. Cong. tum Canonicus Hector Migliaccio, tum alter Canonicus Ioseph Ferrari, qui contendunt factam nominationem nullam esse.

Interim Episcopus nonagenarius viam universae carnis ingressus est pendente recursu, et actualis Administrator Apostolicus sese remittit pro solutione propositae quaestioni sapienti et prudenti H. S. C. iudicio.

Uti per se patet tota quaestionis elucubratio pendet a renunciatione Sacerdotis Ricupero, et a validitate Comitii Capitularis, diei 24 Iulii 1904: hinc claritatis gratia expendendum est: *1*) Utrum resignatio beneficii a Sacerdote Ricupero facta possit sustineri; *2*) An dici possit valida convocatio Capituli et eiusdem decisio sub die 24 Iulii 1904, circa elevationem ad Canonicatum supernumerarium Beneficii Sacristae. Et consequenter *3*) an Nominatio ab Episcopo facta sustineatur, vel *4*) an aliquod ius Subdiaconus Caserta ex facto possessionis Canonicatus eiusque retentionis sit consecutus.

Iam vero si proposita puncta ad iuris calculum examinentur, videretur quod facta nominatio esset irritanda seu melius uti nulla declaranda. Re quidem vera quod Sacrista Maior in Cathedrali Hieracensi constituat verum et proprium Beneficium patet, sive ex Bullis, quibus Episcopi praecedentes omnes investitos nominaverunt et instituerunt: sive ex quadam solemni et formali responsione a Capitulo Episcopo data sub die 14 Februarii 1905 ad hanc ipsius Episcopi explicitam interrogationem: « Se la Sagristania Mag-« giore della nostra Chiesa Cattedrale, prima dell'erezione « a prebenda Canonicale, era semplice Ufficio o Beneficio, « e da' quali documenti si desume »; sive tandem ex ipsius Sacristae muneris inspecta intima natura. Beneficium enim nihil aliud est, quam ius percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, auctoritate Ecclesiae constitutum competens Clerico propter officium sacrum. Iamvero munus Sacristae prouti in Cathedrali Hieracensi constitutum apparet, omnibus et singulis hisce notis ad unguem est praeditum. Ergo agitur de vero et proprio Ecclesiastico Beneficio. At hoc admisso facile est demonstrare, quod renunciatio a Sacerdote Ricupero facta nequeat sustineri. Inter alia enim, quae ad validitatem renunciationis alicuius Beneficii Ecclesiastici requiruntur, ex Constitutione « *Quanta Ecclesiae* » S. Pii V, et ex alia « *Humano vix iudicio* » Gregorii XIII, haec habentur:

a) Quod resignans beneficium habeat unde honeste et convenienter vivere possit;

b) Quod resignatio a legitimo Superiore acceptata publicetur intra terminos statutos, modo etiam statuto ad notitiam interesse habentium.

Iamvero, certum est, in casu, Sacerdotem Ricupero in extrema senectute constitutum, illud tantum Beneficium Ec-

clesiasticum possedisse, ex eoque, maxima ex parte, honestam substentationem traxisse.

Certum etiam est, hanc renunciationem publicatam non fuisse, saltem modo et forma ex lege consuetudinaria in Ecclesia Hieracensi inducta, vel etiam modo a Gregoriana Constitutione explicite, et sub nullitatis poena statuto.

Certum denique est, Capitulum nihil omnino de hac occulta resignatione cognovisse. Et quidem, cum ageretur de beneficio in ipsa Ecclesia Cathedrali existente, nec non de persona Canonicis immediate et directe addicta, necessarium omnino erat, ut Capitulo haec resignatio innotesceret; eo vel magis, quod hic agebatur de tali beneficio cuius collatio ad Episcopum simul et ad Capitulum pertinens erat.

Verum quidem est ut D. Caserta affirmat, renunciationis illius actum publicatum fuisse ad valvas Curiae Episcopalis; ipsamque renunciationem legitime factam esse Episcopum declarare. Sed manet, quod Gregoriana Constitutio servata non fuit; et multo minus lex consuetudinaria Ecclesiae Hieracensis, quae hos actus vult publicari ad quamdam columnam marmoream viridis coloris et non alibi.

Insuper cum D. Ricupero fuerit patruus, vel saltem consanguineus D. Caserta, et cum nihil haberet praeter beneficium illud ad propriam substentationem, apparet satis aperte in hac re aliquid inesse, quod Simoniam praesumere faciat; qua in hypothesi, legitimitas huius renunciationis omnino et perniciose corrueret.

Videtur ergo concludi posse pro invaliditate renunciationis a Sacerdote Ricupero factae.

Nec aliter dicendum apparet de Capitularibus comitiis diei 24 Iulii 1904. Duo sedulo distinguenda veniunt, nempe convocatio et voti probatio.

1) Circa convocationem certum est, quemdam de canonicis, seu D. Migliaccio, vocatum non fuisse personaliter, quamvis in civitate resideret, et nihil de comitiis illis cognovisse. Item constat alterum Canonicum D. Ferrari visitatum, dum domi degeret, a D. Caserta fuisse inductum ad actum procurae emittendum in forma generica pro R. D. Canonico Poenitentiario, ut ab ipso repraesentaretur in sessione Capitulari nuper indicta: quin tamen aliquid sciret de fine extraordinario illius congregationis, et quin D. Poenitentiarius aliquid de hac procuratione D. Caserta mandaverit.

Iamvero haec in iure statuta sunt scilicet:

a) Quod convocatio Comitiorum Capitularium extraordinariorum fieri debet, personaliter vocando omnes Capitulares residentes, et si agitur de gravioribus negotiis, vocari debent etiam absentes, si commode fieri possit. Secus facta convocatio nulla est; eo vel magis, si omissio facta fuerit cum dolo et ad finem particularem (Bohemer in Decret. lib. 3, tit. 11, § 9).

b) Quod, quamvis qui convocat Capitulum, non teneatur dicere materiam Capituli (S. H. C. in una *Sarzan.* 12 Mart. 1655); attamen in exigendo procurationis mandato requiritur omnino ut non deficiat bona fides, et non adsit dolus, vel etiam tacita deceptio.

c) Quod, quando agitur de quacumque specie alienationis, procuratio non sufficit in forma generica, sed requiritur omnino speciale mandatum.

Age vero in casu, defuit personalis vocatio D. Migliaccio, dum commode fieri poterat; defuit bona fides in exigenda procuratione a D. Ferrari; defuit speciale mandatum pro D. Poenitentiario, dum requirebatur, cum ageretur de alienanda tertia parte conciliari per admissionem novi canonici ad participationem distributionum: et proinde procurator, cum excessisset fines mandati, sibi nocere potuit, non mandanti, qui sua iura sarta tectaque conservavit.

2) Relate vero ad suffragii prolationem circa petitionem ab Episcopo generice factam, quamvis certo constet, plerosque inter Canonicos praesentes, dum votum positivum dederunt, prae oculis habuisse D. Ricupero senem et bene meritum in suo munere, minime vero iuvenem Caserta eius nepotem tunc simplicem subdiaconum, attamen cum petitio Episcopi respiceret *Sacristam pro tempore*, et cum iam intercessisset renunciatio a D. Ricupero in favorem Caserta facta, votatio videretur posse sustineri, etsi per deceptionem bonae fidei canonicorum obtenta.

Sed quod nullum omnino reddit datum votum, est defectus totalitatis Canonicorum: nam D. Migliaccio non interfuit, et mandatum procurae datum a Ferrari erat invalidum.

Iamvero quando agitur de alienatione bonorum vel iurium personalium, requiritur in iure totalitas votorum, et nihil potest maior pars contra, etsi unum, contradicentem, iuxta iuris regulam 26 in 6° « quod omnes tangit debet ab omnibus approbari ». Atqui in casu non agebatur tantummodo de simplici Canonicatu honorario, sed de vero et proprio Canonicatu supernumerario, et de cessione tertiae partis conciliaris: unde absolute ad validitatem votationis requirebatur plenitudo absoluta votorum, ceu tradit *Fagnan. in cap.* « *Quum in cunctis* ».

Quin ex adverso urgeatur, quod, quando agitur de maiori honore Ecclesiae praestando, et de domus Dei decore fovendo, irrationabilis et proinde nullius roboris est consideranda oppositio minoris partis in Comitiis Capitularibus. Et quidem hic per augmentum numeri Canonicorum, et per nova munera a novo Canonico praestanda, Dei cultus augebatur, uti Episcopus in Bulla nominationis asserit. Sed propositae difficultati obvia est responsio, si prae oculis habeatur damnum personale quod ex tali nominatione singulis Canonicis obveniebat neque Episcopus exigere valet ut singuli Canonici, ad honorem Ecclesiae, renuncient bonis propriis.

Ex hucusque disputatis facile est deduci, quod facta nominatio vitio nullitatis labescat. In primis, quia fundatur omnino in hisce duobus: nempe in resignatione D. Ricupero, et in relato voto Capituli. Iamvero, nec resignatio nec votatio sustineri possunt, uti iam visum fuit: ergo nec Episcopi nominatio. Agitur enim hic de negotio, in quo Episcopus per se agere nequit; sed tenetur exquirere non solum consilium, sed etiam consensum Capituli. Ita ex iure patet; ita pluries in casibus similibus S. H. C. decisiones suas edidit, uti videre est in una *Sabinen.* 29 Dec. 1695.

Sed insuper nominatio Episcopi sustineri non posse videtur, utpote laborans aliis substantialibus defectibus.

Ita 1.° beneficium illud Sacristae Maioris, sive simpliciter in suo veteri statu spectetur, sive et multo magis, consideretur utpote elevatum ad dignitatem Canonicatus, cum ad Capitulum quodammodo pertineret, videretur necessarium, vel saltem maxime congruum, Episcopum certiores reddere debuisse Canonicos sive de renunciatione D. Ricupero, sive de electione D. Caserta iuxta id quod statuitur in *Cap. 4, Tit. VII, Lib. III*: « Statuimus ut nullus in Ecclesiis vestris, ultra quam facultates earum requirant, vobis instituatur invitis ».

2.° Episcopus non poterat nominare novum beneficiatum, quin antea, ut fuit notatum, publicaverit renunciationem D. Ricupero. Cum autem hoc non fuerit executus, saltem ad tramitem Constitutionis Gregorii XIII, iure nominandi caruisse videtur.

3.° Tandem Episcopus non poterat nominare nepotem renunciatarii. Ecclesia enim semper abhorruit ab hoc, ne Beneficia ecclesiastica haereditaria apparerent. Patet id ex *Cap. VII, Tit. XVII, lib. I;* et ex *Cap.* 7. Concilii Tridentini *Sess. XXV de reform.;* et clarissime et apertissime ex Constit. S. Pii V « *Quanta Ecclesia* ».

Neque demum videtur quod Caserta aliquod ius nancisci valeat ex facto possessionis beneficii, eiusque continuatione.

Certum est, D. Caserta die 28 Augusti 1904 se praesentavisse coram prima Capituli Dignitate, eidem exhibuisse bullam, qua Episcopus eum, uti Sacristam et Canonicum supernumerarium cum iuribus ad tertiam Conciliarem partem et ad vocem activam et passivam in Capitulo habendam, nominabat, uti materialem seu personalem possessionem adeptum fuisse coram quibusdam Canonicis et pluribus de populo. Canonicus Migliaccio, qui non interfuit Capitulo diei 24 Iulii, solum die 13 Decembris 1905 recursum fecit ad hanc S. C. — Videretur ergo D. Caserta non posse turbari in possessione sui Beneficii, sive quia « Possessione sua nemo est spoliandus »; sive quia, ut ait Pitonius (*Discept. 5, n. 132 — et 24, n. 10*), factum adeptionis possessionis in casu repraesentaret voluntatem Capituli.

Verum in primis, ne confusio in hac quaestione de possesso Beneficio oriri possit, excluditur hic posse invocari Regulam 35 Cancellariae « De Annuali possessore ». Regula enim illa respicit exclusive casum, quo quis nominetur ad beneficium ab alio per annum possessum. Hic vero non est sermo de novo beneficiato ad idem beneficium, sed de puro et simplici recursu alicuius interesse habentis, contra actum Episcopi, quo hic nominavit quemdam beneficiatum.

Exclusa ergo hac forma quaestionis, hic quaeri potest, utrum D. Caserta per annualem possessionem sui Beneficii, retentam post personalem immissionem in idem, possit in sui favorem locum dare praescriptioni. Et videtur respondendum quod, quamvis existat factum de adepta possessione; attamen hic actus, et consequens continuatio possessionis non dat, in casu, ius praescriptionis.

1° Quia possessio in casu non est iusta. Iusta est enim possessio, si non habeatur vi, clam, precario. Iamvero in casu, etsi ultimus actus fuerit publicus et apertus, attamen tota machinatio clam effecta est, et quidem modis et mediis minime honestis et legitimis, uti patet ex hucusque dictis. Iusta ergo non videtur haec possessio. Sed deest insuper bona fides.

2° Et mala fides clarissime elucet, sive ex facto renunciationis D. Ricupero, sive ex convocatione Capituli, sive ex ignorantia in qua dolose retenti fuerunt Canonici, sive tandem ex acquiescentia ipsius D. Caserta ad omnes oppositiones Canonicorum, sive circa ius vocis activae et passivae, sive circa praebendam proprie canonicalem.

3° Possessio haec insuper nec dici potest vera possessio, et multo minus possessio pacifica. D. Caserta etenim adfuit in choro cum habitu canonicali quidem, sed nunquam interfuit Comitiis Capitularibus, eo quod iugiter ab ipsis eum Canonici arcuerunt; nunquam percepit tertiam partem conciliarem, ad quam bulla nominationis eidem ius concedebat. Cum itaque beneficii possessio dici nequeat pacifica, nullimode ea potest prodesse in casu.

Ex adverso D. Caserta pro aris et focis pugnare nititur in favorem propriae nominationis, asserens ad Episcopum spectare exclusive ius conferendi Beneficia in propria dioecesi, dummodo non sint de iure patronatus, uti ex tuto principio iuris. Proinde nominatio ab Episcopo facta, etsi obtenta per media apparenter minus laudabilia, uti praetendit pars adversa, semper sustineri debet. Eo vel magis, quod citatus textus *cap. 4, Tit. VII, lib. III*, de Capituli consensu, respicit non cathedrales vel collegiatas proprie dictas sed tantum Ecclesias receptitias, quod non verificatur in casu.

Quod si Episcopus non publicavit forma debita renunciationem D. Ricupero, hoc tribuendum est particularibus circumstantiis illius dioeceseos, quae tales erant, ut publicatio in illa forma facta, plures discordias suscitare potuisset. Qua data circumstantia gravissima, sufficiens censeri debet publicatio facta ad valvas Curiae, ad legalitatem actus.

Neque electio nepotis et eius nominatio in beneficium patrui in themate videtur opponi sacris Canonibus, cum ibi agatur potius de Filiis, quam de consanguineis presbyterorum; et cum saepissime in parvis civitatibus necessarium sit conferre beneficia consanguineis presbyterorum, ob parvum numerum sacerdotum ibi degentium. His praemissis canonicus Caserta ita vindicare satagit in Episcopo ius elevandi officium vel beneficium obtentum a Sacrista Maiori ad canonicatum.

Quin aliquid obstet, quod factae erectioni non omnes capitulares consenserint, et quod cessio tertiae partis conciliaris tantum locum habuerit favore Sacristae resignatarii Ricupero. Has difficultates ita diluit sacerdos Caserta : « Nella « sessione capitolare mancava un Canonico, dunque la ses- « sione è nulla.

« Dalle dottrine dateci dal S. Concilio Lateranese, svolte « dal Fagnano e da altri Canonisti nel titolo delle Decretali: « *De his quae fiunt a maiori parte Capituli*, deducesi « che « *in Capitulis praevalet quod a maiori et saniori* « *parte Capituli decernitur* » e nel caso mio la maggiore « e più sana parte del Capitolo ha deliberato che il nuovo « Canonico Sagrestano possa e debba godere del terzo con- « ciliare; quindi l'opposizione di un Canonico è di niun va- « lore. E non senza ragione: nei Capitoli bisogna distinguere « due categorie di beni, di rendite, di cose; cioè quelle « che « competunt pluribus uti universis » e quelle che « com- « petunt pluribus uti singulis ». Quando le rendite appar- « tengono *pluribus ut singulis*, allora è il caso di dire: « Niente si può concedere *nisi omnes et singuli consentiant*, « perchè *agitur de re particulari non communi;* ma nel « caso mio la cessione del terzo conciliare trattasi di cosa « che *sunt communia pluribus uti universis*, perchè la « massa capitolare è comune. Adunque l'assenza ed anche « il diniego di un Canonico a nulla vale.

« Ma si dirà che i Canonici nel concedere il terzo con- « ciliare siano stati tratti in inganno, perchè essi credevano « che tale cessione era del vecchio Sagrestano, Sacerdote « di 84 anni, e mai in favore mio, giovane allora Suddia- « cono. Tale asserzione è interamente gratuita, è perchè « essi la cessione l'hanno fatto al Sagrestano pro tempore, « e perchè quasi tutti sapeano che il Vescovo voleva far « cadere la scelta su di me; e lo sapea pure il Canonico « Migliaccio, oggi forse mio avversario, e quantunque assente « allora, pure ne era entusiasta e del progetto del Vescovo, « e della scelta fatta della mia povera persona. Ma il Ca- « nonico Migliaccio è effettivamente mio avversario? Per « convincimento *no;* per ragione di partito *sì*. Ma quand'an- « che non lo avesse saputo nessuno dei Canonici, il Vescovo « si servì del suo diritto, non era obbligato interrogare il « Capitolo ».

Hisce pro meo munere notatis, videant EE. PP. pro ea qua pollent iuris peritia et prudentia, quomodo proposita quaestio resolvi valeat.

Quare...

Responsum fuit: *Praevia sanatione ad cautelam ob non servatam regulam Decreti* Ad dirimendas, *collationem factam favore Sacerdotis Caserta sustineri.*

B. — In folio.

585/3 III.

Ripana. — Dispensationis matrimonii.

Emi Patres noluerunt, in casu, praestare SSmo consilium pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato, quia probatio physica de inconsummatione omnino impossibilis est, dum probatio moralis valde claudicat.

In oppido – N. – Ripanae dioecesis, Guido annos tunc fere 23 suae aetatis agens ac Vincentia annorum 39, die 3 Iunii 1899 matrimonium rite inierunt.

Guidus qui lignariam exercebat artem, officinam in domo eiusdem Vincentiae conduxerat, quae sex filios ex quodam Aloysio iam demortuo susceperat. In ea enim aditus ad dictam domum patebat, ubi Guidus instrumenta, aliaque quae ad eamdem exercendam artem pertinent asservabat. Exinde consuetudine quadam cum Vincentiae familia exorta, idem Guidus qui cupidos in primogenitam Vincentiae filiam Dominicam annorum 16 suos oculos coniecerat, nimiam etiam cum eadem Vincentia familiaritatem contraxit, adeo ut quater ut videtur fere octo mensium spatio cum ea rem habuerit.

Hinc cum ipsa uterum gestare coepisset, rumor de eorum illicito commercio illico erupit. Unde eius frater Parochus, apud quem Guidus incolebat, ut praesertim suae etiam familiae dedecus arceret, effecit ut idem cum Vincentia coniugium iniret. Haec sane iste fassus est: « Le pratiche del « matrimonio furono fatte da mio fratello Parroco, senza « che io abbia preso parte attiva.... » Interrogatus autem quam ob rationem idem matrimonium inivit, respondit: « Per « ottemperare al desiderio di mio fratello Parroco, e per « evitare lo scandalo sul nostro nome ». Et revera ipsius frater Sac. Franciscus haec deposuit: « Mio fratello varie « volte mi rispose, che era più contento di andare ad affo- « garsi in mare, che sposare la Vincenza. Dietro le mie « insistenze, per l'onore della famiglia, per la legittimazione « della prole, egli, contro sua volontà, s'indusse a fare il « matrimonio ».

Quare serotinis supradicti diei 3 Iunii horis matrimonio celebrato, quin communem ut assolet iidem vitam instituerent, mulier, ut fatetur, sola, ob infensum filiorum animum, qui aegre idem matrimonium ferebant, suam repetiit domum; vir autem a quodam Mario comitatus suum apud fratrem Parochum se contulit, ibique eum noctu mansisse ferunt. Duas pariter subsequentes noctes procul a muliere transegit.

Postero matrimonii die, idest 4 Iunii oppidum *Acquaviva* apud Sac. Franciscum petiit ibique usque ad insequentem diem permansit. Matutinis denique diei 6 Iunii horis ex eodem S. Benedicti oppido discessisse ferunt, Genuamque suum apud fratrem pervenit, ac postquam ibi uti fatetur, usque ad diem 3 Iulii degit, Americam profectus est.

Brevi itaque intervallo a reditu ex *Acquaviva* oppido ad discessum ab oppido S. Benedicti *del Tronto* fatetur actor semel vel bis tantum, et quidem una cum quodam Iacobo se Vincentiam invisisse, adeo ut ipsa in prima sua epistola ad eum in America scripta haec edixerit: « non ci potemmo « ben parlare e ben intendere, ed ogni cosa andò alla « peggio ».

Hinc interrogatus idem vir an matrimonium consummaverit, respondit: « No, perchè non la volevo per moglie ». Et quidem ipse Sac. Franciscus haec deposuit: « Guido, « venuto in Acquaviva, mi disse di non averlo consumato, « e che non aveva volontà di consumarlo ». Pariter D. Gaetani S. Benedicti Parochus haec de publica opinione deponit: « Per quanto posso ricordare, la persuasione generale « era che il matrimonio non fosse consumato ».

E contra mulier interrogata: « Quante volte dopo il ma- « trimonio vi vedeste con Guido in presenza di altri, quante « volte da soli? », respondit: « Spessissimo in tutti tre i « giorni e sempre da soli: cercava di venirmi in casa di « nascosto dei giovani di sua bottega e pigliava la circo- « stanza nell'assenza dei miei figli che io risaliva dalla mia « bottega del mangano vicino alla bottega sua. È venuto « cinque o sei volte in ciascuno di quei tre giorni per ri- « chiedere i doveri coniugali. Io gli avrei ubbidito sempre, « ma per timore che arrivassero i figli gli ho ubbidito una « o due volte al giorno, dicendogli che mi avesse avuto « pazienza, e gli promettevo che sarei stata moglie ubbi- « diente quando si fossero applacati i figli ». Postea vero haec ipsa fassa est: « La sera, prima della sua partenza, « io aveva già accomodato i figli, e mandai in giro due « mie cognate... per trovar Guido e condurlo in mia casa « per riunirsi stabilmente insieme. Per quanto fu ricercato... « non fu possibile ritrovarlo; ritengo che siasi fatto negare ».

Animadvertendum insuper ipsum asserere quatuor annis quibus ipse in America moratus est, tribus tantum vicibus per litteras suae uxori se respondisse. Plures etiam adsunt in actis litterae Vincentiae ad ipsum scriptae ex quibus Guidonis aversio erga eam ostenditur; tum etiam quaedam ipsius Guidonis ad suum fratrem datae. Postea vir die 21 Ianuarii 1903 supplicem SS.mo libellum obtulit expetens ut sui matrimonii rati et non consummati dispensatio concederetur. In eo insuper declarabat se potius ad reparanda quodammodo scandala, ac impellente fratre Parocho has nuptias iniisse, istaque addebat: « Se non che la Vincenza, che a « malincuore si era recata in chiesa per il matrimonio, si « ricusò di ricevere in casa l'oratore, il quale non solo non « ebbe alcun contatto colla medesima, ma per di più si decise « a partir subito per l'America, risoluto di non aver mai rela- « zione alcuna colla Vincenza ».

Has preces eiusdem tunc loci Administrator Apostolicus ita commendabat: « Il sottoscritto raccomanda la unita domanda « per iniziare gli atti processuali, perchè dalle relazioni avute « giudica esser l'esposto conforme a verità, sia per l'avver- « sione che il marito ha di ritornare presso la moglie, sia « pel pericolo d'incontinenza di quest'ultimo che si trova « nella età di anni 28, e particolarmente per ciò che riguarda « la facilità di provare che il matrimonio sia soltanto rato e « non consumato ».

Precibus exceptis, riteque iuxta H. S. C. mandatum processu instituto, vir per subdelegationem in civitate S. Francisci de Caliphornia sub iuramento excussus est; uxor autem pluresque ex parte utriusque coniugis testes a Ripano Ordinario sub iuramento pariter auditi sunt.

His expletis, actisque ad H. S. C. transmissis, Episcopus qui nunc dictae dioecesi praeest haec retulit:

« 1° Matrimonium initum non ex plenissima Actoris voluntate, sed ad consentiendum fratri Parocho, cui consulere pro suo munere opus erat prolis nasciturae legitimationi, scandali reparationi, et simul proprio, propriaeque familiae decori.

« 2° Digressum ad oppidulum " Acquaviva Piceno " horis vespertinis diei dominicae 4 Iunii evenisse usque ad mane diei sequentis.

« 3° Moram in oppido " S. Benedetto del Tronto " ante discessum ad triduum productum fuisse.

« 4° Interim Actorem in propria officina fuisse: simul cum coniuge convenire potuisse, et probabiliter solus cum sola convenisse.

« 5° Eam quae publica opinio nuncupatur, sive bonorum sensum petitae solutioni non plaudere: cuius rei testes sunt praesertim loci et finitimarum gentium Parochi ».

Quapropter iisdem perlectis actis, perpensisque quae in Consultorum votis habentur, EE. PP. sapientiae erit sequens diluere

DUBIUM

An sit praestandum SS.mo consilium pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu?

Responsum fuit: *Negative.*

2339/4 IV.

Mediolanen. — Redintegrationis beneficii.

Constat de obligatione pro haeredibus peragendi compositionem in casu; non satis constat de peracta compositione; unde sententia Curiae Episcopalis infirmatur, usquedum praedicta compositio aliquo modo verificetur.

In Praepositurali Collegiata ecclesia Brivii an. 1729 a sacerdote Iosepho Caprotti fundatum fuit beneficium canonicale a titulo S. Dominici nuncupatum. Praeter onera choralia aliis canonicis communia, nullum speciale ei onus adiectum fuit, uti apparet ex fundationis tabulis; legitur enim ibi quod hic Canonicatus institutus fuit *attento parvo canonicorum numero ad augendum divinum cultum et maiorem Ecclesiae decorem promovendum;* at ex tabulis censuariis constat quod beneficialia bona an. 1730 gravata fuerunt canone libel. 21,12 favore beneficii S. Antonii eiusdem oppidi.

Insuper pius fundator voluit ut hoc beneficium obnoxium fieret iuripatronatui passivo favore descendentium a suo fratre Hieronymo, et his deficientibus, favore descendentium a tribus suis sororibus; Archiepiscopo vero reservatum fuit ius eligendi inter passive vocatos.

Ad tramites legis fundationis canonicatum semper obtinuerunt descendentes ex familia Caprotti, et horum ultimus qui eiusdem Canonicatus possessionem die 7 Martii 1855 consecutus fuit, extitit missionarius Petrus Caprotti prius promotus ad Episcopatum titularem Hyderabadensem in Indiis, et dein ad Amidensem et defunctus an. 1896. Episcopo Caprotti aderant duo fratres sacerdotes nempe Ioseph e missionariis oblatis loci vulgo Rho, et Ioannes e missionariis oblatis SS. Ambrosii et Caroli, nec non Maria soror.

Publicatis in Italia an. 1866-67 legibus eversivis proprietatis ecclesiasticae, etiam hoc beneficium fisco obnoxium mansit. Anno 1869 praehabita licentia curiae Mediolanensis familia Caprotti illud a Gubernio redimere curavit; et id tantum obtinuit quoad dimidiemum dotis ad tramites legum italicarum, nempe pro patronatu passivo, taxa 30 0[0 persoluta. Serius alteram partem vindicare sategit. Verum ex nonnullis exortis difficultatibus, redemptionis actus nonnisi die 5 Maii 1884 perfectus fuit. Summa a Caprotti erogata pro dotis beneficii redemptione fuit in libellis 6755.29, quarum libel. 5585.19 pro taxa Gubernio persoluta, et reliquae pro expensis; valor vero a fisco fundo addictus fuit in libel. 9600.

Anno 1885 superstites fratres Ioannes et Petrus, alio fratre Iosepho iam demortuo, et soror Maria Caprotti bona stabilia beneficii existentia in oppido Brivio alienarunt pro summa libell. 8000, uti ex instrumento venditionis liquet, cuidam Basilio Frigerio, tantum sibi servata proprietate stabilium bonorum beneficii pro parte extante in oppido Carate et quae ad quinque mensuras Mediolanenses vulgo *pertiche milanesi*, ascendebat.

In instrumento venditionis diserte cautum invenitur quod praefata bona libera et exempta sunt ab omni onere tam temporaneo quam perpetuo. Mense Decembris an. 1900 diem vidit supremum unica superstes et haeres trium iam demortuorum fratrum Maria Caprotti, quae tres sacerdotes haeredes fiduciarios nuncupaverat. Iuxta explicatam ab auctrice fiduciam tota massa haereditaria prius eroganda erat in quaedam pia legata; et dein cum reliquo, hospitale in oppido Carate erat fundandum.

De hoc edoctus Praepositus Collegiatae loci Brivio Aloysius Bonacina, qui paroeciam sub finem anni 1899 iam obtinuerat, omnem movit lapidem ut enunciatos haeredes ad redintegrandum canonicatum S. Dominici impelleret: at eius conatus pro amicabili compositione in irritum cesserunt. Quare ipse iudicialem actionem promovit apud Curiam Mediolanensem, petens pro redintegratione beneficii summam libellarum 18,589.50, deponendam apud eamdem Curiam, quae summa ex sequentibus conflabatur partitis, nempe libell. 13,770 pro valore fundorum tempore factae redemptionis a fisco, libell. 4819.50 pro fructibus decursis a morte ultimi investiti Petri Caprotti, nempe ab an. 1897; et tandem addidit libell. 200 pro refectione expensarum iudicialium.

Curia Mediolanensis constituto tribunali, auditis acceptisque allegationibus partium contendentium, die 18 Aprilis 1904 sententiam protulit, cuius pars dispositiva est sequens: « Etsi desint documenta scripto exarata de compositione in « causa, tamen cum ex personarum, nempe ex parte patro- « norum, nempe Excell.mi ac R.mi DD. Petri Caprotti Epi- « scopi, R.mi Sac. Ioannis Caprotti Praepositi Generalis « Congr. Oblatorum SS. Ambrosii et Caroli, et adm. R.ndi « Sac. Iosephi Caprotti e Congregatione oblatorum missio- « nariorum in Collegio Rhaudensi, et temporum adiunctis, « exurgat moralis certitudo de compositione peracta, aut de « aequivalenti, non tenentur haeredes et successores Mariae « Caprotti ad solutionem libellarum 18,789.50.

« Quum vero summopere urgeat nunc temporis pro fre- « quentia populi, aedificatio et ampliatio sacrarum aedium, « ut in casu Ecclesiae antiquae et insignis Praepositurae « Brivii, et insuper rationabiliter supponi potest, quod si « adhuc in vivis agerent Venerandus Episcopus Caprotti et « venerandi eius fratres, sanctae memoriae, ad opus con- « currere voluissent de amplianda ecclesia, idcirco aequum « censemus ut haeredes praedicti aliquam pro Ordinarii ar- « bitrio libellarum vim favore dictae ecclesiae Brivii per- « solvant.

« Expensis pro dimidia parte distributis inter actorem et « haeredes et successores Mariae Caprotti ».

Contra editam decisionem, appellationem interposuit actor Praepositus Bonacina, et ipsi etiam haeredes Caprotti, qui tamen dumtaxat ipsius secundam partem impugnant: atque omnibus de ritu absolutis hodie quaestio resolvenda proponitur.

Haeredes Caprotti seu potius eorum defensor Sacerdos Calchi-Novati e limine iudicii Parochi appellationem esse reiiciendam censent, utpote non factam tempore utili seu intra decendium, cum sententia edita fuerit die 18 Aprilis 1904, et libellus appellatorius ad H. S. C. praeferat diem 24 Maii mensis successivi, neque ullo documento officiali constare aiunt eam legitime fuisse emissam apud Curiam. Verum hac quaestione reposita, rem in merito ad trutinam revocantes, sequentibus probare contendunt, se exoneratos esse a solvenda quacumque summa, compositionis titulo fa-

vore Canonicatus S. Dominici. Sane qui beneficii bona redemerunt, ipsi non sunt, sed eorum auctores seu fratres et soror Maria Caprotti a qua causam habent: hinc onus probandi utrum revera compositio cum auctoritate ecclesiastica extiterit, sibi non incumbit, cum uti traditur in regula XIV in 6°. qui in ius alterius succedit, iustam ignorantiae causam habere censeatur: quod etiam sancitum invenitur in art. 2142 Codicis civilis italici, iuxta quem haeredes per praescriptionem excipientes extinctionem debiti contracti ab eorum auctore, cogi tantum possunt ad iurandum utrum notitiam habeant illud non fuisse extinctum, hinc pro haeredibus Caprotti tantum probatio requiritur indirecta seu negativa: qui rem positive probare debet, scilicet compositionem non extitisse, est pars adversa. Atqui Parochus nullum positivum argumentum exhibet ad ostendendum compositionem non fuisse peractam. Ergo ipsius instantia est reiicienda.

Sed, urgent haeredes, si res intimius expendatur, potius contrarium eruitur, nempe reapse compositionem intercessisse, et, uti in sententia asseritur, de hac morali certitudine constat. Haec autem certitudo ex pluribus indiciis efformatur, quae ad sequentia reduci possunt. Primum indicium desumitur ex qualitate personarum, quae dictam redemptionem perfecerunt. Familia Caprotti religione et pietate semper praestitit; in hac familia tres venerandi aderant Sacerdotes e quibus unus etiam Episcopus, qui fere totum familiare patrimonium in causas pias inverterunt, et praesertim Episcopus qui Ecclesiam fere toto suo aere aedificavit in Indiis, ubi uti missionarius adfuit pro christiano nomine propagando. Iam vero si viri honesti et providi praesumuntur rite processisse in suis negotiis, uti tradit Reiffenstuel *Ius can. lib. 2, tit. 23, § 4, n. 86*, id a fortiori in themate dici debet de familia et fratribus Caprotti, qui non solum honestate sed etiam pietate et religione praefulserunt.

Nec admitti potest ipsos hanc obligationem latuisse: id enim aperte exploditur a pluribus documentis, uti sunt litterae sive a Curia Mediolanensi, sive a filiis Caprotti missae suum ad parentem Ioannem Petrum, quando actum fuit an. 1869 et sequentibus de beneficii dotatione recuperanda a fisco, in quibus sermo est de ecclesiasticae compositionis necessitate. Quin imo in quadam epistola conscripta a Sacerdote Iosepho Caprotti ad suam sororem Mariam occasione propositae transactionis cum consanguineis Sottocornola, qui litem intentaverant pro concursu in vindicatione iurispatronatus apud Gubernium, adnotatur attentis expensis iam latis pro vindicatione partis passivae patronatus, et ferendis pro recuperatione alterius partis activae Archiepiscopo spectantis et a Gubernio uti propriae usurpatae, magis expediens fuisse ipsam suis consanguineis relinqui: quam voluntatem patris defuncti edicitur inferius executioni mandari non posse, si locus detur propositae transactioni. Insuper haeredes observant turbulentis temporibus quibus redemptio beneficiariae dotis evenit, in more fuisse apud ecclesiasticas curias plerumque nullam exhiberi adnotationem seu declarationem de secuta compositione cum causa pia, sed tantum consuevisse oblatam pecuniam tradi *brevi manu* pro investimento favore causae piae.

Hinc nil mirum si circa factam compositionem nulla extet expressa adnotatio: eo vel magis quod iuxta superius recitatam epistolam duplex innuitur compositionis modus, restitutio nempe beneficii vel sin minus constitutio alterius pii operis quod inserviret ad memoriam pii fundatoris servandam. Merito itaque in sententia Curiae Mediolanensis asseritur, quod inspectis circumstantiis sive personarum quae bona beneficii redemerunt, sive temporum, quibus vindicatio contigit, moraliter constat compositionem saltem in aequivalenti locum habuisse.

Nec negotium facessere potest quod ex adverso obiicitur, scilicet, quod si compositio revera facta fuisset, aliqua ipsius memoria in parochiali archivio scripto consignata extare deberet. Nam haeredes ad explicandam hanc memoriae carentiam, duas effingunt hypotheses, quarum prima est incuria parochi Strucchi antecessoris, in ordinandis rebus suae paroeciae, uti etiam admittit hodiernus parochus Bonacina in quadam epistola. Parochum vero Strucchi factae bonorum redemptionis fuisse conscium variae eius litterae demonstrant.

Altera efficta hypothesis in eo ponitur, quod documentum compositionis demonstrativum confundi potuit inter chartas ab haeredibus parochi Strucchi receptas, uti patet ex sequenti epistolae lacinia sub die 7 Novembris 1902 datae a parocho Dell'Orto, uno ex haeredibus fiduciariis, ad eumdem Bonacina, et ex qua etiam prima hypothesis firmatur.

Sed praeter praesumptiones uberiora et apodictica argumenta urget haeredum defensor ad probandam secutam compositionem. Primo in instrumento venditionis bonorum beneficii extantium Brivii favore cuiusdam Basilii an. 1885 haec bona declarantur immunia ab omni onere tam temporaneo quam perpetuo. Iam vero id asseri non potuisset, si bona adhuc ecclesiastico vinculo erant obnoxia: et sedulo notandum quod dictum instrumentum subscriptum fuit tum a Maria, tum a sacerdote Ioanne Caprotti, qui etiam procuratorio nomine illud signavit pro fratre Petro Episcopo.

Iam vero quantum sit deferendum honestati et religioni sacerdotis Ioannis Caprotti, testis est ipse parochus Bonacina in quadam epistola....

Item dicendum de aliis bonis beneficii in parva quantitate in oppido Carate extantibus, et quae Maria Caprotti paucis mensibus ante suum obitum, nempe mense Augusti 1899 iuxta pias dispositiones duorum fratrum Ioannis et Iosephi iam demortuorum, uti in eius autographo edicitur, alienavit favore sacerdotum Castaldi et Revella missionariorum conventus Rhaudanensis (vulgo *di Rho)*, sibi usufructu servato. Nam quaenam fuerit mens praesertim sacerdotis Iosephi circa bona ecclesiastica, satis est colligere ex epistola an. 1872 ab eo ad suum parentem directa. Igitur admitti nequit quod sacerdotes Caprotti suae sorori imposuerint alienationem dictae proprietatis beneficiariae absque praevia licentia a Curia obtenta.

Sed ulterius facta compositio adstruitur ex pluribus testimoniis.

Expetita venia a Curia conceditur: et dein an. 1872 ab eadem Curia litterae sollicitatoriae expediuntur, ne utile tempus praeterlabatur pro facienda petitione dictae vindicationis coram gubernio. Item pendente tractatu pro dote beneficii redimenda, sacerdos Ioseph conqueritur cum sorore Maria de excessivis expensis, metuens ne parentis Ioannis Petri Caprotti voluntas exitum invenire queat « giacchè il « padre non si era deciso alla rivendicazione, se non col « pensiero di poter poi conservare l'ente o il capitale corri« spondente per qualche causa pia che fosse una memoria « della pietà del fondatore ». Iam vero si hae circumstantiae et facta insimul conferantur, satis superque sunt ad portendendum quod in facta bonorum consecutione compositio cum ecclesia locum habuit.

Relate vero ad modum quo compositio facta fuit, cum de eo non constet, et aliunde cum in sententia Curiae Mediolanensis dicatur etiam constare de compositione in aequivalenti, haeredum defensor instat ut quatenus vel non servatae fuerint debitae solemnitates, vel compositio locum

habuerit in aequivalenti, concedatur benigna sanatio. Primo quia familia Caprotti erga ecclesiam est maxime benemerita, cum factae oblationes et expensa in ecclesiam attingant multa millia libellarum, ita ut substantia ab haeredibus fiduciariis recepta minima extiterit, et aequitas non patitur ut nunc ea gravetur solutione congruae summae pro aedibus ecclesiae Bripii reparandis: secundo quia praefato canonicatui S. Dominici nulla pia onera satisfacienda adnectuntur, si demas servitium chori, uti liquet ex fundationis tabulis, quod chori servitium amplius nunc expleri non potest ex facto eversionis Collegiatae a gubernio italico patratae, licet ea fuerit iniusta et reprobanda.

Ex adverso Bripii parochus Aloysius Bonacina recolit Caprotti haeredes, quamvis beneficium iurispatronatus a Gubernio vindicaverint, bonaque quae illud constituebant alienaverint, iure tamen ad iustum solvendum pretium, expensis pro redemptione deductis, posse adstringi. Ad rem ea affert quae in *Monitore ecclesiastico, consult. 74, pag. 360, vol. II*, leguntur: « I Patroni svincolanti hanno « solo il diritto di rifarsi delle spese dello svincolo dalle « rendite beneficiali riducendosene dal Vescovo i pesi an- « nessi ». Hodie insuper compositio intercedere debet, « la « quale consiste in ciò che i Patroni depongano nelle mani « del Vescovo una somma equivalente al capitale delle ren- « dite dotalizie, restando loro in assoluta proprietà i fondi « beneficiali ».

Iamvero in casu Parochus negat compositionem locum habuisse, cum nulla iusti pretii traditio Episcopo facta fuerit. Et quidem cum ipsa tum Episcopum tum Parochiam tum ipsos patronos respiciat, ordinarie evenit ut de ea sive in Curia, sive in Parochialibus regestis, sive ab iisdem patronis exemplar servetur. Atque in casu, scribit Parochus, nulla scripta memoria habetur.

Sed aliud luculentum, pergit Parochus, praesto est argumentum ad probandum dictam compositionem haud fuisse peractam, videlicet documentum ab ipsa Maria Caprotti exaratum, quo tum pecuniae summa ab alienatione bonorum Bripii percepta, tum quomodo eam ipsa Maria impenderit declaratur, adeo ut clare appareat nullam ipsius pecuniae summam Episcopo uti iustum pretium fuisse traditam, nec ullam proinde habuisse locum compositionem.

Neque moralem de eadem compositione certitudinem admitti posse contendit, cum nullum ex tribus patronis a fundatore descendentibus eam peregisse constet, videlicet neque Episcopum Petrum Caprotti, nec Ioannem Praepositum Generalem Congregationis Oblatorum SS. Ambrosii et Caroli, neque denique R.mum Iosephum Caprotti.

Quoniam insuper dicti haeredes eamdem de compositione praesumptionem vallare nituntur testimoniis quatuor sacerdotum, scilicet Ravani, Rainoni, Pirovano ac Perego, respondet Bripii parochus sibi mense Iunii 1901 ipsos declarasse: « che non avevano mai saputo nulla di questo bene- « ficio e che mi rivolgessi al D. Pirovano ». Iste autem haec die 27 Iulii 1901 eidem scripto retulit: « I fratelli Sac. Ca- « protti, sebbene quasi in rapporti di parentela con me, non « ebbero occasione di parlarmi del beneficio di loro patro- « nato appartenente a codesta Parrocchia Praeposituraie, e « sebbene io sapessi della esistenza di quel beneficio, non « ebbi altre notizie, se non dopo la morte dell'investito (morì « nel 1896) per la riscossione di un residuo di annualità che « a lui spettava ».

Item addit immerito haeredes Caprotti Curiam Mediolanensem insimulare de negligentia in asservando eiusdem compositionis documento adhibita. Nam praeterquamquod id quolibet destituitur fundamento, iniuriamque sapit, refellitur a declaratione Vicarii Generalis diei 29 Iulii 1904.

Frustra etiam ait adversarios ad aequivalentem compositionem confugere. Nam licet Caprotti haeredes sua bona piis instituendis operibus impenderint, recolit tamen, quando de iure patronatu agitur, beneficium integrum manere debere, adeo ut neque ipse Episcopus idem immutare possit, prout in Consult. 74 nuper allati Monit. Eccl. legitur: « Neanche il Vescovo può cangiarne la natura, ma devono « conferirsi a quei soli, cui spettano secondo le tavole di « fondazione ».

Neque meliori omine effingere eos ad hunc finem Pontificium obtinuisse rescriptum, postea ab ipsis deperditum. Animadvertit siquidem praesumptionem concessionis Apostolicae non admitti, minimeque aequum esse iuxta Conc. Trid., *sess. 25, c. 9. de Ref.*, patronorum iura tollere, quae ideo strictam patiuntur interpretationem.

Nec omittit iniuste adversae partis patronum contendere Bripii Ecclesiam haud ius ad dictam compositionem habere. Nam id refellitur sive ex facto quod ipsa Curia actionem contra Caprotti haeredes instituere non denegaverit, sive quia ad Parochum proprie spectat Parochiae iura, ac proinde legata in hac existentia tueri, sive denique quia ipse advocatus quamdam libellarum summam haeredum Caprotti nomine eidem obtulerit.

Quapropter cum compositio haud peracta fuerit, necesse est, ait, ut ea inita, iuspatronatus in dicta Bripii Ecclesia iterum instituatur iuxta fundatoris voluntatem, et quidem ab haeredibus Mariae Caprotti, cum ipsa pretium venditionis perceperit, fratrumque haereditati successerit. Hinc memorat eosdem Caprotti descendentes eiusmodi beneficio perfruitos esse ab an. 1855 ad annum 1896 quin aliquid Bripii Ecclesiae dederint; duasque in eadem Paroecia adesse familias, scilicet Sottocornola ac Vignotti egestate laborantes, quae cum ab avunculo seu fundatore descendant, ius profecto ad idem iuspatronatum habent.

Ulterius Parochus Bonacina probare satagit falso asseri Caprotti haeredes inopia premi. Adnotat siquidem in ephemeride – *Lega Lombarda* – diei 9 Ianuarii 1906 Praepositum Ravoni Mariae Caprotti haeredem declarasse quod ipse: « ha ancora disponibile sopra quella eredità per scopo « di beneficenza, ma senza determinazione precisa, e a suo « beneplacito L. 50,000, che aveva offerto per la erezione « di un Ospedale, più la casa civile abitata già dalla fa- « miglia Caprotti; più altra somma che non determina – circa « L. 100,000! Ciò premesso dico: la composizione non è stata « fatta ».

Unde ita concludit:

« 1° I Caprotti erano tenuti alla composizione colla Chiesa « a favore di Brivio:

« *a*) Perchè patroni affrancanti.

« *b*) Perchè altri, dopo di loro, *hanno diritto* al patro- « nato passivo (Vedi Fondiaria).

« *c*) Per i patti 4 e 5 dell'Ill.mo Dr Scola, con cui vèn- « dono al Sig. Frigerio, *libero da ogni peso*, e *con garanzia* « *pel caso di evizione.*

« 2° La composizione non fu fatta:

« *a*) Mancano tutti gli elementi, che sono: convenzione « tra la Chiesa di Brivio e i patroni affrancanti – sanzione « del Vescovo – somma depositata al Vescovo.

« *b*) Lo confessa l'Avv. col Doc. 177 depositato.

« 3° Dunque la composizione è da farsi dagli eredi, perchè: « " *haeres iure reputatur onera omnia defuncti in se vo-* « *luisse suscipere* " ».

Post haec Parochus ad determinandam eiusdem beneficii quantitatem pro peragenda compositione pergens, recolit ex instructione praesertim data a S. Sede die 15 Aprilis 1892 perpendenda esse: « fundorum seu iurium valor realis eo

tempore quo compositio initur, - pretium emptionis, - praesens oratorum status, - id in quo ipsi oratores cum damno Ecclesiae ditiores facti sunt, - onera pia, quorum praecipue ratio habenda est ».

His ex utraque parte relatis, modo sapientiae EE. PP. sequens subiicitur diluendum

DUBIUM

An Curiae Mediolanensis sententia diei 18 Aprilis 1904 sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Responsum fuit: *Infirmandam esse sententiam.*

E SACRA CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Monialis simpliciter professa potest cum sola moderatricis gen. licentia, mutare dispositionem reddituum.

Beatissime Pater,

Sanctimonialis N..., praemisso pedis osculo, humillime exponit quatenus, ante religiosam professionem, ita de propriis redditibus disposuit, iuxta normam proprio Ordini assignatam a S. Congregatione Episcoporum et Regularium 12 Iulii 1896, quae in Collectanea Andreae Bizzarri praescripta legitur pro Maristis in articulo *quoad votum paupertatis*, ut illos quasi ex aequo suo fratri et propriae communitati cederet.

Iamvero frater nunc, ob auctas necessitates, maiori subsidio indiget, quod illi concedere oratrix in votis habet. Quapropter humillime postulat:

I. An iuxta normas a S. Congregatione Episcoporum et Regularium, die 28 Iunii 1901 datas, possit cum sola superiorissae licentia dispositionem reddituum mutare? (1).

II. Et quatenus negative, ut S. Sedes praedictam facultatem indulgere dignetur.

Pro qua gratia...

Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, super praemissis rescribendum censuit prout rescribit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Romae, 2 Iunii 1905.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

Philippus Giustini, *Secretarius.*

(1) In *Normis* sub n. 117 legitur: « Revocatio autem et etiam mutatio horum actuum cessionis licite fieri nequit durantibus votis *sine licentia moderatricis generalis* ». *N. D.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

ASSISIEN. — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Antonii Pennacchi, Presbyteri Saecularis.

INFORMATIO

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

(Sequitur: vide fasc. praec. 215).

CAPUT V.

DE HEROICA IN DEUM CHARITATE.

35. — Si quaeramus, cur Antonius adhuc puer statum ecclesiasticum exoptavit, cur, vix ex adolescentia exiit, presbyteralem petiit et accepit dignitatem, et deinde se vitae apostolicae alacriter vovit, una voce respondebunt testes, Dei amorem praedicantes, qui nobilissimus fuit finis, ob quem noster heros summa constantia ac diligentia spirituale perfectionis aedificium erexit. Mundanis curis prorsus deiectis, totum intendit animum in Deum quam maxime diligendum, cuius laudes quotidie profitebatur, et gloriam augendam curabat. Non sibi, sed Deo tantummodo vivebat, cuius cultum omni fovit ardore; dum enim divinae maiestatis detractores impietatem per italicas regiones diffundebant, studiosissimus sacerdos animum appulit nedum ad scelera reparanda, vitia extirpanda abususque tollendos, sed etiam ad reverentiam Deo exhibendam et Christifideles urgendos, ut idem praestarent officium.

36. — Historiam vitae Servi Dei perlegentibus statim sedulissima patet cura, quam in munere Dei amandi adhibuit. Nullam porro praetermisit occasionem tam nobile exequendi mandatum; sive enim in templo vel in scholis, sive orando vel deambulando, charitatem erga Deum praedicabat, et de eodem frequentissime loquebatur. S. Laurentius Justinianus opportune docet: « *Est aliud signum, quo Dei amator dignoscitur, sicut cum de Deo libenter loquitur, nam hic amantium mos est, ut amorem suum silentio tegere nequeant, sed necessariis curis efferunt et produnt, et flammas suas intra cohibere nequeunt* » (1). Et sane Antonius amorem in Deum compescere vel celare nequibat; quocumque enim se conferret, huiusmodi interiorem amorem ore, vultu ac lacrymis ita exterius significabat, ut adstantes prorsus commoveret, eosque ad supremum rerum conditorem diligendum alliceret.

37. — At in mysterio Eucharistico celebrando erumpat necesse est ardor amoris, quem in Deum alunt sancti Dei viri. In hoc pauci quidem sunt, qui Dei Famulo pares putentur. Qua ratione se ad Sacrum litandum disponeret, quo fervore tam solemnem expleret ritum, et quibus donis caelestialibus tunc ornaretur, quasi ad remunerandum tantae charitatis ardorem, ediscamus a Testibus XVI et XXI. Eamdem in Deum demonstrabat charitatem, cum panem angelorum fidelibus distribueret; tunc enim fulgens aspectu, et velut a sensibus alienatus, in intimam Dei communionem videbatur absortus. Ita se gerebat, cum in templis SS. Sacramento ritu solemni Christifidelium adorationi proposito reverentiam praestabat.

38. — Quilibet devotionis actus, qui in honorem Iesu Christi vel SS. Virginis exhibeatur, in Dei gloriam profecto

(1) *In ligno vitae - de charit.*, c. 11.

redundat; Christus enim, licet humanitatem induerit, divinam sibi retinuit essentiam: et Beata Virgo iure Dei Mater est censenda, cum Verbum, virtute Spiritus Sancti, in lucem ediderit. Porro scitum est omnibus, Antonium peculiari prosequutum esse amore Christum eiusque Genitricem: quoties in suos incidebat concives, istis salutem dicebat, nomina Iesu ac Mariae proferens: addatur quoque singularis, de quo superius mentionem habuimus, cultus erga ista Nomina sanctissima, quae supra domuum ianuas suis pinxerat manibus. Dum autem de Christo patiente concionabatur, eiusque dolores infandos atque immania supplicia auditoribus recolebat, tunc una cum intenso animi angore lacrymisque oculorum ostendebat quoque amorem erga divinum humanae naturae restitutorem, qui sanguine suo illam tergere voluit, et a daemonis servitute liberare. Cum vero dies hebdomadis, quae merito sancta appellatur, appropinquarent, in vultu Dei Famuli singularis aspiciebatur moeror, qui de charitate in Deum manifesto testabatur.

39. — Quod si alia postulentur argumenta ad ardorem charitatis Antonii iterum confirmandum, ad conciones appellabo, quas habuit creberrimas. Tunc enim, populum alloquens, tam heroicam virtutem, qua, praestantissima quidem ratione, ornabatur, ita prodebat, ut omnes eam admirarentur, et simul ad eamdem imitandam impellerentur.

40. — Haec mira ac concordia testium suffragia, charitatem Dei Famuli celebrantia, adeo sunt praeclara, ut nulla dubitatio vel quaecumque suspicio ea extenuare, multo minus divellere, valeat. Enimvero de ardentissimo igne agebatur, qui animum sacerdotis Assisiensis absumebat, et nimio ardore ipsos incendebat cives, qui Deum diligere cogebantur. Inde est, quod alii Antonium compararunt Philippo Nerio, alii Iosepho a Cupertino, duobus profecto viris, qui merito summis laudibus ab historicis efferuntur, et fidelium veneratione universim honestantur propter heroicitatem illius in Deum amoris, qui incredibili ratione in iisdem Sanctis exarsit. Nunc comprehenditur gradus ac vis charitatis Antonii, quam neque temporum improbitates neque hostis humani generis aggresssiones extinguere potuerunt. Hic opportuna redeunt S. Augustini verba, quae adamussim nostro congruunt heroi: « *Intelligo vim charitatis, ipsa est virtus quam nemo vincit, huius ignem nulli fluctus saeculi, nulla flumina tentationis extinguunt, de hac dictum est: valida est, ut mors, dilectio* » (1).

41. — At obiici mihi possent illa pauca testimonia, ex quibus fortasse Amplissimus Fidei Vindex inferre vellt argumentum, quo Dei Famulo dementia tribuatur. Negari quidem non potest, perfidum animarum deceptorem, qui charitatem Antonii in Deum exardescentem persenserat, omni viliori arte contendisse, ut vim illius amoris frangeret, et virtutem in dementiam converteret. Sed frustra: palam enim omnibus constabat non de dementia agi, sed de acri certamine, quod contra daemonem inferorum strenue sustinebat. Quapropter quidam ex testibus, haec memorans facta solemniter asserebat: « Si, era pazzo, ma pazzo d'amor di Dio ». Quae verba satis probant supremum gradum, ad quem exercitatione tantae charitatis optimus presbyter pervenerat. Addantur denique extases, quibus saepissime in Deum rapiebatur; ista enim dona, quae vires naturae quam maxime praetergrediuntur, non cuilibet homini a divina bonitate conceduntur, sed illis solummodo heroibus, qui inter caeteros ardore charitatis in supremum omnium rerum largitorem praestiterunt. Nulla igitur nubecula fulgidam tam eximiae virtutis obscuravit lucem, qua splendidior desiderari profecto nequit.

(1) *In Psal.*, 47.

CAPUT VI.

De heroica in proximum charitate.

42. — In nobilissima charitatis palaestra erga proximum excellentiori quidem ratione Dei Famulus enituit. Enimvero quid vivissima probat fides, quam fervore ac perseverantia orationum et ardore pietatis in populo excitavit? quid firmissima spes, qua animos egenorum miserorumque hominum, in hac exilii valle ingemiscentium, erigebat? quid denique demonstrant illa fortissima atque clarissima exempla quae singulis suae vitae diebus exhibuit? Haec omnia, ni fallor, invictum praebent argumentum illius amoris, quo proximum complectebatur: secus enim, si de sua salute tantum fuisset sollicitus, satis erat, ut in solitudine domi vel templi silentio, procul a qualibet hominum importunitate vel molestia, sibi soli prospiceret: e contra temporalem ac spiritualem proximorum utilitatem quotidie atque enixe promovit, quorum maximam habuit curam. S. Paulus, ad Galatas mittens litteras, haec sua auctoritate scribebat: « *Omnis enim lex in uno sermone impletur: diliges proximum tuum sicut te ipsum* » (1). At Antonius, legem evangelicam atque doctrinam Apostoli gentium fideliter sequens, eo longius processit: proximum enim, non tamquam se ipsum, sed magis seipso amavit: revera sibi paupertatem, dolores, ignominias omnesque retinuit privationes, proximi autem necessitatibus abunde consuluit. En charitatis heroicitas, quam singuli testes, nemine excepto, apertis verbis profitentur et celebrant.

43. — Hoc patet in primis ex mira affabilitate, qua erga omnes indiscriminatim se gessit; sciebat enim huiusmodi agendi modum magnopere idoneum esse atque opportunum ad animas Christo lucrifaciendas; patet ex diligentia prorsus commendanda, qua pacem ac concordiam inter dissidentes restituit; patet ex solamine, quo miseris et afflictis subveniebat: patet tandem ex sedulissimo studio, quod in adiuvandis aegrotis impendit. Consideretur praeterea sollicitudo, qua vota infirmorum explevit; namque etiam noctu alacritate summopere laudanda ad lectum illorum adibat, eosque singulari suavitate hortabatur, ut vexationes morbi patienter tolerarent, et fiduciam in Deo ac SS. Virgine collocarent. Xenodochia quoque saepe saepius frequentabat, ut eodem charitatis munere perfungeretur.

44. — Memor exempli Redemptoris divini, qui pueros tenerrimis sensibus dilexerat, Antonius quoque peculiari amore illos est prosequutus. Pueros in christiana catechesi erudire, ad morum modestiam instituere, eosdem iuxta necessitatem atque opportunitatem corrigere, hoc est nobilissimum mandatum, a quo exercendo nunquam sancti Dei viri abstinuerunt.

45. — Quid dicam de industria, qua ad bonam frugem peccatores revocare sategit? Omnia enim media, quae humana prudentia et religionis sanctitas suggerunt, adhibita fuere ab inclyto apostolo Assisiensi. Iamvero illum finem non severitate doctrinae vel rigore modorum, sed mira suavitate studuit consequi: consilia ac monita opportuna errantibus dabat: eorum conditionem graviter dolebat; preces ferventissimas Deo effundebat, ut eorumdem misereretur, et Christifideles iugiter precabatur, ut supplicibus verbis peccatorum conversionem a Deo peterent. Quid plura? In hoc charitatis officio implendo tam enixe institit, ut nonnullis pravis hominibus quandoque importunus videretur: et tunc accidit, ut nedum iniuriis sed etiam percussionibus afficeretur. Sed heic Dei Famuli charitas clariori emicat luce, et ad fastigium heroicitatis assurgit, si parumper ratio perpendatur, qua erga inimicos sibi noxios se gessit. Cum

(1) *V. 14.*

autem quaedam mulier nostrum Antonium interrogasset, cur, praeter vexationes acceptas, eleemosynis quoque violentos donasset percussores, ille sermone prorsus inaudito, quem sola christiana religio poterat inspirare, respondit: « Si sa, bisogna pagar quello che si riceve per amor di « Dio ». Admirabilis quidem agendi ratio, quae in nostri memoriam sententiam revocat Tullii, de Caesare loquentis, qui inimicis clementer pepercerat: *Haec qui agat, non ego cum summis viris comparo, sed diis simillimum iudico.* Quis tamen summum non animadvertet discrimen inter ethnicum virum qui inimicis gratiam tantum faciebat, a quibus nulla molestia affici poterat, et christianum heroem, qui non modo iniurias gravesque ictus ignoscebat, sed percussorum nomina magistratum celabat, illisque pecuniam largiebatur, ut quidquid amore Dei acceperat large rependeret?

46. — At hic nobis occurrit tanta factorum series, quae praeclarum perhibent testimonium illius sollicitudinis, qua temporalibus pauperum necessitatibus Antonius semper prospexit. Ipse enim, qui spiritu paupertatis praeditus erat, indigentes peculiari dilectione amplexus est, eosque quotidie ac multifariam adiuvit. Et sane parvam pecuniam, quam laboriosa suorum munerum perfunctione lucrabatur, egenis diribebat. Similiter agebat de tenui stipendio, quod quandoque Dei Servo ad conciones, ab ipso habitas, remunerandas offerebatur. Eleemosynas quoque Missarum ad eumdem finem conferebat: illas enim illico et immediate indigentibus distribuebat, qui agendi morem Dei Famuli probe noscentes, illum ad fores templi exspectabant. Haec profecto est ratio, ob quam nec unus quidem obulus ei supererat.

47. — Nec contentus erat parvas erogandi stipes, namque, iuxta occasionem, talem pecuniae copiam largiebatur, quae pauperis sacerdotis vires prorsus excedebat. Et sane Mater Constans a Divino Amore, quae uti Antistita Monasterio S. Andreae praefuit, narrat se in huiusmodi locum ingredientem liberalitatem Antonii expertam esse, qui tria contulit scutata ad summam complendam, quae in Monialium favorem solvenda erat.

48. — Ex actis et probatis constat Antonium se necessariis quoque vestibus privasse, easque mirabili largitate egenis dono dedisse. Testis III singulare enarrat factum, quod silentio praeterire nefas est, namque fastigium perfectionis demonstrat, quod heroica Dei Famuli virtus erat assequuta. En testis verba: « ..... per fatto mio proprio posso dire in « particolare che un giorno incontrandomi con un tal Do- « menico Rossi, detto tremone, che non portava mai la ca- « micia, avendolo veduto con una camicia pulita e mera- « vigliato di ciò e dicendogli: — corbezzoli, oggi mi sembri « uno sposo! — ed esso mi soggiunse che quel Servo di « Dio D. Antonio, l'altra sera, circa mezz'ora di notte, mi « incontrò e mi condusse nell'androne del Palazzo Marini « (allora disabitato), si cavò di dosso la camicia e me la « diede, obbligandomi ad indossarla subito, dubitando che « me la vendessi ». Hisce omnibus accedat, quod parcum etiam cibum, quem a sanctimonialibus asceterii S. Andreae quotidie accipiebat, sibi negabat, ut illum esurientibus daret.

49. — Nemo tamen putet, tam eximiam charitatem sine ulla discretione fuisse exercitam. Porro Antonius miseros, qui inopia revera laborabant, probe noverat, et erga eosdem liberalissimus erat: aliis e contra, qui paupertatem simulabant vel eleemosynas acceptas in usus contemnendos convertebant, pecuniam detrectabat.

50. — Stat igitur charitatem Antonii in proximum omnes heroicitatis notas praesetulisse, et merito esse iudicandam ea ratione, qua a conterraneis atque testibus fuit habita. Huic virtuti ingenuum sed eloquentissimum reddebat tributum quidam pauper, qui, cum iusta presbytero demortuo solverentur, « a' piedi del feretro del Servo di Dio pian- « geva ed esclamava: quanta carità mi ha fatta questo « D. Antonio mio ». Hominum tributo caelitum testimonium addatur. Sciamus oportet Dei Famulum die festo S. Iosephi largiorem eleemosynam diribere solitum esse: iamvero olim morbo laborans solatium a S. Patriarcha petiit, ad quod efficacius ac tutius comparandum statuit de munere charitatis copiosius obeundo. Sed suavis ac iucundus Antonio apparuit vetulus, qui, dum stipem ab eius manibus erat accepturus, illico evanuit, sanitatem corporis eidem restituens, eiusque animum caelestiali perfundens laetitia. Haec satis sint ad luculentos demonstrandos favores, quibus Deus heroicam Antonii charitatem cumulabat.

CAPUT VII.

DE HEROICA PRUDENTIA.

51. — Magister noster, Benedictus XIV, de prudentia disserens, quatenus est virtutum omnium moralium norma, theologicarum regula, et administra exercitationis earum, opportunum adducit testimonium Bernardini Rosignolii, Theologi Societatis Iesu, qui haec ad rem docet: « Pru- « dentiae sunt actiones aliarum virtutum omnium: neque « enim est prudentia christiana perfecta, si desint aliae vir- « tutes, imno si vel aliarum desit una. Ut ergo virtutum « singularum quasi nota est et insigne prudentia, sic vicis- « sim actiones virtutum singularum testes et nuntiae sunt « prudentiae, etc. » (1). Atqui nos, vitam ac gesta Dei Famuli recolentes, vidimus illum omnibus theologicis virtutibus fuisse ornatum; nunc autem de cardinalibus seu moralibus earumque annexis sermonem habituri, faciliori negotio demonstrabimus hasce quoque Antonium coluisse. Concludere igitur fas est, etiam in prudentia exercenda praestantissimum se praebuisse heroem, secus enim caeterarum virtutum splendor deficeret.

52. — Ut singulariter hanc explanemus virtutem, perutile erit referre, Rotae Auditores, virtutes cardinales S. Isidori Agricolae investigantes, ipsius prudentiam cognovisse, eo quod « observarunt, electo per eum agricultoris officio « honesto et laborioso, ut se et familiam suam alere posset, « sic horas diei distribuisse, ut primas matutinas Missae au- « diendae, visitandis Ecclesiis, ferventissimae orationi, co- « lendoque Deo applicaret, et reliquum diei tempus culturae « designaret » (2). Idipsum licet de Antonio asserere, qui, vineae Domini colendae valde intentus, tam sapienter horas diei distribuit, ut omnibus perfungeretur officiis, quae iustitia et charitas ei praeciperent. Hac sapientia ductus, vitam integram atque rectam inire et servare valuit, quin in eodem aliquis notaretur defectus, qui virtuti prudentiae quodammodo obstaret. Iure itaque Testis XII asseveravit: « Giudico prudentissimo il suo sistema di vita, tanto con- « forme allo spirito sacerdotale, nel quale fu sempre co- « stante, finchè l'ho io conosciuto ».

53. — Tam late et omnibus fama tantae prudentiae innotuit in civitate, ut multi, aetate ac sexu diversi, quorum aliqui dignitate et auctoritate praestabant, ad Dei Servum confugerent, causa consiliorum exquirendorum. Cum res ita sint, clarissime patet Antonium lumine tam insignis virtutis fuisse divinitus illustratum, et ideo in tali non communi conditione versari, ut consilia semper idonea ac proba suggereret, quae felicem sortiebantur exitum, prout acta testantur: « i suoi consigli riuscirono tutti a buon fine ».

54. — Quae si cui leviora videantur, alia non desunt ar-

(1) *Op. cit., c. XXIV, § 1, n. 2.*
(2) *Bened. XIV, op. et loc. cit., n. 8.*

gumenta, quae prudentiam Dei Servi magis atque magis confirmant. Et sane Superiores ecclesiastici, aliis sacerdotibus posthabitis, qui virtute ac scientia pollebant, ei saepius commiserunt curam verbum Dei fidelibus nuntiandi: munus porro arduum ac difficile, ut digne et efficaciter exerceatur, in illis praesertim temporibus ac locis, in quibus novatores dubietatem ac diffidentiam in animos christianorum insinuare satagunt. In hoc officio exequendo tam prudenter egit Antonius, ut nedum bonum fidelium proveheret, sed omnium existimationem ac laudem sibi compararet. Qua de re alia graviora negotia eidem fuere ab ecclesiastica auctoritate demandata: inter caetera memoretur spirituale sanctimonialium regimen quod ille obedienter suscepit, et sapientissima tenuit discretione. Facile comprehenduntur difficultates, quae in huius ministerii perfunctione passim occurrunt, et, praeter iudicii acumen, prudentissimam exigunt rationem, ut solvi ac componi valeant. Maximi momenti est testimonium Vicarii Generalis Dioeceseos Assisiensis, Andreae Ulli, qui, cum prudentiam Dei Famuli esset expertus, illam sequentibus verbis celebravit: « .... posso dire che in « una circostanza alquanto difficile di un Monastero, dove « io mi trovava Confessore, feci ricorso a lui, dovendosi « trattare la cosa con molta prudenza. Il Servo di Dio mi « suggerì il modo nel quale doveva contenermi, e l'effetto « del suo suggerimento ottenne buon esito ». Alia occasione, in qua viri prudentissimi virtus expostulabatur, Antistes Dioeceseos ad Antonium confugit. Haec omnia sagacitatem probant ac sapientiam, qua Dei Famulus instructus erat; ipse enim, cum Monialibus agens, nullum verbum inutile vel vacuum proferebat, in monitionibus praebendis modum servabat, et in mendis obiurgandis media ad finem assequendum idonea atque opportuna eligebat.

55. — Postremum denique argumentum in existimatione reperitur, qua Episcopus Assisiensis Landi-Vettori prudentiam Dei Famuli honestavit. Namque illum ex tot presbyteris, pietate scientiaque eminentibus, unum elegit, ut eidem penetralia panderet conscientiae, et ab eo lumen haberet in arduo virtutum cursu peragendo. Tam eximium moderatorem usque ad obitum retinuit, et ab eo ad limina aeternae vitae fuit adductus. Quae indicia, si praefatis rationibus adiiciantur, non parum conferunt ad praedicandam hanc Dei Servi moralem virtutem, quae caeterarum est moderatrix et altrix.

CAPUT VIII.

De heroica iustitia.

56. — In causis Servi Dei pertractandis, de iustitia loquentes eiusque partibus, conditionem et statum uniuscuiusque perpendere debemus: non omnes enim in eadem versantur conditione, ut possint cuncta iustitiae munera adimplere. Ex hucusque dictis fit omnibus manifesta ratio temporis et loci, in quibus Dei Famulus vixit, et simul peculiaris eius status, iuxta quem unius alteriusve partis iustitiae sedulissimus poterat esse cultor. Ut omnia rite sub duplici capite complectamur, recolere oportet iustitiam, quae, ex celeberrimis Ulpiani verbis, est « *constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi* » (1), aequalitatem significare, proindeque hoc proprium habere, ut ad alterum sit: iamvero ordinem dicit ad Deum et proximum, et sub hac duplici ratione merito est consideranda.

57. — Quoad attinet iustitiam in Deum, res satis est probata ex iis, de quibus supra disputavimus. Antonius enim a teneris unguiculis usque ad extremum vitae operam navavit assiduam ac diligentem in cultu Dei magis in dies augendo, et in eius gloria alacriter provehenda. Singularis memoretur pietas, qua ipse mirabiliter excelluit, et quam in aliorum animos infundere conatus est: indefessa memoretur cura, quam adhibuit, in moribus instaurandis, in abusibus reprimendis, in blasphemiis improbandis, in religione pro viribus praedicanda: ardentissimus revocetur amor, quo Deum semper est prosequutus: innumerae recolantur piae artes atque industriae, quibus utebatur ad populum in divino amore confirmandum magisque muniendum: post haec omnes facile sibi suadebunt de heroica Dei Famuli iustitia in divinam maiestatem exercita.

58. — Ad alterum caput accedentes, in tam copiosam incidimus materiem, ut quadam laboremus difficultate in omnibus argumentis breviter ac presse exponendis. Porro, sive uti civis, sive uti sacerdos, omnia observavit iustitiae munera, quae civilis status Ecclesiaeque leges merito imponunt. Uti civis, nihil dixit vel egit, quod exemplo a Christo tradito et doctrinae a tota catholica traditione propugnatae quodammodo contradiceret. Uti sacerdos, officio tenebatur christianam plebem edocendi, ad rectam semitam eam perducendi, et seipsum saluti animarum maxima alacritate vovendi. Hoc equidem fecit, et tanta perseverantia est persequutus, ut possit iure vir appellari, qui non sibi sed tantummodo utilitati proximorum consuluerit.

59. — Si vero peculiares attendantur conditiones Dei Servi, quae aliorum officiorum erant fontes, idem feremus iudicium circa iustitiam ab illo ad unguem servatam. Iamvero quoad munus Cappellani, quod fere toto vitae curriculo apud sanctimoniales S. Andreae obivit, certum exploratumque est, quod « era inappuntabile nell'altro suo officio « di Cappellano delle religiose di S. Andrea, che anzi fa- « ceva più del suo dovere, aggiustandosi a tutti gli uffici « della Chiesa, anche di Sagrestano ». Quid de munere magistri sit asserendum, ediscatur ab eodem teste, cuius superiora citavimus verba: « Disimpegnava con esattezza al « proprio dovere, principalmente a quello della scuola, es- « sendo puntualissimo alle ore stabilite e in tempo di questa « adoperando tutto l'impegno opportuno, il che posso affer- « mare di fatto proprio, essendo stato per alcuni anni di lui « scolaro ». In Sacris vero litandis iuxta illorum mentem, qui ei eleemosynam obtulerant, sedulissimus fuit: immo pene incredibilem ostendit sollicitudinem in hac parte iustitiae colenda, nam iam iam moriturus presbyterum Baltassarem Brizzi adprecabatur, ut unam vellet Missam celebrare, cuius oneri suscepto Dei Servus nondum satisfecerat.

60. — Alia in tabulis extant indicia, quae curam Antonii in iure cuique tribuendo luculenter demonstrant. Parem praesetulit diligentiam in debita singulis mensibus solvenda pensione Monialibus, quae Antonio victum locabant.

61. — Insuper nedum iustitiam erga proximum coluit, sed etiam ad sacrum ascendens suggestum illam efficaci sermone praedicavit. Quod si tam sedulo curabat, ut nullum proximi ius violaretur, et nulla ipsi fieret iniuria, merito arbitramur virtutem iustitiae non fuisse a Dei Famulo exercitam modo ordinario vel communi, sed praeclaris dotibus fuisse ornatam, et plane heroicam esse appellandam.

62. — Ut specioso validoque argumento hoc caput absolvamus, liceat hoc tantum animadvertere: si, Augustino docente, « *tota iustitia ad unum verbum innocentiae redigitur* » (1), cum noster Antonius mores honestos semper servaverit, et more angelorum vitam duxerit, hac ipsa ratione iustitiam heroico gradu coluisse dicendus est.

(1) *Instit., lib. I, tit. I.*

(1) *In Psal. 100.*

CAPUT IX.

De fortitudine heroica.

63. — Ad fortitudinem, quae illustres heroes a vulgari turba secernit, iam deflectat oratio. Vulgatissimum est inter disciplinae nostrae doctores, duo esse in hac virtute consideranda. Benedictus XIV, egregie de illa disserens, scribit, quod est « *habitus seu virtus firmans animum ad agendum vel patiendum ea, quae rectae rationi sunt consentanea* » (1). Quae definitio, satis brevis sed accurata, adamussim respondet doctrinae Angelici Doctoris monentis, duplex esse fortitudinis genus, ardua videlicet pro Christo aggredi eademque sustinere. Haec duo illustrantes, effatum sapientiae romanae recolimus, quod in hisce verbis continebatur: *agere et pati fortia romanum est.* Huiusmodi fortitudinis genera perscrutantes, non iuxta mundanorum heroum significationem, sed iuxta christianae sapientiae sensum, potiori iure possumus affirmare: *agere et pati fortia christianum est:* et Christi heros, Antonius Pennacchi, utrumque egit.

64. — Quoad primum, multa est aggressus ac promovit, tum pro Dei honore, tum pro bono proximorum augendo. Perspicua et invicta argumenta reperient Suffragatores Amplissimi in iis, quae iam a nobis, superiora capita concinnantibus, fuere disputata: alia etiam sub hoc titulo esse addenda putavimus, ne vacua relinqueretur ea fortitudinis pars, cui prima sedes profecto erat tribuenda. Et sane, quo animo strenuo ac forti adlaboraverit in praefato fine consequendo, et quanta constantia difficultates Dei Servus exsuperaverit, quibus nunquam fuit territus, I et IX Testis referunt. Quae omnia maiori robore communiuntur, si apostolici explanentur labores, quos fortiter exantlavit. Tantus enim vir nunquam conquievit: per vias civitatis, per templa, per agros, per provinciae oppida ac pagos semper aspiciebatur, intentus ministerio sacerdotali exercendo, praesertim pani veritatis fidelibus frangendo ac distribuendo, in quorum munerum perfunctione aetatem suam contrivit, viresque corporis consumpsit.

65. — Quae omnia gerebat sine ullo humano timore vel formidine. Etsi enim aliquando iniuriis vel percussionibus efficeretur, tamen in officiis pietatis ac charitatis obeundis perseveravit. In hac re interim duo oportet considerare, quae virtutem D. F. maiori decorant ornamento. In primis notetur venia, quam suis offensoribus semper dedit: quod est signum non modo, clementiae, sed animi fortis, qui cupiditates vindicationis, impulsu naturae exsurgentes, compescit. Alia ex parte in Dei Servo enitebat imperturbata aequanimitas ac tranquilla serenitas, quae adversas inter res iugiter in ipso permansit. Haec magnopere fortitudinem confirmant herois, qui non modo ex molestiis atque adversitatibus incitamentum ad fortia quaeque gerenda sumebat, sed, summam animi ostendens laetitiam, praeclaram de se suisque sensibus victoriam reportabat.

66. — Veniamus nunc ad alterum fortitudinis genus pertractandum, quod maioris est momenti, si fides Doctori Aquinati praestanda sit, qui tradit: « *principalior actus fortitudinis est sustinere, idest immobiliter sistere, quam aggredi* » (2). Multas enim aerumnas ex parte daemonis tulit: ab eodem porro vinctus et verberatus fuit: horrendis apparitionibus, seu larvis ac monstris fuit etiam vexatus; tentabatur, dum cibum capiebat, et a gigante ferreis vestibus induto impediebatur, quominus iter haberet. Magna proximorum spiritualis utilitas a Servo Dei comparata invidiam daemonis excivit, qui pluries eum cruciavit, et vitam auferre ei sategit. Ex testimonio ab ipso Antonio prolato alia quaedam addiscimus scitu digna: « Disse di propria bocca « che il demonio l'aveva sempre perseguitato e molte volte « tentò di levargli la vita. Un giorno andava in un sito a « fare del bene ad un'anima, nello scendere le scale s'in- « tese dare una spinta e cadde, egli si ferì in più parti la « testa. Si sa che tre volte di notte s'intese prendere per la « gola, come che lo volessero soffocare. Sentiva rumori di « catene, voci sconce, bestemmie; lo chiamò tre volte ladro, « si che sei un ladro che mi rubi le anime, ma me l'hai « da pagare. » Idem Dei Famulus tradidit « che dovendo « andare in un villaggio a predicare, certi contadini gli at- « tizzavano i cani per farlo mordere, e nel ritorno che fa- « ceva a casa si sentì correre appresso un villano tutto in- « furiato che pareva un demonio, minacciandolo di levargli « la vita se tornava più a predicare ».

67. — Quae hucusque innuimus satis probant gravitatem vexationum, quibus malignus inferorum imperator constantiam invicti apostoli impetere ausus est. Et quamvis haec facta aliquam praebuerint suspicionem dementiae, qua Antonius immerito accusabatur, tamen ipsemet hanc respuit incriminationem, solemniter declarans, se ingens atque immane sustinere certamen. Stat igitur Dei Famulum acriter contra tenebrarum potentiam colluctasse, quae natura ac conditione talis est, ut a quibusdam hominibus aliquando evinci non possit. E contra noster Antonius huiusmodi potentiam domuit, nam omnes hostis impetus in se coniectos sustinuit, impavidam ostendens fortitudinem, quae summis laudibus est quidem celebranda.

CAPUT X.

De heroica temperantia.

68. — Temperantiae virtus, generice inspecta, quemadmodum sua auctoritate S. Thomas recte adnotat, « *significat quamdam temperiem, idest moderationem, quam ratio ponit in humanis operationibus et passionibus; quod est commune in omni virtute morali* » (1). Quod Dei Servus hanc virtutem, ita consideratam, perfecte excoluerit, patet ex iis omnibus, quae supra retulimus; porro ipse cunctas suas actiones ita est moderatus, ut sensus semper rationi obedirent, et haec Deo reverenter foret submissa. Si vero temperantia specialiori significatione accipiatur, tunc ea est, quae « *refrenat appetitum ab his quae maxime alliciunt hominem* » (2): et in hoc Antonius maximam sibi meruit laudem.

69. — Investigantes in primis quaenam sint res, quae prae caeteris hominem alliciunt, omnes unanimi consensu nobis respondebunt de voluptatibus agi, quae per cibum et potum habentur vel per carnis concupiscentias: idcirco Angelicus Doctor recte scribebat: « *circa delectationes ciborum et potuum, et circa delectationes venereorum est proprie temperantia* » (3). Quapropter ad eam potissimum pertinent abstinentia et castitas, quas religiose observare et colere necesse est, ut quis in temperantia exercenda heros censeatur.

70. — De abstinentia disserentes, ex concordi testium depositione addiscimus Antonium a cibis fuisse temperantissimum. Isti ei praebebantur a Monialibus S. Andreae, et frugalissimi erant: tam parce vero alimentis vescebatur, ut ipsa Monasterii ancilla miraretur, quomodo ille vitam sustentare posset. Quod si interdum, praeter ordinarium victum, peculiare obsonium ad Servum Dei afferebatur, ipse

(1) *Op. cit., lib. III, c. XXIV, § III, n. 28.*
(2) *Summ. Theol., 2, 2. q. 123, art. 6.*

(1) *Op. cit., 2, 2, q. 141, art. 2.*
(2) *S. Thomas, op. et loc. cit.*
(3) *Loc. cit., art. 4.*

illud respuebat, ne patinam quidem tegens. Ita, cum consanguinei Antonio gallinas vel quidquid simile donassent, ipse haec sanctimonialibus asceterii offerebat. Accedat quod maiorem alimoniae partem servabat, ut pauperibus distribueret, velut fere omnes asserunt testes. Olim accidit, ut convivio, quod apud domum sororis in oppido Bictonii habebatur, cogeretur interesse: hac occasione modicis ac vilioribus rebus se aluit, interdum a mensa recedens, ut epulas vitaret exquisitiores, et precationes effunderet. Cupidissimus se a cibis abstinendi, nedum ieiunia ab Ecclesia cunctis fidelibus praescripta maxima obivit severitate, sed etiam diligentissime esuriales egit ferias, quibus ex peculiari regularum mandato Moniales S. Andreae tenebantur. In tabulis refertur quoque exemplum, ex quo constat, Dei Famulum integro die quandoque ab usu cibi temperasse: cuius rei gravitas neminem latere potest, praesertim si labores non leves attendantur, quibus gratia apostolici ministerii gravabatur.

71. — Naturam autem ciborum, quibus vescebatur, perquirentes, ex ore Testis XXX, qui olim mensae Antonii adfuit, haurimus, quod « non si cibò d'altro che di erba « scondita e di un pezzo di pane non tutto di grano ». Quod maius est, summa gestiebat laetitia, cum alimoniae inquinatae sibi apponerentur, uti fit manifestum ex verbis Sororis Mariae Theresiae Bulletti. Eamdem frugalitatem denique in usu potus servabat, nam « assai scarso era il vino « che gli passavano a pranzo ».

72. — Quoad alteram temperantiae partem spectat, castitatem nempe, nemo profecto in dubium revocaverit, illam religiosissime Antonium nostrum excoluisse. Omnes hoc fatentur, qui de eius vita angelica passim testantur. Testis XVI, de Famulo Dei loquens, ait: « Era si modesto che « mai io potei vedere i suoi occhi ». At humanae naturae debilitas postulat, ut ad tantam virtutem servandam cupiditates coërceantur, et opportunis flagellis caro reprimatur. S. Paulus ad Corinthios haec scribebat: « ...... *castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, quum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar* » (1). Hanc doctrinam amplexus est Antonius, qui « aveva un grande spirito « di penitenza... portava indosso strumenti afflittivi... usava « una fascia di canape grossa, colla quale si cingeva, ed in « cui erano ad ordinario ricamati i nomi di Gesù, Maria e « S. Giuseppe »: et etiam « portava sotto le scarpe lunghe « bollette per tormentare i suoi piedi ». Quid de ciliciis aliisve similibus instrumentis dicam, quibus corpus suum castigare in more habebat? Ipsemet haec tradidit: « Ancora « io mi ci trovava molto inclinato a queste penalità, par« ticolarmente nei tempi di maggior tribolazione, fino a por« tare la catenella per mesi interi, senza levarmela nè « giorno nè notte, ne quando dovevo prendere il cibo, ed « un giorno mi misi in pericolo di rovinarmi; dovevo an« dare alla scuola, che di già era suonata l'ora, e trovai « tutte le porte serrate. Mi misi a travalcare la cancellata « di ferro, portando tali strumenti di penitenza alle braccia « gambe e reni ». Quae mire confirmantur a Teste III, asserente, « che una tal Maddalena, serva delle Monache di « S. Andrea, raccontava che nel lavare i panni del Servo « di Dio, trovava le camicie macchiate di sangue, e preci« samente alla parte delle reni, ritenendo che portasse il « cilizio ».

73. — Ad eumdem finem non tori commodum quaerebat, quo ne utebatur quidem. Hisce omnibus addatur, quod studiosissimus in angelicis praeferendis moribus et in interiori pace servanda, ab omni solatio abhorruit, quod tantum thesaurum ab eo eripere posset: quae cautiones adeo pervenerunt, ut « non fu mai visto... prendere divertimento di « sorta, e neanche andare a passeggio per diporto, mentre « le sue uscite non avevano altro fine che l'esercizio del « ministero ». Quapropter legimus, quod « nel suo contegno « era sempre grave e riservatissimo »; quae verba perspicue castitatem illustrant, quam Dei Famulus enixe amavit, et a quolibet periculo diligentissima cura custodivit. Hisce delibatis, licet concludere presbyterum nostrum perfectionis fastigium attigisse in temperantia excolenda, ideoque titulo herois esse insigniendum: enimvero « *omnes fideles conantur penitus reprimere passiones, et paucissimi ad hoc perveniunt; ideoque qui id assequuntur dicuntur heroes* » (1).

(1) *I. IX, 27.*

CAPUT XI.

De heroica paupertate.

74. — Novae ac sublimi doctrinae divini Magistri, quam antiqui philosophi comminisci nequiverant, per quam beati dicuntur, qui pauperes sunt spiritu, toto animo adhaesit Antonius, qui parva ministerii lucra non ad corporis ornatum, non ad cumulandas divitias, non ad vanitatem mundi fovendam, sed ad egenos liberaliter adiuvandos impendit. Paupertatem Dei Servi recolentibus persimilis patet paupertas alterius viri, qui in eadem Assisii civitate innumera atque imperitura reliquit monumenta huiusce virtutis, in qua praestantissimus evasit. Loquimur de S. Francisco, cui alter Sanctus, nomine Bonaventura, hanc tribuit laudem: « *Nemo tam auri, quam ipse cupidus paupertatis, nec thesauri custodiendi sollicitior ullus quam iste huius evangelicae margaritae* » (2). Eamdem laudem nos iure Antonio nostro adscribimus, qui illam evangelicam margaritam tanta amoris sollicitudine est amplexus, ut neminem, praeter inclytum Ordinis Franciscalis Fundatorem, ei esse anteponendum arbitremur.

75. — Multa quidem exstant indicia exteriora, quae paupertatem spiritus Dei Famuli luculentissime manifestant. Iamvero si vestes inspiciantur, quas induebat, statim amplissima apparet virtus, cuius fuit cultor. Ex testimonio cuiusdam Sororis Conversae Asceterii S. Andreae addiscimus, quod « amò la povertà, vestendo sempre le nostre « lane e rigettando una toga, che per essere di scotto gli « pareva troppo nobile ». Item ex actis et probatis colligitur. Praeter huiusmodi indumentorum tenuitatem, notabatur etiam haec sive aestivo sive hiemali tempore semper eadem fuisse: et si aliquando accidebat, ut illa forent reficienda, tunc domi detinebatur, cum aliis deficeret vestibus. Notatu quoque digna est mira industria, qua suas purgare vestes satagebat: ita Testis XXI illam exponit: « Ricordo « di avergli inteso dire che quando alcuna macchia non po« teva togliersi dai suoi vestiti, Egli colle forbici tagliava « via il pezzo sporco e ci aggiustava una pezza pulita, « amando meglio andar rattoppato che sporco, perchè le mac« chie nel vestiario gli raffiguravano le macchie dell'anima, « e sentiva grande orrore al pensare che vi sono delle anime « macchiate dal peccato ».

76. — Eximius paupertatis amator novas respuebat vestes, quibus consanguinei, superiores vel amici presbyterum nostrum donabant. In tabulis nonnulla adducuntur facta, quae nedum lacrymas excutiunt, sed splendidiorem efficiunt virtutem, in qua ille mirabiliter inclaruit. Heroicitas tantae virtutis eo clarius elucebit, quo diligentius sequens attendetur testimonium: « Un giorno, forse sorpreso da tenta« zione di vanità nella..... Chiesa di S. Andrea, il Servo di

(1) *Card. de Lauraea, Disp. 32, art. 6.*
(2) *In vita S. Francisci, cap. 7.*

« Dio si tolse le fibbie delle scarpe, gittò in terra l'orologio « che portava e pestandolo esclamò: ho vinto, ho vinto ».

77. — Eadem paupertas in domicilio Antonii dominabatur: hoc sane duabus tantum constabat cellulis, quae nullo ornamento erant instructae. Iamvero ex duabus prima nihil exhibebat praeter grabatum, mensulam, pauperrimum abacum, instrumentum ad genua flectenda, pauca scamna paucosque libros: in altera vero cellula tantummodo invenisses tabulam, scrinium una cum duobus tribusve scamnis: maxima ergo simplicitas in illa domo reperiebatur, quae cum sede filiorum S. Francisci merito poterat conferri. Neque lychnum domi accendebat, quem mediorum defectu nunquam comparaverat: et ita cogebatur horas canonicas persolvere vel conciones memoriae mandare, utens lampade, quae vel in Ecclesia S. Andreae vel in ambulacri monasterio ardebat. Pariter, ab omni re mundana alienissimus, quidquid magnifici vel elegantis aspexisset, spernebat: idcirco templa simplicia omnique destituta ornamento prae caeteris amabat, ibique ineffabili perfruebatur laetitia.

78. — Legem paupertatis colendae, quam sibi imposuerat, religiosissime servans, pecuniam penitus abhorruit. Enimvero, quamvis nemo propriis militet stipendiis, tamen Dei Famulus, qui in castris Ecclesiae pugnabat, nullam accipiebat mercedem, quae ad officium ecclesiasticum remunerandum, quod obiverat, ei erat retribuenda. Ipsas quoque, etsi tenues, Missarum eleemosynas detrectabat, quas tunc tantum statuit accipere, cum sensit stipendium magistri satis non esse muneri iustitiae implendo erga Moniales, quae Antonio victum suppeditabant. Summa tandem liberalitas, quam erga Moniales et egenos ostendit, eloquenti ratione demonstrat Dei Servum, cohibita quacunque bonorum terrestrium cupiditate, potissimum removisse impedimentum, quod ab aeterno praemio assequendo animos distrahit.

CAPUT XII.

De heroica humilitate.

79. — Hucusque eximias Dei Famuli virtutes recensuimus: sed eae profecto praestantiores apparent per actus humilitatis, quae a S. Leone Magno recte definitur, « *tota christianae sapientiae disciplina, omnium magistra virtutum, caelestis aedificii firmissimum fundamentum* (1). Non igitur poterat fieri, ut vir, qui praeclarum perfectionis erexerat aedificium, spirituali careret fundamento. Praeterea, qui paupertatem velut sponsam suam erat amplexus, debuit pari ardore humilitatem excolere, quae in sanctis Dei viris a virtute sorore nunquam solet disiungi. Iamvero humilitatem Antonii perpendentes, nos, qui iam admiratione et laude eum prosequuti fuimus, eo quod omnia renuntians bona se ipsum adeo spoliaverat, ut ne miserum quidem possideret lectulum, quem ab aliis hoc acceperat pacto, ut illum restitueret, nunc potiori admiratione maiorique laude celebremus oportet Dei Famulum, qui, sui ipsius contemptor, nihili honores mundi putavit, et in omnibus suae vitae actibus ad hanc christianam sapientiam se prorsus accommodavit.

80. — Cuius gradus vel naturae fuerit Antonii humilitas, testimonia demonstrant amplissima. Testes XVI et XXII modo, inquam, inusitato sed efficacissimo rem faciunt manifestam. Primus enim ait: « Il Servo di Dio..... fu umilis« simo, anche troppo, se il troppo si potesse dire nella san« tità ». Alter vero tradit: « Non si può essere più umili « di quello che fosse il Servo di Dio ». Et sane infimum inter omnes presbyteros se censebat, et dictis vel factis hanc suam opinionem probabat. In Ecclesiis, quas assiduus frequentabat, et in coetu, qui ad casus morales resolvendos habebatur, semper ultimum locum sibi vindicabat. In officiis autem in templo praestandis, infima adimplere omni occasione sategit. Ita in solemni Missa, quae in Cathedrali Ecclesia celebrabatur, iugiter munere Subdiaconi perfunctus est, officium Diaconi humilitatis causa recusans. Hac ratione Iesum Christum sectatus est docentem: « *qui maior est in vobis, fiat sicut minor; et qui praecessor est, sicut ministrator* » (1).

81. — Ut humilitatem operibus atque exercitiis foveret, Antonius nunquam sivit, ut eius manum oscularentur fideles. Sed eadem cura, qua id agebat, sollicitus erat in honoribus atque obsequiis presbyteris exhibendis, quorum manum deosculari studebat. In tabulis egregium a Moniali S. Catharinae Bictonii factum enarratur, quod in medium afferre putamus: « Una volta io vidi, ritornando dalla Messa colla « Comunità, che un Vescovo incontrossi con D. Antonio Pen« nacchi, cui voleva baciar la mano. Il Servo di Dio per « non farsela baciare e per atto di umiltà, prostrossi fino « a terra e baciò i piedi al Vescovo ». Argumentum tam heroicae humilitatis exhibet quoque ratio, qua omnes respuit honores: et sane « Mons. Landi-Vettori voleva nominare « Canonico il Servo di Dio, e questi pregò il Signore, per« chè lo volesse umiliare per rimuovere qualunque occa« sione di ricevere onorificenze o cariche ». Haec omnia probant, quam demisse de se sentiret: ideoque quidquid Dei Famulum deprimere valeret, ab eo hilari vultu animoque iucundo accipiebatur. Iamvero, cum integram sanitatem nondum recuperavisset, Perusias petit ad conciones habendas: cum id muneris expleret, vocem sibi deficere persensit, et conciones intermittere coactus fuit. Quare magnopere gavisus est, quoniam in illo casu humilitatis causam inveniebat.

82. — Eximius vir, hac praeclara refulgens virtute, familliaritatem iniverat cum hominibus vilioris conditionis: quos enim pars societatis nobilior effugit et vitat, ipse tenerrima complectebatur dilectione. Quapropter iugiter cum hominibus vulgi conspiciebatur; et cum publicae in civitate haberentur supplicationes, Antonius non cum presbyteris anteibat, sed inter populares suum eligebat locum, quibuscum rosarium persolvere solitus erat. At virtus herois fulgidiori circumfunditur luce; nam seipsum peccatorem accusabat, et, quum verberibus ab improbis afficeretur, illis aiebat: « Percuotetemi pure che me lo merito, essendo un « gran peccatore ».

83. — Haec fuit Antonii humilitas, quae pulcherrimo caeterarum virtutum agmini annexa argumentum praebet solidissimum illius sanctimoniae, qua ille haud immerito celebratur. Accedamus nunc ad dona supernaturalia explananda, quae, licet ad virtutes probandas non sint plane necessaria, tamen istas illustriores efficiunt, eo quod sunt pignora redamantis Dei, quibus ipse patefacit gratam sibi esse suorum servorum perfectam vitae rationem.

CAPUT XIII.

De donis supernaturalibus ac miraculis in vita.

84. — Aliquando inter homines contingit, ut quidam vi amoris compulsi omnibus corporis et animae viribus Deo serviant, eiusque foveant gloriam: tunc ipse, qui nunquam se liberalitate vinci sinit, supernis charismatibus, seu gratiis gratis datis, ornare solet amicos suos, quos omnia virtutum genera profitentes in se liberales esse conspexerit. Hisce ornamentis fuit quidem insignitus noster Antonius, qui, cum nihil habuisset antiquius quam amore ardente

(1) *Serm. 7, de Epiphan.*

(1) *Luc. XXII, 26.*

atque assiduo Deum prosequi, ab hoc tot tantisque donis caelitus datis fuit adeo cumulatus, ut nullum supersit dubium de amplissima sanctitate, qua heros Assisiensis excelluit.

85. — De numero ac praestantia huiusmodi donorum disserentes, audiamus Testem XXXV aientem: « Io ritengo « fermamente che il sunnominato Servo di Dio... abbia avuto « tutti i doni gratis dati in grado eminentissimo ». Profecto quis unquam numerare posset vaticinia, quibus, cursu vitae labente, Dei Famulus lumine caelesti perfusus res venturas praevidit, et aperte edisseruit? Enimvero calamitates temporum, quae erant adventura, et ingentes vexationes, quibus ex parte daemonis erat premendus, praescivit. Matri Elisabeth Venturucci unum ex liberis statum ecclesiasticum esse amplexurum, duas filias vitam religiosam esse inituras, quarum una in asceterium S. Andreae ingrederetur, praenuntiavit. Illustre est vaticinium, quo mulieri utero gravi praedixit, filium esse genituram, qui vocaretur Aloisius et presbyter foret. Nimis essem longus, si omnes referrem praedictiones circa statum religiosum, quem aliqui adolescentuli vel pueri sectaturi essent. Procella Napoleonica acriter insaeviente, Monialibus nonnulla dedit mandata, ex quibus donum vaticinii splendide eluxit. De Sorore Maria Agnete Steiner, quae existimabatur obsessa, praenovit mirabilia: et futura eius sanctitas rem confirmavit. Canonico Thomae Locatelli promotionem expetenti praecinuit, hanc non esse adepturum. Divina revelatione illustratus matri quae duas puellas habebat infirmas, praedixit alteram recuperaturam esse valetudinem, alteram vero morituram. Cuidam Moniali, de cuius salute desperaverant medici, nedum sanitatem sed etiam futurum Antistitae statum praenunciavit. Cum Dei Famuli frater ac soror infirmitate laborarent, illi mortem, huic praecinuit valetudinem. Multae aliae in tabulis enarrantur sanitates vel mortes, quae ab Antonio fuerant iam praevisae. Haec omnia, quae attigimus, mira quidem sunt, cum solemniter ab eventibus fuerint firmata. Ex tenore sermonis Dei viri inferebatur etiam aegrotorum sors. Porro acta testantur « che le mamme, quando avevano i bambini « infermi, si presentavano al Servo di Dio per essere bene« detti, e notavano che alle volte il Servo di Dio diceva « — non è niente, niente — e allora i bambini guarivano: « altre volte colla sua solita giovialità diceva — oh! quanto « è bello il Paradiso, Paradiso, Paradiso — e i bambini « morivano ».

86. — Praevidit quoque perturbationem telluris, ceu refert Testis X, qui singula memorat adiuncta. Quemadmodum abdita rerum, ita cordium latebras perspiciebat. Sorori Gertrudi pandit secreta, quae Dei Servum celare ipsa satagebat: item cuiusdam personae, quae Deo puritate cordis servire intendebat, intimum novit animum. Scitum insuper est, omnes, in quos incidebat, nomine cuiusque semper appellasse: quae res maximo adstantes percellebat stupore, nam fieri nequaquam poterat, ut singulos cognosceret.

87. — Alia in actis mira referuntur facta. Dono animos commovendi et immutandi ornabatur: idcirco sermonibus efficacissimis, lacrymas eliciens, fideles ad saniora consilia revocabat, et ad vitam magis rectam ineundam inducebat. Cui muneri nescio quid praeternaturale addebatur; nam « una volta, mentre il Servo di Dio predicava in Chiesa, « fu veduto un globo di luce sopra la testa di lui ». Nil mirum itaque, si auctor fuerit plurimarum conversionum, quae interdum causae mere naturali adscribi non poterant. Ut suos concives ad pietatem exercendam pertraheret, insigni bilocationis dono fuit a Deo condecoratus: in hoc omnes consentiunt testes, quorum XXIV fatetur: « Più volte « trovandomi nella piazza grande di Assisi ho sentito delle « persone che dichiaravano di avere recitato l'*Angelus Do« mini* insieme a D. Antonio Pennacchi nel giorno stesso « al suono del mezzogiorno in vari punti della città; — io « al suono di piazza, diceva uno, ho detto l'*Angelus Do« mini* con D. Antonio a Porta Perlici: — ma che dici! « sussumeva un altro, ce l'ho detto io a S. Gregorio: un « terzo poi — non può essere! mi son trovato con D. An« tonio a recitar l'*Angelus Domini* alla Maestà dei Cap« puccini. Questi luoghi accennati non son certo vicini tra « loro, ma sono anzi molto lontani ».

88. — Quam maxime augescit stupor, si sciatur Antonium, clausis ianuis, in atrium cuiusdam domus ingressum fuisse: incredibili cursu ex civitate Fulginii Assisium brevissima hora pervenisse: e solo elevatum, brachiis extensis, visum fuisse progredientem: et sub ingenti diluvio deambulantem nulla ratione esse madefactum, dum vestes aliorum, qui Servo Dei se comites praebuerant in aquam iniectae videbantur.

89. — Divino etiam muneri tribuendae sunt illae extases, per quas sensibus abreptus pluries ad Deum erigebatur uti ex actis probatur. Pariter, dum olim panem angelorum Monialibus distribuebat, adeo in extasim fuit raptus, ut huiusmodi doni illae fierent participes. Huc accedit revelatio, quam ab ipso habuit Deo, iuxta quam omnes, qui cultum erga SS. Iesu et Mariae nomina fovissent, ex procellis ac mundi periculis eriperentur. Huc pertinet vulnus, quod modo praeternaturali accepit in corde, quemadmodum S. Franciscus signis redemptionis fuerat condecoratus. Quae S. Francisci intercessio demonstrat, Antonium non modo Deo sed etiam Patriarchae Assisiensi acceptissimum fuisse; legimus enim « che il Servo di Dio.... un giorno pregando « nella Chiesa Patriarcale di S. Francesco in Assisi, sentì « chiamarsi per tre volte a nome, cioè: D. Antonio, D. An« tonio, D. Antonio; il Servo di Dio rispose: — chi mi « chiama? — Udì una voce che diceva: sono Francesco, « che voglio sia in venerazione il mio corpo ». Intima ergo cum caelitibus communicatione fruebatur, quae splendorem charismatum supernaturalium magnopere confirmat.

90. — Nec satis: nam curationis etiam dono Dei Servus pollebat. Quomodo in tanta varietate ac serie factorum seligere ea possemus, ex quibus tam insigne donum eminentiori luce clarescat? Innumera profecto sunt testimonia sanationum, quae, intercedente atque opitulante Antonio, impetratae fuere. Nonnullis enim infirmis ille sanitatem restituebat usu aliquarum chartarum, quae tamen nullum continebant medicamen: alios sanabat sacrarum reliquiarum tactu, quas secum semper habebat: aliis valetudinem obtinebat angelicam salutationem recitando, cuius devotionem enixe promoverat: alios curabat simplici manuum impositione, ceu cuidam accidit feminae, quae, cum statuisset se operationi chirurgicae subiicere, fuit manu Dei Famuli sanata: quae res nobis illud Evangelii memorat: *super aegros manus imponent, et bene habebunt* (1). Ad sanitatem comparandam aliquando satis erat, ut aegris pallium Antonii imponeretur. Interdum sola voce vel sola praesentia miracula patrabat. Addatur etiam, quod plerumque aegroti in extremo vitae discrimine versabantur, ideoque sacramentis, quae morientibus administrari solent, iam fuerant communiti, eo quod physici doctores quamlibet salutis spem deposuerant. Tot sanationum miraculorumque clara extat memoria in tabulis, in quibus consulto cuncta congerere studuimus testimonia, quae rem amplissime probant.

91. — Potissimum vero mirabile illud nobis visum est prodigium, quod inter caetera eligimus: ita a Teste LVI enarratur: « Tal vecchietta, non ricordo proprio il nome, perchè

(1) *Marc. XVI, 18.*

« morta da parecchi anni, conosciuta però perfettamente da « mia madre, cui di sua bocca narrò il presente aneddoto, « nel mese di agosto, veniva di casa quasi del tutto cieca « per prostrarsi sulla tomba di S. Francesco e dimandar la « guarigione. Sulla piazza della Basilica lo si fe' innanzi il « Servo di Dio D. Antonio Pennacchi e salutatala a nome, « come faceva sempre e con tutti, le domandò dove andasse. « La vecchietta ravvisatolo alla voce, gli si raccomandò « caldamente. Man mano che il Servo di Dio parlava, la « vecchietta acquistava maggior luce. Disse finalmente Don « Antonio: — va al sotterraneo di S. Francesco e prega « caldamente anche la Vergine; nel tornartene poi a casa « passa sotto il ponte S. Vittorino, lì troverai una pescolla « d'acqua, lavati con quella gli occhi e tornerai a vedere. « — La vecchia obbedì prontamente, e dopo essersi lavata « gli occhi con quell'acqua rivide perfettamente secondo « la promessa del Servo di Dio ». Qui haec perlegunt, in memoriam revocant celeberrimum Christi miraculum, quo caeco nato lucem restituit.

92. — Si hisce omnibus praesidia addantur Dei Famuli, quibus ab infortuniis gravissimis saepe suos liberavit concives: si mira atque incredibilis ovorum restitutio in integrum accedat, quae femina decidens perfregerat: tunc invictiora praesto erunt argumenta, quae, praeterquam de donis supernaturalibus, testantur etiam de miraculis, ab Antonio, dum adhuc in vivis agebat, patratis, quorum copia ac splendor aptissime conferunt ad sanctitatem herois magis magisque illustrandam.

CAPUT XIV.

De fama sanctitatis in vita.

93. — Innumeris caeli charismatibus ornatus, favorabile coaevorum mortalium sibi promeruit suffragium. Namque in sanctitate Antonii celebranda nedum singuli conveniunt testes, sed illi quoque homines consenserunt, quibuscum ille diutius vixerat. Ab omnibus porro censebatur singulis virtutibus heroice quidem exercitis instructus, et titulo sancti ubique et passim appellabatur. Coetus personarum non erat, quae, Dei Famulum noscentes, eum meritis insignem eximiaque pietate et sanctimonia praestantem non ducerent ac praedicarent.

94. — Huiusmodi fama apud omnes societatis ordines viguit: non modo populares, sed etiam nobiles ac proceres, nedum clerus saecularis sed regularis quoque, non tantum aequales sed etiam superiores in hierarchia ecclesiastica idem ferebant iudicium de sanctimonia Antonii, quae tanto coruscabat splendore, ut nihil eam obscurare potuisset. Nec solummodo Bictonii, ubi ortum Dei Famulus duxerat, sed Assisii, Hispelli, Fulginii aliisque in locis, qui eius virtutes erant admirati, floruit eiusdem sanctitatis opinio. Quamobrem haud difficile erit unum vel alterum testem vel civem praesertim Assisii reperire, qui forte singula et peculiaria Antonii gesta ignoret, sed neminem profecto noveris, qui praedictae famae notitiam non habeat. Dum enim saepe contingit, ut de viris, licet summis virtutibus pollentibus, duplex habeatur opinio, quarum altera apud bonos, altera apud improbos homines viget, e contra noster Antonius unanimitatem suffragiorum sibi collegit.

95. — Nemo porro, presbytero Assisiensi adhuc vivente, huic communi opinioni contradicebat: immo aperte et palam illa affirmabatur. Acta enim testantur, Fulginii, quo Dei Servus se contulerat, ut conciones teneret, populum concordi flagrasse desiderio illum sanctum, et summum quidem inter sanctos proclamandi. Scimus autem Assisii famam sanctimoniae adeo praeclaram fuisse, ut opinioni anteiret, quae de aliis sanctis Dei viris communiter haberi solet. Quapropter, cum per vias civitatis appareret, cives illum aspicientes aiebant: « Ecco S. Filippo Neri ». Nec secus sensit P. Magister Antonius Musilli ex Ordine Min. Conventualium, qui virtute non communi et optima fama excellebat: ipse porro, qui conscientiam Dei Famuli moderabatur, et pene quotidie eius homologesim sacramentalem excipiebat, tantam existimationem de illo conceperat, ut de eodem loquens semper asseveraret: « È un sant'uomo ». Quisnam tam gravium ac concordium testationum ponderi aliquid aliud adiicere poterit? Mihi liceat tantummodo ad memoriam Emorum Patrum revocare clarissimum testimonium Antistitis Assisiensis Landi-Vettori, qui, maximi faciens Antonium, ad eius consilium et opus in negotiis magis arduis ac salebrosis confugiebat.

96. — Fundamentum huiusce opinionis solidissimum quidem est: ista enim in primis innitebatur ardori, quo cultum erga SS. Nomina Jesu et Mariae promovit et auxit: virtutibus deinde, quas heroico gradu et mirabili perseverantia exercuit: donis etiam supernaturalibus, quorum singulis diebus specimina praebebat illustria: prodigiis denique, quae Deo permittente et disponente passim patrabat. Haec tangere consulto voluimus, ut omnibus pateat quam merito noster Antonius summo haberetur in pretio, et concordi praeconio ad sidera efferretur.

CAPUT XV.

De pretioso Servi Dei obitu eiusque funeribus.

97. — Cum imminentem mortis exitum Dei Famulus persentiret, eam strenuo pectore oppetiit: et Monialibus S. Andreae digitum morbo affectum ostendens, declaravit illam esse postremam infirmitatem, eisque valedixit. Porro de morbi natura mentionem facit XVII Testis, inquiens: « fu « un patereccio al dito pollice della mano sinistra ». Antonius, qui, a mundanis curis remotus et animum a terrenis cogitationibus enixius in dies abstrahens, nil praeter caelitum sedem futuramque vitam mente versaverat, nunc totis viribus se in Deum erexit. Siquidem ad extremam usque horam lucidum servans intellectum voluit iterum animam homologesi sacramentali lustrare, se caelesti alimonia communire, et oleo infirmorum deinde inungi. Dum in eo erat, ut sacrum acciperet viaticum, licet detineretur in lecto, se sustulit, et genibus flexis manibusque iunctis preces pro morientibus opportune praescriptas recitabat.

98. — Brevis quidem fuit morbus, sed gravium dolorum Servo Dei causa. Attamen infirmitatis molestias magna tulit patientia, quin unquam conquereretur, et intenso gestiens gaudio aiebat: « È poco quello che il Signore mi fa sof- « frire ». Obedientisssimum se exhibuit erga illos, qui ei adstabant, et semper de caelo loquebatur ac de Deo, cum quo coniungi ardentissime cupiebat. Fertur extremum cum humani generis hoste sustinuisse certamen, in quo tamen victor exstitit: post enim colluctationem vi inquiebat: « ho « vinto, ho vinto ». Omnes fere testes verbum faciunt de suavi visione, qua moriens fuit recreatus: in illa enim SS. Virginem, Iosephum et millia millium angelorum conspiciebat, qui Deiparam comitabantur. Cum deinde Antonius dixisset: « ecco che io muoio, e l'anima mia va in « Paradiso », adstantes commoti fuere, et Canonicus Batori « intuonò le Litanie della Madonna, alle quali rispondeva « il Servo di Dio e all'invocazione — *Auxilium Christia-* « *norum* — il Servo di Dio placidamente spirò ». Hoc accidit die 9 Novembris 1848. Postrema autem verba, quae ex ore Dei Famuli prodierunt, sanctissima fuere Iesu et Mariae nomina, quorum cultus ferventissimus exstiterat apostolus.

99. — Cum haec evenirent, ad cellam morientis frequen-

tissimi convenerant Christifideles, quorum aliqui ob nimiam multitudinem pretiosissimae morti interesse nequiverunt. Vix obitus nuncius per civitatem est diffusus, omnes vicissim fatebantur: « è morto il Santo »; haec una vox audiebatur Assisii, quae eximiarum virtutum herois quotidiana fuerat spectatrix. Tum aliquid contigit miri, quod a Monialibus S. Andreae fuit notatum. Audiamus Vicariam eiusdem asceterii: «... dopo poco le Correligiose mi chiamarono per « darmi la notizia che il Servo di Dio era passato, e che « esse avevano veduto un gran globo di fuoco partire dal « tetto della camera del Servo di Dio e sollevarsi al cielo. « Quando questo globo si rese invisibile agli occhi loro, vi« dero cadere sopra del tetto stesso scintille di fuoco, ed io « stessa invitata a salire alla finestrella, potei vederne pa« recchie ». Hac ignis apparitione sanctitatem Antonii caelum confirmabat, dum statim erga illum hominum incipiebat cultus; siquidem non defuit, qui tantam venerationem in demortuum persensit, ut eius subuculam indueret: item scimus « che per devozione i fedeli portarono via dalla ca« mera gran quantità di oggetti, perfino la fascia col nome « di Gesù e Maria, di cui egli soleva cingersi ».

100. — Reverenti pietate adhibitae fuere erga demortui corpus omnes eaedem curae, quae consanguineis vel amicis carissimis solent praestari. Nullus minus gratus odor e cadavere manabat, quod non corpus defuncti sed viventis censebatur. Quid deinde actum fuerit, ediscamus ex ore illius, qui piis curis exuvias Dei Servi est prosequutus: « Fu tra« sportato poi il cadavere nella Chiesa del Monastero di « S. Andrea, ove rimase esposto fino al trasporto che se ne « fece alla Parrocchiale di S. Pietro. Nell'una e nell'altra « Chiesa si ebbe gran concorso di popolo, e ciascuno voleva « baciarne la mano; alcuni ne sminuzzavano il camice e le « altre vesti. Per comodo della gente, essendo stato posto « il cadavere sopra il catafalco, si pose una scala, per la « quale le persone salivano, per soddisfare la loro devozione. « Il trasporto si fece processionalmente coll'intervento gra« tuito di tutte le Confraternite. Il funere che si fece in « S. Pietro fu solennissimo, e per dare sfogo al popolo si « tenne esposto il cadavere più di un giorno ». Tanta fuit fidelium veneratio, ut imperitura permaneret memoria in civibus, qui etiam hodie, praeter quam funebris pompae, recordantur quoque innumerarum solemniumque existimationis testationum, quas cuncti civitatis ordines Dei Famulo exhibuerunt. Ad praepediendum vero vel moderandum immodicum fidelium concursum advocati fuere milites custodiae civicae, qui vix tantum populum omni ex parte affluentem poterant continere.

101. — Deinde statutum est de exuviis inhumandis in sacello coemeterii, quod S. Petri templum contingit. Quid tunc acciderit, a Teste LI audiamus: « Il concorso fu straordi« nario, e quando dal catafalco lo deposero presso l'altare « di S. Mauro, tutta la gente gli si fece addosso, e chi ta« gliava le sue vesti, chi tagliava i capelli, e il fu D. Bal« dassarre ricordato gli tolse il collare e la berretta, facendo « un cambio col collare e la berretta sua ». Remoto tandem frequentissimo populo, ianuae templi occlusae fuere, ut libere Servi Dei cadaver in sepulchro componeretur.

102. — Interim nata est suspicio, Bictonienses noctu tam pretiosum cadaver surripere velle, quod ad se spectare asseverabant. Hanc suspicionem nocturnus canum latratus roboravit, qui Monasterium S. Petri custodiebant. Accessit visio Abbatis Ecclesiae Paroecialis S. Petri, cui inter somnia apparuit Dei Famulus, cupidus in alio sepulchro intra fines templi conquiescendi. Nescio quanti sint putandae istae rationes, quae a nonnullis testibus indicantur. Argumentum praecipuum exhumationis ac translationis cadaveris, quae circa viginti post dies ab obitu paracta fuit, inveniendum est profecto in voluntate populi iubentis, in loco honestiori ac digniori exuvias tanti viri esse condendas. Nulla tamen oriatur dubitatio de debitis opportunisque facultatibus ab ecclesiastica auctoritate ad eumdem finem obtentis; siquidem Vicarius Generalis Dioeceseos testatur: « il che fu fatto « coll'autorizzazione ecclesiastica, e so che furono presenti « fra gli altri il Cancelliere Vescovile, i Canonici Severini « e Batori, oggi defunti, con altre persone ». Mira quidem et prodigiosa hac apparuerunt occasione, quae a Teste VIII referuntur. Non taedeat Suffragatores Amplissimos testimonium tanti momenti perlegere: « Fui presente alla esu« mazione del cadavere, ed anzi io stesso collo scalpellino « Madami, nonostante il divieto, sollevai il coperchio della « cassa schiodandolo, ed allora presenti tutti, si conobbe il « cadavere perfettamente intatto come vi era stato collocato, « flessibile e lo stessissimo come quando era prima di mo« rire e sul letto. Dal cadavere non usciva affatto fetore « di sorta, ma sembrava di persona viva; tantochè aven« dolo mosso nel braccio, questo era flessibile; avendogli « aperto gli occhi io stesso, questi erano lucidi e intatti. « Dal dito ove ebbe il patereccio nell'ultima malattia, uscì « vivo sangue; lo scopersi aprendone le vesti nel petto, e « con forbici gli recisi dei peli, che furono distribuiti fra i « presenti; in questa circostanza mi tolsero le forbici dalle « mani, e alcuni se ne servirono per recidere dei pezzetti « di camicia e delle altre vesti. Scoperto il petto, si notò « che dalla parte del cuore usciva vivo sangue, senza che « il cadavere del Servo di Dio fosse punto e senza che si « conoscesse traccia alcuna di ferita. Ciò crebbe in tutti la « meraviglia, e in quel sangue si bagnarono alcuni fazzo« letti, che poi furono conservati per divozione. Questo san« gue, non abbondante, quasi trasudava, perchè terso la « prima e la seconda volta, si vide come ripullulare, senza « che io vi potessi conoscere alcun indizio di qualsiasi fe« rita, sebbene vi mettessi nell'osservare tutta l'attenzione. « Dopo ciò dovei tralasciare queste mie ispezioni, perchè « non fu permesso più oltre; e tutto ciò avvenne alla pre« senza di quelle persone (15 o 20) che si trovarono alla « esumazione e ricognizione del cadavere. Questo fu giudi« cato da tutti come straordinario ».

103. — Si haec cum aliis conferantur testimoniis, plura nobis patent notatu digna. Cadaver intactum remanserat, etsi in non brevi intervallo, quod ab obitu ad exhumationem intercessit, imber continens solum permeaverat: statum flexibilitatis adhuc servabat, omnesque praeseferebat conditiones, proprias corporis quod spiritu moveatur: suavem ac iucundum fundebat odorem, sanctitatem demortui praedicantem: sanguinem vivum prodigiose emittebat, quasi fons, unde aqua continenter hauritur. Quae facta explicari nequibant, nisi ea ad Antonii sanctimoniam referendo, cuius fama tunc magnopere percrebuit. Interim exuviae, in curialem S. Petri aedem translatae, reconditae fuere in ala sinistra apud ianuam, quae ad claustrum perducit, ibique splendidum extitere signaculum gratiarum prodigiorumve, quae, intercessioni Dei Famuli tributa, non parum contulerunt ad eius gloriam ac famam sanctitatis augendam.

CAPUT XVI.

De fama sanctitatis post obitum.

104. — Dum nomen ac laus impiorum putrescit, memoria bonorum laudibus posteritatis commendatur, iuxta Sapientis effatum «... *nomen illius erit vivens in aeternum. — Non recedet memoria eius, et nomen eius requiretur a generatione in generationem. Sapientiam eius enarrabunt gen-*

tes, et laudem eius enunciabit Ecclesia » (1). Iamvero, licet quinquaginta et quinque effluxerint anni a die, in quo Antonius noster ex hac vita migravit, eius opinio sanctitatis nedum a nulla nube fuit obscurata, sed maius habuit incrementum, et fulgidiori enituit luce.

105. — Saepe tempore progrediente accidit, ut quidam minus perseverantes sint in celebranda eximiorum hominum gloria, qui velut umbrae e mundi spectaculo evanuere. Hanc sortem non habuit Dei Famulus, qui causa heroicarum virtutum adhuc hodie communiter summis honestatur laudibus. Nec putetur solummodo Assisii, ubi in Domino exuviae illustris herois requiescunt, sed in aliis quoque locis hanc praeclaram opinionem tempori superfuisse, nam testis Hispelli fatetur. Tamen inclytae famae perennitas ac propagatio eo magis elucebit, si quaedam attendantur testimonia, quorum gravitatem ac pondus nemo est qui non noverit. Et sane passim nomine sancti appellatur Antonius: inter caeteros Testis fatetur: « Per mio conto dopo Dio ho « D. Antonio, e quando entro nella Chiesa di S. Pietro, vado « prima a visitare il suo sepolcro e poi Gesù Sacramentato ». Ignoscatur, quaeso, feminae simplicitati, quae tamen tanta eloquentia instructa est, ut certitudinem ingerat illius sanctitatis, quae ingenuo ac veraci sermone ostendebatur.

106. — Qua de re nil mirum si in tabulis occurrant testes, qui nullas preces effundunt expiatorias pro anima Antonii, sed e contra illius patrocinio se committunt, eumque adprecantur ea ratione, quae solet adhiberi erga viros, qui Apostolicae Sedis decreto in coetu Sanctorum sunt cooptati. Quaenam sententia erit tandem ferenda de tali opinione, cui nemo unquam contradixerit? Quid de fama asserendum, quae homines cuiusvis generis vel ordinis habuit semper concordes?

107. — Ast ineluctabile eruitur argumentum ex ipso demortui sepulcro. Sileo de solemnibus exequiis, quae in eius honorem persolutae fuere: sileo de ornata atque eleganti oratione, quae insignia eius merita celebravit: sileo de marmoreo sepulcro in eius memoriam elato: sileo de honorabili epigraphe, quae virtutes presbyteri praedicabat: sileo denique de parvo simulacro, quod artifex confecit ad effigiem Servi Dei exprimendam; siquidem omnia haec mundanis heroibus solent etiam concedi, ideoque non semper sanctimoniae praebent argumentum. Sed silere non possum de frequentissimo ad sepulcrum concursu, per quem fiducia populi in Dei Famulum probatur, cuius intercessio ardentissimis imploratur deprecationibus.

108. — Nec talis fiducia inanis vel irrita fuit, namque a fidelibus plures impetratae fuere gratiae et miracula, quae patrocinio efficacissimo illius viri adscribuntur, qui adhuc vivus suos concives sanationibus aliisque portentis copiose cumulaverat. Signum fiduciae ac venerationis dignoscitur in votis, quae, grato fidelium animo superposita sepulcro, fuere statim mandato ecclesiasticae auctoritatis sublata. Lumina etiam super conditorio pii christiani accendebant, ut gratias agerent vel favores rogarent: sed praefata auctoritas, decretis Urbani VIII obsequentissima, quamlibet cultus manifestationem rigide impedivit. Nihil igitur deest, quod ad perfectam solidamque sanctitatis famam Antonii constituendam more consueto exigitur.

CAPUT XVII.

De miraculis post obitum.

109. — Aeternam caelitum beatitatem iam Dei Famulum sibi comparasse, luculenter constat ex innumeris prodigiis, quae post obitum exoratus patravit. Miracula enim, iuxta divinam sapientiam, sanctimoniam eius demonstrant, quem velut virtutum exemplar Deus proponere intendit. Quis igitur in dubium revocare ausus fuerit sanctitatem Antonii et splendorem praemii caelestis, quod idem fuit assequutus, si ei tot ac tanta tribuantur prodigia, quot et quanta in historiis perillustrium sanctorum perlegimus?

110. — Porro inter portenta recenseamus oportet miras visiones, in quibus Dei Famulus vel de Paradiso loquebatur, vel aliquos concedebat favores. Soror conversa, Nazarena Barboni, quae acri dolore in coxendice cruciabatur, cum Antonii intercessionem implorasset, illum noctu pervidit, ad eum alloquuta est, eiusque manum persensit, per quam omnis evanuit dolor. Plures in actis enarrantur sanationes vel a morbis rheumaticis, vel a violentis capitis doloribus, vel ab aliis diversae naturae infirmitatibus: sanationes inquam, mirificae, quae iuxta concordem testium ac populi sententiam iure Dei Servo adscribuntur. Quaedam Soror conversa, cum non levem retulisset offensionem in oculo, in quo fuit ramulo percussa, tota fiducia ad Antonium se confugit, eiusque patrocinium experta est favorabile. Mater, cuius filia, pluribus morbis affecta, lumine quoque oculorum destituta erat, enixis precibus summaque fiducia obtinuit, ut olim domum rediens filiam absolute sanatam reperiret. Maria Renzi, horribili morbo vexata, quem illustres Perusiarum doctores frustra curaverant, post preces Dei Famulo solutas, stupore omnium praesertim parentis, divinitus fuit sanata. Quid dicam de Paulo Armezzani, qui ter caelestiales Antonii favores meritus est? Siquidem primum ab ernia et a pneumonite, deinde vero a tuto vel mortis vel gravis infortunii periculo, iuxta communem adstantium opinionem, prodigiose fuit liberatus. Quid de ipsa Pauli genitrice dicam, quae, nomine Servi Dei invocato, contra militum consilium impetum fecit in ignem, in quo duo infantes erant morituri, eosque a morte eripuit, incolumis permanens?

111. — Quodnam morborum genus potenti S. Dei intercessione eiusque reliquiarum usu fugatum non fuit? Soror Maria Concepta Carleforti, quae hemicrania laborabat, postquam demortui pileum capiti imposuit, quamlibet dolorum remotionem plane experta est. Miras sanationes duo impetrarunt viri, quorum alter febre, alter angina graviter afficiebatur. Mentio fit etiam de rustica femina, quae frusto vestium Dei Famuli varias infirmitatum species curavit. Antistita Monialium S. Catharinae Bictonii, cum sanguineis vomitibus vexaretur, in gravi vitae discrimine, ex medicorum iudicio, versabatur: at, ubi nonnulla stamina subuculae Antonii una cum aqua deglutivit instantaneam recuperavit valetudinem. Altera Monialium Antistita testatur, se, in extremum adductam, tactu reliquiarum Servi Dei perfectam assequutam esse sanitatem. Usu sudarii, sanguine illustris defuncti madefacti, femina, cuius pectus morbo afficiebatur, divinitus convaluit. Eodem sudario alia obtenta fuere prodigia, ob quae ab imminente morte aegri liberabantur: inter istos recenseatur puer, qui, licet unum ageret annum, mire suam protulit vocem, ut Antonio salutem adscriberet. Testis LIII, de cuius salute medici desperaverant, adhibito praefato pileo, sanationem impetravit. Maria Sensi, variis morbis intensisque doloribus afflictata, simul ac pallio Dei Famuli fuit in corpore signata, penitus convaluisse fertur. Nec sanationes tantum, sed beneficia quoque alterius generis insignis demortuus largiebatur. Etenim narratur in asceterio Lilii vinum, quod Superiorissa optimum emerat, infeliciter mucuisse: sed, postquam in dolium ligneum immissum fuit frustum indumentorum Dei Servi, mirabilis peracta est immutatio, ob quam foetidus odor evanuit. Ne huius capitis moles extra modum succrescat, alia facta non minoris momenti praetermittimus, quae tamen in tabulis Summarii congesta Suffragatores sapientissimi reperient.

(1) *Eccles., cap. XXXVII, v. 29; cap. XXXIX, v. 13, 14.*

112. — Silentio tamen praeterire nequimus nonnulla ex innumeris portentis, quae super Dei Famuli sepulcro fuere patrata. Scimus enim virum, qui ingentes perpetiebatur dolores, et deambulare non poterat quin scipionibus inniteretur, ad tumulum Antonii se contulisse, ut gratiam sanitatis postularet: porro ferventissimas post adprecationes dignus fuit gratiam singularem consequendi, nam scipiones ibi reliquit, et sine ullo praesidio domum reversus est. Laudat insuper Antonii patrocinium Armanda Buzi, quae, adhuc puella, cum usu pedum atque oculorum fuisset destituta, ad illius conditorium adducta a duplici infirmitate evasit incolumis. Item fertur quidam adolescentulus miro modo lumen oculorum recuperasse super eodem sepulcro, ubi parens aegroti invicta fiducia petierat ab Antonio quidquid salutaris ars negaverat. Ibidem portentosa valetudo fuit mulieri restituta, quae gravi tumore laborabat, de cuius insanabilitate medici solemne ediderant testimonium. Super eodem sepulcro puellae, septem annos natae, quae ob incurabilem morbum in spina a doctoribus fuerat derelicta, sanitatem impetrarunt ferventissimae parentum preces, qui deinde magna lacrymarum effusione gratias tam inclyto intercessori apud Deum referebant.

113. — Praeclara haec prodigia mirifice confirmant ea, quae in universo orationis cursu probare contendimus, nimirum Antonium nostrum splendore suarum virtutum Deo acceptissimum fuisse, et gloriam beatae immortalitatis inter coelites esse nactum. Spe itaque summopere erigimur fore ut huic causae rite ineundae Sacer hic Ordo propitium ferat suffragium, prout enixe atque obsequenter efflagitamus cum civibus Assisii totaque Umbriae provincia, et pervigili causae Postulatore R.mo D. Iosepho Pennacchi, qui suis sumptibus hanc causam tanta alacritate suscepit, et mira praeditus constantia nulli parcit labori, ut illa favorabilem sortiatur exitum. Non denegetur itaque huiusmodi solatium tam indefesso Postulatori, qui anno proximo una cum aurea solemnitate sui iubilaei sacerdotalis quam maxime sperat fore celebraturus decretum, quo universim nuncietur Commissionem Introductionis Causae Dei Famuli a Summo Pontifice fuisse signatam.

Quare, etc.

Die 4 Octobris 1903.

Ioannes Baptista Minetti, *Adv.*
Carolus Salotti.
REVISA.
Angelus *Adv.* Mariani
S. R. C. Assessor et S. Fidei Subpromotor.

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

Indulg. conceduntur ad decennium pro pia Societate matronarum ab aegrotis sublevandis in civitate Meten. erecta.

Beatissime Pater,

Episcopus Metensis ad pedes S. V. devote provolutus, quae sequuntur exponit:

Pluribus abhinc annis in civitate sua episcopali canonice erecta est pia matronarum societas ab aegrotis domi sublevandis appellata, quam amplissime commendat pietas et charitas, cum valde fructuose laboret sublevandis aegrotantium domi suae derelictorum corporibus, multo magis autem ipsorum spirituali bono procurando.

Ut tam frugiferum opus uberiora in dies incrementa capiat, episcopus orator enixe rogat ut S. V. sequentes indulgentias, defunctis quoque applicabiles (excepta plenaria in articulo mortis lucranda), benigne concedere dignetur Moderatoribus societatis, piis feminis in eam adlectis, aliisque sive religiosis sororibus, sive laicis, quae piae societati ad normam statutorum, praestant operam:

1° Plenariam indulgentiam die festo septem dolorum B. M. V., fer. VI post dominicam Passionis, vel uno ex septem diebus immediate sequentibus, dummodo praefatae personae, confessae ac s. Synaxi refectae, aliquam Ecclesiam vel publicum oratorium devote visitaverint, ibique ad mentem S. V. pias preces fuderint;

2° Plenariam indulgentiam in mortis articulo lucrifaciendam, dummodo uti supra dispositae, vel saltem contritae, SS.mum Iesu nomen ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint;

3° Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum singulis IV feriis quatuor temporum, si in sacello ubi societas erecta reperitur, pio exercitio ad normam statutorum peragendo corde saltem contrito ac devote adstiterint;

4° Indulgentiam centum dierum quoties aliquod pium opus iuxta statuta, corde pariter contrito et devote peregerint.

Et Deus.....

SS. D. N. Pius PP. X in Audientia habita die 24 Martii 1906 ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit in omnibus iuxta preces. Praesenti ad decennium valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congr., die 14 Martii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE STUDIORUM

Collegium Divi Thomae Aquinatis de Urbe *Pontificium* declaratur, gradusque academici ab illo concessi eosdem sortiuntur effectus canonicos, ac illi gradus qui in aliis Universitatibus catholicis conferuntur.

Beatissimo Padre,

Il Padre Fr. Enrico Buonpensiere, dei Predicatori, Reggente del Collegio di S. Tommaso d'Aquino de Urbe, supplica umilmente Vostra Santità affinchè si degni concedere

a detto Collegio il titolo di *Pontificio*, dichiarando che i gradi accademici, che da esso si conferiscono in Filosofia, Teologia e Diritto Canonico, abbiano gli stessi effetti canonici di quelli che si conferiscono in altre Università cattoliche.

Che della grazia, ecc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X in Audientia diei 26 mensis Maii 1906, referente subscripto S. Congregationis Studiorum E.mo Cardinali Praefecto, attenta commendatione R.mi P. Generalis Ord. Praed., benigne libenterque annuens precibus R.mi P. Henrici Buonpensiere Regentis Collegii Divi Thomae Aquinatis de Urbe, mandare dignatus est, ut hoc perinsigne Collegium, in quo florent studia Philosophiae, Theologiae ac Iuris Canonici, posthac *Pontificium* vocari possit; et gradus academici, qui ab eo in Philosophia, Theologia ac Iure Canonico rite conferuntur, eadem prorsus iura ac privilegia habeant, quae habent ii qui in qualibet Universitate catholica canonice instituta conferuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

✝ Fr. Card. SATOLLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

ASCENSUS DANDINI, *a Secretis*.

E SECRETARIA STATUS

I.

In christiana catechesi tradenda, Pius X potius substantiam praescripsit quam modum.

E.me ac R.me Domine mi Observantissime.

Communes litteras Episcoporum Borussiae, quibus pro Magnoducatu Hassiae Episcopus Moguntinus accessit, Beatissimus Pater accepit, eaque qua par erat diligentia perlegit. Iamvero iucundum Sanctitati Suae est idemque multae erga vos causa gratulationis, quod per receptas istic consuetudines et per piam sacerdotum optimorumque laicorum sedulitatem abunde satisfiat postulatis quorum mentio ac iussio in encyclicis litteris *Acerbo nimis* habetur (1). Equidem si quid summopere Sanctitas Sua exoptabat ac praecipiebat, id erat procul dubio ut christiana catechesis omni ex parte et cum omnimoda fidelium utilitate traderetur. Quoniam vero haec tanta commoda iam sunt apud vos comparata ac provisa, hisce certe contentus Beatissimus Pater est, qui ea omnia unde melius et opportunius praeceptis eius obsecundetur, conscientiae et iudicio vestris committit.

Dum Eminentiam Tuam ac Eminentissimum Cardinalem Archiepiscopum Coloniensem ceterosque in Episcopatu Borussico et Hassiae collegas de eiusmodi Pontificis Summi mente certiores efficio, altissimae existimationis sensus tibi aperio ac manus tuas humillime deosculatus, permaneo

Eminentiae Tuae, humillimus et addictissimus vere famulus

R. Card. MERRY DEL VAL.

Romae, die 21 Augusti 1905.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIII, p. 145.

II.

Pius X laudat et probat Archisodalitatem cui nomen Opus a Catechismis, Parisiis erectam.

Ex audientia SS.mi, die 29 Novembris a. 1905.

Beatissimus Pater, libentissimo animo attendens florere in urbe Parisiensi egregiam Sodalitatem, cui nomen Opus a catechismis a S. M. Leone XIII, Decessore, probatam, et Archiconfraternitatis titulo ac privilegiis ornatam, talemque Sodalitatem cohaerere intelligens cum sensu ac spiritu legis quartae litterarum Encyclicarum *Acerbo nimis*, Archiconfraternitatem eadem laude et probatione Sua augere dignatus est, eamque in omnibus privilegiis ac iuribus ipsi antea collatis benigna voluntate confirmavit, ita quidem ut qui nomen eidem Sodalitio dederint, praescriptis laudatae Epistolae Encyclicae plenissime satisfacere censeantur.

Datum e Secretaria Status, die, mense et anno supradictis.

R. Card. MERRY DEL VAL.

E VICARIATU URBIS

Proscribitur in Urbe liber « La question biblique au XXe siècle, par A. Houtin ».

Cum Nobis constet de consilio proxime evulgandi in hac Urbe Roma librum cui titulus *La question biblique au XXe siècle* par *Albert Houtin*, Paris, Librairie E. Nourry, 14, *Rue N.-D. De Lorette, 1906;*

Audita sententia aliquorum doctorum virorum, praedictum librum, auctoritate Nostra ordinaria, proscribimus atque proscriptum declaramus.

Itaque nemini cuiuscumque gradus et conditionis Nostrae iurisdictioni subiecto librum proscriptum aut vendere aut legere vel retinere liceat sub culpa lethali.

Datum Romae, die 14 Maii 1906.

PETRUS RESPIGHI, Card. Vicarius.

L. ✠ S. FRANCISCUS Can. FABERI, *Secretarius*.

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

XLII. — **Die Sabbati 10 Iunii 1679.**

CALAGURITANA ET CALCIATEN. — Residentiae ac Tribunalis. — R. *Ad primum in decisis; quoad secundam partem recedendum.*

TERDONEN. — Expositionis Sanctiss. Eucharistiae. — R. *Ad suos iudices.*

AVENIONEN. — Matrimonii. — R. *In decisis et amplius non proponatur.*

FAVENTINA. — Praesentationis. — R. *Sustineri per viam supplicationis.*

TRAGURIEN. — Missae Conventualis. — R. *Affirmative ad primam. Ad secundam et tertiam negative.*

ANGREN. — Negociationis. — R. *Affirmative seclusa fraude.*

INTERAMNEN. — Concursus. — R. *Negative.*

BONONIEN. — Vicariae. — R. *Teneri.*

145. Calaguritana et Calciaten. — Residentiae, ac Tribunalis.

Alias Capitulum Calciaten. conquerebatur, quod licet Episcopus duas haberet Cathedrales, nempe Calaguritana et Calciaten., nihilominus in neutra residebat; ideo Sacra Congregatio, 4 Iunii 1639, censuit iniungendum Episcopo, ut in sua Cathedrali Ecclesia residere non praetermitteret temporibus a Sacro Concilio praescriptis in cap. I, vers. Eosdem admonet, sess. 23, *de reform.* Assumpto etiam moderno Episcopo ad episcopatum ultroque clerus, ultroque populus civitatis instantiam renovavit pro talis decreti observantiam. Verum quo! maturius procederetur existimarunt EE. PP. instructionem prius sumere a D. Nuncio Apostolico, ad quem propterea opportune litterae datae fuerunt. Isque audito extraiudicialiter Episcopo et Capitulis, quiquid hinc inde deductum fuit, ad Sacram Congregationem transmisit, prout fuse videri potest in folio diei 16 Februarii 1675, quod reassumere non gravabuntur. Quibus positis, et accedente instantia Maiestatis catholicae ad favorem Capitulorum, duplex dubium fuit propositum, nempe primum: An dictus Episcopus teneatur in alterutra ex Cathedralibus residere saltem temporibus a Concilio expressis in cap. 1, sess. 23, *de reform.* Secundum, an teneatur in alterutra par. ex iis tribunal perpetuo retinere. Et Sacra Congregatio mature examinatis, et accurato studio perpensis exceptionibus D. Episcopi, replicationibus cleri, tabella geographica Episcopatuum, aliisque documentis transmissis per D. Nuntium; quoad primum dubium respondit: « Episcopum ita teneri »; quoad secundum dubium distulit resolvere, ut videretur quot Vicarii Generales adessent; et cum comperisset adesse unum Vicarium Generalem, qui utriusque Episcopatus iurisdictionem administrat, reproposito iterum dubio sub die 16 Martii eiusdem anni, eadem Sacra Congregatio censuit Episcopum teneri in alterutra ex praedictis Cathedralibus tribunal perpetuo retinere.

Expeditis subinde pro talis decreti confirmatione et observatione Brevi Apostolico ac monitorio A. C. D. Episcopus diu parere recusavit, instans prius audiri. At audientia denegata, nisi prius paruisset, tentatisque aliis viis licet incassum, demum induxit animum ad parendum, datisque paritionis attestationibus, instat recedi a decisis, considerandum praesertim proponens antiquitatem temporis, quo Episcopi, et residentiam ac tribunal habuere Lucrunii, quem locum dicit toti dioecesi commodiorem; item Breve Leonis X id concedens; quamplura mandata Capitulorum dioecesis, ne exinde tribunal amoveatur, aliaque per informantem deducenda. E contra pro parte Capitulorum exhibentur viginti septem litterae totidem Cathedralium Hispaniarum, nec non litterae Maiestatis catholicae pro residentia, ac tribunalis retentione in alterutra ex Cathedralibus. Quibus stantibus, monita utraque parte ad informandum, non graventur EE. PP. respondere:

An standum sit, vel recedendum a decisis.

R. *Ad primum, in decisis; quoad secundam partem, recedendum.*

146. Terdonen. — Expositionis Sanctiss. Eucharistiae.

Terdonensis Episcopus pro debita SS.mi Sacramenti veneratione edicto mediante prohibuit Confraternitatibus, ne illud exponerent absque ipsius Episcopi licentia. At Confraternitas Mortis, terrae novarum, sub praetextu privilegiorum, et aggregationis Archiconfraternitati Urbis, parere recusavit. Ideo Episcopus ad interdicti poenam processit. Appellarunt confratres et per contradictas reportar. A. C. absolutionem, interdicti remotionem et sententiam favorabilem pro expositione semel in mense. Pro tali sententia circumscribenda idem Episcopus recursum habuit ad Signaturam, sed ista rescripsit, Nihil. Quare Episcopus occasione visitationis SS. Liminum ab hac Sacra Congregatione remedium petiit, ne per iudiciales tramites defatigetur, et interim divino cultui detrahatur.

His relatis 22 Aprilis dictum fuit: audiatur pars; rursus 13 Maii videantur Bulla, et forma aggregationis, et ponatur in folio.

Sane Pius IV in sua constitutione la 22 de anno 1560, 15 Kal. Decembris, § II, concessit Archiconfraternitati Mortis de Urbe facultatem exponendi semel in mense et nonnullas indulgentias communicandi.

Verum Clemens VIII, anno 1604, in constitutione la 115 moderatus fuit praedictam constitutionem Pii IV voluitque ea tantum censeri communicata, quae expresse communicantur, et non sub generalitate verborum, nec non quod statuta, privilegia, etc., subiacerent decretis, ac moderationi Episcoporum. Demum Paulus V, praescripsit formam huiusmodi communicationis, et aggregationis, quae inserta legitur in aggregationem Confraternitatis, de qua agitur, facta anno 1632 et datur in Summario per informantem et in ea nequaquam legitur facultas SS.mum exponendi. Quibus po-

sitis aliisque deducendis per partes monitas ad informandum, quaerendum videtur:

An dicta Confraternitas possit publicae adorationi exponere SS.mum Eucharistiae Sacramentum absque licentia Episcopi.

R. *Ad suos iudices.*

147. **Faventina. — Praesentationis.**

In Congregatione habita 25 Febr. cuius folium, EE. PP., reassumere dignabuntur, disputatum fuit: an Archipresbyteratus 3ª dignitas in Cathedrali cum residentia voluntaria esset incompatibilis cum parochiali, et capta fuit resolutio affirmativa ratione pluralitatis, non autem residentiae, sed quia ad illum praesentatus fuit per procuratorem unicus patronus, data fuit ansa demandandi, ut de talis praesentationis validitate videretur. Adnotandum est igitur, quod Maiolus unicus patronus constituit procuratorem ad nominandum personam idoneam ad dictum Archipresbyteratum. Procurator praesentavit ipsummet patronum, quatenus posset praesentare, et quatenus non posset, supplicavit Ordinario, ut Maiolo illum conferret, et Ordinarius praesentationem et supplicationem respective admisit, remittendo ad Sacram Congregationem declarationem quoad incompatibilitatem. His igitur stantibus, inspiciendum videtur:

An huiusmodi praesentatio per procuratorem subsistat, sive potius per viam supplicationis postulatio sustineatur.

R. *Sustineri per viam supplicationis.*

148. **Tragurien. — Missae Conventualis.**

Quaerit Episcopus:

1. An Canonici Missam Conventualem, quam turnatim celebrant, teneantur applicare pro Conventu.

2. An dictam Missam celebrantes in funeribus defunctorum possint eleemosynam accipere, pro defuncto applicare et utrique oneri satisfacere.

3. An per eamdem Missam satisfieri possit obligationi Cappellae particularis, cuius onus ad altare maius translatum fuerit.

R. *Affirmative ad primam. Ad secundam et tertiam, negative.*

149. **Angren. — Negociationis.**

Presbyter beneficiatus in Insula S. Georgii percipiens ex propriis vineis quantitatem vini, difficillime potest vendere. Proinde ne illud ipsi depereat, supplicat declarari: an possit cum aliis rebus vendibilioribus permutare easque deinde per se, vel administratores suos honesto pretio absque illicitae negociationis reatu vendere.

R. *Affirmative, seclusa fraude.*

150. **Interamnen. — Concursus.**

Concursus habitus ad Parochialem, impugnatur a Valentino Caraciotto uno ex concurrentibus, sub praetextu quod unus ex tribus examinatoribus non fuerit ex deputatis in Synodo. Id ostendere intendit ex attestatione Marcelli de Robilibus asserentis totam Synodum eius manu scriptam fuisse, et in Cancellaria asservatam. Synodus autem per Episcopum exhibita, est tota ex charactere alterius. Item duo alii testantur Synodum scriptam fuisse manu Marcelli de Robilibus usque ad medietatem et reliquum Petri Ascarelli. Ex hoc eodem fundamento provisus de Parochiali considerat istas attestationes unam destruere aliam Synodum, exhibitam esse veram, in eaque inter quatuor descriptos esse tres examinatores, de quibus agitur. Episcopus etiam de sui antecessoris Synodo id entitate testatur et Caraciottum ab Examinatoribus approbatum quoad doctrinam fuisse postpositum propter inquisitiones criminales contra ipsum. Quibus stantibus monita utraque parte ad informandum, quaeritur:

An concursus, de quo agitur, fuerit nullus.

R. *Negative.*

ANALECTA VARIA

DE SANCTA MARIA DEIPARA

QUAESTIONES QUODLIBETALES

§. I.

De relatione Beatae Mariae Virginis ad Deum.

Duplex potest relatio Beatae Mariae Virginis ad Deum considerari: scilicet, aut *consanguinitatis*, aut *affinitatis*. Prior est per carnis propagationem ex eadem radice, qua relatione Maria ad Verbum refertur proprie et formaliter tamquam illius verissima Mater. Relatio autem affinitatis altera est *propria*, altera vero *metaphorica*. Relatio affinitatis propria est per carnis copulam, qua quis utique non fit particeps eiusdem radicis, sed eidem radici quasi extrinsecus adiungitur (1). Porro de hac affinitate hic sermo esse nequit; sed de affinitate metaphorice accepta, quae aliud non est, nisi quaedam propinquitas inter duas personas, propter convenientiam actionum orta.

Et quidem, de hac affinitate plura iam disseruimus (1), quibus placet sequentia, ex sacrorum scriptoribus excerpta, addere.

Maria rite vocatur Patris Filia, Sponsa Christi, Sacrarium Spiritus Sancti.

Ad cuius rei intelligentiam, primo advertendum est, in nominibus quae secundum metaphoram dicuntur, hoc verificari, nempe plura huiusmodi nomina uni personae competere posse, quae competere haud possent, si secundum proprietatem acciperentur. Quapropter, cum B. Virgo sit proprie Mater Verbi, ipsi proprie competere nequit nomen Sponsae aut Filiae eiusdem; po-

(1) S. Thom., Supplem. Quaest. LV, art. 1.

(1) Vide Tract. nostrum *de Beatissima Virgine Maria Matre Dei*, P. I, c. III, art. 3, pag. 75. Parisiis, Lethielleux, 1906.

test tamen, si haec nomina secundum metaphoram accipiantur. Et licet haec nomina aliis quoque creaturis rationalibus interdum decreta videamus, tamen contendimus illa soli Deiparae per antonomasiam, quod est excellentissime, competere.

I. MARIAM FILIAM PATRIS, AUT FILIAM UNICAM, IMO PRIMOGENITAM, AUT UNIGENITAM DEI, constanter praedicant sacrorum scriptores, tum apud Graecos, tum apud Latinos (1). Cuius rei ratio est quod Beatissima Virgo, praecise propter divinam maternitatem, prima est inter adoptivos Dei filios, propterea quod eius gratia gratiam cuiuscumque alterius sancti, imo omnium simul sanctorum, superat. Unde in aeternis consiliis prima omnium extitit, et in tempore filiatio eius typus est filiationis adoptivae omnium sanctorum (2).

II. Quod MARIA dici possit, utique metaphorice, SPONSA CHRISTI, quadruplici ratione ostenditur (3).

Primo propter eius *insignem sanctitatem*. Revera, si animae iustorum sunt sponsae Christi, dicente S. Bernardo (4): *Sponsae nomine censetur anima quae amat*, et signanter animae virginum, canente Ecclesia: *Veni sponsa Christi*, a fortiori anima Mariae Christi sponsa dici poterit, quae omnibus gratiarum privilegiis est donata; unde Patres et Scriptores sacri unanimiter in Sponsa Canticorum vident Beatissimam Virginem figuratam. Quinimmo Maria dicitur *unica* sponsa Christi, quae sola adsistit a dextris eius (5), eo videlicet quia est super omnes sponsas, unam mentem, unam haereditatem, unam domum, unam mensam, unum torum, unam quoque carnem cum Christo participans (6).

Secundo, propter *consensum in Incarnatione datum*. Cum enim Incarnatio fuerit connubium inter Verbum et humanam naturam, et quidem naturam humanam ex Maria consentiente sumendam, ideo quodammodo Christus ad Mariam Sponsi relationem habet; ita ut quod dixit Adam, et ipsa Virgo dicere valeat: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea* (7).

Tertio, propter *Deiparae cooperationem in opere Redemptionis*, Christo videlicet et Maria convenientibus in opus regenerationis hominum perficiendum; unde Maria vere est Christo data tamquam *adiutorium simile* (1).

Quarto, quia est *typus Ecclesiae*, Ecclesia autem est Sponsa Christi: atqui propter quod unumquodque tale, et illud magis (2).

III. Denique Deiparam iure meritoque vocitari SPIRITUS SANCTI TEMPLUM SEU SACRARIUM, facile ostenditur ex iis quae alibi diximus (3), scilicet id proprie dici templum, in quo persona inhabitans opera vitae rationalis exercet. Opus autem Spiritus Sancti in creatura rationali per hoc manifestatur, quod influxum vitae supernaturalis, per gratiae derivationem, exercet: unde fideles habentes non quidem solam fidem, sed fidem quae per charitatem formata est, templum sunt Spiritus Sancti, dicente Paulo (4): *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Sanctus habitat in vobis?* Atqui non solum Spiritus Sanctus fuit per gratiam singularem in B. Virgine, ita quod Angelus eam salutans diceret: *Dominus tecum*, sed etiam in ea operatus est quid singularissimum, formando videlicet ex ea corpus Christi; unde additur: *Spiritus Sanctus superveniet in te*, scilicet modo singularissimo faciens Virginem esse templum suum, tum secundum animam, tum secundum corpus.

Accedit quod cum divinae personae sint una in alia, Maria non potuisset Filium Dei ventris hospitio recipere, nisi etiam Spiritus Sanctus in ea domicilium ipsemet specialiter constituisset.

Denique, cum per Iesum Maria generare debuerit filios adoptionis, quae quidem filiatio per Spiritum Sanctum, tamquam imprimentem in nobis similitudinem filiationis naturalis completur, ideo ex hoc quoque capite Spiritus Sanctus in Maria habitare debuit, ut ipsi conferret foecunditatem spiritualem, sicut ipsi contulerat foecunditatem corporalem in conceptione Christi (5).

§ II.

De appellatione Trinitatis complementum (6).

Circa hanc appellationem, quae ex Hezichio (7) Mariae tribui solet, adverti sedulo debet hoc quod dicitur, scilicet Mariam contulisse Patri auctoritatem, secundum appropriationem intelligi debere cum huiusmodi locutio originem ducat ex

(1) Vide auctoritates apud J. B. TERRIEN, *La Mère de Dieu*, vol. I, pp. 194, seqq.

(2) In Vigilia B. M. V. in Ordine Serv. Mariae quolibet vespere recitari solita, 1ª lectio sic incipit: *Sancta Maria, Virgo virginum, Mater et Filia Regis regum omnium*. Sic quoque Aligherius:

Vergine Madre, Figlia del tuo Figlio.

(3) Vocatur etiam interdum B. Virgo *Sponsa Spiritus Sancti* (v. gr. a Leone XIII in Encycl. *Divinum illud*, 9 Maii 1897); at, iuxta J. B. TERRIEN (*La Mère de Dieu*, etc., vol. I, p. 202), appellatio Sponsae Spiritus Sancti data Mariae vix invenitur bis in longa saeculorum serie; cuius quidem rei forsan ratio potest assignari scriptorum sollicitudo ne inde inferendum videretur Spiritum Sanctum esse Patrem Christi.

(4) In Cant., Serm. VII, n. 2.

(5) Ps. XLIV, 10.

(6) S. BERNARD, l. cit.

(7) Gen. II, 23.

(1) Gen. II, 18.

(2) Quae ita cum sint, apparet quam merito, fere in omnibus festis B. M. V., Ecclesia, ad eius laudes celebrandas, loca excerpserit ex Cantico Canticorum, quod est sublimissimum carmen quo ineffabilis amor Sponsi erga Sponsam et vicissim describitur.

(3) Tract. DE SANCTISSIMA TRINIT. Quaest. XLIII, art. 3, n. 5.

(4) I Cor. III, 16.

(5) Vide J. B. TERRIEN, *La Mère de Dieu*, etc., vol. I, p. 206. Hac de causa in festo Praesentationis B. M. V., in antiph. ad Magnif., Maria vocitatur *Templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti*.

(6) Vide *Tract. de Bma Virgine Maria*, P. I., c. III, art. 3, n. 7, p. 77.

(7) Invenitur citatus locus in Magna Bibliot. Vet. PP. t. XII, p. 665, Parisiis, 1644.

Incarnatione, quae est opus ad extra; in operibus autem ad extra communicant omnes divinae personae.

Similiter intelligendum est quod dicitur Mariam Spiritui Sancto contulisse ut foecundans fieret generatione temporali Christi Domini: circa quod et hoc notasse iuvabit, scilicet, huic dicendi modo minime obstare quod B. Virgo fuerit instrumentum in Incarnatione, instrumentum autem aliquid non confert principali agenti: hoc, inquam verum est tantum in eo in quo est formaliter instrumentum, quod est in eo in quo actionem principalis agentis participat, non autem in eo in quo instrumentum habet actionem sibi competentem secundum propriam formam: unde male quidem diceretur Beata Virgo contulisse Deo ut Incarnationem perageret; sed quia consensum Angelo nuntianti per se ipsa praebuit, ideo Spiritum Sanctum movit ut in ea formaret Christi corpus.

Quapropter in eo quidem quod Verbi caro ex sanguine Beatae Virginis formata est, utique Maria fuit Dei instrumentum, et in hoc nihil Spiritui Sancto contulit: contulit tamen in eo quod consensum suum libere praestitit, in quo non erat instrumentum Spiritus Sancti, cum principaliter ageret. *Mox ut Virgo assensit*, ait Dionysius Cartusianus, *celebratae sunt in utero eius nuptiae hypostaticae unionis, videlicet coniunctio humanae naturae cum Verbo...; tunc quoque celebratae sunt nuptiae Sponsi caelestis cum sua Sponsa singulari quae est Mater virginea, Virgo Christifera, quae Filium Dei concipiendo, facta est Sponsa ipsius singularis* (1).

§ III.

De Sententia Doctoris Seraphici circa Immaculatam B. Virginis Conceptionem.

Quae de Doctore Angelico disseruimus (2) clarius patescere censemus si eius coaevi et amicissimi, Doctoris Seraphici, sententia, proferatur, qui quaerens utrum *anima Beatae Virginis fuerit sanctificata ante originalis peccati contractionem* (3) primo recitat opinionem affirmantium, quibus videlicet videbatur *in anima gloriosae Virginis gratiam sanctificationis praevenisse maculam peccati originalis;* qua opinione ex aliorum mente probata, suam ille ponit, qua tenet *sanctificationem Virginis subsecutam esse originalis peccati contractionem, et hoc quia nullus immunis fuit a culpa originalis peccati, nisi solum Filius Virginis.*

Hic autem modus dicendi, subiungit Seraphicus, *communior est, et rationabilior, et securior. Communior, inquam, quia fere omnes illud tenent, quod Beata Virgo habuit originale, cum illud appareat ex multiplici ipsius poenalitate, quam non est dicere ipsam passam esse propter aliorum redemptionem; quam etiam non est dicere per assumptionem habuisse, sed per contractionem.*

Rationabilior etiam est, quia esse naturae praecedit esse gratiae, vel tempore vel natura; et propterea dicit Augustinus, quod prius est nasci quam renasci, sicut prius est esse quam bene esse; prius est igitur animam uniri carni, quam gratiam Dei sibi infundi. Si igitur caro illa infecta fuit, ex sua infectione nata erat animam culpa originali inficere. Necessarium est igitur ponere quod ante fuerit originalis culpae infectio quam sanctificatio.

Securior etiam est, quia magis consona fidei, pietati et Sanctorum auctoritati. Magis concordat Sanctorum auctoritati, pro eo quod communiter Sancti, cum de materia ista loquuntur, solum Christum excipiunt ab illa generalitate qua dicitur: Omnes peccaverunt in Adam. Nullus autem invenitur dixisse, de his quos audivimus auribus nostris, Virginem Mariam a peccato originali fuisse immunem.

Pietati etiam fidei magis concordat, pro eo quod, etsi Mater habenda sit in reverentia, et magna erga ipsam habenda sit devotio, multo maior tamen est habenda erga Filium ex quo est ei omnis honor et gloria. Et ideo quia hoc spectat ad excellentem dignitatem Christi, quod ipse est omnium Redemptor et Salvator, et quod ipse omnibus aperuit ianuam, et quod ipse unus pro omnibus mortuus est, nullatenus ab hac generalitate beata Virgo Maria excludenda est; ne, dum Matris excellentia ampliatur, Filii gloria minuatur, et sic Mater provocetur, quae magis vult Filium extolli et honorari quam seipsam, utpote Creatorem quam creaturam.

Huic igitur positioni adhaerentes, propter honorem Iesu Christi, qui in nullo praeiudicat honori Matris, dum Filius Matrem incomparabiliter antecellit, teneamus, secundum quod communis opinio tenet, Virginis sanctificationem fuisse post originalis peccati contractionem. Quibus positis, solvit Seraphicus Doctor adversae opinionis rationes.

Caeterum, loca quae, ex eodem S. Doctore, tamquam piae sententiae de Immaculata Conceptione faventia adduci solent, sumuntur ex libris spuriis aut saltem dubiis. Nec, ut notat Scholiastes recentis editionis Operum S. Bonaventurae (1), *Sermo secundus de B. M. V.*, ex quo insigne testimonium solet referri, genuinus certo est.

Denique, quod ad Conceptionis festum attinet, notandum est illud a Bonaventura eatenus fuisse admissum, quatenus posterior Deiparae sanctificatio, potius quam eius actualis conceptio, celebranda proponeretur, ut etiam notaverat Angelicus (2). Ubi haec notabilia subiungit (3): *Quod si aliquis obiiciat, aliorum Sanctorum conceptiones, non esse celebres propter subsequentes sanctificationes, poterit ei dici quod alii Sancti pro malo non habe-*

(1) Enarratio in Cap. I, Luc. art. 3; Tom. XI, p. 390. Monstrolii, 1900. Per haec satisfieri potest animadversionibus P. L. Janssens, Tract. *de Deo-Homine*, Vol. II, p. 488.

(2) Part. II. C. I. art. 1. Appendix 2, pp. 135, seqq.

(3) 3 Dist. III, P. I, q. II, Edit. ad Claras Aquas.

(1) T. III, p. 69.

(2) 3, Quaest. XXVII, a. 2, ad 3.

(3) Loc. cit., quaest. I, ad 4um.

bunt, si aliquis specialis honor Matri Domini tribuatur, quoniam sanctificationis ipsius magnitudo et acceleratio caeteras antecellit. Et ideo mirandum non est, si Spiritus Sanctus inhabitans in cordibus fidelium, devotionem ipsorum magis erga Virginem inflammat quam erga alios Sanctos et Sanctas. Hac etiam de causa quotidie de Virgine gloriosa facimus officium speciale iuxta ordinem Romanae Ecclesiae, licet pro beato Petro, Apostolorum Principe, solummodo ter in anno faciamus officium. Quacumque igitur hora, quacumque die aliquis fidelium cum totis praecordiis et visceribus honoret Virginem, increpandus non est pertinaciter, ne ipsius Virginis animadversio incurratur, quae auxiliatrix et amatrix est omnium fidelium suorum laudatorum, sicut illi qui tales sunt, experimento multiplici cognoverunt.

Ex quibus omnibus, quod nostra potissimum refert, licet concludere omnem circa S. Thomae mentem aequivocationem cito evanescere, parumper perpendenti illius aetatis theologos communiter tenuisse Mariam in utero sanctificatam fuisse post animae infusionem, sive secundo post conceptionem instanti. Sic quippe docent Beatus Albertus Magnus, Alexander Halensis, Petrus a Tarantasia, Ægidius Romanus, Henricus Gandavensis, Durandus, aliique ante Scotum generaliter. Unde mirandum non est plures ex schola S. Thomae inter illustriores theologos, ut S. Antoninum, Ioannem a Turre Cremata, eamdem sententiam tamquam veriorem defendisse (1).

Fr. Alexius Maria Lépicier, O. S. B. M. V.

(1) Sanctum Thomam itemque Sanctum Bonaventuram Immaculatae Conceptioni Beatae Virginis haud adversari nuper conatus est ostendere R. P. Iosephus a Leonissa, Ord. Min. Cap. *(In Iahrbuch für Philosophie*, etc., XVIII. pp. 160, seqq.), distinctione introducta inter naturam et personam, sic quod, iuxta hos sanctos, illa, non autem ista, fuerit originali peccato infecta. Hoc tamen nihil est; nam id quod auctor dicit, sanctos illos posuisse naturam Deiparae infici, est, iuxta illum, Mariae corpus ante infusionem animae rationalis fuisse obnoxium originali peccato: at non hoc tantum ex verbis Angelici et Seraphici Doctorum eruitur, sed animam Mariae fuisse actu peccato infectam ab eoque mundatam; denique minus recte corpus ante animae infusionem natura vocatur. — Nuper quoque prodiit opusculum ab *Antonio Senso Lazaro, canonico Ecclesiae Matritensis ac in Seminario professore* (Matriti 1905), quo nititur auctor demonstrare S. Thomam in Summa Th. (3, XXVII, 2) minime adversari dogmati de Immaculata B. M. V. Conceptione; at incassum, cum loca adducta, iuxta mentem S. Thomae accepta (quae mens ex contextu totius Summae erui debet), intentum minime probent. Nec recte ab hoc auctore dicitur S. Thomas quaestione XXVII de conceptione activa, non vero de passiva agere: nam 1° Sanctum Doctorem non latuit, ut supponit auctor, distinctio conceptionis activae a conceptione passiva; 2° nimis evidens est S. Thomam loqui de conceptione passiva, qua solum est anima rationalis, quae est subiectum peccati; 3° non bene dicitur carnem prolis tempore conceptionis activae esse subiectum peccati originalis, cum peccatum nonnisi in anima esse queat.

ROMANAE INSTITUTIONES

Casus Conscientiae propositi et soluti Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli, A. 1904-905.

XI.

De facultate absolvendi a casibus occultis Sedi Apostolicae reservatis, vi Cap. *Liceat* Trid. Sess. XXIV, Cap. VI.

Die 19 Iunii 1905, hora 18 ¼ (6 ¼ pom.).

Titius vehementer captus amore erga Bertham, quam sibi brevi desponsare optabat, ex improviso audit, illam ingressam fuisse monasterium claustralium, in proxima dioecesi situm, ut ibi vitam religiosam profiteretur. Statim eo se confert, desiderio incensus eam invisendi, et, si fieri posset, ad saecularia vota revocandi. Verum, cum a Superiorissa a colloquio prohiberetur, Titius transiliens murum viridarii monialium, clausuram violare ausus est. Berthae deambulanti et stupenti occurrit, et dum in eo erat ut illam alloqueretur, ecce ex adversa parte duae moniales se sistunt, quae exterrefactae primum ex viri conspectu et deinde clamantes, Titium spe frustratum in fugam vertunt. Qui paulo post in se reversus et facti poenitens, antequam in patriam revertatur, ad confessionem accedit, et primum de violata clausura se accusat. Confessarius, utpote non habens facultatem absolvendi ab excommunicatione illi crimini adnexa, Titium remittit ad Caium Canonicum poenitentiarium, qui ab Episcopo, vi Cap. *Liceat* Trid. Sess. XXIV, cap. VI, specialiter delegatus fuerat ad absolvendum a casibus occultis Pontifici reservatis. Sed poenitentiarius, cum ei tempus non suppeteret excipiendi integram confessionem Titii, audito solum casu, cui adnexa erat excommunicatio, ab hac eum absolvit et dein ad Confessarium eumdem remittit, qui, audita Titii sacramentali confessione, a peccatis eum absolvit. Paulo post poenitentiarius rem melius recolens timet, ne forte Titium invalide, et quidem ex triplici capite, absolverit ab excommunicatione. Etenim *a)* casus de violata clausura non videtur fuisse occultus, utpote qui per tres testes, quot scilicet moniales Titium viderant, posset probari; et insuper notus tribus monialibus iam poterat haberi ut divulgatus penes totam communitatem. *b)* Agebatur de Titio, qui tamquam peregrinus, Episcopo loci subditus non erat. *c)* Tandem quia absolutio impertienda in foro conscientiae, data fuerat extra confessionem sacramentalem. Hinc Caius ad Canonicum theologum accedit, et enarrato casu, qui sibi contigerat, circa interpretationem praedicti Cap. *Liceat* in specie quaerit:

1° *Quandonam casus occultus dicendus sit?*

2° *Utrum facultas, de qua in citato capite, exerceri possit in peregrinos?*

3° *An verba « pro foro conscientiae » idem valeant ac « in sacramentali confessione »?*

4° *An invalide ob adductas rationes Titium ab excommunicatione absolverit?*

Ad Ium. Ex pluribus, quae in interpretanda facultate Episcopis concessa vi capitis *Liceat*, 6. sess. 24, *de Reform.*, Conc. Trid. a Theologis disputantur, quaedam tantum praecipua, prioribus tribus quaesitis praesentis casus investiganda proponuntur, et de hisce tantum, brevitatis causa, reliquis

omissis, agendum erit. Ante omnia tamen textus ipse praedicti capitis, pro parte quae nostrum hunc casum respicit, erit recolendus. En verba: « Liceat Episcopis, in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in quibuscumque casibus *occultis*, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi *subditos* in dioecesi sua per seipsos aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, *in foro conscientiae* gratis absolvere, imposita poenitentia salutari ».

Hanc facultatem confirmavit Const. Pii IX *Apostolicae Sedis*, parag. *Firmam tamen*, iis tantum exceptis censuris, quae speciali modo Pontifici sunt reservatae.

Hisce praemissis respondetur ad 1.um quaesitum.

Verba *occultum*, *publicum* alium in alia materia sensum habent, (Gasparri, *de matr.*, *Parisiis*, 1904, vol. I, n. 260). Benedictus XIV, *Inst. Eccl.*, 87, n. 39 et seqq., fuse exponit, allatis testimoniis eorum qui praxim S. Poenitentiariae apprime cognoscunt, quandonam impedimenta matrimonialia, quae ex crimine aut copula illicita proveniunt, publica, occulta, aut omnino occulta censenda sint. Quae quidem ob affinitatem materiae, quia de criminibus agitur, quaestioni praesenti aptari possunt. Itaque *omnino occultum* est quod nemini notum est praeterquam reo ac complici et confessario. Quod si uni tantum personae notum est, crimen adhuc omnino occultum haberi potest, quamvis nonnulli AA. id negent.

Occultum autem simpliciter illud est quod notum est duobus vel tribus, vel etiam quinque aut sex personis in oppido, in civitate vero septem aut octo, modo scilicet ab illis res non fuerit divulgata, neque adsit proximum periculum divulgationis. Imo S. Alfonsus, VI, n. 1111, ait « se scire S. Poenitentiariam dispensasse in impedimento quodam consanguinitatis noto decem circiter personis » (fortasse quia agebatur de magna civitate).

Quod si crimen pluribus respective notum sit, *publicum* censendum erit.

Haec quidem cum de impedimentis matrimonialibus agitur stricto sensu accipiuntur, uti materia ipsa requirit; expedit enim ut, si notiora sint impedimenta, ad omnem litem praecavendam et prolem legitimandam, in utroque foro dispensatio concedatur.

Ita etiam, testante quoque Bened. XIV, praxis est S. Poenitentiariae, ut si impedimentum sit materialiter publicum, licet formaliter occultum, cum nempe cognoscitur quidem publice factum, sed non cognoscitur *lex* quae statuit ex tali facto oriri impedimentum, habeatur uti publicum.

Verum, quando de absolutionibus a certis criminibus sermo sit, *paulo latius* res intelligitur. Occultum accipimus, ait D'Annibale, *Comment. in Const. Apostolicae Sedis*, n. 234, allata auctoritate S. Alfonsi, lib. VI, n. 593, quod non est notorium et quod potest aliqua tergiversatione celari, etiamsi per aliquot testes probari possit, quod in aestimatione boni viri esse debet, si modo adhuc latere queat.

Et Suarez, *De poenit.*, D. 30, S. 2, n. 2.: Occultum, inquit, hic sumi, « prout in iure solet distingui a publico; est autem publicum quod in oppido, vel in vicinio, vecollegio aut communitate aliqua omnibus notum est et publice diffamatum ».

Notandum tamen occultum non amplius esse crimen, quod ad forum contentiosum sit deductum: deductum autem sic intelligitur, cum ibi est probatum, saltem per unum testem.

Dupliciter autem crimen *occultum* esse potest, *materialiter*, cum nempe latet factum, v. g. ingressus in clausuram: *formaliter* vero quando factum quidem cognoscitur, sed vel putatur legitime factum, e. g. ingressus creditur in clausuram ex debita venia, et est error facti, vel nescitur ingredientes excommunicationem contrahere, et est error iuris.

Itaque Episcopus vi capitis *Liceat* absolvere poterit non solum si peccatum fuerit occultum materialiter, sed etiam si formaliter tantum, sive in hoc altero casu error facti contigerit, quod omnes admittunt, sive error sit iuris, quod communius est. (D'Annib. l. c.).

Ad 2um. Facultas, de qua in citato capite *Liceat*, iuxta ipsius tenorem, exercenda est in *subditos;* legitur enim: « *delinquentes quoscumque sibi subditos* ». Certe ergo comprehenduntur omnes in dioecesi Episcopi absolventis habentes domicilium vel quasi domicilium; etiam regulares *exempti, de licentia suorum Superiorum;* nam et ipsi, praesertim quoad favorabilia, subditi aliquo modo sunt Episcopi loci (Bucceroni, Comment. *de censuris*, n. 41); insuper vagi, iuxta communem TT. doctrinam, quia cum nullibi fixum domicilium habeant subduntur Episcopo, in cuius dioecesi reperiuntur. Sed dubium moveri potest quoad peregrinos, quia praecise non sunt subditi. S. Alfonsus, lib. 7, n. 79, n. IV, eos excludere videtur. Attamen lib. 6, n. 593 distinguit duplicem facultatem quae in capite *Liceat* Episcopis conceditur, nempe 1° – dispensandi in irregularitatibus et suspensionibus Papae reservatis, et 2° – absolvendi a casibus papalibus. Quoad 1am ait, decisum esse a Gregorio XIII nihil posse Episcopum cum alienigenis; etiamsi hi, fungentes officio praetoris aut medici, in eius dioecesi commorentur; – de authenticitate tamen huius declarationis Greg. XIII, D'Annibale, Summ., p. I, § 316, nota 15, non leve dubium movet. — Quoad 2am vero, nempe absolutionem casuum, ait S. Alfonsus, l. c.: « Commune est apud DD. quod Episcopus bene potest absolvere peregrinos a casibus papalibus, modo sint occulti, ex facultate Tridentini in capite *Liceat*, etc...... Nam, uti recte dicunt AA. praefati, subditi etiam dicuntur tales peregrini, qui in foro sacramentali subiiciuntur Episcopo dioecesano ». Aliis verbis peregrini, ex consuetudine iam universali Ecclesiae seu interpretativa voluntate Summorum Pontificum (vel ex praelatorum tacito consensu, ut aliis placet), in ordine ad sacramentalem absolutionem habendi sunt ut incolae loci ubi confitentur, et quoad hunc effectum fiunt subditi Episcopi loci ubi versantur. Quo posito nihil prohibet quominus peregrini absolvi possint vi facultatis cap. *Liceat* a casibus occultis ab Episcopo loci, *dummodo tamen accedant ad confessionem sacramentalem.* Hoc igitur discrimen est hac in re inter subditos et peregrinos, ut illi absolvi possint etiam extra sacramentalem confessionem, licet pro foro conscientiae tantum, ut ex dicendis patebit; hi autem solum in confessione sacramentali. Audiatur D'Annibale, Summ., p. I, § 346: « *Subditos* autem *suos* accipimus, nedum vagos et advenas sed etiam peregrinos; sed hos *in foro sacramentali* tantum, in quo, iurisdictione de persona in personam prorogata, subditi procul dubio efficiuntur ».

Ad 3um. Quaestionem hanc fuse pertractat Ballerini, *Op. Mor.*, VII, n. 244 et seqq., ubi ostendit non plene exacta esse quae hac in re tradidit S. Alfonsus. Hic S. Doctor, lib. 6, n. 593 et lib. 7, n. 81, cum aliis TT. censuit verba « *pro foro conscientiae* » idem valere ac « *in sacramentali confessione* », licet, cum de censurarum absolutione agitur, libenter concedat eum qui potestatem habeat absolvendi a censuris *in foro conscientiae*, posse id praestare etiam extra confessionem. Ratio est, inquit, quia absolutio a censuris separari potest ab absolutione a peccatis, licet huic praemittenda sit. Verum, ut iam Lugo *de fide*, disp. 23, n. 64, notaverat, contraria sententia communis est fere omnium. Sane ratio illa valere potest non solum de absolutione a censuris, sed de pluribus

aliis actibus iurisdictionis interni fori, v. gr. commutandi, dispensandi, condonandi, etc. qui omnes possunt optime separari ab absolutione a peccatis, et ideo exerceri etiam extra sacramentalem confessionem, ita tamen ut solum vim habeant *in conscientia.* « Nec limitatio illa, prosequitur Lugo l. c., *pro foro conscientiae* cogit ad hoc ut fiat in sacramento: nam verba illa alium habent sensum, nempe ne prosit absolutio haec pro foro externo, in quo — quantumvis aliquis absolutus sit ab Episcopo pro foro conscientiae — habebitur tamquam non absolutus et punietur omnibus iuris poenis ». Ita etiam rem dilucide exponit D'Annibale, *Summ.*, p. I, n. 246: « Verum, illud " *in foro conscientiae* " non significat in foro sacramentali, ut nonnullis visum est, sed " *in foro animae* " » et in nota 11, statim prosequitur: « S. Pius V, C. *Rom. Pontificis circumspecta*, § 3. Nempe, ut absolutio non prosit *in foro externo* (Engel, V. 39, 120), *si contingat casum in iudicium deduci* (Duardo, lib. 3, § 2, quaes. XI, 30; Suar., 42, II, 22). Ideoque absolvere eos posse citra confessionem, *est sententia fere omnium* (Lugo, *de fide*, XXIII, 64; Suar., *de legibus*, VIII, 6, 6; Sanch., *M.* VIII, 31, 29; Salm., 10, 2, 54) ». Idem tradunt recentiores TT. generatim; imo, licet Lugo aliique ac D'Annibale l. c. loquantur ex professo de interpretatione facultatum capitis *Liceat* — quod pro casu nobis proposito sufficeret — ex iis tamen quae superius notata sunt, consequitur eamdem esse vim verborum illorum quoties occurrunt tum in concessione facultatis absolvendi, tum in communicatione aliarum gratiarum vel dispositionum, quarum effectus nullatenus ad forum externum producendus sit. Quod confirmatur praxi S. Poenitentiariae, quae in rescriptis edendis apprime distinguit formulam « *pro foro conscientiae* » ab alia « *in sacramentali confessione tantum* ». Saepe eas coniungit in eodem rescripto, adamussim ponens verba « *pro foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum* ». Profecto, cum id fit, actus iurisdictionis (absolvendi, dispensandi, commutandi etc.) qui confessario committitur, exercendus est, ut evidens est, in ipso actu sacramentalis confessionis. Non raro tamen S. Poenitentiaria adhibet solam formulam « *pro foro conscientiae tantum* », addens utique maioris claritatis gratia alia verba, quae in primo casu quoque nunquam omittuntur, « *ita ut huiusmodi gratia in foro externo nullatenus ei* (idest poenitenti, vel oratori) *suffragetur* ». Ita sane effectum suae dispositionis explicat, sed minime tunc cogit ad sacramentalem confessionem peragendam. Idipsum contingit in folio facultatum quinquennalium, quas eadem S. Poenitentiaria olim Episcopis communicabat, hodie vero Ordinariis concedere solet. Ibi nempe legitur initio: Ordinarium uti posse iis facultatibus pro foro conscientiae, *etiam extra sacramentalem confessionem;* easdem vero facultates communicare posse canonico poenitentiario nec non vicariis foraneis exercendas *pro foro pariter conscientiae ac in actu sacramentalis confessionis dumtaxat.* Facultas ergo aliqua pro foro conscientiae concessa non necessario per se exercenda est in sacramentali confessione, sed solum quando id exprimatur. Duae illae formulae igitur diversum sensum habent.

Quinam autem usus huius doctrinae esse possit, sic indicat Coninck (disp. 14 *de Excomm.*, dub. 16, n. 251) nempe *ut si reus non sit paratus, ut statim confiteatur, et adsint causae, ob quas expediat eum statim* (ab excommunicatione, aut suspensione aut interdicto) *absolvi* (dic etiam in genere gratiae ab eo petitae participem fieri); *idemque dici posset, quando ei, qui habet potestatem absolvendi a censuris reservatis, non vacaret audire integram confessionem; tunc enim posset audire solos casus, qui habent adnexam excommunicationem, et tunc ab hac absolvere, et poenitentem mittere ad alium, qui audita confessione absolveret a peccatis.*

Quod tamen attinet ad ea quae postremo loco hic memorantur, animadvertendum est doctrinam communiter receptam esse absolutionem a censuris concedi, sicut etiam peccati reservationem auferri, posse etiam extra sacramentalem confessionem, imo id quandoque necessarium ideo esse quod superior non possit poenitentis integram confessionem sacramentalem audire, haec autem dimidiari nequeat sine gravi et urgente necessitate, qualis non est mera multitudo negotiorum aut poenitentium (cfr. propos. 59, damnatam ab Innocentio XI).

Verum gravis et urgens necessitas dari aliquando potest absolvendi sacramentaliter a solis reservatis v. gr. si poenitens dicat se indigere absolutione superioris vel eius venia ad confitendum alteri, sed nolit dicere, nisi in confessione sacramentali speciem peccati, quia non vult duobus manifestare idem peccatum et aliunde superior non possit eum audire nec poenitens possit amplius expectare ob urgentem necessitatem v. gr. communicandi: superior denique iudicaret necessarium personaliter audire reservatum. Tunc posset dari causa audiendi et absolvendi dimidiata confessione, qui tamen casus rarissimus est (Lugo, disp. 20, n. 78; S. Alf., lib. 6°, n. 595).

Ad 4um. Absolutio ab excommunicatione a canonico poenitentiario, prout in casu exponitur, Titio collata, valida videtur, non obstantibus dubitandi rationibus ab eodem poenitentiario postea inventis, vel aliis quae excogitari possunt.

Ut ab hisce postremis initium fiat, in primis quaestio velut praeiudicialis institui fortasse potuisset, si casus iste ante Const. *Apostolicae Sedis* evenisset, utrum nempe ad censuram, de qua in casu agitur, extenderetur tunc facultas Episcopi vi capitis *Liceat.*

Ingredientes claustra monialium sine debita venia, ex Conc. Trid. sess. 25 cap. 5. *de reform.*, excommunicationem incurrebant non reservatam. Hoc tamen intelligendum erat, modo quis non ingrederetur monasterium monialium *ad malum finem*; violatio enim clausurae monialium ad malum finem casus erat Summo Pontifici reservatus, a quo nemo poterat virtute privilegiorum absolvere. (Bonacina, tomo I. de clausura quaest. 4, puncto V. l.). Utrum autem Episcopus posset absolvere ab eo casu, utique vi facultatum capitis *Liceat*, quamdiu delictum esset occultum, controversum erat, sicut in genere controversum erat etiam de extensione praedictae facultatis episcoporum ad casus occulte delinquentium contra Bullam *Coenae.* Bonacina, tomo III. de censuris, disp. 1, quaest. 22, puncto II. 2. amplexus est sententiam negantem episcopos absolvere posse. Item Cardinalis D'Annibale in iam citato Commentario n. 234, loquens de facultate, quae ex praedicto capite Episcopis competit, ait: « exceptis censuris, olim in Bulla *Coenae*, hodie speciali modo R. P. reservatis », et in supposita nota 8 prosequitur: « ergo hodie absolvere possunt excommunicationem ob violatam clausuram Monialium, etiam *ad malum finem* R. P. reservatam speciali modo in C. *Decori* S. Pii V. (Pennacchi I., pag. 442) ». Ergo ante Const. *Apostolicae Sedis* facultas capitis *Liceat* hunc casum non comprehendisset. Hac recepta sententia, ulterius quaesitum fuit, utrum verba *ad malum finem* excommunicationis olim latae, intelligenda essent de fine quomodocumque pravo, an potius de fine libidinoso. Hanc secundam interpretationem amplexus est S. Alfonsus lib. 7, n. 221, quia finis clausurae est ut castitas custodiatur. His praemissis, Titius, de quo in casu, non videtur animo libidinoso in monasterium ingressus, sed solum desiderio incensus Bertam invisendi, et, si fieri posset, ad saecularia vota revocandi.

Quare non apparet cur deneganda fuisset Episcopo facultas eum absolvendi, cum severior illa reservatio de qua dictum est, locum non habuisset. Hodie vero nulla profecto difficultas superesse potest, cum in Const. *Apostolicae Sedis* eodem modo lata sit excommunicatio in omnes indiscriminatim violantes clausuram monialium, eaque sit simpliciter reservata R. P. Iamvero paragrapho *Firmam* eiusdem Constitutionis aufertur utique facultas Episcopis absolvendi in casibus occultis speciali modo reservatis Pontifici, sed declaratur ipsis integram manere potestatem ex cap. *Liceat* Conc. Trid. circa casus simpliciter reservatos.

Altera quaestio oriri posset, quae olim disputata est, quisnam nempe sit ille « *Vicarius ad id* (absolvendum) *specialiter deputandus* » de quo agitur in citatis verbis cap. *Liceat*. Et quamvis hac in re multiplex opinio fuerit, ut legi potest apud S. Alf. lib. 6, n. 594, dub. 9, et lib. 7, n. 93, Baller. Op. Mor. vol. 7, n. 241 et 242, hodie tamen satis conveniunt TT. in sententiam quam S. Alf. probabiliorem vocaverat, nempe ex una parte vicarium generalem Episcopi non habere potestatem absolvendi ab his casibus ex generali commissione *vicariatus*, nisi *specialiter* ab episcopo committatur; ex alia vero parte illud *specialiter* non *ad casus* sed *ad personas* referri. Quare delegari quidem ea facultas non potest *omnibus*, sed *casus omnes* possunt alicui in particulari delegari (D'Annib. Comment. in Const. *Apostolicae Sedis*, n. 236; Buccer. Comment. de censuris, n. 44). Iamvero in casu expresse legitur canonicum poenitentiarium, ab Episcopo vi capitis *Liceat* specialiter delegatum fuisse ad absolvendum. Nulla ergo exinde difficultas oriri potuisset.

His exclusis, videndum nunc est quid valeant rationes dubitandi a canonico poenitentiario repertae. Et primo quidem ipse ait: casus de violata clausura non videtur fuisse occultus, utpote qui per tres testes, quot scilicet moniales Titium viderant, posset probari. Hoc quidem spectaret notorietatem iuris. Attamen id factum nondum est: nondum crimen deductum est ad forum contentiosum, neque probabile est deducendum fore ex parte monialium, quae profecto silentium de hac re diligenter servabunt. At, subsumitur, casus ille notus tribus monialibus iam poterat haberi ut divulgatus penes totam communitatem. Responderi tamen potest, absolute loquendo divulgationem hanc adhuc vitari potuisse, si Superiorissa v. g. statim de eventu certior facta, antequam aliqua ex illis tribus monialibus rem cuicumque alii sorori communicasset, tempestive rigorosum silentium iisdem imposuisset. Fatendum tamen est id difficile, in praxi, fuisse, et supponendum potius est rem quam brevissime toti communitati innotuisse. Nihilominus adhuc crimen Titii occultum dici posse videtur. Agitur enim de facto inter domesticos parietes perpetrato, si Titium transilientem murum viridarii nemo e via, ut praesumere licet, conspexit. Rem, ut ita dicam, intra familiam peractam summa ope certe moniales extraneis omnibus occultabunt. Omnibus igitur perpensis, nihil ex hac parte obstare videtur quominus Titius pro foro conscientiae absolvi posset.

Neque difficultas adest, ut supponit secundo loco canonicus poenitentiarius, in eo quod Titius sit peregrinus. Nam ex dictis in responsione ad 2.um consequitur etiam peregrinos absolvi posse vi facultatis cap. *Liceat*, dummodo ipsi fiant subditi Episcopi loci accedendo *ad sacramentalem confessionem*.

Hic accessus profecto, ex dictis, non pro omnibus indiscriminatim absolvendis exigitur, ut putat canonicus poenitentiarius in sua tertia ratione dubitandi, quasi idem esset *forum conscientiae* et *sacramentalis confessio*, quod exclusum in antecedentibus est, sed solum pro peregrinis. Sane facultas concessa Episcopis ex capite *Liceat* absolvendi *pro foro conscientiae*, exerceri bene potest etiam extra sacramentalem confessionem, si agatur de subditis. Verum, cum de peregrinis sermo est, speciale quid occurrit, cum hi aliter subditi fieri non possint, nisi in ipsa sacramentali confessione tantum.

Iamvero Titius, de quo in casu, erat peregrinus: oportebat ergo ut absolutio a censura ei conferretur in confessione sacramentali. Verum id factum non est; Caius nempe, canonicus poenitentiarius: « cum ei tempus non suppeteret excipiendi integram confessionem Titii, audito solum casu, cui adnexa erat excommunicatio, ab hac eum absolvit, et dein ad confessarium eumdem (primum) remittit, qui, audita Titii sacramentali confessione, a peccatis eum absolvit ». Ex toto hoc contextu ac praesertim ex postremis verbis satis colligitur, Caium non absolvisse sacramentaliter Titium, quod nonnisi in casu valde raro fieri potuisset ex dictis in responsione ad 3um, sed extra confessionem sacramentalem eum a censura absolvisse.

Nihilominus, inspectis omnibus casus adiunctis, adhuc dici posse videtur absolutionem illam rite a canonico poenitentiario impertitam fuisse. Nam, cum peregrinus *in ordine* ad sacramentalem absolutionem ex praesenti disciplina subditus sit Episcopi loci ubi versatur, subditusque ita fiat per *accessum* ad sacramentalem confessionem; confessio autem sacramentalis statim habeatur, etiamsi non statim sequatur absolutio, sed post aliquod tempus, dicendum est Titium factum fuisse subditum Episcopi loci in ordine ad absolutionem simul ac ad primum confessarium accessit.

Quod si iste carens facultatibus, eum ad canonicum poenitentiarium misit, qui audito casu papali rursus ad eumdem confessarium remisit, qui tandem absolutionem sacramentalem contulit, dubitandum non est quin toto eo tempore confessio sacramentalis incepta *moraliter* perseveraverit, ita ut absolutio illa a canonico poenitentiario impertita, licet in se non sacramentalis, tamen aliquo vero sensu in sacramentali confessione collata vere dici possit, quod quidem sufficit ad effectum de quo hic agitur. Certe ex tali manifestatione violatae clausurae canonico poenitentiario ad consulendum conscientiae facta, omnibus theologis consentientibus, oritur in eodem canonico obligatio sigilli sacramentalis, quia est manifestatio facta *in ordine* ad absolutionem sacramentalem suo tempore, quamvis ab alio, consequendam. Omnibus igitur perpensis non deest, ut videtur, solida ratio pro validitate adserenda absolutionis Titio collatae.

JOSEPHUS PALICA.
Epitomator ex officio.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ

NE PEREANT

—

Juin 1906.

1 Vendredi.

S. G. Mgr Antoine Feruglio, Ev. de Vicenza, est reçu en audience.

2 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Bernardin

Nozaleda y Villa, Arch. Tit. de Petra; — et Mgr Etienne Deda, Ev. Tit. de Tagora, Coadjuteur de l'Ev. d'Alessio.

3 Dimanche.

Un *Te Deum* est chanté dans la Chapelle Sixtine, en présence du Souverain Pontife et de la Cour Pontificale, pour remercier le Ciel d'avoir préservé Leurs Majestés le Roi et la Reine d'Espagne de l'infâme attentat commis à Madrid le jour de leur mariage.

4 Lundi.

S. G. Mgr Emile Parodi, Arch. de Sassari, est reçu en audience.

7 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: Les membres du Chapitre Général des Trinitaires Déchaussés; — S. G. Mgr Joseph de Camargo Barros, Ev. de Saint Paul (Brésil); — et S. G. Mgr Joseph da Marcondes Homen de Méllo, Ev. élu de Belem de Para.

8 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Jean-Marie Farley, Arch. de New-York; — et Mgr Antoine-Marie Bonito, Arch. Tit. de Scytopolis.

10 Dimanche.

Dans la Basilique Vaticane, cérémonie solennelle de la Béatification du Serv. de Dieu Bonaventure de Barcelone. Le St-Père descend dans l'après-midi pour vénérer le nouveau Bienheureux.

15 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Benoit Lorenzelli, Arch. de Lucques; — Mgr Sébastien Nicotra, Auditeur de la Nonciature Apost. de Vienne; — le Rme Dom Hildebrand de Hemptinne, Abbé Primat des Bénédictins; — et le T. R. P. Adolphe Brattina, Sup. Gén.* des Clercs Réguliers des Ecoles Pies.

18 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Joseph Weber, Arch. Tit. de Darni, Auxiliaire de Lemberg pour le Rite Latin; — S. G. Mgr Jean Carli, Ev. de Luni et Sarzana; — et le R. P. François Segala, Préfet Apost. de la Guinée Française.

19 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Jean Farley, Arch. de New-York; — Mgr Pascal Gagliardi, Arch. de Manfredonia; — Mgr David Camilli, Ev. de Fiesole; — et Mgr Prosper Scaccia, Ev. de Tivoli.

— Congr. Antipréparatoire des S. Rites tenue auprès de S. Em. le Card. Dominique Ferrata, Ponent, pour l'examen des quatre miracles proposés pour la Béatification de la Vén. Julie Postel.

20 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Speiter, Ev. Tit. de Thama, Vic. Ap. du Zanguebar méridional; — Mgr François-Marie Raiti, Ev. de Lipari; — Mgr Pierre Zamburlini, Ev. d'Udine; — ainsi que le Rme Dom Amédée De Bié, Abbé Général des Cisterciens de la Commune Observance.

22 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Edouard Isley, Ev. de Birmingham; — et Mgr Jean O'Gorman, Ev. Tit. d'Amastri, Vic. Ap. de Sierra Leone (Afrique Septent.).

25 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Antoine Valbonesi, Ev. d'Urbania et S. Angelo in Vado; — et Mgr Emile-Auguste Allgeyer, Ev. Tit. de Ticelia, Vic. Ap. du Zanguebar Septentrional.

26 Mardi.

Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Cardinal Gotti est nommé Protecteur des Sœurs de Notre-Dame Réparatrice.

— Séance Rotale de la S. C. des Rites, tenue au Vatican, pour l'examen des questions suivantes:

1° Observance du non-culte pour la cause du Vén. Serv. de Dieu Antoine Pennacchi;

2° Observance du non-culte pour la cause de la Vén. Madeleine, Archiduchesse d'Autriche;

3° Validité des Procès Apostoliques et Ordinaires instruits pour la Béatif. de la Vén. Elisabeth Sanna;

4° Validité des Procès Apostoliques et Ordinaires instruits pour la Béatif. de la Vén. Marie Pelletier.

28 Jeudi.

Le St-Père descend à 8 heures du soir dans la Basilique Vaticane pour vénérer le Tombeau des SS. Apôtres.

30 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. A. S. le Prince V. Hohenlohe-Wal den burg; — S. G. Mgr Tacci-Porcelli, Arch. de Nycée, Délégué Apost. de Constantinople; — S. G. Mgr Jean Marcondes Homen de Méllo, nouvel Ev. de Bélem de Para; — et le Rme P. Abbé Dom Gérard Van Caloen, O. S, B., Abbé de Rio de Janeiro, Ev. Tit. de Phocée, Vicaire Général de la Congregation Bénédictine du Brésil. F. C.

BIBLIOGRAPHIA

Tractatus de Incarnatione Verbi. (Pars I — De ipso Incarnationis mysterio, 3 Quaest. I-XV). (Pars II — De consequentibus unionem et de his quae Christus egit et passus est, 3 Quaest. XVI-LIX). Vol. 2 in-8, pag. XLVI-554) (XXX-307). Auctore Alexio Maria Lépicier, ex Ordine Servorum Mariae. Pretium L. 13. 1906.

Quamquam plurimi auctores de hoc almo fidei nostrae mysterio libros, eosque egregie, conscripserint, nullus tamen quod sciamus, ea id methodo praestitit qua usus est cl.mus P. Alexius Maria Lépicier. Ille siquidem non ad mentem solum S. Thomae theologicas conclusiones tradere conatur, sed ipsam eius doctrinam, eo ordine eaque methodo quibus Doctor Angelicus utitur, fideliter et cum singulari perspicuitate ac proprietate. Quapropter omnes de Incarnationis mysterio, de consequentibus unionem, necnon de mysteriis vitae Christi quaestiones, ita ad eorum principia revocat et exponit, addita amplissimo traditionis Scripturae et Patrum suppellectili, necnon illustrationibus ex scientiis depromptis, ut nihil ultra desiderandum videatur. Quibus autem otium non suppetit omnia singillatim percurrendi, subvenit Auctor aste-

risco signans eas partes, quae sine totius doctrinae detrimento omitti possint. Quae profecto utilia valde sunt hodie praesertim cum tot circumferantur errores de hoc mysterio quod tamen est fundamentum et veluti centrum fidei Christianae. In hac quippe tractatione argumenta inveniuntur non solum ad illos errores debellandos, sed etiam ad planiorem de pluribus S. Scripturae locis intelligentiam. Videatur p. 239 huiusce voluminis XIV *Anal. Eccl.* laudatorium Breve a SS.mo D. N. Pio X ad Auctorem, sub die 31 Maii 1906 transmissum.

Fiorenza Mons. Giuseppe, Arcivescovo Tit. di Claudiopoli. — *Le sospensioni ex informata conscientia*, 1906. L. 2,50. In Roma presso l'A. a Piazza Rondanini, 33.

Quamvis ad clarius definiendam suspensionem *ex informata conscientia* a Tridentino Episcopis permissam, non solum plura Decreta fuerint a S. Congregatione Concilii peropportune edita, ad manifestandam authenticam huius singularis dispositionis interpretationem, sed plures etiam circumferantur iuridicae Resolutiones in casibus particularibus statutae, nihilosecius graves adhuc agitantur inter Canonistas discrepantiae, circa determinatam praxim quae huius Capitis dispositioni innititur. Cl. Auctor, in sensu suo, seorsim a pluribus aliis doctoribus, plerumque abundans, adeo docta, recta efficaciaque adducit argumenta, ut ad suas conclusiones amplectendas, refragatores quosque urgere videatur. Hae sunt capita praecipua: utrum Decreta *ex informata conscientia* coarctari debeant ad sola delicta occulta, et qualia delicta prout occulta habenda sint — an praefata Decreta perpetuitatis naturam habere possint — quomodo tractari debeant in curiis dioecesanis causae ortae ex resolutione per recursum — an et qualiter praefatae suspensiones sint iuridice incensurabiles. Hisce praecipuis quaestionibus, aliae intranectuntur, quarum solutio rationibus vere validis illustratur.

Dom **Pierre Bastien**, *O. S. B. Directoire canonique* à l'usage des Congrégations à vœux simples. Abbaye de Maredsous (Belgique), 1904, in-8°, XVII-442 pp. 5 fr.

Leo XIII f. r., Constitutione « *Conditae a Christo* » d. d. 7 Dec. 1900 (1) incertam atque subobscuram Institutorum votorum simplicium iuridicam conditionem definivit. Non multo post, d. 28 Iunii 1901 in lucem prodierunt *Normae secundum quas S. C. Episc. et Regul. procedere solet in approbandis novis Institutis votorum simplicium*, quae, quasi ad formam codicis, praxim huius S. C. nunc vigentem exhibent. Inde ab hoc tempore plura et quidem optima de Institutis votorum simplicium conscripta sunt opera, inter quae recenseri placet commentaria Battandier (2), Boudinhon (3), etc.

R. P. Bastien an. 1902 laudatum commentarium (4) in C. *Conditae a Christo* ediderat: nunc vero opus incompletum ac incoeptum perficiens, typis mandavit Directorium canonicum in usum Congregationum votorum simplicium, ut Superiores religiosorum quasi vade-mecum quoddam prae manibus haberent.

Praesens opus trifariam dispecitur: prima pars agit de vita religiosa eiusque obligationibus et in tres libros subdividitur: 1us tractat de fundatione et approbatione Institutorum, de eorum constitutionibus et suppressione; 2us de ingressu in Congregationem religiosam et de novitiatu; 3us de professione et obligationibus quae ex ea derivant. In secunda parte sermo est de externo regimine Instituti et de eius relationibus cum diversis Superioribus ecclesiasticis, scilicet cum Romano Pontifice, SS. RR. Congregationibus, Cardinali Protectore et praecipue de iurisdictione Ordinarii in rebus temporalibus et spiritualibus. In tertia denique parte, regimen internum Congregationis describitur. Accedunt utiliter plures appendices: in prioribus, status iuridicus illorum Institutorum exponitur quae in C. *Conditae a Christo* non comprehenduntur, nempe de Puellis charitatis (les Filles de la Charité de S. Vincent de Paul), de monialibus antiquiorum Ordinum quae nunc simplicia dumtaxat emittunt vota; in posterioribus vero afferuntur textus variarum constitutionum ad Instituta votorum simplicium spectantium necnon et versio gallica egregii opusculi Emi Card. Gennari: *Sulla communione frequente e sul decreto « Quemadmodum »*. Methodus ab erudito auctore usurpata, « *codificationis* » scilicet, valde opportune adhibetur pro legibus clare et concise formulandis; et, si plura non semper forma satis pressa quoad singulas dispositiones scribat, ipse auctor fatetur se nulla alia ratione ductum fuisse, nisi ut verba potius legum quam mentem referret. Notentur praecipue ea quae cl. A. scripsit circa nonnullas difficiliores quaestiones, uti circa libertatem pro clerici ingrediendi religionem, circa munus Cardinalis Protectoris, (1) circa bonorum temporalium administrationem, circa statum iuridicum monialium antiquiorum Ordinum, etc. Quaedam tamen essent nunc corrigenda aut clarius exprimenda, post recentiores dispositiones S. C. Ep. et Reg. vg. 2 Iunii 1905, 1 Sept. 1905, etc.

Huius praeclari operis versio germanica mox tradetur.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. XIII, p. 481.

(2) *Guide canonique pour les constitutions des Instituts à vœux simples*, 3' éd. Paris, 1905. (Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIII, p. 96).

(3) *Canoniste contemporain*, 1902, 1903 seqq.

(4) Constitution « *Conditae a Christo* » de Léon XIII sur les Instituts à vœux simples et leurs relations avec l'autorité diocésaine. Texte et commentaire. Bruges, 1902.

S. Francisci Assisiensis vita et miracula, additis opusculis liturgicis. Auctore Fr. Thoma de Celano. Hanc editionem novam ad fidem mss. recensuit P. Eduardus Alenconiensis Ord. Fr. Min. Capucc. — Un volume di pagine LXXXVII-482 L. 10. — Desclée, Lefebvre e C. — Roma.

Franciscanae litterae, nonnullis iam abhinc annis, in Gallia praesertim et in Italia reflorescere visae sunt, uti testantur et multa et varia opera, quae ab hodierna doctorum censura, peropportune fuerunt repolita. Hos inter viros eruditos, optimum iam praeoccupavit subsellium cl. Auctor. Sane, quotquot Assinatis Legiferi genuinae historiae penitius incumbere percupiunt, sedulo caveant oportet, ne Celanensis opera perfunctorie tantum et incuriose evolvant. Hinc cl. Auctor totus fuit ut novam Legendarum B. Thomae de Celano editionem, omni apparatu critico eximiaque eruditione circumornatam, iterum evulgaret.

In fronte voluminis prostant prolegomena (37 pag.) in quibus cl. A. brevi et plano sermone disserit: de Fr. Thoma Celanensi; de illius scriptis; de codicibus in quibus reperiuntur; de eorumdem editionibus; de opusculis liturgicis, hymnis et lectionibus choralibus relate ad S. Franciscum; tandem de methodo servata iuxta integram tractactionem.

Ad calcem operis reperire est copiosum Indicem *rerum*, *personarum* et *locorum*, ita typis nitidis, signis conventionalibus, notisque planis, ornatum, ut facile praebeat investigantibus auxilium. F. C.

(1) Circa hoc punctum, Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. X, p. 413.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente*.

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS QUARTUS

FASCICULUS SEPTIMUS - JULIUS 1906

SUMMARIUM

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Litterae Apostolicae quibus hierarchia catholica in Insula Terrae Novae constituitur.

PIVS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

In hac B. Petri Cathedra divinitus collocati in id potissimum curas cogitationesque Nostras intendimus, nimirum ut christiana res potiora capiat in dies, Deo favente, incrementa. Iam vero cum in Insula Terrae Novae Americae Borealis, in quam iamdudum catholica religio invecta fuit, duae iam floreant dioeceses atque unus existat Vicariatus Apostolicus, feliciterque ita res catholica adoleverit, ut ad maiora fidei incrementa in illa Insula promovenda atque ad decus catholicae religionis amplificandum peropportunum consilium visum sit ut Ecclesiastica ibidem erigatur Hierarchia; Nos collatis consiliis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, haec quae infra scripta sunt, decernenda existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine praesentium vi Dioecesim S. Ioannis, quae caeteris vetustate et Catholicorum numero antecedit, in Sedem Metropolitanam constituimus. Vicariatum vero S. Georgii in Dioecesim ab eodem S. Georgio denominandam erigimus Apostolica similiter Nostra Auctoritate praesentium vi, eamque novam Dioecesim a S. Georgio sic per Nos erectam una cum iam existente Dioecesi Portus Gratiae, quae etiam Labradoriae oram in proximo continenti complectitur, tamquam suffraganeas, haberi volumus novae Sedis Metropolitanae S. Ioannis. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suf-

fragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VIII Februarii MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI.

II.

Litterae Apostolicae quibus dividitur Dioecesis Providentiensis et erigitur nova Dioecesis Riverormensis.

PIVS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Superni apostolatus officium Nobis divinitus commissum postulat, ut ea sedulo studio praestemus, quae in catholici nominis incrementum exploratamque christianae plebis utilitatem cedunt. Iam vero cum Venerabilis Frater Matthaeus Harkins, Episcopus Providentiensis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, enixe postulaverit a Sancta Sede, ut ad incrementum religionis et ad maius bonum animarum nova dioecesis erigeretur per divisionem dioeceseos commissae sibi, cumque Venerabiles Fratres Archiepiscopus Bostoniensis et Episcopi comprovinciales eiusdem petitionem unanimi consensu commendaverint; Nos, collatis consiliis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, attentoque gravissimo suffragio Venerabilis Fratris Diomedis Falconio, Delegati Apostolici in praefata regione, oblatis precibus annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus hae Litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi perpetuumque in modum e Dioecesi Providentiensi eam partem distrahimus, quae sita est in Statu vulgo *Massachussets* appellato, atque ex ea novam Dioecesim instituimus cum Episcopali residentia in civitate *Fall-River*, a qua ipsa nomen *Riverormensis* habebit, et cum Cathedratico pro sua mensa Episcopali discreto arbitrio Episcopi imponendo. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII Martii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI.

III.

Praefectura Apostolica Insularum Novarum Ebridarum in Oceania erigitur in Vicariatum.

PIVS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontifices, qui suprema sibi divinitus commissa in universam Ecclesiam auctoritate pollent, Catholicas Missiones, quibus incrementum fidei concreditur, alacri iugiter studio provehere, et iis, quas aucto christifidelium numero praestare caeteris norint, peculiaria iura et honores pro re ac tempore addere consueverunt. Cum vero Praefectura Apostolica haud pridem erecta in insulis Oceaniae, quae Novae Ebridae appellantur, opitulante Deo, felices progressus habuerit, Nos ad eiusdem Missionis decus augendum, eiusque incrementum magis magisque promovendum, omnibus rei momentis attente perpensis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, memoratam Apostolicam Praefecturam in Vicariatum Apostolicum erigendam esse censuimus. Quare omnes et singulos, quibus hae Nostrae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, de Apostolicae potestatis plenitudine praesentium vi Praefecturam Apostolicam Insularum Novarum Ebridarum in Oceania in Vicariatum Apostolicum erigimus et constituimus cum omnibus et singulis iuribus, honoribus, praerogativis, privilegiis, indultis, quae ad huiusmodi Vicariatus Apostolicos pertinent, eique idem imponimus nomen. Decernentes has Nostras Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXII Martii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI.

IV.

Pius X gaudet utilitate ac fructibus Operis ad adolescentulas tutandas.

Dilecto Filio Henrico Aloisio Odelin, Vicario Generali Parisiensi ac praesidi operis ad adolescentulas tutandas. — Parisios.

PIVS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Cuius moderator es operis, ad adolescentulas nempe tutandas, praesertim populares, grate admodum iucundeque enarrasti Nobis miros ab ortu processus. Quae enim sodalitas medio saeculo superiore modicis initiis est excitata, eo

nunc nobilitate atque emolumento rei est adducta, ut universum fere per orbem innumerabili adolescentium multitudini opituletur. Tam ubere fructuum copia, quibus non modo externa puellis comparatur utilitas, verum etiam animorum bono integritatique prospicitur, magnopere gaudemus, tibique ac singulis praestantissimi operis sociis enixe gratulamur. Quod si deerrantes ad virtutis normam revocare laudi vertimus, probandum commendandumque multo magis arbitramur charitate et cautione animorum discrimini occurrere. Haec vos persequi commoda diligentia summa studetis, plurimasque licet inde adolescentes spectare, in quibus vitae innocentia curis vestris effulgeat, tunc temporis profutura maxime quum gravissima ipsis demandari vitae munia contingat. Placet idcirco vota Nostra ad maiora sodalitatis incrementa convertere, Deumque dum obsecramus ut vestris conatis benignus adspiret, fideles omnes, quotquot charitatem animis alunt, hortamur ut coetui velint opem afferre, hominumque societati adiumento sint, datis virtuti tuendae subsidiis. Auspicem divinorum munerum Apostolicam Benedictionem tibi ac caeteris, qui laudatam tecum operam navant, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Aprilis MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

V.

Pius X laude summa exornat Pium Opus a S. Francisco Salesio.

Dilectis Filiis Iosepho Chapelier antistiti nostro urbano ac praesidi totius operis a Sancto Francisco Salesio nuncupatis caeterisque eiusdem Operis Sodalibus. — Parisios.

PIVS PP. X.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex opere, cui a S. Francisco Salesio nomen, iucunditatem parem, id est longe maximam, hausimus ac Nostri in Pontificatu Decessores Pius IX et Leo XIII fel. rec. Sodalitas namque, in qua cum fructu lectissimo vestra se probat industria, in id propositum incumbit egregie, ut pretiosam fidei haereditatem incolumem servet atque ab inimica tueatur haeresi: habetque propterea abunde quare et Nobis laetitiam iniiciat, qui fuimus ad munus tutandae fidei assumpti, et a Nobis laude summa exornetur. Magnum quidem ac nobile propositum: attamen non infra rei dignitatem voluntas sodalium est. Hanc vobis voluntatem effuse gratulamur, atque eo libentius gratulationem Nostram coetui vestro tribuimus, quod utilitates, ut diximus, eaeque uberrimae patent collatis eiusdem viribus partae. Spes autem Nos tenet debere sodalitatis emolumenta quotidie augeri, eorum accrescente sollertia qui nomen eidem dederunt. Spes etiam non tenuis est plurimos e catholico grege allaturos coetui opem, ubi primum perspecta vulgo patescant vestra consilia. Nos vero quibus obscurum non est, quo universi incensi estis, divinae gloriae studium, perstantes vos in coeptis exoptamus, id ratos nunquam defutura erga vos benevolentiae Nostrae argumenta. Interim gratum vobis de petriana stipe animum testamur, divinarumque gratiarum auspicem, Apostolicam Benedictionem singulis vobis amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die IX Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

VI.

Pius X iterum probat propositum edendi documenta omnia ad dogma de Immaculato B. M. V. Conceptu pertinentia.

Dilecto Filio Vincentio Sardi ab Epistolis Nostris ad Principes, Canonico Petriano.

PIVS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Exposuisti Nobis, vixdum a benignitate Nostra ad munus evectus fuisti epistolarum Nostrarum ad Principes conscribendarum, reperisse te in Tabulario tuae curae credito documenta omnia, quae ad Definitionem Dogmatis de Immaculato Conceptu augustae Deiparentis Mariae pertinerent. Usus autem opportunitate celebritatum, quibus, Decembri proximo, quinquagesimus annus a dicta Definitione commemorabitur, consilium inivisti ea documenta omnia, si placeret Nobis, in lucem edendi, ac volumen Nostro Nomini dedicandi. Propositum, dilecte fili, quod iam probavimus, probamus iterum, et volumen dicari Nobis libentissime annuimus. Idque non eo solum quod labore a te suscipiendo Magnae Dei Matri honor accedet; verum etiam quia ex memorata documentorum editione licebit cuique agnoscere qua cunctatione, qua prudentia, quibus diuturnis consiliis Pius IX, Decessor Noster, in tanti momenti re usus fuerit. Non dubitamus quin librum omnes laeto animo sint excepturi quotquot vel sacrae student eruditioni, vel Sanctam Dei Matrem peculiari pietate prosequuntur. Tibi interea caelestium munerum ubertatem adprecamur, Nostrae vero benevolentiae pignus, Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 15 Augusti 1904, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X.

VII.

Pius X gratulatur Epis Angliae egregiam Sedi Aplicae operam navantibus.

Venerabilibus Fratribus Francisco Archiepiscopo Westmonasteriensium caeterisque Episcopis Angliae — Westmonasterium.

PIVS PP. X.

Vener. Fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Sanctorum parentis Angliae, cuius gloriosam cum Romana Cathedra coniunctionem ac parta per id beneficia communibus litteris repetebatis, sinceram vos ingenuamque permanere sobolem demonstrastis, quum virtutis observan-

tiaeque sensus, qui maximi esse possent, in Personam Nostram, Pontificatus Summi dignitate auctam, aperire studuistis. Atque quidem cultus obsequiumque tam gratum expectationem animi Nostri plane sustinuit, quippe quos certa tenebat spes non fore ab iis argumenta voluntatis amorisque desideranda, qui cum sanctissimis vetustisque Angliae sacrae Patribus praecipua quadam ac peculiari omnino fidelitatis laude sociarentur. Et quoniam gratae mentis ergo verba haec prima ad Angliae Episcopos facimus, gratulari vobis in ipso Pontificatus limine placet, e quibus tanta catholicis universis exempla profitendae amplificandaeque fidei proficiscuntur. Qua quidem in re, si strenua pro Ecclesia certantes illa vos gaudia defugiunt, quae ad fluxa ornamenta saeculi pertinent, at haec certa vos gloria manet, eamdem in vobis vim animi inesse, quae in fortissimis fidei vestrae praeconibus enituit. Vobis igitur egregiam Sedi huic Principi operam navantibus vehementer laetamur, nihilque in praesentiarum ambigimus fore ut maiora in dies e curis vestris solatia animo Nostro comparentur. Horum autem effectricem bonorum caelestium munerum auspicem Apostolicam benedictionem, charitatis Nostrae testem, unicuique vestrum peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 12 Octobris 1904, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

VIII.

Ecclesia Cathedralis Urgellen. Basilicae Minoris titulo cohonestatur.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Templa Dei vetustate, structura et divini cultus splendore conspicua, Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, peculiaribus titulis ac privilegiis ornare et decorare satagimus. Iam vero cum probe noscamus Cathedralem Ecclesiam Urgellensem saeculo undecimo extructam pulcherrimum et ferme unicum extare in Hispaniae regionibus Romani ordinis exemplar, ac splendidis artis operibus insignem, divite refectam sacra supellectile, atque amplissimo Patrum Canonicorum ordine ac Beneficiariis auctam, prout decet sacram aedem totius Urgellensis dioeceseos principem maxima liturgicarum functionum solemnitate ac magnificentia pollere, idcirco illius Antistitis et Capitularium votis ultro libenterque annuendum existimamus. Quae cum ita sint omnes ac singulos, quibus hae litterae Nostrae favent a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Cathedralem Urgellensem Ecclesiam Apostolica Nostra auctoritate praesentium vi perpetuumque in modum Minoris Basilicae titulo ac dignitate cohonestamus cunctis eidem privilegiis attributis quae minoribus Urbis Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, illisque ad quos spectat et spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 9 Decembris 1905, Pontificatus Nostri anno tertio.

ALOISIUS Cardinalis MACCHI.

L. ✠ S.

IX.

Pius X pergratum habet nuntium de mox celebrando VIII Concilio Provinciali Longobardiae.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili noster et Venerabiles Fratres,
Salutem et Apostolicam benedictionem.

Pergratus Nobis, ut intelligitis, nuntius fuit, communi vestra allatus epistola, Provinciale vos Concilium mox habituros, eiusque iam initia et fundamenta quaedam Rhaudii ad Virginis aedem posuisse. In quo vestrum cum pastorale studium, tum pietatis erga Nos obsequium laudamus. Nam coire in unum, ut sacram provinciae vestrae disciplinam opportune firmaretis, certum vobis erat; sed diligenter censuistis maturandum, ubi id Nobis placere sensistis. Nos vero, quemadmodum ad ineundam rem suasores vobis fuimus, ita ad perficiendam adiutores esse volumus: propterea Spiritus Sancti lumina et auxilia consultantibus affluant, enixe vobiscum precabimur. Nostras autem preces potenti patrocinio suo certe auctura est Maria beatissima, cuius imploranda ope feliciter coepta vestra auspicati estis.

Interea caelestium munerum pignus et paternae Nostrae benevolentiae testimonium, Apostolicam benedictionem habete, quam vobis, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, et vestro cuiusque Clero ac populo peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 8 Iunii anno 1906, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

X.

Pius X gratulatur de alacritate studioque Societatis Paullianae catholice scriptis divulgandis.

PIUS PP. X.

Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam benedictionem.

Exacto societatis istius anno tricesimo, fecistis vos quidem gratum, quod cum fidei pietatisque erga Nos veteris significatione, indicem Nobis gestarum hoc intervallo rerum

obtulistis. Non enim, haec Nos legentes, mediocrem cepimus voluptatem, quum cerneremus animo, ex librorum optimorum a vobis diffusa copia quantas christiano populo utilitates attulisset. Gratulamur his laborum vestrorum fructibus, atque ut alacres propositum studeatis persequi, hortamur: quamquam intelligimus isti alacritati studioque vestro non parum facultatum angustias remoram facere.

Atqui, si quod est instituti genus dignum cui catholicorum liberalitas adsit, vestrum est profecto, quo gravissimum horum temporum coërcere malum pro virili parte contenditis. Quam multa quotidie disperguntur in vulgus impie nefarieque scripta, quae popularem religionis verecundiam labefaciant, quae mores corrumpant, quae ad ipsa convellenda humani convictus fundamenta pertineant! Gliscitque pestis, venia legum, qua licet, quidquid libeat, typis in lucem proferre. An vero, hoc instrumento in utramque partem efficacissimo improbi abutentur ad perniciem christianae societatis, nec ullis propterea parcent sumptibus; eodem autem boni non, quantum opus est, utentur ad salutem?

Faxit Deus, ut sui quisque memor officii in hac causa, vobis itemque caeteris, quorum eadem est salutaris industria, pro facultatibus opituletur. Vosque a commendatione Nostra sumite animos, et, divinae Providentiae benignitate freti, quantum est in vobis, bene de Ecclesia, ut instituistis, mereri pergite.

Auspicem interea caelestium munerum, et benevolentiae Nostrae testem, vobis, dilecti filii, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 30 Junii, in Commemoratione S. Pauli Ap., anno 1906, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

Dilectis Filiis
Maximiliano Zara praesidi et sodalibus Societatis Paullianae catholice scriptis divulgandis *Romae.*

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

DECRETUM MARIANNENSIS ET GOYASENSIS IN BRASILIANA REPUBLICA NOVAE FINIUM DESIGNATIONIS.

Spirituali fidelium regimini quam maxime interest, ut praesulum, qui dioecesibus gubernandis praeficiuntur, auctoritas et iurisdictio certa omnino sit nullisque obnoxia dubiis. Ex iurisdictione enim rectorum ecclesiarum, actorum ac legum pendet validitas ipsorumque Sacramentorum administratio. Cum autem Episcopi ad certum populum regendum mittantur, sicut in ipsis apostolica requiritur missio, quae totius spiritualis iurisdictionis fons una et origo extat a Christo Domino instituta; ita pariter clare pateat oportet, quem in locum ipsi eam, quam acceperunt, exercere possint ac valeant iurisdictionem. Dioeceses proinde certis circumscribi limitibus necesse est, eum etiam in finem, ne improbi, quas pro suis criminibus luere debent poenas, effugere possint. Quare cum RR. PP. DD. Silverius Gomes Pimenta et Eduardus Duarte Silva, ille Mariannensis, alter Goyasensis dioecesis in Brasiliana Republica Episcopus, ad viam dubitationibus praecludendam circa suarum dioecesium fines consilium inter se inierint easdem novis iisque certioribus et aptioribus limitibus circumscribendi, atque litteris die XVIII Octobris anno elapso datis, SS.mum Dominum Nostrum Pium Papam X exoraverint ut novos a se descriptos fines apostolica auctoritate firmare vellet, Sanctitas Sua, cunctis, quae in huiusmodi negotiis inspicienda sunt, matura deliberatione examinatis atque perpensis, rei sacrae procurationi ac fidelium spirituali regimini meliori qua fieri potest ratione prospicere cupiens, dictorum Praesulum vota benigne excipere dignata est; et de Apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulos, quibus praesens Decretum favet, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis sive a iure, sive ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, huius tantum rei gratia absolvens et absolutos fore censens, suppressis limitibus, quibus hactenus dioeceses Mariannensis et Goyasensis ad invicem separabantur, utendo etiam facultate Sedi Apostolicae expresse reservata in Apostolicis Litteris *Ad universas Orbis Ecclesias* die XXVII Aprilis anno Domini MDCCCXCII, datis, novas circumscriptiones in dioecesibus Brasilianae Reipublicae, nulla etiam adiecta territoriali compensatione, peragendi quandocumque id in Domino expedire visum fuerit, atque derogato, quatenus opus sit, quorumcumque hac in re interesse habentium, vel habere praesumentium consensui, supradictas dioeceses novis finibus circumscribendas decrevit in hunc, qui sequitur modum: Montes continui vulgo Serra da Marcella, ut nunc, et Serra da Canastra, per iugum, quod vocant Espigâo-Mestre unam ab altera duas dioeceses divident usque ad fluvium, quem Rio-Grande dicunt. Prope tamen pagum, cui nomen « Sancto Joâo Baptista da Canastra », linea, quam praedicti montes describunt, in Orientem parumper deflectetur per fluvios, quorum unum Samburà et alterum a Sancto Antonio appellant, ita ut pagus ille, qui nunc partim Mariannensi partim Goyasensi subditur dioecesi, in posterum una cum territorio fluminibus Samburà et Sancto Antonio comprehenso totus ad solam pertineat Goyasensem dioecesim, cui pariter subiectae erunt regiones omnes, quae ad occidentem praedictorum montium Serra da Marcella et Serra da Canastra vergunt, dum Mariannensi Episcopali Ecclesiae addictae remanebunt reliquae omnes, quae Orientem versus existunt. Caeteris in partibus Mariannensis et Goyasensis dioecesium fines iidem erunt, ac nunc sunt. Documenta vero respicientia loca et personas, quae nova hac finium designatione ex unius dioecesis territorio et iurisdictione in alterius transierunt, iussit Sanctitas Sua a Tabulario dioecesis, in quo hactenus reposita fuerunt, extrahi, et Archivo alterius tradi, ut ibi pro opportunitate custodiantur et asserventur. In horum denique executorem Beatitudo Sua deputavit R. P. D. Iulium Tonti, Archiepiscopum titularem Ancyranum et in Brasiliana Republica Nuntium Apostolicum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, iniuncta eidem obligatione intra sex menses mittendi ad hanc Sacram Congregationem exemplar

authentica forma exaratum executionis peractae, iussitque praesens in hanc rem edi decretum consistoriale, perinde valiturum ac si Litterae Apostolicae in forma Brevis vel sub plumbo super praemissis expeditae fuissent, et Decretum ipsum referri inter Acta Sacrae Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die X Ianuarii, anno Domini MDCCCCIV.

Pro R. P. D. Secretario, IULIUS GRAZIOLI
S. C. Consistorialis et S. Collegii, *Substitutus*.

E S. R. UNIV. INQUISITIONE

Determinatur formula brevis pro administratione Extremae Unctionis in casu necessitatis.

Feria IV, 25 Aprilis 1906.

Cum huic Supremae Sacrae Congregationi quaesitum fuerit ut unica determinaretur formula brevis in administratione Sacramenti Extremae Unctionis in casu mortis imminentis, Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Generales Inquisitores, maturrime re expensa, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, decreverunt:

In casu verae necessitatis sufficere formam: PER ISTAM SANCTAM UNCTIONEM INDULGEAT TIBI DOMINUS QUIDQUID DELIQUISTI. AMEN.

Sequenti vero Feria V, die 26 eiusdem mensis et anni, in audientia a SS. D. N. Pio Div. Prov. Pp. X R. P. D. Adsessori impertita, SS.mus D. N. decretum EE. et RR. Patrum adprobavit.

PETRUS PALOMBELLI, *S. R. et U. Inquis. Notarius.*

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

3397/4 B. — **In folio.**

Salisburgen. — Alienationis et Iurisdictionis.

Collegialitas non praesumitur, sed ab allegante evidenter demonstrari debet, quod desideratur in casu; unde in alienandis illius bonis, non requiritur consensus Capituli Collegiatae quae est communitativa tantum etc.

Die 16 Decembris 1905.

Maximilianus Gandulphus, Archiepiscopus Salisburgensis in Austria, anno 1679 ecclesiam parochialem S. Petri in oppido vulgo *Seekirchen* extantem, absque Sedis Apostolicae beneplacito, ad dignitatem Collegiatae erexit.

In eodem oppido *Seekirchen* habentur etiam quinque aliae institutiones, nempe duae ecclesiae filiales cum tribus Confraternitatibus, quarum Rector est ipse canonicus Praepositus Collegiatae S. Petri, et quarum bona distincta quidem sunt a massa communi ecclesiae Collegialis, sed eodem modo ac bona Collegiatae administranda videntur. Modo in primis dubitatur num canonici Collegiatae S. Petri verum ac proprie dictum Capitulum in sensu iuris constituant, uti contendunt Canonici ipsi contra Archiepiscopum, an vero simplicem communitatem efforment; deinde, quinam sit verus administrator bonorum tum ad massam Capitularem tum ad caeteras quinque pias causas pertinentium.

Interea a. 1897 E.mus Cardinalis Haller, tunc Archiepiscopus Salisburgensis, ut aes alienum pro novae paroeciae S. Andreae Salisburgi aedificatione contractum solveret, consentientibus canonico Praeposito Proschkio – tamquam parocho Collegiatae S. Petri in *Seekirchen* et rectore duarum ecclesiarum filialium triumque Confraternitatum, – necnon Oeconomo canonico Tragseil pro hisce omnibus administrandis bonis deputato, quotannis erogare statuit duo millia florenorum (quae respondent numero circiter duplo maiori libellarum italicarum) per quatuordecim annos solvenda ex redditibus superfluis quinque dictorum entium. Huiusmodi vero solutio plus minusve regulariter facta fuit usque ad a. 1901, quam deinceps novus electus canonicus Praepositus Schonkarl necnon canonicus Oeconomus Maier aliique omnes canonici Collegiatae ecclesiae impugnare coeperunt ex defectu consensus sive Sanctae Sedis, sive ipsius Capituli, sive demum civilis Gubernii. Notandum tamen est quod a. 1902, quaedam conventio inter canonicos et Archiepiscopum inita fuit, ut loco 2000 florenorum, dumtaxat 2040 coronae, seu tot circiter libellae italicae, quotannis solverentur.

Porro actualis Archiepiscopus, E.mus Ioannes Katschthaler, quin canonicorum Collegiatae consensum expertus fuerit, die 18 Apr. 1902 praefatum beneplacitum Apostolicum ad cautelam petiit obtinuitque. Sed iidem canonici, obtentum S. Sedis indultum – utpote consensu eorum, quorum interest, destitutum – tamquam irritum habentes, prius ad ipsum Archiepiscopum Salisburgensem, dein vero ad hanc S. C. rem dirimendam detulerunt sub infrascriptis prioribus tribus dubiis, quibus et quartum addiderunt circa iurisdictionem, qua ipsi gaudere putant in animarum cura.

Nonnulla modo pro utraque parte contendente adnotanda sunt.

In primis, favore canonicorum Collegiatae S. Petri in *Seekirchen* asseri posse videtur ipsos revera constituere proprie dictum Capitulum Collegiale, non autem communitativum. Archiepiscopus enim Gandulphus in tabulis fundationis a. 1679 ecclesiam S. Petri, quae antea parochialis tantum erat, « in ecclesiam Collegiatam » erexit; nomine autem *Collegiatae* in communi loquendi usu venit Collegiata proprie dicta, nunquam vero simplex communitas. Intentio praeterea Archiepiscopi fundatoris veram Collegiatam instituendi vel ex eo erui potest, quod ipse omnes enumerat qualitates, quae ad Collegiatam erigendam requiri solent. Monacelli enim *(Form. leg., tom. 2, tit. 13, form. 6, n. 8)* docet quod Papa pro concessione Collegiatae regulariter inclinat, quoties sequentia requisita concurrant, nempe: « qualitas loci nota digni; docilitas et numerositas « populi et cleri; structura decora et capacitas ecclesiae; « abundantia, decentia et pretiositas sacrarum suppellectilium; « dos congrua pro praebenda canonicorum, et distributionibus; « si conditiones fundationis et erectionis non sint exorbitantes « a iure; si augeatur divinus cultus, et concessio nemini « inferat praeiudicium; tandem si Episcopus approbet et « laudet erectionem ». Eadem omnino repetit Ferraris (*Bibl. can.* v. Collegium, *n. 21*). Quae requisita saltem aequivalenter recenseri videntur in fundationis tabulis, ubi edicitur

Archiepiscopum Gandulphum ad erectionem Collegiatae S. Petri ductum fuisse « a loci dignitate: a novis altaribus, « organo, argentea suppellectili, paramentis aliisque rebus « ad decorem tendentibus; ad maiorem Dei gloriam; ad po- « puli concrediti salutem; congrua dote instituta, etc. » Hae vero recensitae qualitates firmantur etiam in Brevi Apostolico *Revocaturus* 6 Maii 1879. Unde eruitur, quod Archiepiscopus Gandulphus voluntatem habuit ecclesiam Collegialem, non vero receptitiam, fundandi.

Hoc autem verum esse vel ex eo apparet quod ecclesiarum receptivarum essentiale est « nec distincta beneficia « neque dignitates habere ». Cfr. Santi-Leitner (*Prael. iur. can., lib. 3, tit. 5, n. 8*), ubi legitur: « In istis ecclesiis « distinctae praebendae et distincta beneficia non adsunt, « sed tot admittuntur canonici vel beneficiati aut mansio- « narii quot possunt ex redditibus massae communis susten- « tari ». At in themate praebendae sunt distinctae, sicuti distincta sunt beneficia, adsunt praeterea sex tantum canonici praeter Decanum, qui aliquam exercet iurisdictionem in caeteros canonicos ac ministros Collegiatae. Dignitas enim, ut habet Bouix *(De Capitulis, part. 1, sect. 1, cap. 3, § 4)*: « est titulus beneficialis habens praecedentiam cum iurisdi- « ctione ».

Nec ex adverso oggeratur dictam ecclesiam Collegiatam veri nominis dici non posse ob defectum beneplaciti Apostolici, quod necessario requiritur in ecclesiarum Collegialium erectione. Attenta enim veteri disciplina hae erectiones fieri poterant sola Ordinarii auctoritate, quum H. S. C. decreta inhibitoria nondum prodierint. Hoc apparet ex Pitonio *(Discept. eccl. 116, n. 30)*, necnon ex resolutione H. S. C. in una *Cremonen.* 7 Sept. 1720, ubi approbatur erectio Collegiatae ab Episcopo Cremonensi peracta absque beneplacito S. Sedis. Quapropter Card. Petra *(Const. 7 Inn. IV, Sect. 2, n. 13)* concludit: « Si agatur de Collegiata « iam erecta tempore, quo vigebat opinio, ut posset ab Or- « dinario erigi, tunc iudicari debet iuxta illud tempus et « non secundum opinionem posteriorem contrariam, ut notat « Rota *dec. 240, n, 12* coram Alexandro VIII, et *dec. 1084,* « *n. 5* coram Emerix, ita ut praescriptio validitatem ere- « ctionis inducat per spatium temporis centum annorum; « et consensus Papae praesumitur, si fuerit in statu Colle- « gialitatis saltem implicito, donec contrarium declaretur ». Cfr. Ferraris *(Bibl. can., v. Collegium, n. 24)*. In casu autem praescriptio habetur plus quam centenaria, quum erectio Collegiatae ad annum 1679 ascendat.

Item dici non posse videtur ecclesiam S. Petri suam amisisse Collegialitatem initio saeculi XIX et ad simplicem parochiam rediisse. Litteraliter non videntur accipi quae habet Leo XIII in citato Brevi *Revocaturus* 6 Maii 1879, heic non habetur vera et proprie dicta suppressio Collegiatae S. Petri, sive quia requireretur interventus ecclesiasticae auctoritatis, qui in casu non apparet, sive quia dicitur dumtaxat *cogitabatur fieri* ergo factum non est.

Accedit praeterea quod Imperator Austriae iure minime pollebat Collegiatam restituendi, dum ipse tantum restituere poterat facultates et bona a persecutione erepta. Hoc etiam ex eo liquet quod iura Collegii semel erecti conservari possunt etiam in duobus imo in uno, ut habet Gloss. ad verb. *Ubi in cap. 1* de electione, et ad verb. *Collegiatas* in cap. *Statutum* de electione in 6; Fagnanus (in cap. *Cum sit ars* de aetate et qualitate, *n. 33 et 34*); Monacelli (*loc. cit., n. 7*); Ferraris (*loc. cit., n. 5*): quamvis tunc Collegium non sit actu sed habitu et virtute. In themate autem, quum parochus sit etiam canonicus, ipse erat sufficiens ad Collegialitatem servandam.

Sed, hisce etiam praetermissis, Leo XIII litteris Apostolicis *Revocaturus* 6 Maii 1879 institutionem Collegii in ecclesia S. Petri in *Seekirchen* non solum confirmavit auctoritate Apostolica, sed et eidem titulum Collegiatae insignis elargitus est.

Si igitur Summus Pontifex institutionem Collegiatae S. Petri confirmat, supponit et ipse Collegiatam iam in suo esse extantem. Eamdem insuper insignem nuncupat; quod non fecisset, nisi ecclesia esset vera ac proprie dicta Collegiata, prius enim est esse quam esse tale. Caeterum, etiamsi ecclesia in casu Collegiata veri nominis non extitisset, Pontifex citato suo Brevi eam uti talem erexit, quum statuat ipsam appellari et haberi debere tamquam Collegiatam insignem, quinimo frui omnibus iuribus ac privilegiis, quibus gaudent aliae omnes insignes Collegiatae.

Quod vel ex eo magis patet quod Archiepiscopus Eder, paulo post Breve Pontificium, novas sanxit Constitutiones, quibus usque ad hodiernum diem ecclesia S. Petri regitur atque tenetur, et in quarum primo capite diserte declaravit: « Pre- « sbyteros saeculares ecclesiae Collegiatae in *Seekirchen* « adscriptos constituere Capitulum », imo in cap. 7 proprium sigillum praescripsit hac inscriptione signatum: « Capitulum « Collegiatae insignis *Seekirchen* ». Iamvero sigillum proprium seu commune ipsius Collegii habetur veluti signum et indicium Collegialis, quemadmodum eruitur ex cap. *Dilecta* de excess. Praelat., et ex cap. *Significavit* de appell.; Cfr. Barbosa *(De canon., cap. 2, n. 10)*; Ferraris *(loc. cit., n. 35)* etc. Item inter huiusmodi indicia enumerantur etiam massa communis; quod adsit aliquis uti caput; quod cura animarum sit penes Capitulum: quae omnia verificari videntur in themate, sicut ex dictis constat. Cfr. *Folium officii* in *Calaritana* mox elapsi Novembris. § *Hisce positis*.

Idem probare videntur ipsa verba, quibus utens praedictus Archiepiscopus Eder hoc modo Decanum solemniter instituit: « Te Decanum Capituli Collegiatae insignis confir- « mamus »; quoad vero institutionem canonicorum utitur his verbis: « indulgendo tibi usum cappae magnae et rocheti, et « tradendo mozzettam et insigne Crucis Capitularis S. Ruperti, « confirmamus te canonicum Capitularem insignis Collegiatae « Seekirchen, ut fruaris omnibus iuribus... et praerogativis « ad hanc Collegiatam insignem et canonicatum tuum per- « tinentibus ». Canonici in catalogo presbyterorum dioecesis Salisburgensis exhibentur ut *canonici Capitulares;* qui proinde ita appellari nequirent, nisi sint membra Capituli. Praeterea iidem canonici obligationes adimplent, quae canonicis proprie dictis tantum incumbunt. Celebrant enim quotidie Missam Conventualem, praestant servitium chori, gaudent insignibus, utuntur insigni Cruce Capitulari, exercent coetus capitulares absque praevia Ordinarii licentia, Praepositus habet usum Pontificalium, etc.

Quoad secundum propositum dubium, observari potest quod in alienationibus bonorum ad quinque pia entia pertinentium requiratur etiam consensus Collegiatae S. Petri in *Seekirchen.* Ambigendum enim non videtur quod Sedes Apostolica in alienationibus peragendis suum beneplacitum non concedit, nisi praecesserit consensus eorum, quorum interest. De Angelis *(Prael. iur. can., lib. 3, tit. 13, n. 3)*; Wernz *(Ius Decret., tom. 3, n. 165)*.

Iamvero inter eos, qui interesse habent, in themate accensendi videntur et canonici Collegiatae S. Petri. Etenim, cum an. 1832 ecclesia Collegiata in *Seekirchen* per Gubernium Austriacum iterum restitueretur, de administratione bonorum ecclesiasticorum inter ipsum et Ordinarium statutum fuit: « Ut bona ecclesiarum filiarum et confraternitatum admini- « strentur eo modo ac bona ecclesiae Collegiatae ». Atqui circa administrationem bonorum Collegiatae S. Petri documentum erectionis haec habet: « Ordinamus ut Oeconomus

« sive procurator temporalis constituatur, qui... suae administrationis singulis annis coram Decano et canonicis... « exactam et fidelem rationem reddat... Ex canonicis Decanus unam clavem aerarii, alteram senior, tertiam vero « Oeconomus habeat ». Cum igitur exacta ac fidelis ratio administrationis quovis anno reddenda sit canonicis, ipsis plus iuris reservatur quam simplex revisio, secus ac Archiepiscopus contendit. Item, si fundator Decano et canonico seniori unam alteramve clavem aerarii tradidit, iure praesumitur voluisse, iisdem insciis et irritis, nihil pecuniae debere ac posse ex aerario auferri.

Bona praeterea Collegiatae S. Petri massam communem constituunt, cuius administratio non solum iure Concordati sed etiam iure canonico ad ipsos beneficiatos spectat, uti in *cap. 52, caus. 12, quaest. 2, cap. 1, tit. 10, et cap. 8, tit. 13, lib. 3 Decretalium.* Hisce iuribus fundati, docent unanimiter canonistae non posse alienari res ecclesiae sive immobiles sive mobiles pretiosas sine consensu Capituli. Leurenius *(For. eccl., lib. 3, tit. 10, quaest. 109)* docet: « Ad « alienationem rei ecclesiasticae, immobilis aut mobilis pre« tiosae... sive ea sit ecclesiae Cathedralis, sive Collegiatae, « sive Conventus Religiosorum aliorumque clericorum bene« ficiatorum... requiritur consensus Capituli, Conventus, Col« legii ». Et Bouix *(De Capitulis, part. 4, cap. 3, § 2, n. 2)* addit: « Idem dicendum de bonis ecclesiae Collegiatae, re« quiritur nempe consensus Capituli Collegialis ». Cfr. Wernz *(Ius Decr., tom. 3, n. 164)*; Aichner *(Comp. iur. eccl., § 226, n. 2)*; Phillips *(Lehrbuch, § 231)*, etc.

Atqui idem modus, uti supra innuitur, statutus est pro administratione sive bonorum massae Capitularis sive bonorum ad duas filiales ecclesias et ad tres confraternitates spectantium. Hinc canonici S. Petri ius administrandi habere videntur etiam bona praefatorum quinque entium, quae proinde alienari, aut donari nequeunt, nisi ipsorum praecesserit expressus consensus. Imo in specie quoad Confraternitates addi potest quod etiam canonici sunt earum membra, earumque bona ex solutionibus in fratrum receptione perceptis sunt conflata. Congregatio autem Concilii licentiam alienandi Confraternitatum bona concedere nunquam solet, nisi accedat consensus quoque membrorum; ideoque in casu etiam canonicorum Collegiatae S. Petri.

Quoad tertiam propositam quaestionem favore canonicorum, affirmandum videtur solutiones in casu pro aedificatione ecclesiae S. Andreae non amplius in posterum esse peragendas.

Licet enim S. Congr. Concilii Rescripto 18 Aprilis 1902 Apostolicum concesserit indultum applicandi per 15 annos duo millia florenorum ex redditibus quinque piarum causarum, tamen praesupposuit consensum praestitum ab interesse habentibus. At e contra apparet quod Praepositus Proschko et canonicus Tragseil tunc temporis Oeconomus, dum litteris 12 Ian. 1897 annuerunt pro solutione 28 millia florenorum, aliis litteris 14 eiusdem mensis et anni declararunt, se non velle plus pecuniae solvere quam 21,588 florenorum. Archiepiscopus vero, nulla habita ratione posteriorum litterarum ac revocationis priorum, 28 millia florenorum intra 14 annos solvenda litteris suis 20 Ianuarii exegit.

Quibus accedit quod in themate desiderabatur consensus ipsorum canonicorum, qui, ut supra ostensum est, sunt administratores horum quinque entium. Quapropter rescriptum obreptione laborat, ac proinde irritum est habendum.

In casu enim agitur de rescripto, quod dicitur *gratiae*, quod proinde est ipso iure nullum sive obreptio ex dolo proveniat iuxta *cap. 8 et 31, tit. 3, lib. 1 Decret.*, necnon *cap. 1 de praeb. 3. lib. 2 Clem.* (Cfr. Pirhing, *h. tit., n. 85*); Wernz (*Ius Decr., tom. 1, n. 153, ed. 2*); sive etiam ex ignorantia vel simplicitate, si Pontifex cognita veritate rescriptum non fuisset concessurus, ad tramitem *cap. 20, tit. 3, lib. 1 Decr.* Cfr. etiam Schmalzgrueber (*h. tit., n. 16*), Wernz (*loc. cit.*). Iamvero etiamsi huiusmodi rescriptum obtentum fuerit absque dolo, tamen Pontifex illud concessit sub formali conditione ut adesset consensus omnium interesse habentium; quo non praehabito, nec illud concessisset.

Nec reticendum est, ad solutionem de qua agitur licite faciendam, Gubernii quoque consensum requiri, qui nec datus est nec forsan dabitur. Articulus enim 30 Concordati Austriaci habet: « Bona (*nempe ecclesiastica*) vendi vel notabili gra« vari onere non poterunt, nisi tum Sancta Sedes tum Maiestas « sua Caesarea... consensum tribuerit ». Decreto autem ministeriali 20 Iunii 1860 notabilis declarata est onerum impositio, quae 1000 florenos excedit. Quod § 51 legis 7 Maii 1874 confirmatum fuit; quinimo decretum 14 Augusti 1887, solutiones ab una Ecclesia alteri ita factas, ut aes alienum non amplius solvatur, disertis verbis interdicit.

Nec praetereundum est quod S. H. C. gratiam iuxta petita concessit, quae hisce verbis continebantur: « Ut conce« datur facultas per 15 annos ex redditibus dictorum quinque « corporum hauriendi duo millia florenorum pro sarciendis « debitis ex aedificatione Ecclesiae S. Andreae ortis ». Iamvero si haec petitio iuxta grammaticae ac interpretationis regulas intelligenda est, in ipsa agitur de 2000 florenis tantum intra spatium 15 annorum solvendis, ac proinde indultum pro 2000 florenis concessum fuit, non autem pro 30,000.

Demum petitio facta fuit exigendi per 15 annos duo millia florenorum ex redditibus, minime vero ex substantia; hinc S. C. merito supposuit quod adsint redditus superflui ipsaque substantia bonorum sit integra. At vero contrarium accidit. Cum exinde Collegiata Ecclesia S. Petri indigeret restauratione, cuius sumptibus impar erat, consensu Ordinarii in subsidium occurrerunt dictae Ecclesiae filiales ac confraternitates per diminutionem ipsarum substantiae fere per 24 millia florenorum, cum tacita saltem conditione ut earum substantia quam primum integra restitueretur. Hoc autem impedit solutiones pro Ecclesia S. Andreae faciendas ex redditibus, quamdiu saltem restitutio 24 millium florenorum peracta non fuerit.

Tandem quoad ultimum dubium iurisdictionem canonicorum in cura animarum exercendam respiciens, quae sequuntur notanda veniunt.

In tabulis fundationis Collegiatae statuitur: « Praeter De« canum sex canonicos..., atque horum tres Curatos, reliquos « vero tres Incuratos deputari volumus. Curatis canonicis « incumbet cura animarum et ea, quae illuc referuntur, « mutato ordine, administrare... ». Deinde Archiepiscopus Iosephus Tarnoczy die 27 Martii 1871 de canonicis Incuratis, quos ipse seniores vult appellari, Curatos vero iuniores, § 4 decrevit, ut ipsi quoque in cura animarum, in quantum valent et requiruntur, collaborent. Iamvero quando Archiepiscopus Salisburgensis confert canonicatum vacantem, diserte declarare solet in litteris collationis, se conferre novo canonico « facultatem omnia munia dicto canonicatui incum« bentia peragendi ». Igitur cum canonicatui adnexa sit cura animarum actualis vi praedictorum verborum, ipsa quoque iurisdictio parochialis necessaria videtur, quae proinde cum ipsa collatione canonicatus demandata dici debet. Bucceroni enim (*Inst. theol. mor., vol. 2, n. 766, ed. 4*) docet: Iuris« dictio ordinaria competit... parochis... iisque omnibus, qui « beneficium vel officium habent, cui adnexa est obligatio « audiendi confessiones ». Attamen, uti refert Capitulum, Archiepiscopi Salisburgenses prorsus contrariam sequuntur

praxim. Canonici enim Curati Collegiatae Ecclesiae plerumque renuntiantur, qui antea fuerunt cooperatores seu cappellani deputati ad curam animarum cum iurisdictione ad certum tempus delegata. Iamvero quando elapsum est tempus, per quod ipsis iurisdictio delegata fuit, Archiepiscopus iisdem eam extendit usque ad sex annos, nulla ratione habita quod ad canonicatum, qui rationem beneficii curati habet, fuerint inamovibiliter promoti et instituti. Quod prorsus non congruit cum doctrina a Bucceroni superius tradita.

Ex alia vero parte favore Archiepiscopi Salisburgensis in primis asserendum videtur Ecclesiam S. Petri in *Seekirchen* Collegiatam veri nominis dici non posse, sed tantum communitativam.

In iure enim solae Ecclesiae Cathedrales et Regulares praesumuntur Collegiales; caeterae vero vel simplices Ecclesiae aut saltem parochiales reputantur. Quare, ut habet Cardinal. De Luca (*De benef., disc. 14, n. 7*): « Collegialitas, « tamquam qualitas accidentalis, quae in dubio non prae- « sumitur, ab allegante evidenter ac perfecte probanda est ». Idem repetit Riganti (*Comm. in Reg. 4 Cancell.* § *2, n. 36, 39 et 40*), necnon Card. Petra (*in Const. 7 Inn. IV, sect 2, n. 17 et 18*). Totum igitur probationis onus adversae parti incumbit, quae de caetero probare non videtur Ecclesiam in casu ad gradum Collegiatae evectam fuisse. Collegialitas enim ex triplici capite argui valet, nempe ex erectionis actu, ex privilegio Apostolico vel demum ex signis et indiciis, ut generatim doctores tenent, quemadmodum videre est in *Folio officii* causae *Calaritanae* 18 Novembris 1905, § *Primam partem.*

In themate autem minus utiliter invocantur fundationis tabulae, quibus a. 1679 Archiepiscopus Gandulphus dictam Collegiatam erexisset; quum ipse, sicuti et caeteri Episcopi, huiusmodi facultate esset destitutus. Sane erectio Ecclesiarum Collegiatarum ad unum Pontificem pertinet, veluti tradunt unanimiter canonistae in citata causa *Calaritana* recensiti. Item in una *Conversana* 27 Iunii 1626 responsum fuit: « Episcopum non posse Ecclesiam parochialem in Col- « legiatam erigere »; quod confirmatum est in *Fulginaten.* 26 Febr. 1639. Igitur si iam ab a. 1626 huiusmodi praxis invaluerat, non amplius urgenda est contraria praxis seu opinio anno 1679, quando primo evenit erectio Collegiatae S. Petri.

Nec insuper clara apparet intentio Archiepiscopi Gandulphi erigendi in casu veram Collegiatam, quum Ecclesiae S. Petri minime attribuat privilegia ac iura, quae iure communi competunt proprie dictis Collegiatis. Hoc vel ipsi canonici S. Petri fatentur, quum in supplici libello ad A. Datariam ab ipsis oblato die 20 Iulii 1863 querimonias moveant. Aiunt enim: « In provisione Decanatus et canoni- « catuum, erectionis instrumentum disponit ut Archiepiscopus « Salisburgensis Decanatum et quinque canonicatus libere « conferat, Capitulo vero Metropolitano Salisburgensi ius « concedit ad unum canonicatum praesentandi; qui modus « provisionis ab erectione Collegiatae usque ad hodiernum « diem observatus esse videtur ». Proinde petunt ut « Ca- « pitulo in *Seekirchen* concedatur ius Decanum et canonicos « libere eligendi », quum « de iure communi electio cano- « nicorum in Collegiatis spectet ad Capitulum ». Iidem canonici postulant « ut ipsis tribuatur ius statuta condendi et « immutandi, ad tramitem iuris communis ». Et iam ab anno 1864 Archiepiscopus tunc temporis Salisburgensis praetensionibus canonicorum refragabatur in suis litteris ad A. Datariam datis, aiens: « Falsum omnino est, eam fuisse mentem « piissimi fundatoris, Ecclesiam Collegiatam talem creare, « quae tamquam in se subsistens sui iuris esset, qualem « cum suis dotibus et iuribus accurate definitis ius commune « describit... Iura autem capitularia, qualia nempe in Col- « legiatis Ecclesiis sui iuris canonicorum corpus i. e. Capi- « tulum possidere solet, Seekirchensibus neque in prima « institutione neque posthac a competente auctoritate eccle- « siastica attributa fuere ». Quae omnia praesumere faciunt voluntatem Archiepiscopi fundatoris non fuisse veram instituere Collegiatam.

Accedit quod indicia seu signa Collegiatae, alia sunt *univoca* quae ad formalem Collegiatae constitutionem sese referunt, quaeque ad veras tantum Collegiatas sese referunt; alia vero dicuntur *aequivoca*, quae potius ad materialem eiusdem constitutionem spectant, ac proinde sunt communia etiam Collegiis receptitiis. Signa vero quae in medium afferuntur a canonicis inter *aequivoca* merito recensentur; dum signa *univoca* sunt, quod cura habitualis animarum resideat penes Capitulum, quod potestas eligendi canonicos ad idem Capitulum pertineat, etc. Cfr. *Folium officii* citatae *Calaritanae.*

At in casu canonici, uti supra innuitur, eliguntur ab Archiepiscopo et a Capitulo Metropolitano Salisburgensi, iuxta fundationis tabulas ita decernentes: « Canonici et Decanus « per Nos et successores nostros... deputentur atque praefi- « ciantur, ea tamen expressa conditione ut per Ven. nostrum « Capitulum Metropolitanum... unus ex praefatis... praesen- « tari possit ac valeat ». Item, cura animarum residet tantum penes tres canonicos, qui Curati vocantur, dum « Incura- « torum canonicorum erit choro et divinis officiis vacare..., « et functionibus non curatis suas partes conferre ». Demum quoad statuta dictae Collegiatae, documentum erectionis concludit: « Haec autem omnia et singula... constituimus ut « Nobis et successoribus nostris... libera sit semper facultas « et potestas reservata pro commoditate temporum et per- « sonarum hanc dispositionem... cum omnibus suis punctis, « clausulis et modis limitare, extendere et ampliare, nova « constituere et ordinare prout Nobis et eisdem successoribus « nostris expedire videbitur ».

Anno praeterea 1864 Archiepiscopus Salisburgensis tunc temporis in supra citatis litteris addit: « Nescio Capitulum « Collegiatum in *Seekirchen*, quod nec fuit unquam, neque « est »; deinde post recensitas nonnullas alias Collegiatas addit: « Hae fundationes cum illa in *Seekirchen* genere « pares exsistunt, quippe non Collegiatas ipsa re tales cum « iuribus convenientibus, sed *honorarias* dumtaxat creantes ». Caeterum ipsi canonici litteris diei 17 Iulii 1901 fatentur Collegiatam a Leone XIII « in formale Capitulum erectam « esse », et « antea Capitulum non constituisse ».

Neque aliquid prodesse potest Breve Leonis XIII *Revocaturus* 6 Maii 1879. Sane cum petitum fuerit a Summo Pontifice ut « Capitulum Collegiatum in *Seekirchen*... con- « firmare et titulo atque privilegiis Capituli insignis... con- « decorare dignetur », idem SS.mus in citato Brevi a voce *Capituli* per longam litterarum seriem consulto abstinuit. Hinc Leo XIII constitutionem Collegiatae non alterasse videtur, sed solummodo « inspectis litteris fundationis..., insti- « tutionem supradicti Collegii confirmavit..., eique titulum « insignis Collegiatae detulit ». Collegiata proinde mansit eiusdem naturae ac prius erat, nempe communitativa, quamvis honore insignitatis sit decorata.

Quapropter non satis perspicitur quo iure Archiepiscopus Eder an. 1879 valuerit Collegiatam in Seekirchen donare proprio sigillo, iuribus ac privilegiis cumulare, quae ad veram tantum Collegiatam spectant.

Caeterum actualis Archiepiscopus concludit: « Si S. Con- « gregationi formalitas Capituli consociari posse videretur « cum innovationis iure Archiepiscopis per litteras funda- « tionis concesso, et cum caeteris iuribus, quae usque adhuc

« indubitanter Archiepiscopis circa Collegium Seekirchense « competebant, si insuper firmae manerent litterae fundationis omniaque iura, facultates et praerogativae, quae « in iisdem regnanti pro tempore Ordinario addicuntur, « speciatim ius independenter et libere pro omni tempore « futuro nominandi Praepositum, qui semper simul est parochus, et omnes Capitulares, excepto uno, quem Capitulum Metropolitanum nominat, si etiam quoad administrationem bonorum omnino illaesa servarentur Ordinario « iura et facultates, quas usque nunc habuit; tunc, quod « me attinet, indulgeri posse putarem, ut Collegio Seekirchensi pro futuro concedatur dignitas Capituli ».

Item relate ad secundam quaestionem, nempe quoad necessitatem consensus Canonicorum S. Petri in alienandis bonis quinque piorum entium, haec omnino non apparet.

Etenim nullum dubium esse potest quod ex iure communi in alienationibus bonorum ecclesiarum Collegiatarum requirendus sit consensus Capitularium; at in casu ecclesia Collegialis iure prorsus singulari regitur. Compertum item est in limine fundationis poni posse conditiones quascumque etiam contra ius commune, dummodo sint honestae, possibiles et ab Ordinario acceptatae. Iamvero pro administratione bonorum Collegiatae S. Petri, quae constat ex fructibus parochialibus, ex bonis ab aliis ecclesiis ad Collegiatam translatis, ex quibusdam legatis (non autem ex fundis praedictarum quinque causarum) a litteris fundationis constituitur: « Oeconomus seu procurator temporalis..., ne vel Decanus vel canonici propter curam rerum temporalium a « divini cultus peractione retrahantur... Oeconomus administrationis suae coram Decano, canonicis, Praefecto et duobus « praecipuis oppidanis... exactam fidelemque rationem reddat; de caetero annuatim dicta sua ratiocinia... nostro « Consistorio pro ulteriori ratificatione submittat, simulque « in reliquis particularem sibi extradendam instructionem « aut posterius emananda decreta aut mandata adamussim « observare tenebitur ». Ex quibus non immerito colligitur quod canonici in *Seekirchen* positive excluduntur ab administratione massae communis, quae uni tantum canonico administratori concreditur. Ipsis tamen, sicut et aliis personis laicis, conceditur revisio administrationis, quin tunc loquantur *capitulariter*, quum mandata et decreta non a Capitulo in *Seekirchen* sed a solo Consistorio Archiepiscopali promanare debeant. Hoc plene recognoscunt canonici, in litteris 12 Iulii 1863 ad S. Datariam exhibitis.

Hinc canonici in alienationibus aliisque contractibus massae communis perficiendis recenseri non videntur inter eos, qui aliquod interesse habere possunt, ac proinde eorum consensus non est necessario exquirendus.

Quae de bonis massae Capitularis dicta nuper sunt, a fortiori videntur repeti posse quoad administrationem bonorum trium Confraternitatum duarumque ecclesiarum filialium. Canonici enim quoad huiusmodi bona nec revisores dici possunt, quum haec bona sint omnino distincta a bonis massae Collegiatae. Perperam proinde Oratores allegant civile decretum 13 Iunii 1833, quod non solum exhibet locum a Capitulo citatum, qui bona Confraternitatum massae communi ut eiusdem partes integrantes accumulat, filialesque fundos eodem administrationis modo ac massae Capitularis subdit, sed et alias dispositiones continet, nempe: « 1° ut Decanus « sit administrator, Consistorium Archiepiscopale administrator superior; 2° quod Collegiata nunquam propriam « administrationem habeat, sed tota Consistorio subeat; « 3° ut Decanus administret non personaliter sed mediante « ratiocinario et quidem Consistorio superadministrante; « 4° ut fundi extradantur a praefectura civili Salisburgensi, « praesente Commissario Consistoriali; 5° ut annua ratiocinia exhibeantur Consistorio; 6° ut eodem modo etiam « ratiocinia fundorum lateralium i. e. confraternitatum et « ecclesiarum filialium Consistorio tradantur... ».

Apparet proinde quod in hoc decreto nullum invenitur verbum de Capitulo aut canonicis administratoribus aut revisoribus, ideoque canonici neque quoad massam communem, neque quoad fundos quinque corporum moralium essent viri, quorum legitime interest.

Accedit quod pro aedificatione ecclesiae S. Andreae nihil petitum fuit de massa communi Collegiatae; quod autem quaesitum est, et ex parte solutum, donabatur ex fundis quinque dictorum entium, consentiente administratore Praeposito, qua parocho nec non ratiocinario Tragseil, atque superadministrante et decernente ac mandante Consistorio Archiepiscopali. Consentiebant igitur ii, quorum legitime intererat.

Tandem, ceu notat E.mus Archiepiscopus, admiratione dignus videtur modus agendi Praepositi actualis, qui petitiones et vota canonicorum subscribere non dubitaverit, quum utpote parochus et rector ecclesiarum filialium et confraternitatum, ius et officium haberet hos fundos administrandi, ac proinde proprium ius defendere ac tueri teneretur, praesertim quia occasione suae investiturae iureiurando promisit se parochi iura servaturum esse ac defensurum.

Quod tertium dubium attinet, affirmandum videtur nullam sufficientem rationem adesse, cur annuae solutiones quinque corporum moralium in posterum fieri non debeant.

In primis notandum venit quod, cum collegiata in *Seekirchen* a. 1893 restauratione indigeret, cuius sumptibus impar erat, canonici a Cardinali Archiepiscopo Haller petierunt ut fundi laterales in subsidium massae communis erogarentur pro 24 millibus florenorum suo tempore refundendis. Annuit Archiepiscopus, et canonici ne verbum quidem fecerunt, qua potestate ac iure id permiserit. Haec tamen summa quinque piis causis suo tempore solvenda est a Collegiata S. Petri.

Interea a. 1902 fundi laterales possidebant adhuc 152,000 florenorum, prout constat ex tabula synoptica ab actuali E.mo Archiepiscopo exhibita; hinc ex redditibus annualibus superfluis satisfieri poterat incumbentibus obligationibus ipsarum causarum, necnon annuales summas pro ecclesia S. Andreae promissas solvere. Eo vel magis quod a. 1902 conventio inita est, ut in posterum pro annuis 2000 florenis tantummodo 2040 coronae solventur.

Quum praeterea huiusmodi solutiones non ex substantia sed ex censibus superfluis erogentur, ad Gubernium nihil spectat, quum §§ 38 et 49 legis 7 Maii 1874 de substantia loquantur. Caeterum extractus ratiociniorum, ad fabricas ecclesiasticas spectantium, Gubernio quotannis exhibentur. Accedit quod expressa Gubernii licentia in promptu est, quum et ipsum gaudeat de extructione ecclesiae S. Andreae eamque 25,000 coronis adiuverit.

Consenserunt insuper interesse habentes, nempe parochus cum ratiocinario, imo et Capitulum, quod in litteris 26 Sept. 1902 declaravit « se onus responsabilitatis nunquam suscipere ». Demum Archiepiscopus actualis, ut ipse habet, specialem a S. Sede facultatem ab initio non impetravit, quia summae annuales a singulis fundis praestandae non videntur excedere limites a Brevi Apostolico *Quo expeditius* an. 1890 assignatos, quo permittuntur alienationes usque ad summam 1000 florenorum. Caeterum beneplacitum Apostolicum obtentum deinde fuit.

Tandem ad quartam et ultimam quaestionem quod attinet haec quae sequuntur adnotari possunt.

Relate ad canonicos Curatos et Incuratos Archiepiscopus

Tarnoczy aliquatenus immutavit dispositionem fundationis hisce verbis: « Discrimen inter utramque (canonicorum « nempe seniorum et iuniorum) categoriam in posterum non « nomine Curatorum vel Incuratorum exprimitur, sed re- « fertur ad praecedentiam tantum senioribus prae iunio- « ribus et quidem in choro, in eligendo canonicali domicilio, « et ad diversitatem officiorum, quae unicuique categoriae « sunt propria ». Hac tamen non obstante dispositione verosimilius canonici iuniores permanserunt Curati, dum seniores adhuc incurati. Hinc E.mus Archiepiscopus non renuit ut ordinaria iurisdictio ad curam animarum iunioribus seu Curatis cum ipsa canonicatus collatione pro toto tempore officii in posterum concedatur. Eo vel magis quod ipsi et extra parochiam invitati confessiones recipere saepius solent. E contra pro Incuratis delegata iurisdictio videtur potius necessaria, sicut evenit in aliis sacerdotibus parochos coadiuvantibus in sacerdotali ministerio.

Hisce relatis prudentiae et sapientiae EE. VV. subiicio sequentia

DUBIA.

I. *An presbyteri insignis Collegiatae oppidi* Seekirchen *Capitulum Collegiale in sensu iuris constituant in casu?*

II. *An in alienandis bonis duarum ecclesiarum filialium et trium confraternitatum ibidem extantium necessario requiratur consensus eiusdem Capituli in casu?*

III. *An annuae solutiones pro ecclesia S. Andreae Salisburgi a praedictis quinque piis causis licite in posterum continuari possint in casu.*

IV. *An si non omnibus saltem canonicis Curatis iurisdictio ad curam animarum necessaria cum ipsa collatione canonicatus pro toto tempore officii demandetur in casu?*

Responsum fuit: *Ad 1.um Negative. Ad 2.um Negative. Ad 3.um Affirmative. Ad 4.um Affirmative iuxta votum Emi Archiepiscopi, praevio examine idoneitatis ad tramitem iuris in collatione beneficiorum et firma conditione, ut tres canonici curati habeantur ut coadiutores parochi eique subsint.*

4049
4

S. Salvatoris in Brasilia — Dispensationis matrimonii.

Decernitur praestandum esse SSmo consilium pro dispensatione in casu a matrimonio rato et non consummato, ad cautelam, nam sponsa nondum undecimum aetatis suae annum expleverat.

Die 24 Martii 1906.

In paroecia B. M. Virginis de Oliveira Archidioecesis Bahiensis in Brasilia, Maria et Victorianus anno ut videtur 1888 matrimonium celebrarunt.

Maria quae testante, uti ferunt, matre sua, anno 1877 nata est, tempore quo illud iniit nondum undecimum aetatis suae annum expleverat, nec adhuc menstruationem passa fuerat.

Hae tamen nuptiae quamvis libenter ex parte sponsae initae fuerint, infaustc cesserunt. Narrant siquidem uxoris matrem, cum suspicasset Victorianum propriam filiam violasse, ut ad eam in uxorem ducendam adigeret, bis in carcerem coniicere curasse.

Tali modo celebrato coniugio, iidem sponsi tribus comitantibus viris, matris Victoriani domum petierunt ubi ipsa ientaculum paraverat. Verum idem vir mulierem fastidiens, imo contumeliis eam afficiens, convivio assidere renuit, statimque, ibi ea relicta, abiisse ferunt. Unde prima nuptiarum nocte Maria apud Victoriani parentes mansit, unaque cum eius sororibus obdormivit; ipse autem apud uxoris amitam Mariam nunc demortuam, eamdem transegit noctem. Postero die mulier ab eius patre comitata propriam repetiit domum, ibique, procul a viro, duobus vel tribus diebus morata est.

Exinde, prout eius pater refert, cum nobilis mulier, cuius nomen Theresia, sponsos eorumque parentes in suam domum advocasset, ea instante, Victorianus promisisse videtur se in posterum cum Maria habitaturum. Ipsum vero statim discessisse ferunt, imo eadem Theresia negat eum in suam domum advenisse.

Maria autem per aliquot menses in domo dictae mulieris uti famula mansit, nec ullum cum viro commercium hoc tempore habuit, qui in longinquam regionem se contulit, nec ubi habitaret resciri tunc potuit.

Ferunt insuper Victorianum quinque post annos matrem invisurum rediisse; dein, quin cum Maria alloqueretur, iterum discessisse, nec utrum adhuc ipse vivat constat.

Mulier postea Theresiae domo relicta, in parochia S. Gundi domicilium fixit, ibique per duos annos cum quodam R. concubinarie vivens, binos suscepit filios. Dein suo cum consobrino Emmanuele incestuose copulata est, cum eoque adhuc vivens, plures habuit filios.

Nunc autem supplici ipsa oblato ad Summum Pontificem libello, cum dicto Emmanuele contrahere exoptans, petit ut a matrimonio cum Victoriano contracto, utpote tantum rato, solvatur.

Bahiensis Archiepiscopus, quin ab H. S. C. delegationem haberet, die 12 Dec. 1901 processum instruere iussit.

Tum actrix tum alii quinque septimae manus ex parte ipsius testes sub iuramento excussi sunt, quibus accessit scripta parochi relatio diei 25 Augusti 1904, cui eumdem conficere processum commissum est.

Archiepiscopus in transmittendis eiusmodi actis, haec die 10 Octobris dicti anni adnotabat: « Medica mulieris inspectio « impossibilis evasit, ex eo quod iam ab aliis viris prolem « susceperit. Ipsa, ut constat ex documento annexo, bapti- « zata fuit die prima mensis Ianuarii anni 1887, cum decem « aetatis annorum esset, et matrimonium contraxit, ut putatur, « mense Martio anno 1888. Non satis constat utrum tunc « temporis expleverit duodecimum aetatis annum. Constat « vero Matrimonium non fuisse consummatum. Ignoratur « utrum maritus vivat an non, et casu quo vivat, ubi ha- « bitet ».

His itaque perpensis, una cum Consultoris voto ac animadversionibus Defensoris vinculi ex officio, placeat EE. PP. sequens dirimere

DUBIUM

An sit praestandum SSmo consilium pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

Responsum fuit: *Affirmative ad cautelam.*

1552
4

Albinganen. — Iurium parochialium.

Quum Cura habitualis animarum non resideat necessario penes Capitulum, nisi concludentissimis argumentis comprobetur, nec in casu Capitulum probare possit ius deferendi stolam sibi competere neque ex privilegio, neque ex reservatione, neque ex consuetudine, idcirco ius deferendi stolam pertinet ad parochum, et eo ab-

sente, ad vice-parochum; attamen decet ut vice-parochus, in concursu cum aliquo canonico, ipsi, honoris causa, cedat stolae delationem.

Die 24 Martii 1906

In civitate Portus Mauritii, dioecesis Albinganen. extat in ecclesia parochiali Capitulum, quod, plus minusve, per aetatum decursum, semper apud parochum institit, ut tandem aliquando ipsi Capitulo adscriberetur *ius deferendi stolam in associatione cadaverum.* Anno 1674, videtur, habitam fuisse super hac controversia, quandam decisionem per sententiam arbitralem cuiusdam P. Acquarone de qua inferius. Anno 1902 rursus Capitulum movit quaestionem, recursum ferens apud Ill.mum Rev.mum Ep.um, ut dignaretur declarare curam habitualem esse penes Capitulum et praesertim Capitulo competere, ius deferendi stolam in associatione cadaverum, etiamsi non *collective* sed *singillatim* Capitulares intersint. Sed res male Capitulo cessit. Episcopus enim sub die 29 Ianuarii 1903 decretum tulit, extraiudiciale, quo declarabat, « *che il diritto di portare la stola* « *negli accompagnamenti privati dei cadaveri è di spet-* « *tanza del parroco, e, lui assente, del suo curato, ovvero* « *delegato* ». Contra hoc decretum Capitulum, sub die 24 Februarii eiusdem anni, appellationem interposuit apud H. S. C.

Assignatum igitur fuit partibus ab Episcopo, ex H. S. C. mandato, congruum et peremptorium tempus ad sua deducenda iura. Verum cum Capitulum expostulasset audiri testes circa consuetudinem vigentem relate ad delationem stolae in associationibus privatis cadaverum, deputatus est ab ipso Episcopo R.mus D.nus Iacobus Preve, pro-Vicarius Generalis eiusdem dioecesis, ad audiendos testes sive a Capitulo, sive a Parocho producendos. Testium examen locum habuit sub die 20 Martii 1905.

Evenit tamen quod, omnibus peractis, parochus Iacobus Thomatis petiit a Pro-Vicario generali iam iam profecturo ab eoque obtinuit acta quibus concreditae fuerant depositiones testium ex parte ipsius parochi. Has attestationes parochus transmittere renuit allegans examen non esse peractum ex mandato H. S. C.; proindeque eas non habere nisi caracterem privatum et simpliciter informativum non autem iudicialem. Contra eiusmodi parochi agendi rationem protestationem emisit Defensor Capituli, petens insuper ut idem parochus cogeretur ad dictas attestationes transmittendas.

Modo causa proponitur sub dubio inferius exscripto et a partium patronis concordato.

Capituli defensor antequam causae meritum ingrediatur, nonnulla praemittit circa supra relatam quaestionem incidentalem. Notat quod post editum ab H. S. C. decretum – ponatur in folio – illudque ligantibus communicatum, omnia documenta acquiruntur causae, et Episcopus agens partes S. C. delegati, ea non potest nec mutare nec supprimere, aut partibus communicare sed debet uti ea accepit ad S. C. delegantem transmittere. « Si aliter se gerat Curia, uti docet Card. De Luca in *tractatu de iudiciis*, attentat et in contemptum delegantis agit: unde fit digna poenis contra attentantes statutis et pars quae attestationes vel documenta surripuit, iure privatur novos inducendi testes vel documenta ».

Profecto in themate decretum praecitatum exierat partibusque erat indictum. Hinc testes post illud utrinque adducti, fuerunt ad formam iuris excussi. Has attestationes Pro-Vicarius Generalis ad H. S. C. remittere debebat utpote causae acquisitas, nec ei fas erat tradere parocho attestationes testium a se productorum. Unde ne maiestas H. S. C. vilescat et ne parochus ex propria malitia lucrum reportet, ei inhibenda est productio novorum testium et insuper iniungendum ut excussa testimonia in suis originalibus a Pro-Vic. Generali accepta exhibeat.

Pergens deinde ad causae meritum seu ad disserendum de decreto, primo contendit illud esse infirmandum ob quaedam vitia substantialia, quibus illud scatet. Sane primo iudex delegatus noluit recipere testes a Capitulo citatos, quia ut ipse ait « non lo credette necessario », E contra habuit rationem de attestationibus a parocho adductis etsi non iuratis et factis per epistolas aut per « cartoline postali ». Atqui in themate cum ageretur de probanda consuetudine seu de re facti, excussio testium erat maxime necessaria. Ergo iudex egit ductus studio partis.

Deinde iudex in decreto negavit, quae parochus nunquam Capitulo contestatus est, ut v. g. canonicum posse esse sacristam, sacristam esse Praepositi famulum, et alia prouti videre est in ipso decreto. Quapropter multa per gratiam in iudicio fecit erga Praepositum in Capituli gravamen, aperiens alteri parti quod ipsa poterat allegare, quae omnia non iudicis sed fautoris sunt, et quae inducunt sententiae nullitatem iuxta tradita a Reiffenstuel, *Ius. can. in tit. 27 de re iud.*

Insuper capitulum formiter instituerat iudicium possessorium scilicet manutentionis « nel possesso dal diritto alla stola *in actu praecitato* » videlicet in levandis cadaveribus pro canonico in concurrentia cum substituto Praepositi qui non est de gremio Capituli; « quale diritto nasceva da pre- « scritta consuetudine a sostenere la quale produceva la « prova naturale dei testi ». At iudex a petitis declinans pervagatus est « intorno la comparrocchialità dei canonici » et hac parochialitate reiecta, in petitorio resolvit ius deferendi stolam canonico in casu praecitato non competere. Ex hac vero iudicii inversione sententiae nullitatem derivare ita docet Reiffenstuel, *l. c.* « nullitate iudicis sententia laborat quae cum agatur de possessorio datur a iudice super petitorio ». Confer Rotam *coram Ansaldo dec. 6, n. 18, dec. 650, n. 2.*

Verum advocatus postulat ut decretum infirmetur nedum ex adductis, sed etiam ex aliis gravioribus argumentis. Princeps argumentum desumit ex eo quod Capitulo insideat cura habitualis.

Hanc curam ei competere patet ex facto quod Collegiata Portus Mauritii est etiam parochialis. Quando vero ecclesia collegiata, cuiuscumque generis sit, est pariter parochialis, cura animarum, attenta iuris dispositione, inesse dicitur penes Capitulum, actu vero in persona quae illius exercitio praeficitur, ut ex Gratian., *de re paroch.* Confer. Pignatel. *t. 9, cons. 169, n. 10*; De Luca *de benef. dis. 60*; Salzano *Lezioni di dritto ecc. v. 2, p. 164.*

Neque obstare ait quod Praepositura non a Capitulo sed a S. Sede conferatur. Nam reponunt canonici, tam ante quam post Conc. Trid. Praepositus « non è stato mai dal « Collatore posto in questa Collegiata come parroco auto- « nomo con piena giurisdizione *in habitu et in actu*, ma « unicamente è stato collocato come canonico preposto ».

Argumentum de cura habituali in Capitulo advocatus confirmat etiam ex eo quod Praepositus Collegiatae praeposituram semper obtinuit sine concursu ante Bullas Clem. XI et Bened. XIV praecipientes concursum etiam pro dignitatibus adnexam habentibus curam animarum. Neque id infirmari ait ex eo quod postea etiam dignitates factae sunt obnoxiae legi concursus. Nam H. S. C. die 2 Iulii 1860 « consultissime retinuit curam habitualem capitulo Collegiatae competere, quamvis parochus tenetur lege concursus » cum iuxta advocatum huiusmodi lex introducta fuerit non ad immutandum statum curae animarum, sed potius

ad avertenda gravia inconvenientia derivantia in collatione dictarum dignitatum.

Idem advocatus adstruere nititur ex pluribus actibus iurisdictionalibus a Capitulo una cum parocho exercitis.

Capituli comparochialitatem advocatus arguit etiam ex facto, quod in duobus iudiciis a Praeposito intentatis contra parochum vulgo *dei Piani* circa delimitationem finium parochialium et vindicationem cuiusdam funeris, ipse in his iudiciis una egit cum Capitulo.

Insuper Capitulum nedum habet curam habitualem, sed ei etiam competunt in actu nonnulla iura quorum exercitium adhuc viget et quae iuxta defensorem sunt sequentia nempe. 1.° Celebratio Missae in exequiis super cadaver, et omnia emolumenta cereorum tam in altaribus quam circa tumulum appositorum emolumentis non exclusis: 2.° quarta funerum non Praeposito, sed Capitulo solvitur; 3.° benedictio puerperarum: 4.° benedictio domorum in Sabbato Sancto cum relativis emolumentis: 5.° benedictio fontis, praesente vel absente Praeposito: 6.° taxatio funerum emolumentorum quae Capitulum sua facit; 7.° decimae quae solvuntur capsae communi Capituli: 8.° decimae baptismi et matrimoniorum occasione percipi solitae condividuntur cum Curato capitulari: 9.° denique omnes tam pro vivis quam pro defunctis functiones, exceptis iis quae solemnioribus diebus fiunt, et earum emolumenta; nec omittit observare, quod quando canonici excipiunt confessiones, praeposito aequiparantur quoad punctaturas.

Iam vero quando paroecia est unita ecclesiae collegiatae et eiusdem Capitulum admittitur ad participationem nonnullorum iurium parochialium, haec participatio praesumere facit in Capitulo inesse curam habitualem ad tradita per Rotam *in dec. 184, n. 24 coram Olivatio.* Confer etiam Card. De Luca *de par. dis. 17.*

Quin ex adverso oggerantur testimonia declarantia, plures in Ligustica regione adesse collegiatas in quarum Capitulis nulla residet cura habitualis, nam praetermisso quod - res inter alios acta nobis nec nocere nec prodesse potest - uti fert forense adagium, advocatus has attestationes reiicit, eo quia non emissae sunt a parochis cum respectivis Capitulis, sed a solis Praepositis, qui in hac causa interesse quoddam habere queunt relate ad suas Collegiatas. Concludit igitur Capitulo curam habitualem, in casu denegari non posse, quod et ipse Episcopus recognovit in alio decreto diei 23 Octobris 1898.

Hisce praemissis advocatus fluere ait, quod ius deferendi stolam in levandis cadaveribus, eorumque associatione, quoties absit praepositus, tribui nequeat huius substituto seu vice-parocho. Nam inter iura quae Capitulum exercet cum praeposito, ut nuper est animadversum, est etiam ius levandi cadavera, missam exequialem canendi et emolumenta funeris percipiendi. Igitur si parocho et Capitulo par est iurisdictio in cadavera, aequum profecto est ut absente parocho, in iure deferendi stolam quod est signum iurisdictionis, non succedat vice-parochus seu parochi substitutus, sed potius Capitulum, seu eius vices gerens; quod ait innui etiam a quadam resolutione S. C. RR. diei 23 Mart. 1709 in qua sancitum invenitur « substitutum non debere locum et honorem praetendere nec alia officia ad Archipresbyterum pertinentia ».

Item quod Capitulo competat assertum ius levandi cadavera defunctorum, probare satagit ex pluribus factis ab eo delegationibus sacerdotis sibi benevisi pro huiusmodi munere, uti ex actis tabellionis an. 1651, 1665, 1670.

Quin adversarii confugiant ad sententiam arbitralem latam a P. Aquarone die 9 Augusti 1674 qua huiusmodi ius Capitulo ablatum esse dicitur, nam hanc sententiam die 27 eiusdem mensis ad instantiam partium ipse reformavit.

Neque dicatur ab adversariis quod statuta in art. 129 sese remittunt ad sententiam P. Aquarone quoad ius levandi cadavera; reponit enim advocatus, hoc in puncto statuta potius se referre ad modum servandum in peragenda dicta cadaverum levatione, qui modus definitus est in parte correctiva eiusdem sententiae superius relata.

Hucusque tradita quoad ius deferendi stolam in concurrentia deputati a Capitulo cum parochi substituto, roborat pluribus iuratis testimoniis comprobantibus id ius ex consuetudine spectasse et exercitum fuisse a canonico Capituli substituto: atque praecipue subiicit testimonium Philippi Lagorio nunc praepositi Cathedralis Vintimiliensis et olim canonici Collegiatae S. Mauritii.

Igitur sive inspiciatur reservatio nonnullorum iurium facta a Capitulo, sive ratio habeatur antiquae consuetudinis, dicendum est ius deferendi stolam in levandis et associandis cadaveribus, canonico spectare non substituto Praepositi, proindeque decretum diei 29 Ianuarii infirmandum esse.

Ex altera vero parte, qui iura Praepositi parochi tuetur, sustinet decretum diei 29 Ianuarii 1903 in sua robore manutenendum esse.

Quapropter patronus, ad suum assertum comprobandum, in triplicem partem dispescit propriam orationem. Et primo loco ostendere nititur curam habitualem paroeciae de qua est sermo, nullo modo Collegiatae competere.

Praemittit enim antiquitus curam animarum eiusdem loci exercitam fuisse a solo parocho, cui quatuor vel quinque sacerdotes, ut eum in eodem fungendo ministerio adiuvarent, quin tamen honoribus aut parochialibus iuribus fruerentur, additos fuisse perhibetur. De parochiali S. Mauritii ecclesia, ait ipse, saepe fit mentio in libro, cui titulus *Storia della Liguria e di Porto Maurizio*, tum anno 1281 tum anno 1470; at de canonicis seu de Collegiata nihil expressum reperitur nisi anno 1612, quod fundatores De Gandulphis propriis sumptibus sex canonicatus donaverunt, ea conditione « ut perpetuis temporibus horae canonicae in ecclesia Col- « legiatae S. Mauritii collegialiter recitentur ». Hinc patrocinator eruit ante dictam fundationem seu ante annum 1612 in ipsa parochiali ecclesia S. Mauritii quum canonicales praebendae non haberentur, nec horae canonicae collegialiter recitarentur, veram Collegiatam seu Capitulum canonicorum inibi non extitisse.

Quinimo, prosequitur advocatus, non obstante huiusmodi fundatione, vi cuius praefati canonici servitio chorali interesse tenebantur, attamen ipsi etiam plures post annos ad residentiam minime adstringebantur, quam Conc. Tridentinum in citato capite stricte praecipit.

At, etiamsi daretur quod Collegiata Portus Mauritii sit revera canonice instituta, non tamen inde consequeretur iuxta advocatum, ipsam habere curam habitualem animarum. Parochi enim totam curam sive actualem sive habitualem in iure fundatam retinent; hinc caeteri qui vel ex fundatione, vel ex origine Capituli vel demum ex privilegio sibi competere asserunt ius curae actualis aut habitualis, concludentissimis argumentis id probare debent, cum agatur de quadam alienationis specie. Non enim, subdit ipse, necessario et de iure penes Capitulum residet cura habitualis animarum; sed cum de facto existit, tunc ad ipsum pertinet deputatio Vicarii temporanei aut etiam perpetui.

Et ad rem illustrandam in medium adducit advocatus Reiffenstuel *(lib. 3, tit. 5, de Praebend. § 5, n. 142)*, et De Luca *(lib. 12, part. 3, De parochis, disc. 10, n. 3, 4, 5, 6 et 7).*

Quibus positis principiis, ea in praesenti controversia applicare studet advocatus. Ait enim signa certissima, quibus dignoscitur totam animarum curam residere exclusive penes parochum, esse: 1° si parochus eligatur per concursum ad formam Conc. Trid.; 2° si universitas bonorum ac iurium ecclesiae, illorum praesertim quae magis propria sunt et peculiaria iuris parochialis, apud parochum resideat; 3° si demum ex consuetudine resultet parochum semper electum fuisse per concursum.

Demum orator primam suae orationis partem concludit, respondens exceptioni a canonicis factae, qui contendunt curam habitualem sibi competere ex eo quod aliqua percipiunt emolumenta parochialia. Nam huiusmodi emolumenta, ait ipse, canonici sunt adepti non ex iure comparochialitatis, sed ex illicita conventione qua eorum intuitu ab onere turni parochum exemerunt, prout in causa *Albinganen. - Missae Conventualis* die 30 Martii 1844 apud H. S. C. proposita apparere dicit.

Deinde patronus gradum facit ad alteram suae orationis partem, seu ad praetensum canonicorum ius stolam in cadaverum associationibus deferendi.

Ac imprimis contendit ius deferendi stolam in parochialibus functionibus ad parochos dumtaxat pertinere, cum sit iurisdictionis signum.

At, subdit patronus, quaestio praecise non vertitur relate ad casum quo ipse Praepositus parochus funeribus intersit, sed relate ad casum quo parocho et Capitulo non interessentibus ad funera, adest tantum Vice-parochus seu Curatus, una cum sacerdote Sacrista, qui de gremio Capituli esse nequit. Absente autem Sacrista, loco eiusdem intervenit unus ex canonicis, et in hoc casu Capitulum contendit ius stolam deferendi competere canonico. Atqui hoc praesumptum ius nullo solido inniti fundamento advocatus sustinet.

Certum enim est iuxta ipsum parochos, quum sint ex iure deputati ad universa, in exercitium actuum parochialium ex. g. baptizandi, benedicendi nuptias, etc. sacerdotes quos maluerint delegare posse, iuxta tritum adagium: *Qui per alium facit, per seipsum facere videtur.* Si igitur parocho exclusive competit ius deferendi stolam in funeribus, hoc ius suo Vice-parocho, qui de animarum cura participat, tribuere valet; nec ulla adest ratio cur hoc ius delegari necessario debeat canonico Collegiatae. Eo vel magis quod canonici non praetendunt etiam sibi competere ius baptizandi, matrimonia celebrandi etc.

Deinde advocatus prae oculis ponit doctorum sententiam a Rubeo *(Tom. 2, sing. p. 4; de praeced. in funeribus, pag. 480)* ita expressam, ut parochi Capitulis « praeferri « debeant in actibus ad curam animarum spectantibus, cum « hoc sit eorum officium ». Hinc arguit quod si parochi praeferri debeant in funeribus, praesente Capitulo, idem dicendum est de eo qui vices eius gerit prae canonico, qui accidentaliter repraesentat sacerdotem sacristam.

Advocatus insuper ostendere conatur hoc praetensum Capituli ius neque privilegio, neque reservatione et neque consuetudine fundari. Non privilegio, quia canonici nullum adducunt; non reservatione, quia, quum paroecia pluribus abhinc annis extiterit ante Collegiatae erectionem, haec nullum sibi ius reservare potuit; non demum consuetudine, quia contrarium constat.

Addit praeterea non posse admitti assertionem canonicorum tribuentium uni canonico ius deferendi stolam prae Curato ex immemorabili consuetudine; etenim contra hanc praesumptam consuetudinem militaret sententia arbitralis superius relata. Ad suum assertum probandum adducunt quidem canonici, ait patronus, septem testes; sed horum quatuor sunt de gremio Capituli ideoque partes in causa, et notum quod, *nemo potest esse idoneus testis in causa propria* (Ferraris, *v. testis, art. 1, n. 110).* Caeterum subdit: isti canonici stolam in funeribus detulerunt vel tempore vacationis paroeciae, vel dum aliquis ex. gr. uti can. Ignatius Prambaldi ad officium Vice-parochi assumptus fuit, vel saltem ex delegatione. Testis praeterea D. Carolus Trucco per simplicem cartulam vulgo — cartolina postale — testimonium suum reddidit, et testis Gulielmus Gerini addidit: « Per quanto ricordo... a mia memoria »; quae quidem testimonia arguit ipse iuridice idonea dici non posse.

Verum iuxta advocatum etiam ex parte parochi adsunt quatuor testes, qui iam officio Curati functi sunt in Collegiata Portus Mauritii, quique uno ore affirmarunt, in funeribus semper Curatum gestasse stolam, licet unus ex canonicis adfuisset. Quumque itaque testes sint pro utraque parte, praesumptio stare debet favore parochi, qui intentionem habet in iure fundatam, quoad ea quae animarum curam respiciunt, delegandi sibi benevisum, praesertim vero Vice-parochum, qui quum una cum parocho onus sustineat animarum curae, etiam honorem stolam in funeribus deferendi ut habeat oportet.

Denique in tertia orationis suae parte advocatus obiecta canonicorum praecipua diluere nititur. Canonici enim curam habitualem apud ipsos manere deducunt ex eo quod paroecia est unita et incorporata Collegiatae; sed hoc, reponit, est petitio principii; quum ipsi pro certo accidisse ponant huiusmodi unionem et incorporationem, dum contrarium constat. In themate enim paroecia iam a primis Ecclesiae saeculis extitit, e contra Collegiata nonnisi anno 1612 incoepit; hinc non paroecia unita fuit Collegiatae, sed potius Collegiata recepta fuit in ecclesia parochiali iam praeexistenti. Unde favore parochi valent iuxta advocatum regulae iuris — *Prior in tempore potior in iure — In dubio melior est conditio possidentis.* Sententiae doctorum ita explicandae ut ipsi supponant Collegium praeexistens, cui proinde paroecia unitur; nam aliquid uniri nequit ad id, quod non existit.

Insuper admitti non posse ait advocatus praetensionem Capituli, quod dicit ipsum esse Rectorem principalem ecclesiae. Ecclesia enim exclusive aedificata fuit pro animarum cura, et uti talis permansit usque ad Capituli institutionem; ergo etiam in posterum paroecialis manere debuit et debet, quum canonici nullum aliud ius in ea habeant, nisi peragendi choralia officia. Monacelli *(tom. 2, dec. 5, pag. 367)* refert casum huic similem, in quo S. Rota die 3 Iunii 1673 ad dubium: « An parochis portionariis S. Babilae danda sit « manutentio in possessione totius et omnimodae curae ani- « marum et omnium iurium parochialium privative quoad « Capitulum », responsum dedit: « Constare de bono iure « Curatorum etiam ad effectum manutentionis ».

Ex qua decisione advocatus deducit quod, etiamsi Collegiata instituatur in aliqua parochiali ecclesia, eiusque parochus ad dignitatem canonicalem promoveatur, tamen tota animarum cura cum omnibus iuribus parochialibus necnon ipsa ecclesiae manutentio ad parochum spectat. Hoc confirmat iure civili Napoleonis an. 1809 in illa regione prolato, ut inferat canonicos ius proprietatis et manutentionis ecclesiae nec principalis rectoriae sibi arrogare non posse.

Concludit igitur sententiam Ordinarii extraiudicialem confirmandam, et e contra canonicorum postulata reiicienda esse.

Hisce de more relatis, sequens proponitur

DUBIUM.

An decretum Curiae Albinganensis diei 29 Ianuarii 1903 sit confirmandum vel infirmandum in casu.

Responsum fuit: *Decretum esse confirmandum; et ad mentem, quae est, decere ut vice-parochus, in concursu cum aliquo canonico, ipsi honoris causa cedat stolae delationem, salvis caeteris eius iuribus.*

4462
4

Meten. — Venditionis et redditionis rationum.

Sac. Thilmont erigendo in casu asylum, de pleno quidem consensu Episcopi sui, sed absque formali decreto episcopali, constituit Opus pium laicale et privatum, minime vero bonum stricte ecclesiasticum, ac proinde illud legitime alienare potuit citra beneplacitum auctoritatis ecclesiasticae, neque adhuc tenetur nisi ex convenientia ad reddendam rationem administrationis Episcopo suo, vel S. Congregationi.

Die 24 Martii 1906.

Anno 1890 vertente sacerdos Carolus Thilmont tunc Parochus loci Guenange consilium iniit inibi aperiendi publicum asylum pro pueris catholicis utriusque sexus sive orphanis sive a parentibus moraliter derelictis, ut nedum ad religionem et ad bonos mores informarentur, sed etiam ad artes et alias disciplinas quae decent honestum civem instruerentur. Huiusmodi domus excitata et erecta fuit undique collectis publicis subsidiis, ipsa concurrente civili auctoritate, et plaudente Curia ecclesiastica, quae per opportunas litteras circulares fideles permoverat ad corrogandam stipem. Novum institutum personalitatem iuridicam ante leges germanicas non obtinuit, sed tantum ad earumdem tramitem inscriptum fuit quatuor proprietariis, qui illud civiliter repraesentarent, nempe R.mo Fleck tunc Episcopo Metensi, sacerdoti Wagner tunc praefecto chori musicae puerorum in Ecclesia, gallice « directeur de la Maîtrise », sacerdoti Carolo Thilmont, et personae laicae Muscat, uti erui licet ex pluribus tabellionis actis, et praesertim illo 18 Novembris 1891.

Quamvis plures essent comproprietarii, tamen qui de facto administrationem et directionem asyli gerebat erat tantum sacerdos Thilmont. Pium institutum magnam habuit evolutionem et puerorum numerus est auctus: hinc sequentibus annis necesse fuit nova creare opificia et alias res sive mobiles sive immobiles acquiri. At huiusmodi acquisitio facta fuit, ut refert modernus Episcopus, nomine eiusdem Thilmont qui sibi aliam adiunxerat laicam personam, nempe Matthaeum Schneider. Thilmont una cum his laicis omnia gerebat, independenter ab alio sacerdote Wagner et ab Episcopo Fleck, qui nunquam inducere valuit eumdem Thilmont ad regularem dandam redditionem rationum praefatae gestionis.

Vicissim vero hic asserebat tum pro manutentione dictae domus tum pro novis factis acquisitionibus pium opus aere alieno valde gravari, ideoque mutuum cum inscriptione hypothecaria super eiusdem pii operis bonis contrahi necesse esse: et ad hunc effectum consensum tum Episcopi tum Sac. Wagner expostulabat. Verum hi factae petitioni sese naviter opposuerunt: ac demum ad vitandas dissentiones et obiurgationes, satius duxerunt eidem Thilmont proprietatem in foro civili retrocedere: quod peractum fuit instrumento tabellionis mensis Iulii 1899. Paucos post menses, nempe sub finem mensis Octobris, Episcopus Fleck diem vidit supremum.

Haud non multo post sacerdos Thilmont coniectus in carcerem, obnoxius mansit criminali processui, a quo quamvis absolutus exierit, tamen a civili auctoritate ei sublata fuit custodia et moderatio puerorum asyli. In hoc rerum discrimine timens ne pia domus in gubernii manus incideret, tractatus aperuit cum Congregatione religiosa a scholis christianis pro cessione facienda eius favore. Hinc certior factus quod nullum ex parte gubernii germanici impedimentum obstare poterat, et consentiente altero civili domino seu comproprietario Matthaeo Schneider (qui interim vir sororis Thilmont factus fuerat) sub die 6 Maii 1902 per contractum emptionis venditionis proprietatem asyli una cum adnexis bonis transtulit in religiosam familiam eiusdem Congregationis vulgo nuncupatam *de la Moselle*. Pretium statutum pro enunciato contractu fuit in summa marcarum 212.000, quarum 93.173,81 religiosi retinuerunt pro extinguendo aere alieno dictum asylum gravante: residua vero summa in marc. 118.826,19 tradita fuit in manibus venditoris Thilmont. In huiusmodi vero contractu non fuit comprehensum castrum – *de basse Guenange* – licet in inventario bonorum asyli extans, nec praedia Pohlert, quae sacerdos Thilmont sibi servavit, et adhuc possidere pergit.

Interim actualis Metensis Episcopus, D. Benzler, secum ipse considerans quae a Sac. Thilmont gesta fuerant, venditionem quam fecerat, pecuniam quam collegerat, bona quae sibi servaverat, censuit haec omnia cum canonicis regulis minime convenire; eo vel magis quod (ut ipse ad S. C. scribebat): « Ici il est de notoriété publique que ni Thilmont, « ni sa famille n'avaient de fortune ».

Quare Episcopus utens facultate sibi a Concilio Tridentino concessa in *cap. 9 et 11 de Refor.*, eumdem sacerdotem accivit ad reddendas rationes tum gestae administrationis asyli a sua fundatione usque ad eius cessionem, tum receptae pecuniae a Congregatione religiosa cessionaria, nec non ad docendum quo titulo sibi vindicaverit proprietatem castri *de basse Guenange* et praediorum Pohlert. Cum autem idem sacerdos renuisset rationem reddere et libros administrationis ostendere duobus presbyteris delegatis commissariis, Episcopus peremptorium terminum, sub poena suspensionis ipso facto incurrendae in casu transgressionis, praescripsit ad reddendas rationes.

Dato praecepto sacerdos Thilmont cum non paruerit, ipse ab Episcopo declaratus fuit in comminatam poenam incidisse, et inflicta suspensio publicata fuit ab ephemeride dioecesana Metensi.

Verum ex recursu sacerdotis Thilmont, quaestione avocata ad H. S. C. cum ipse Eidem exhibuerit libros administrationis et insuper paruerit impositae conditioni veniam seu excusationem petendi ab Episcopo, instante eius patrono relaxatio irrogatae suspensionis benigne indulta fuit.

Valde implexa itaque controversia EE. VV. hodie discutienda proponitur, quae quatuor sequentibus dubiis continetur, nempe:

I. *An contractus emptionis-venditionis initus die 6 Maii 1902 a sac. Thilmont et D. Schneider legitime ac valide in foro Ecclesiae transtulerit ad Congregationem fr. a christianis scholis dominium bonorum antiqui asyli Guenange et adnexorum in casu?*

II. *An sac. Thilmont ius proprietatis seu dominii legitime in foro Ecclesiae retineat super castrum Basse Guenange et praedia Pohlert in casu?*

Et quatenus ad I^um^ et II^um^ *negative:*

III. *An et quomodo Episcopus ius habeat rationem exigendi a sac. Thilmont de administratione bonorum antiqui asyli Guenange in casu?*

IV. *An et quomodo consulendum sit indemnitati Congr.*

religiosae: et quomodo ab Episcopo providendum sit erga sac. Thilmont?

Cum vero partes in causa, nempe Congregatio a scholis christianis, sacerdos Thilmont et Episcopus Meten. suos deputaverint procuratores ad sua respectiva iura tuenda, mei muneris est summatim eorum conclusiones heic inscribere.

Patronus Congregationis a scholis christianis totas orationis suae vires convertit ad probandum contractum alienationis seu cessionis asyli cum adnexis etiam in foro Ecclesiae seu iure canonico inspecto uti validum esse retinendum. Praemittit Constit. Paulinam *Ambitiosae* vetantem alienationes sine beneplacito Apostolico tantum cadere in ea loca et bona quae vere sunt ecclesiastica, atque evincit auctoritate Card. De Luca, *de alien. summ. 13* – ibi – « prohibitio (alienationis ex extrav. *Ambitiosae*) cadit in Ecclesiis et Monasteriis aliisque locis quae non dubitantur esse vere ecclesiastica ».

Atqui asylum in themate inter bona ecclesiastica referri non potest. Ergo pro eius cessione vel translatione nulla erat necessaria venia Pontificis proindeque est fallax Episcopi sententia coarguentis de nullitate contractum ob non servatam beneplaciti Apostolici solemnitatem.

Sane iuxta communem canonistarum doctrinam ea loca dicuntur ecclesiastica, quae episcopali auctoritate per decretum instituta sunt, et in hoc distinguuntur a locis piis in quibus tantum sufficit, ut pia opera exerceantur nullo interposito decreto erectionis ex parte Episcopi.

Neque ad statuendam qualitatem ecclesiastici loci, ait advocatus, satis est simplex quaelibet approbatio, vel venia data ab Episcopo, sed, ut ait Card. De Luca l. c.: « erectio in ea forma esse debet, ut redoleat ita factam esse ut locum ecclesiasticum constituat », vel ut tradit Vecchiotti, *inst. can. tom. 2, c. V, § 69:* « locus pius ut sit ecclesiasticus deduci debet ex decreto Episcopalis erectionis ». Hoc praestituto cum Episcopus ideo impugnet contractum factae cessionis, quia in themate agebatur de asylo seu loco ecclesiastico, eidem Episcopo utpote actori, urget patronus, incumbere debet onus probandi, quod dicta qualitas loci ecclesiastici revera congruat asylo de Guenange, seu quod reapse intercesserit decretum Episcopalis erectionis pro dicto instituto. Sed hoc decretum Episcopus neque attulit neque afferre valet, quia non extat. Ergo impetitio contractus facta ab Episcopo non sustinetur.

Verum quia Episcopus ad supplendum decretum, recurrit ad indicia seu ad aequipollentia factae approbationis, patronus duplici via ea diluere satagit. Primo ea generatim reiicit, quia in themate non agitur de pio instituto antiquitus erecto, sed potius de recenti non adhuc quatuor lustra aetatis attingente; hinc si Episcopi auctoritas intercessisset, profecto decretum extare deberet, nec ad eius arguendam existentiam recurrere licet ad indicia vel praesumptiones, quia haec coniecturalis probatio in antiquis admittitur uti docet Rota in *dec. 432, n. 14, p. 12, et in dec. 125, n. 5, p. 15, recent.* – ibi – « praesumptiones sufficiunt in materia antiqua, in qua testes haberi non possunt ».

Sed secundo oggesta ab Episcopo indicia sustinet esse reiicienda utpote ambigua et incerta.

Huic difficultati advocatus occurrit expendendo quod ut aliquis locus pius evadat ecclesiasticus non sufficit intentio ipsius fundatoris aut moderatoris, sed necesse est ut formalis erectio ex parte auctoritatis ecclesiasticae accedat.

Nec aliter iudicandum esse sustinet de tertio et quarto indicio, nempe Episcopum pluries expetiisse rationes pro asylo a Thilmont, et aliquando etiam illud invisisse. Scitum siquidem est administratores quorumcumque piorum locorum iuxta *cap. 9, sess. 22* Conc. Trid. de Refor. teneri singulis annis suae gestionis exhibere rationes Ordinariis localibus. Item notum est quod iuxta *cap. 8, loc. cit.* Episcopi ius habent visitandi hospitalia, collegia... et pia loca omnia quomodocumque nuncupentur, etiamsi praedictorum locorum iura ad laicos pertinent atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita. Unde ex eiusmodi indiciis nil deduci valet, cum ipsa esse possint communia tum locis piis, tum locis ecclesiasticis.

Minusque obesse posse ait aliam observationem ab Episcopo contradictore propositam quod rationes non semper exiguntur ab administratoribus locorum piorum. Id enim ex eo plerumque fit, quod cum laici sint administrationi praepositi causae piae, hi utpote laici ab Ordinario efficaciter cogi nequeunt ad munus suum adimplendum, si rationes dare detrectent. E contra vero si rationes Episcopus petere valet quando pia loca sunt commissa ecclesiasticis personis, ex hoc facto argui non potest ea loca esse ecclesiastica, quasi administratio asyli ecclesiasticis personis commissa secum ferat illud fuisse auctoritate Episcopi erectum.

Quintum ex adverso indicium desumitur ex eo quod ab initio asylum civiliter seu quoad proprietatem non solum sacerdoti Thilmont sed etiam Episcopo Fleck in publicis tabulis fuit inscriptum.

At reponit advocatus, si Episcopus Fleck ope dictae inscriptionis nomine suae dioecesis dictum asylum locum ecclesiasticum effecerat, profecto explicari non potest quomodo postea inscriptioni renuncians a se quaesitum ius abdicaverit.

Neque est obiicere ideo Episcopum suo iuri renuntiasse, quia Thilmontius bona asyli hypothecae pro aere alieno supponere volebat. Nam Episcopus, si asylum ut domum religiosam habebat, quin suo iuri nuntium mitteret, Thilmontium a contrahendo debito hypothecario praedicto inhibere poterat, irrogata in casu transgressionis praecepti congrua poena. Quare potius dicendum, asyli inscriptionem in publicis tabulis nomine 4 virorum, inter quos Episcopus, sumptam, ideo factam fuisse ut magis esset cautum de asyli securitate. Hinc quando Episcopus id non amplius expedire iudicavit, inscriptioni valedixit.

Postremum tandem indicium hodiernus Episcopus reponit in communi opinione praesertim cleri dioecesis Metensis, qui asylum ut locum ecclesiasticum semper retinuerat.

Advocatus obiecta Episcopi ita diluit. Praemittit Thilmont acceptum pretium non sibi arripuisse, sed potius in expungendo aere alieno pro asylo contracto consumpsisse. Sed hoc omisso, advertit primo approbationis decretum opinione communi non suppleri: deinde haec communis opinio non est ita certa prout vult Episcopus opponens. Nam duo ex canonicis ecclesiae Cathedralis qui bene de natura et origine instituti sunt instructi, diserte negant, uti constat ex adductis in summario testimoniis, asylum in communi opinione fuisse habitum uti ecclesiasticum locum.

Ita dilutis indiciis ab Episcopo Metensi allatis ad probandum asylum inter ecclesiastica loca referri, prono veluti alveo fluere contendit advocatus, contractum emptionis a religiosis viris a scholis christianis in suo robore consistere, cum causa nullitatis ex praedicto capite unice ab Episcopo oggesta per se ex demonstratis ruat. At, prosequitur patronus, dato etiam et non concesso quod aliquod dubium extare posset utrum asylum domibus religiosis sit accensendum, illud profecto ut locus laicalis esset retinendus, uti docet Ferraris loco superius citato *n. 20* « in dubio praesumitur erectum absque auctoritate Episcopi, et proinde potius praesumitur laicalis et profanus ».

Sed patroni disceptatio non sistit tantum in refutandis

indiciis ex adverso adductis, verum ipse pergit ad proferenda ex parte sua nonnulla quoque signa seu indicia quae asylum non ecclesiasticum aperte declarant...

Huc oratione perducta, advocatus praeoccupare et diluere satagit nonnullas difficultates, quae forte oggeri possunt a patronis adversae partis non circa naturam ecclesiasticam instituti, quam ait probare nequeunt, sed potius circa carentiam facultatis in sacerdote Thilmont alienandi bona loci pii. Hanc difficultatem summovet statuendo principium quod fundatores piorum locorum dicta facultate non destituuntur, ceu tenet Reiffenstuel cum aliis canonistis in *tit. de relig. domibus* sup. citato n. 8 « loca pia non sunt subiecta Episcopo, consequenter hic iurisdictionem in ea non habet.... nequit Episcopus ea visitare nisi in casibus a iure expressis... possuntque a fundatore quamdiu vivit, pro lubitu mutari et ad alias etiam profanas causas applicari ».

Iam vero quod sacerdos Thilmont fuerit asyli fundator, ex pluribus scatet. Ipse enim in eiusmodi fundationem nedum effudit redditus ex paroecia provenientes, sed quidque ex sua familia possidebat: pro hac fundatione ipse plura mutua proprio nomine praesertim a consocio laico Muscat suscepit, nec sac. Thilmont asyli fundatorem esse denegatur ab hodierno Episcopo ita aiente in nuper citata Epistola diei 4 Octobris 1901 « je serais très content de voir la « maison fondée par votre zèle entre les mains des reli- « gieux ».

Neque aliquid ponderis tribuendum esse censet assertioni adversariorum, quod nempe fundatores habendi sint oblatores, qui nempe stipem pro asylo tradiderunt. Nam haec subsidia collecta sunt postquam asylum a Thilmontio iam fuerat erectum; hinc illa erogata sunt potius ad alendos pueros in hospitio degentes. Neque item calculo habenda sunt incommoda quae forte iuxta adversarios derivare possent ex ratificatione factae venditionis, quasi Thilmont pretium ex venditione obtentum in suos devolveret usus. Nam venditione approbata non inde sequitur quod fundator Thilmont sibi totum pretium in puerorum dispendium asserere valeat: nam ab Episcopo is cogi potest, ut detracto quod in sumptus necessarios et praesertim in dimissionem aeris alieni impendi oportet, reliquum iuxta oblatorum intentionem erogetur.

Sed advocatus ulterius progreditur. Fingatur ait, quod sacerdos Thilmont non fuerit asyli fundator et hinc caruerit facultate eius bona vendendi: profecto cum ad iuris canonici tramites bona locorum piorum alienari queant, aliquis extare debet qui hac donetur facultate. Haec tribui nequit creditoribus, qui tantum ad mutuatae pecuniae restitutionem ius habent, minusque oblatoribus qui ex eo quod puerorum necessitatibus in iam erecto asylo suppetias tulerunt, dici nequeunt asyli fundatores. Duo tantum igitur praesto esse possunt quibus dicta facultas vendendi adscribatur, nempe vel Episcopus ut tutor loci pii, vel ipsum asylum uti subiectum proprietatis. Sed in utraque hypothesi facta venditio rata sit oportet.

Nam in prima hypothesi, uti supra visum est, Episcopus venditioni suum consensum praebuit: unde nunc incivile esset impugnare quod prius ratum habuit. Idem sequitur si secunda hypothesis admittatur, nam asyli administrator procul dubio extitit Thilmontius, et venditio approbante Episcopo facta fuit. In utroque itaque casu de irrita venditione absurde disputatur.

Hoc tandem luce clarius evadere ait si perpendatur quo tempore, qua ratione et quibus legibus religiosi a scholis christianis asylum emerunt.

Hucusque prolata ad supra primum exscriptum dubium sese referunt. Verum in causa cum Episcopo Metensi versantur nedum Sodales a scholis christianis asyli emptores, sed etiam sacerdos Carolus Thilmont quem attingunt alia tria proposita dubia. Hinc modo contexam summam conclusionum quas ipsius patronus defert.

Praeliminaria allegationis tota sunt in peragendo panegyrico sacerdotis Thilmont, ex quo aspectus eius moralis appareat. Inde enarratur quanto studio hic sacerdos exarsit sive in fovendis vocationibus iuvenum ad statum ecclesiasticum, sive in promovenda institutione coenobii Franciscanorum in urbe Metensi, sive in occurrendo calamitatibus religiosorum e Lotharingia expulsorum. Exponitur zelus ipsius sacerdotis in fide propaganda inter acatholicos, in nomine dando societati pro redemptione captivorum et in aliis pietatis operibus, ob quae benefacta edicitur gratulationes ipsum a pluribus sive Episcopis sive missionariis retulisse. Haec panegyrica oratio, quam EE. VV. perlegere dignabuntur in primis 4 vel 5 paginis allegationis, praecipue vindicat sac. Thilmont a nota direptoris alieni, qua iuxta advocatum, ipsum oblinivisset Episcopus.

Hisce praenotatis, advocatus proprius ad controversiam accedens, orationem suam in tria capita dividit, et seorsim de singulis dubiis disserit. In primo igitur capite initium sumit a proprietate castri *Basse Guénange* et praedii *Pohlert;* et cum ipsa resultet favore sacerdotis Thilmont ex authenticis tabellionis actis, etiam in foro ecclesiae eis standum esse ait, quoadusque liquido non constet de fraude. Ea enim forma civilis transmissionis proprietatis etiam ab ecclesia adsciscitur.

Quare Episcopus ut dicta chirographa convellat, probare certis argumentis debet vel ea contradicere veritati, vel quod in praesenti quaestione idem Episcopus contendit, in emptione Thilmontium alienam impendisse pecuniam: secus, iuxta advocatum, est applicandum generale iuris axioma « actore non probante reus absolvitur ».

Descendens deinde advocatus ad secundum caput suae orationis, relate ad redditionem rationum circa bona administrata asyli de Guénange quam nunc Episcopus exigit a Thilmont, probare satagit ad eam non teneri sacerdotem Thilmont, quia eiusmodi Episcopi petitio est inutilis et iniqua. Primo est inutilis si referatur ad inquirendum de pretii erogatione, quod Thilmontius ex venditione asyli percepit, quippe ipse hanc inquisitionem nunquam detractavit. Is utique poterat a pretio subtrahere quod de proprio iam in asylum contulerat, poterat sibi aliquid adscribere titulo mercedis pro opere praestito in directione asyli, sicuti etiam eius parentibus ius erat de pretio repetere quod ad eius instantiam hospitio tradiderant. Verum ipse aliter se gessit, et promptum sese exhibuit de pretii erogatione docere Ordirium: « je me suis toujours déclaré prêt à rendre un compte « détaillé des 118,000 marks que les Frères m'ont versés ».

« J'ai l'honneur d'informer V. G. Elle peut faire examiner l'emploi de l'argent reçu des Frères quand elle « voudra ». At Episcopus eam accipere noluit quia aliquid amplius exigit, nempe quod dicta rationum redditio « doit « porter sur tout... sur toute votre gestion, depuis le jour « où vous avez commencé l'œuvre, jusqu'au jour auquel « vous l'avez remise aux Frères ». Et ad probandum quod rationum redditio de pretii erogatione erat in promptu, eam advocatus curavit imprimi in summario.

At praeterea urget advocatus, petita ut supra rationum redditio prout exigebat Episcopus, erat iniqua. Equidem iuxta Trid. legem *cap. 9, sess. 22 de Refor.* administratores piorum locorum tenentur rationes suae administrationis Episcopis exhibere sed singulis annis. Iam vero asylum mense Maio 1902 venditum fuerat et Episcopus fere post tres annos nempe mense Octobris an. 1904 existimavit

rationem reddendam esse a Thilmont de tota gesta ab initio administrationis iam venditi asyli « l'enquête doit porter « sur toute votre gestion depuis..... » Non itaque aequa, neque ad tramites Concilii Tridendini erat petitio facta ab Episcopo, praesertim cum post factam asyli venditionem Thilmont non praesumatur amplius libros administrationis conservasse.

Ulterius Thilmont ab initio gestionis asyli non regulariter servabat administrationis libros, neque ei id vitio ab Episcopo vertebatur ut ex eiusdem Episcopi litteris patet « un appel à la charité publique ne peut s'appuyer que sur « un compte exact et régulier; ce que vous ne pouviez « faire dans les premières années de la fondation ». Unde Episcopus sese abstinuit a petendis rationibus.

Sequentibus annis rectior ordo institutus et libri exarati in quibus religiose datum et acceptum referretur. An. 1897 utique Episcopus Fleck a Thilmont expetivit rationes administrationis, tributa eidem facultate vel libros ad curiam afferendi vel expectandi, donec curiae delegati ad asylum sese conferrent pro iisdem libris inquirendis. Mandato Thilmont paruit, et utramque viam secutus est, nempe et Episcopo transmisit relationem quam inventarium dicunt: et Episcopo invisenti asylum libros exhibere curavit administrationis. Episcopum vero de tali exhibitione fuisse satisfactum advocatus arguit ex eo, tum quia Episcopus eadem benevolentia prosequi perrexit sacerdotem Thilmont ac antea, tum quia in posterum nunquam de non datis rationibus conquestus est.

Alienato asylo eoque legitime translato in religiosam familiam fratrum a scholis christianis, iure merito Thilmont putavit negotium de administratione fuisse expletum. Hinc ipse coargui nequit, si post tres annos a facta alienatione ipse ab actuali Episcopo invitatus ad tradendas rationes dati et accepti, id renuat quia codices et documenta comprobantia deficiunt.

Sed instant adversarii hodiernum Episcopum non post tres annos a secuta venditione, sed usque a mense Octobris an. 1901 exegisse redditionem rationum a sacerdote Thilmont, et allatis probant eiusdem Episcopi litteris. Id advocatus non negat, sed contendit Thilmont dato praecepto paruisse transmissione inventarii bonorum asyli illi persimilis relationi quam iam alias, uti nuper edictum est, transmiserat Episcopo praedecessori. Hanc vero relationem fuisse ab Episcopo approbatam eruit primo ex eo quod per spatium trium annorum de ipsa siluit. Deinde etiam arguit ex alio sequenti facto. Mense Novembris eiusdem anni Episcopus ei vetuerat nullam typis edere publicationem ipso inaudito, sub poena suspensionis ab officio et beneficio. Bona fide ipse putavit hoc vetito non contineri vulgationem ephemeridis (L'Orphelin), quae iam singulis mensibus fieri solebat. Verum ipse declaratus est in suspensionem incidisse ob factam ephemeridis publicationem, a qua tamen post aliquot menses mansit absolutus. Iam vero, observat advocatus, hoc intermedio tempore cum Thilmont ad Episcopum transmisisset dictum inventarium, profecto ipse non fuisset ab inflicta censura relaxatus, si facta transmissione, Episcopi eiusdem praecepto non fuisset plene satisfactum.

Hisce adnotatis relate ad quaestionem de rationum exhibitione, advocatus gradum facit ad purgandum sacerdotem Thilmont ab accusatione, quod ipse summas a fidelibus tributas pro asylo in alium erogaverit usum. Ipse allegat in summario indicem quo oblationes factae an. 1899 et 1900 indicantur. Si eas Thilmontius sibi addicere voluisset, profecto in codice accepti non retulisset. Quod si anteacto tempore hae notae desiderantur, non ideo praesumendum eas fuisse in alium usum distractas cum potius inservierint pro quotidiano alimento puerorum in hospitio. Item dicatur de stipe collecta ad amplificandum asylum, quae potius erogari debuit ad aliis ipsius necessitatibus consulendum.

Idem, ait advocatus, feratur iudicium de summa 2000 libell. impendenda in aediculae aedificationem pro asylo. Haec profecto summa erat impar pro dicta aedificatione; aliunde Thilmont pressus aere alieno, supplere nequibat sua pecunia. Hinc eius aedificationem in alia tempora differens acceptam summam pro aliis asyli necessitatibus devolvit: aedicula postea erecta fuit a familia religiosa cessionaria asyli.

Sed notat advocatus, quod cum Thilmont nuper praedium Pohlert sodalibus vendidisset, minore fuit contentus pretio quam quod alii obtulissent, dum aedicula a sodalibus aedificaretur.

Ex his advocatus concludit immerito ex adverso Thilmontii integritatem in dubium revocari.

Tertium suae orationis caput ingrediens advocatus disquirit quomodo sacerdoti Thilmont sit consulendum. Subiicit quod ea est ipsius valetudo ut in ecclesiastica ministeria incumbere nequeat ea, qua par est, alacritate: aliunde ipse totum suum pro pauperibus in asylo profudit, et paroeciam dimisit; pretium ex asyli venditione in aeris alieni extinctionem convertit. Ergo cum ex demonstratis eius integritas pateat, aequum est ut hic tam liberalis sacerdos primum de congrua pensione ex capsa dioecesana ab Episcopo provideatur, ne secus cum dedecore mendicare cogatur.

Insuper ex facto Episcopi ea secuta Thilmont in dioecesi conditio, ut reputaretur non bonus sacerdos. Ostensum iam fuit, ait advocatus, delatas accusationes fundamento destitui. Hinc eius redintegrationi consulendum: utique ipse a suspensione fuit liberatus ab Episcopo, licet nonnisi plures post elapsos menses, et post factum recursum apud H. S. C., sed ei denegata fuit facultas excipiendi confessiones et habendi conciones, qua facultate in dioecesi communiter non carent ipsi vicarii paroeciales.

Neque satis: ipsi denegata fuit celebratio missae in aedicula villae adiuncta, quam inhabitat; hanc veniam ab Episcopo expetierat, quia attenta infirmitate nimis grave evadebat sese conferre ad sacrum celebrandum in distantem ecclesiam paroecialem; quin imo obtentum a Thilmont Pontificium indultum oratorii privati, idem Episcopus institit ut revocaretur. Haec per se gravia sunt, advertit patronus, et sacerdoti Thilmont qui immerita patitur, ab H. S. C. succurrendum est. Nec omittit notare hanc simultatem inter Episcopum et Thilmont de industria a nonnullis invidis et malevolis erga merita eiusdem sacerdotis fuisse excitatam: et hanc opinionem roborat pluribus allatis testimoniis insignium integritate et dignitate personarum.

Ex adverso, pro Episcopo oratores sequentia deducunt. Disserentes de primo dubio, haec in facto relevant, nempe sacerdotem Carolum Thilmont instituendo asylum, non voluisse privatum opus « une entreprise à ses propres risques et périls », sed potius pium opus in publicam utilitatem publice peractum. Probant id ex fine quem sibi proponebat Thilmont in asylo instituendo, nempe « pour assurer à l'Eglise sa part dans l'éducation des enfants abandonnés ». Ad hunc finem consequendum ipsum invocasse aiunt auxilium morale et materiale sui Episcopi: patet id ex dictis et factis tum Episcopi, tum oblatorum qui stipem collectam non Carolo Thilmont sed operi « des enfants abandonnés » tradi voluerunt.

Episcopus vero laudans sacerdotem Thilmont ob « belle œuvre qui mérite d'être encouragée », et cuius fundatio fuerat in animo sui praedecessoris, iubet Parochos in pervigilio festi Assumptionis B. M. V. ut populo explicent uti-

litatem pii operis et stipem pro eius erectione colligant insequenti die. Et reapse eleemosynae collectae ascenderunt ad 25,000 marcorum. Qualis vero fuerit oblationum finis apparet ex sequenti declaratione parochi Lorette, cui concinunt parochus Leonard, comes Humolstein aliique quamplurimi: « Quand je dis que je les ai donnés à l'Ab. Thil« mont, cela ne signifie pas que je les ai donnés à Thilmont « personnellement... je les ai donnés très certainement en vue « et au profit des enfants moralement abandonnés ».

Quod neque ipse Thilmont diffitetur cum in asyli statutis se signet « Fondateur-donateur ».

Igitur tum petentibus tum dantibus unus erat finis, nempe erectio pii operis seu asyli et ad hoc Episcopus verbo exemploque suo publicam excitabat charitatem. Quare concludunt advocati, inter Thilmont accipientem et fideles oblatores pro asylo, ipso Episcopo fideiubente, stipulata fuit vera conventio, cui idem Thilmont se subducere nequit, altera inscia vel invita parte. Vi huius conventionis, ipsius partes sive in accipiendo, sive in aedificando, tantum erant exequi praecisam voluntatem oblatorum nempe erectionem asyli.

Hoc praestituto facto iuridico, advocati aiunt, ex eo apertissime scatere nullitatem contractus celebrati die 6 Maii 1902 circa alienationem asyli. Nam dictum factum iuridicum sive in ratione civili, sive in ratione stricte canonica, semper efficiebat tum sacerdotem Thilmont tum religiosam familiam incapaces ad contrahendum circa asyli proprietatem.

Primo ita rem declarant in linea civili. Sane bonorum dominium quae fideles donarunt sive pro asyli erectione sive pro puerorum inibi extantium sustentatione et educatione, non extabat apud Thilmont sed apud asylum ipsum. Haec enim praecisa donantium fuerat voluntas: ad hunc finem ipse expetiit et obtinuit oblationes. Non poterat itaque donata in alium divertere finem, quin initam conventionem laederet, et oblatores falleret.

Hanc theoriam quam dicunt contineri in ipso naturali iure et quam hodie sequuntur tribunalia et iurisperiti civilium nationum, illustrant et corroborant duobus allatis exemplis. Primus casus refertur a Ihering iuris professore in universitate Goettingensi in suo libro periodico iuridico super principiis iuris privati an. 1880 et est sequens.

Anno 1871, die 20 Martii, in Helvetia efformatus est comitatus pro promotione constructionis viae ferreae Olten inter et Zys. Hic comitatus collecta magna pecuniae vi, per publicas subscriptiones tractatum inire coepit pro constructione dictae viae cum quadam societate. Verum enata controversia inter hanc et comitatum, disceptari coepit qua veste iuridica agere posset comitatus. Professores Brocher et Renaud denegabant comitatui vestem standi in iudicio, qui hic non erat nisi organum subscriptorum. E contra Professor Ihering sustinuit comitatum habere vestem mandatarii cum iuribus et obligationibus quae insunt contractui mandati. Comitatus enim, ut ipse aiebat, est organum committentium, sicuti mandatarius est organum mandantium: et addebat se ad hanc conclusionem adigi non vi localium legum, sed ab ipsa lege naturae omnibus populis communi.

Alter casus qui refertur in folio periodico « *Foro Italiano* » an. 1900 sic enarratur. In Italia syndicus loci Bisuschio in provincia Comensi plures collegit summas ope publicarum subscriptionum pro erectione asyli, quod de facto fuit fundatum et per duos annos perduravit. At cum ipse non amplius electus esset a suis electoribus, asylum clausit et se dominum declaravit bonorum asyli. Re delata in iudicium et acta per omnes iurisdictionis gradus, supremum Tribunal (Corte di Cassazione) Taurinense respuit omnes Syndici praetensiones et iussit bona asylo restitui. Hac occasione Professor Simoncelli sustinuit in apposita disceptatione, inter Syndicum et oblatores conventionem quamdam extitisse, quam non ad contractum mandati sed potius ad negotiorum gestionem revocavit iuris Romanorum. « I de« stinatari delle pubbliche offerte sono i soggetti del patri« monio raccolto ed i raccoglitori sono i loro *negotiorum* « *gestores*... Il Procuratore conchiude cogli oblatori negozii « giuridici nell'interesse e nel nome del *dominus* ».

Iamvero, subdunt advocati, duo expositi casus maximam affinitatem habent cum praesenti, et nil impedit quominus inita conventio induat naturam sive mandati sive negotiorum gestionis, nisi eam dicere mavis mandatum negotia gerendi prouti eruitur ex textu iuris Romani *Digest. lib. 3, tit. 5, leg. 21*, « Mandato tuo negotia mea Lucius Titius gessit ».

Revera sacerdos Thilmont, respectu oblatorum, erat simplex mandatarius; respectu asyli negotiorum gestor, qui, ex mandato eorumdem oblatorum, etiam gerebat negotia puerorum derelictorum.

Unde tenebatur fideliter adimplere commissum mandatum, et utiliter rem gerere asyli cui factae oblationes acquirebantur. Hinc contractu praecitato diei 6 Maii 1902, non suas res vendidit sed alienas. Nec praesumi potest consensus asyli, quia hoc non praesumitur velle sui destructionem. Multoque minus supponi licet consensum dantium, quia tantum intenderunt oblationes pro asylo facere. Unde baronissa de Gargan factam venditionem definivit: « Un vol « manifeste, puisque l'asyle a été acheté, non avec son ar« gent (Caroli Thilmont), mais avec celui de tous ».

Nec alia est conclusio si res expendatur ad tramitem iuris canonici, cum agatur de oblationibus seu dispositionibus pro causa pia. Profecto ubi agitur de tali oblatione seu donatione sine conditione vel onere, haec donatio censetur facta in favorem animae Deo cui bona donata acquiruntur, et locus pius spectatur uti causa impulsiva finalis iuxta *cap. Cum super... de causa possess. et propr.* et probat Fagnanus *in cap. Relatum, n. 37. Ne clerici vel Monachi.* Nec alicui praeter Summum Pontificem, ait De Luca, *de donat., dis. 12, n. 5*, earum intentionum finem mutandi potestas est: ita ut si Ecclesia vel pius locus quorum bono oblationes factae sint, aut erigi nequeant, vel semel erecti, quavis de causa destruantur, oblationes et dona (excepto casu destructionis culposae ex parte donatarii, et donatum fuerit sub ea resolutiva conditione ut loco non erecto vel destructo bona redeant ad donantem) non oblatoribus revertantur sed sub dispositione Romani Pontificis remanent ». Age vero in themate per factam venditionem pie offerentium intentiones evidenter essent mutatae. Hinc dictus contractus nullimode sustineri valet.

Idque etiam evidentius clarescere contendunt patroni si pii loci iura ad trutinam revocantur. In comperto siquidem est quod pia loca quoad privilegia minoribus aequiparentur. At pro alienatione bonorum sive mobilium sive immobilium ad minores pertinentium, praeter iustam causam, requiritur etiam iudicis Decretum, uti disponitur *in Cod. Iustinianeo, lib. 5, tit. 37.* Haec igitur solemnitas etiam servanda erat in dicta asyli venditione; quin imo ea in themate fortius urgebat, quia non agebatur tantum interesse privatae personae, sed potius corporis moralis, ac per indirectum res tangebat omnes oblatores et Episcopum ipsum. Sed recensitae solemnitates nullimode adhibitae fuerunt. Ergo de nullitate contractus dubitare nefas est, instant advocati.

Hanc conclusionem communiunt etiam alio argumento. Revera in facto est quod ab initio eiusdem asyli, bona empta sunt nomine cuiusdam societatis ex quatuor membris compositae, quae sibi mutuam imposuerunt legem bona asyli non vendendi nisi caeteris sociis. Sacerdos Thilmont, aiunt

defensores, nonnisi per fraudem bonorum asyli effectus est civilis dominus. Hinc de iis disponere non poterat agendo contra impositas conditiones.

Statuta invaliditate contractus, defensores gradum movent ad diluendas adversariorum exceptiones, quarum prima est quod memoratae oblationes factae fuerint sacerdoti Thilmont; hinc ipse de rebus donatis libere disponere poterat.

Hanc assertionem falsam esse revincunt tum ex declaratione ipsius Thilmont, tum ex declaratione oblatorum, de qua superius sermo fuit. Sed et insuper facto ipso refutatur: nam ubi primum asyli erectio incoepta fuit, eius bona non Thilmont inscripta sunt, sed cuidam societati quatuor membrorum quae asylum utpote veste iuridica ante Gubernium destitutum repraesentaret. Hinc omnia bona huic societati civiliter inscripta, asylo pertinebant. Hinc sacerdos Thilmont non nisi per iniuriam sibi vindicare potest proprietatem bonorum asyli, cuius ipse erat tantum Director et Superior. Hinc est etiam quod in condendis statutis pii operis ipse non renuit sese subscribere « Fondateur–donateur ».

Praeterea allegata exceptio est contra declarationem emissam ab eius civili condomino Schneider, qui fassus est se nunquam vel a longe aestimasse bona asyli, quae civiliter seu coram lege possidebat, revera sua esse. Ita etiam gubernium civile sub die 7 Iul. 1897 scribebat ad Episcopum se asylo donasse « dans la conviction qu'il s'agissait d'une « institution durable pour l'éducation des enfants catholi« ques moralement abandonnés de la Lorraine, laquelle de« vait recevoir au plus tôt... les droits d'une personne juridique » addens « que l'œuvre marche sous le nom d'une ou plus « personnes physiques ».

Alteram exceptionem, quod multum nempe de suo in pium opus contulerit Thilmont, irrident advocati, cum notorium sit eumdem sacerdotem et ex pauperrima esse natum gente, neque ea gessisse munera ex quibus coniectari valeat grandem pecuniae vim fuisse lucratum. Verum quidquid de hoc sit, etiamsi reapse multum instituto donasset, non ideo factas oblationes ipse repetere valebat, quia semel Deo acquisita nunquam ad donatorem reverti valent.

Tertium Thilmontii diverticulum, quod asylum fuerit ab auctoritate ecclesiastica seu ab Episcopo Fleck spectatum ut opus suum privatum, nihil pariter probare seu concludere valet: nam eo etiam dato et non concesso, non ideo sequitur ipsum potuisse libere disponere de factis oblationibus, cum Episcopus Fleck non valuerit mutare intentionem piorum disponentium.

Ad quartam demum exceptionem quod nempe sacerdos Thilmont valuerit disponere de bonis asyli ut ipsius administrator, reponunt defensores quod ea pugnat cum iure naturali et scripto, cum administrator nequeat alias valide venditiones facere, quam quae sunt ordinariae administrationis.

Absoluta disputatione circa primum dubium, defensores gressus dirigunt ad alteram quaestionem de redditione rationum circa bona administrata asyli: et ad hanc teneri sacerdotem Thilmont indubium esse aiunt. Etenim vel res iure civili commensuratur, et tunc cum ipse ex superius demonstratis sit vel mandatarius oblatorum, vel negotiorum gestor asyli, nulli ex his contractibus provenienti actioni sese eripere valet. Si vero spectetur res in iure canonico, ipse pulsari potest eadem actione qua pulsantur tutores, nempe actione tutelae directa, qua tutor tenetur ad suae administrationis rationes reddendas et ad resarcienda damna, si quae forte damna pupillo intulit, et id tutor praestare debet ex eo tempore quo sibi innotuit tutorem esse. In casu vero cum Episcopus ex Tridentino iure *sess. 22, cap. 8 et 9, de Reform.*, sit constitutus executor et cognitor piarum voluntatum sive inter vivos sive mortis causa, eidem competit ius hanc actionem urgendi contra sacerdotem Thilmont, tamquam pii operis administratorum et tutorem. Haec autem rationum redditio incipere debet a die quo Thilmont, invocato Episcopi auxilio et favore, colligere coepit fidelium oblationes; idque ex communi iure, uti traditur in *leg. 17 Digesti, tit. 7, de administratione et peric. tutor.* « Qui iussus est ab eo qui ius iubendi habet tutelam gerere, si cessasset, ex quo iussus est indemnem pupillum praestare debebit, non ex quo tutor esse coepit ». Insuper cum Episcopus fuerit unus ex oblatoribus, agere etiam potest actione mandati: idque eo vel magis quia Episcopus non tantum fuit donator, sed etiam prae sua auctoritate et praecipuus excitator pro collectis in favorem asyli.

Neque, aiunt defensores, Thilmont se ab hac obligatione liberare valet, vel quia, ut ipse dictitat, eas rationes iam reddiderit praedecessori Episcopi hodierni, vel quia modo id est sibi impossibile ob defectum documentorum quae post tantum lapsum temporis amplius non possidet.

Ad primum enim reponunt redditas rationes non fuisse completas et exactas.

Ad secundum ei opponunt sequentem Cardinalis De Luca doctrinam. « Quando de facto administrator non confecerit librum vel confectum amiserit, etsi administrator urgeri non debeat ad factum praecisum impossibile, debet tamen per alias species probationum administrationis veritatem iustificare ».

Ad tertium dubium devenientes, nempe de proprietate castri « Basse Guénange » et praediorum Pohlert, quoad primum sacerdoti Thilmont denegant proprietatem, cum iuxta inventarium anni 1898 illud accenseatur inter bona asylo pertinentia; et unusquisque probe sciat inventarium magnam constituere probationem tam pro tutore quam contra eumdem. Hinc in foro Ecclesiae dictum castrum a sacerdote Thilmont illegitime possideri dicendum est.

Quo vero ad praedia Pohlert, defensores eidem non contestantur eorumdem legitimam possessionem. Verum cum tutoris bona tamquam pignoris titulo subiecta sint tacitae hypothecae in favorem pupilli iuxta leges, de eis sacerdos Thilmont libere disponere inhibendus est, quoadusque rationes non reddiderit.

Demum advocati sermonem instituunt de quarto dubio: et relate ad eam partem in qua quaeritur, quomodo in hypothesi nullitatis contractus consulendum sit indemnitati familiae religiosae, omittunt hanc quaestionem et tantum observant, Asylum fundatum fuisse ex publicis oblationibus et sacerdotem Thilmont destitutum fuisse facultate illud vendendi. Quod si religiosi modo pretium recuperare nequeunt a venditore, sibi imputent, qui cautius in huiusmodi negotio se gerere debebant. Verum cum Episcopus declaret sese libenter agere velle cum religiosa familia in bonum asyli, contendunt rem prudenti eiusdem Episcopi arbitrio esse remittendam, cuius mandatis ipsa parere debeat.

De altera vero parte, quomodo nempe ab Episcopo providendum sit erga sacerdotem Thilmont, haec subiciunt. Ex demonstratis patet ipsum esse adstrictum nedum ad bona asyli indebite alienata restituenda, sed etiam ad rationes suae gestionis reddendas: quas si reddere renuerit cogendus, erit iuris remediis. Hisce redditis, cum eidem meritum fundationis asyli denegari nequeat, Episcopus videbit quomodo eius honestae substentationi, attenta sacerdotalis vitae ratione, occurrendum sit.

Verum sedulo notant eumdem sacerdotem nihil exigere posse titulo mercedis pro laboribus impensis in asyli utilitatem. Nam vel eum spectas in huiusmodi munere uti mandatarium, et tunc ex hac causa nihil ei debebitur, cum man-

datum sit officium gratuitum, confer De Luca, *dis. 29, n. 8, de tutor.*, vel consideras ut tutorem, et tunc ex male gesta tutela omne ius amisit ad mercedem.

Hisce pro meo munere relatis, modo pro solutione sequentia proponuntur.

DUBIA.

I. *An contractus emptionis–venditionis initus die 6 Maii 1902 a sacer. Thilmont et D. Schneider legitime ac valide in foro ecclesiae transtulerit ad Congregationem fratrum a christianis scholis dominium bonorum antiqui Asyli Guénange et adnexorum in casu?*

II. *An sac. Thilmont ius proprietatis seu dominii legitime in foro ecclesiae retineat super castrum Basse Guénange et praedia Pohlert in casu?*

Et quatenus ad I^um et II^um negative:

III. *An et quomodo Episcopus ius habeat rationem exigendi a sac. Thilmont de administratione bonorum antiqui Asyli Guénange in casu?*

IV. *An et quomodo consulendum sit indemnitati Cong. religiosae: et quomodo ab Episcopo providendum sit erga sac. Thilmont?*

Responsum fuit: *Ad 1.um Affirmative. Ad 2.um Providebitur in tertio. Ad 3.um Prout proponitur, negative et ad mentem, quae est ut sacerdos Thilmont Episcopum adeat, ipsique prout decet rationem administrationis reddat, sin minus eam reddat S. C. Ad 4.um Dilata.*

2119
5

Ianuen. — Iurium.

Quum presbyteri *de Massa* iuribus beneficiatorum non gaudeant in casu, neque Collegium efforment, Episcopus illorum numerum augere potuit, dummodo dos massae proportionaliter augeatur.

Die 30 Iunii 1906.

In Metropolitana Ianuensi Ecclesia praeter Capitulum, Presbyterorum Collegium adest *de Massa* nuncupatum, cuius origo usque ab anno 1499 repetenda videtur, prout ex quodam illius temporis documento apparet.

Gallicam post perturbationem idem Collegium 24 Sacerdotibus constare coepit, reddituque lib. 12,000 auctum est. Eversivis italici Gubernii legibus editis, iidem Presbyteri ad sex reducti sunt, eorumque patrimonium taxae 30 0|0 subiectum fuit. Haec tamen cum nunquam ab ipsis usque ad annum 1904 soluta fuerit, aes alienum Gubernii favore efformavit lib. 33,355.49, quae antea singulis annis inter eosdem Presbyteros distributae sunt.

Interea illius temporis Archiepiscopus Reggio ut damna ab iisdem legibus allata quodammodo repararet, Decreto diei 28 Februarii 1896 novos eidem Massae redditus assignavit, libellarum scilicet 1054, adiecto dictis Presbyteris onere Missas 196 quotannis celebrandi, statuitque ut ipsi duodecim usque esse deberent.

Verum cum Fiscus praedictam lib. 33,355.49 summam ab eadem Massa repeteret, iidem Presbyteri in acceptando Decreto, conditionem apposuerunt, ut si causa caderent, tres ex ipsis novissime nominati eidem Massae nuncium mitterent. Lis transactione dirempta fuit, qua eadem Massa suorum reddituum diminutionem passa est lib. 2674.

Exinde instantibus Presbyteris ut tres illi nuperrime nominati recederent, hodiernus Archiepiscopus Pulciano, die 11 Aprilis 1905, edidit Decretum ut duodecim Presbyteri servarentur.

Aegre id tulerunt Massae Presbyteri, atque ab eodem Archiepiscopi Decreto ad H. S. C. appellarunt.

Idem Capitulum in exhibita Memoria petit ut iuxta Episcopi Decretum Massae Presbyteri duodecim numerum pertingant, iique tum ab ipso Capitulo tum ab Episcopo dependeant.

Cum partes sibi patronos elegerint, meum ideo erit summatim eorum rationes referre.

Qui iura Collegii Presbyterorum Metropolitanae Massae tuetur, ut demonstret eiusdem Massae beneficium laicalem naturam induere, recolit in primis Metropolitanum Ianuense Templum iam pertinuisse fundationis et aedificationis titulo Gubernio Serenissimae Reipublicae et Communitatis, ac in praesens successionis titulo ad Gubernium et Municipium spectare. Nam, prout in deliberatione diei 24 Maii 1499 habetur, licet sub contractu celebrando ad dictamen Sapientum Communis inter ipsos Gubernatorem et Senatum ex una parte, et Episcopum, Protonotarium et Capitulum dictae Ecclesiae ex altera, statutum fuerit ut hoc lib. 400 pro augendo eiusdem Massae Sacerdotum numero erogaret, nihil tamen reperiri in actis ait quo probetur idem Capitulum aliquid revera tribuisse ad dictam Presbyterorum Massam dotandam. Unde concludit iure Gubernium Serenissimae et Communitatem, cum praedictam Cappellanorum Massam fundaverint ac dotaverint, annuumque censum assidue usque in praesens solverint, iurepatronatu frui.

Eadem insuper Massa, adnotat advocatus, statutis regii coepit quae a Cardinali Cibo Dioecesis Ianuensis administratore approbata et confirmata fuere, accedente etiam S. Pontificis Leonis X auctoritate, die 13 Martii 1526, prout in praesens adhuc vigent. Ex istis quidem Constitutionibus apparet Cappellanorum Collegio nil cum Canonicorum Capitulo commune esse nisi servitium chorale, cum proprias habeat constitutiones absque dicti Capituli dependentia, Massam communem bonis propriis a Capitulo seiunctis, ius Cappellanos ad officia nominandi morte vel resignatione vacantia, adeo ut nullo modo ab eodem Capitulo pendeat vel subiiciatur, prout ipse Archiepiscopus, die 16 Iulii 1905 declaravit.

Nihilominus quamvis Cappellani a Capitulo non dependeant, cum hoc tamen aeque adventitia emolumenta percipere adnotat. Et sane Archiepiscopus Gentile die 30 Novembris 1682 auditis deputatis Capituli et Massae Cappellanorum decrevit « omnes ceras in posterum obvenientes tum a quovis funerali defunctorum et qualibet Missa exequiarum in cantu, tum etiam pecunias obvenientes ex Missarum votivarum eleemosynis ac pulsatione nolarum maiorum, in praesentia unius ex Deputatis a Canonicis et Capitulo et alterius a Cappellanis Massae, pondere facto illas illico dividendas esse pro medietate ». Exinde memorat Cappellanos qui usque ad 30 antea adaucti fuerant, dein 24 effecti, auctorante Pedemontano Gubernio, die 15 Augusti 1867, sex tantum fuisse servatos.

Quapropter caeterorum Cappellanorum bonis a Fisco ereptis, iam patet-ait advocatus absque novis fundationibus et dotationibus haud posse eorum numerum augeri. Nihilominus animadvertit eosdem Cappellanos proprio marte quinque alios sibi sociasse; imo Archiepiscopum Reggio, die 28 Februarii an. 1896, edito Decreto eosdem ad duodecim auxisse. Verum cum Fiscus Cappellanis tributum solvendi, vulgo – *tassa straordinaria del 30 per cento* – indixisset, quod ab anno 1867 solutum ab ipsis haud fuerat, iidem una cum

Episcopo statuerunt, ut si causa caderent, tres Cappellani supranumerarii sub hac conditione nominati se dimittere deberent. Lite peracta eadem Massa diminutionem annui redditus lib. 2674 passa est. Interea hodiernus Archiepiscopus praedictum sui decessoris Archiepiscopi Reggio Decretum in pristinum revocavit, duodecim scilicet Cappellanorum numero inauditis Cappellanis statuto.

His quoad historiam praemissis, Collegii Presbyterorum patronus, ad trutinam revocat decretum ab Archiepiscopo Reggio die 11 Aprilis 1905 emissum. En eius verba : « Visto « il Decreto della Commissione Apostolica sul Clero seco- « lare degli Stati di S. M. il Re di Sardegna in data 26 Di- « cembre 1836, in ordine ai Sacerdoti componenti la V. « Massa della nostra Chiesa Metropolitana etc. ». Iamvero quid statuat dicta Commissio in casu, ex eius verbis apparet: « In primo luogo considerato, che in quella insigne « Chiesa sono alle volte insorte delle questioni sulla dipen- « denza dei Rev. Preti Cantori o della Massa, che in nu- « mero di 24 sono addetti a servirlo col ministero del canto, « e col servizio dell'Altare... decreta... essi sieno intiera- « mente dipendenti dagli Arcivescovi di Genova *pro tem-* « *pore* esistenti in tutto ciò che riguarda il loro dovere « verso la Chiesa che servono... ».

Ex his itaque, adnotat advocatus, patet de subiectione quoad servitium ecclesiae seu chorale agi, nullo modo de facultate augendi ad libitum, inauditis Cappellanis, et absque sufficienti dotatione eorum numerum. Quod quidem a iure communi exorbitare addit; prout habet Ferraris, v. *Canonicatus*, art. XI, n. 17, 19.

Proinde cum in casu agatur de Cappellanis qui unum constituunt corpus sicut Capitulum, iique a supremo Principe sint instituti, qui semper restitit ne Ordinarii sese in rebus Massae immiscerent, pronum est etiam eorum consensum necessarium fuisse. Hunc autem praebere ipsos renuisse constat. Unde ex hac parte decretum nullum esse contendit.

Quoad alteram decreti partem ubi legitur: « Visto il De- « creto in data 28 Febbraio 1896, col quale il nostro Pre- « decessore Tommaso Regio di v. m. stabiliva che i Preti « della Massa di S. Lorenzo dovessero esser sempre in nu- « mero di dodici... », respondet advocatus Archiepiscopum antequam decretum suum ederet, consensum Cappellanorum obtinuisse, ac sufficientem etiam pro uno Cappellano redditum tradidisse. Cum insuper Massae redditus tunc valde imminuti essent, et conditio a Cappellanis posita tres supranumerarios recipiendi impleta fuisset, haud amplius illud decretum tenere adnotat.

Neque officere ait alia decreti verba: « Visto il voto del « Rev.mo Capitolo Metropolitano, perchè pel decoro del di- « vino servizio nella nostra Chiesa Metropolitana i Preti « della Massa fossero conservati nel numero di dodici, sta- « bilito dal nostro predecessore ».

— Animadvertit siquidem Capitulum hac super re sese ingerere haud posse, prout ipse Archiepiscopus fassus est.

Nam cum annui redditus imminutio supputatis lib. 800 sit libellarum 1874, profecto haec summa revera exigua dici debet, ut ea soluta iidem presbyteri cum decore vivere possint.

Postremo quoad proventus certos ac incertos quibus in allato decreto dicuntur frui sacerdotes qui ad Massam pertinent, animadvertit patronus peritum Ravano sedulo rationum libris examinatis, nec non computatis missarum oneribus tum a fundatoribus tum ab Archiepiscopo Reggio per decretum an. 1896 impositis, ita singulorum cappellanorum proventus statuisse: « Media reddito annuo di ognuno, « L. 958,35. — A questo devesi aggiungere il reddito per- « sonale per Messe feriali e festive, e cioè media L. 268,30. « — Reddito totale individuale L. 1226,65. — Reddito dopo « la transazione col R. Demanio L. 1040 ».

Alter autem peritus iudicialis Raffo pro honesta sacerdotis substentatione in civitate Ianuensi retulit necessarias esse lib. 2122, haec adnotans: « Negli anni addietro e nel- « l'anno 1860 il costo dei viveri era di circa la metà ».

Nec praeterit partem adversam maiorem existimare cappellanorum proventum, et quaedam computare quae non sunt computanda, prout in eorum Memoria habetur.

Item nec computandum esset ait redditum 50 Missarum, quas alibi singuli cappellani celebrare possunt, utpote iuxta patronum, incertum, « non debet intelligi de emolumentis omnino incertis, ut sunt redditus, seu fructus consistentes in funeralibus, oblationibus nuptialibus, eleemosynis Altaribus, et similibus, qui redditus cum sint de omnibus incertis, non sunt imputandi in Congruam: Rota par. I, dec. 420, n. 1, etc. Ferraris ad verb. *Congrua*, n. 12 ».

Ceterum notum esse recolit ipsum Archiepiscopum Reggio minime huiusmodi incertos proventus computasse, sed sufficientem pro unius cappellani augmento redditum assignasse.

Disserens insuper de Cappellanorum oneribus, memorat ipsos: « 1° quotidie, exceptis 50 diebus, celebrare Missam in ipsa Metropolitana Ecclesia, ac providere, ut in diebus festivis Missae celebrentur in qualibet dimidia hora, a mane usque ad meridiem; in diebus ferialibus etiam in qualibet dimidia hora, a summo mane ad horam undecimam. — 2° fungi officio Diaconi ac Subdiaconi in omnibus Missis cantatis, sive ferialibus, sive festivis, item in Vesperis, etc. — 3° Servitium chorale, quod est quotidianum et sine intermissione, cum cantu, seu ipsi canere debent in omnibus Missis ac Vesperis, exceptis solemnitatibus, in quibus canit Cappella Seminarii, quae recipit lib. 1200 ». Iidem Cappellani e contra haec animadvertunt: « 1° I Canonici non sono ob- « bligati mai a celebrare a S. Lorenzo. — 2° Non celebrano « mai ad ora tarda. — 3° Non sono obbligati alla recita « in coro delle ore in tutto l'anno — come pure a Compieta, « se non quando si canta, cioè alle Domeniche, solennità « ed in Quaresima. — 4° Non sono obbligati al Matutino « nei giorni feriali dal 1° Maggio al 12 Novembre ». Ex quibus facile intelligitur quare canonici pro maiori divini servitii decore exoptent ut dicti cappellani sint numero duodecim.

Quapropter cum Episcopi nequeant canonicorum aut Beneficiatorum numerum augere sine rationabili Capituli vel Collegii consensu et absque sufficienti dotatione, iustitia postulat, ait advocatus, ut nonnisi octo Cappellani esse debeant. Si autem servetur dos pro uno Cappellano ab Archiepiscopo Reggio tradita, et illa 800 lib. ab hodierno Archiepiscopo exhibita, decem etiam esse possent; nullo tamen modo ad duodecim augendi erunt nisi pro aliis duobus sufficiens ac certa dos constituatur.

Ex adverso, patronus qui Ianuensi Archiepiscopo patrocinatur, presbyterorum de Massa originem repetens, cum isti nec beneficiati sint, nec Collegium utcumque efforment, nullam iuridicam personalitatem eos habere contendit, qua iure contra idem Archiepiscopi decretum possint in iudicio stare: ideoque sicut invocare nequeunt, iuxta ipsum, disposita ab illo noto Decretalium capite « *ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur* », ita pariter nequeunt iura portionariorum Ecclesiae receptitiae pro se vindicare. Hinc in medium affert quae S. Laurentii Capitulum olim adnotabat.

Unde nil mirum, animadvertit patronus, si Rev.mus Auditor Generalis RR. Camerae die 21 Iunii 1655 edixit, S. Congregationis Rituum decreta confirmando, « eis non licere,

immo prohibendum et inhibendum fore, et esse prout Nos per praesentes sub Censuris Ecclesiasticis et aliis arbitrio nostro poenis etc. prohibemus et inhibemus dictis Cappellanis, ne unquam utantur denominatione Collegii, minusque in eorum coadunationibus et convocationibus adhibeant alicuius campanulae usum, atque sonum, ac etiam subiectos esse ac obedire debere Capitulo et Canonicis supradictis in his quae concernunt servitium Ecclesiae » (*ibi pag. 53*). Nil pariter mirum si « l'Eccellentissima Giunta di Giurisdi« zione " die 10 Septembr. 1776 " ai Serenissimi Signori « *retulerit:* questa materia, stata ampiamente discussa per « mezzo dei Rev.mi tre Teologi i quali rimontando ai prin« cipii hanno reso un pieno consulto in cui stabiliscono... « III. Che i posti della Massa non sono in verun conto Be« neficii Ecclesiastici, – " quod caeterum et adversarii admit« tere ultro videntur " — ma puramente posti manuali ».

Itaque contendit Presbyteros Massae in casu esse mercenarios Capituli, quod nulla obligatione sese erga ipsos obstrinxit, nisi contributionem aliquam iisdem dandi ut obligarentur ad quotidianam Missae celebrationem in Metropolitana, et ad praestandum aliquod servitium tum choro tum paroeciae. Et revera Pontifex Alexander VI ita decrevit: « Cappellani qui dictae Ecclesiae iuxta ordinationem dicti Laurentii electi non servierint, nihil de emolumentis dictae Massae percipiant » (Archiv. Capit., sc. III, n. 1, in Act. Memor. Capit.)

Hinc historice ait notum esse nunquam nec de certo Presbyterorum numero, nec de certo ipsis redditu statuendo actum fuisse, adeo ut iidem iure edito decreto die 11 Aprilis 1905 sese opponi nequeant, nisi forte vel Cappellania vel aliqua contributione indeterminata privarentur; cum maior vel minor retributio haud iuridicum eorum statum immutet, qui est habendi non illam certam ac determinatam retributionem.

Quapropter nil aliud novem Presbyteris recurrentibus superesse ait nisi perpendere num tali retributione eiusmodi onera convenienter obire possint. Iamvero cum ipsi ultro admittant nihil aliud per dictum Decretum fuisse sublatum quam libellas annuas 128, profecto haud admitti posse contendit talem reddituum imminutionem, incongruam et inhonestam Presbyteris substentationem reddere. Imo in facto adnotat dictam reddituum imminutionem, ut refert Archiepiscopus, valde minorem esse.

Ulterius addit patronus Capitulum in sua Memoria haec quoad dictos redditus animadvertere....

Atqui, subdit advocatus, nonne eidem summae libellas 800 addendo, quae ab hodierno Ordinario fuere assignatae, tribus aliis sacerdotibus consuli posset?

Caeterum in facto esse recolit: « che i tre Sacerdoti – prout « narrat Capitulum – espulsi dai nove, dichiararono in una « supplica a Mons. Arcivescovo ch'essi desideravano conti« nuare a far parte dei Preti della Metropolitana, anche – se « egli non vi avesse avuta difficoltà – rinunziando agli emo« lumenti designati col nome di Fondo di Cassa...., cioè non « solo con L. 128 di meno.... ma anche con altra diminu« zione di L. 195 (che tanto importa il Fondo di Cassa) cioè « con L. 323 di meno ».

Ideoque cum Presbyteris de Massa nec ius Beneficiatorum competat, nec quodvis aliud ius iuxta advocatum, praeter mercenariorum, cumque Collegium non efforment, sed uti singuli accipiendi sint, iam patet ait iniuste eos dictum Decretum non acceptare.

Quin imo etsi concederetur, pergit ipse, eisdem Presbyteris aliquod vel Beneficiatorum vel Collegii ius competere, quo iure tamen, quaerit, sine legitimae auctoritatis venia vel privilegio eorum numerum imminuere possent, cum notum sit quidquid a civili Gubernio peractum fuit quoad imminutum Cappellanorum numerum, uti nullum coram Ecclesia haberi? Immerito etiam addit ipsos autumare ecclesiasticam auctoritatem ratam habuisse conditionem, qua deperdita contra Gubernium lite, tres novissimi Presbyteri haud amplius in possessione suarum Cappellaniarum remanerent, cum in Archiepiscopi Reggio Decreto nulla de eadem conditione mentio fiat.

Neque officere addit eosdem Presbyteros nolle huiusmodi decretum acceptare, utpote ius patroni laedens, cum factum fuerit insciis Massa et Municipio. Nam cum Massa iuridica personalitate sit destituta, iidem nec Collegii nomine uti possunt, eoque proinde minus Collegii iura praetendere. Hinc memorat eosdem Presbyteros a Capitulo et populo fuisse dotatos, imo addit ipsos noluisse Reipublicae Patronatum recognoscere. prout idem Capitulum in sua Memoria anni 1770 probat.

Nihilosecius recolit Rempublicam ius Patronatus in eos exercuisse, dein non Municipium sed Gubernium successisse, quod tantum illorum sex recognoscit, ac proinde ipsum tantum eorumdem Cappellanorum patronatus ius habere, quamvis in facto huic renunciaverit. Proinde concludit sex illos sub omnimoda Archiepiscopi dependentia manere, qui proinde cum consensu Capituli, in quo, non existente patrono laico, totum ius consolidatum censeri debet, iure dicendus est donationem fecisse numerumque Presbyterorum definiisse.

His ex utraque parte relatis, modo EE. PP. sequens subiicitur dirimendum

DUBIUM.

An Archiepiscopi decretum diei 11 Aprilis 1905 sit confirmandum vel infirmandum in casu?

Responsum fuit: *Confirmandum esse Decretum Archiepiscopi; et ad mentem, quae est ut tres sacerdotes dimissi statim restituantur, et in posterum secuta vacatione duarum participationum, eaedem non provideantur donec dos massae proportionaliter non augeatur.*

3275
3

Pontiscurvi. – Iuris funerandi.

Declaratur praxim ex parte capituli Ecclesiae Cath. in alienis ecclesiis circa ius funerandi, non sustineri, sive quia sufficienti consuetudine non fundatur, sive quia ipsa consuetudo non esset attendenda in hac materia, privilegiata favore parochorum.

Die 30 Iunii 1906.

Die 24 Octobris 1902 omnes quinque parochi urbis Pontiscurvi sequentem recursum contra Capitulum Cathedrale eiusque Archipresbyterum Episcopo obtulerunt quoad funerandi praxim ex parte Capituli in Ecclesiis alienis:

« Talvolta il Ven. Capitolo di questa Cattedrale è invitato « dalle famiglie all'associazione di qualche cadavere, che « è fuori della loro giurisdizione. Ed avviene che nel rile« vare il cadavere dalla propria abitazione, è la prima dignità « del Capitolo (l'Arciprete) che lo asperge, ed intuona colà, « come qui si usa, l'antifona *Si iniquitates* ed il Salmo *De « profundis*, non che l'antifona *Exultabunt* ed il Salmo « *Miserere* nell'atto che muovesi il funebre corteo. Ciò non « basta. Giunti che si è alla Chiesa parrocchiale ufficiante, « i Canonici fanno da padroni assoluti. Essi si arrogano il « diritto di tenere la stola ed intuonare l'uffizio; essi cele-

« brano la messa del funerale, ed essi infine dànno l'asso-
« luzione intorno al feretro.

« Questo sconcio dura da parecchio tempo, forse non va « più in là dell'epoca in cui D. Angelo Meloccaro era ad « un tempo Vicario Generale ed Arciprete della Cattedrale. « E si deve dire che i parroci d'allora un po' per eccesso « di rispetto, ed un po' anche per un certo timore, tollera- « rono tale ingiustizia, però sempre mal volentieri e mus- « sitando sempre. È certo poi che gli attuali parroci, ed i « loro antecessori, hanno continuamente levate lagnanze e « proteste, in pubblico e in privato. Ma il Capitolo si è tut- « tora imposto, forte, secondo lui, della semplice consue- « tudine.

« Ciò posto, i sottoscritti, essendo lesi nei loro diritti, fanno « ricorso alla giustizia di V. E. Reverendissima ».

E contra Capitulum die 26 Octobris 1902 ab Episcopo petiit ut quam primum nonnulli testes, ut senes et valetudinarii, in favorem consuetudinis ab immemorabili audirentur, utpote *probatio ad futuram memoriam*.

Cuius petitionis notitia parochis delata obtestati sunt: « che i testimoni vengano escussi in ordine al giudizio già « iniziato legalmente, escludendo ogni idea di futura me- « moria ». Re autem vera die 29 Octobris 1902 quinque testes allati ex parte Capituli auditi fuerunt ab Episcopo, qui postea instituit Pro-vicarium Generalem dioeceseos Aquinatensis ut iudicem delegatum ad prosecutionem actorum. Coram hoc iudice deposuerunt primum ex parte parochorum tresdecim testes, qui consuetudinem recentiorem esse probarent; postea ex parte Capituli alii tresdecim, qui illam ut immemorabilem testarentur, praeter litteras unius testis absentis, deinde habita est secunda et tertia productio pro parochis, et item alia pro Capitulo; et quaestionibus interea agitatis cui onus probandi prius incumberet et aliis incidentalibus, et motis compluribus exceptionibus quoad testes, allegatio et altera responsio utriusque coram Episcopo exhibitae fuerunt.

Processu exarato, Episcopus litteris diei 17 Decembris 1904 rogavit H. S. C. ut ipsa, pro regiminis prudentia, causam in prima instantia iudicaret. H. S. C. partes audiri monuit an consentirent, et parochis annuentibus, Capitulo vero refragante, cum Episcopus instaret, die 10 Februarii 1905 editum est decretum « *Ponatur in folio* », unde causa coram V. S. O. proponitur.

Nunc, actis processus examinatis, et ex pluribus deductionibus quas tum parochi tum delegati Capituli italica lingua exhibuerunt, et quas Episcopalis Curia ad H. S. C. transmisit, pro utraque parte summatim depromam momenta rationum quae strictius ad rem pertineant pluribus omissis quae ex vehementiori animo profluisse videntur.

Parochorum argumentationes in tres partes dispesci possunt, in quarum prima edicitur quae sint parochorum iura in exequiis; in secunda diluuntur rationes quibus Capitulum existentiam consuetudinis in sui favorem probare intendit; in tertia negatur iuridica vis consuetudini a Capitulo invocatae.

Quoad parochorum iura in exequiis, etiam praesente Capitulo Cathedrali, constat ipsos habere intentionem in iure fundatam ut ex canonistis et decretis SS. CC. habetur. Ita *Ferraris* ad verbum *Parochus*, art. 3, num 54: « Parochus facere debet officium supra corpus defuncti, etiamsi adsint Canonici Cathedralis in [sua parochiali Ecclesia ». Item S. R. C. in *Calaritana*, 12 Septembris 1857, ad 1, n. 5254, propositis dubiis: « Utrum Capitulum Ecclesiae Metropoli- « tanae habens in funerum associatione praecedentiam super « parochum defuncti, possit etiam in associatione cadaveris « suae iurisdictioni minime subiecti: 1° erigere suam crucem, « exclusa illa parochi; 2° eaque elevata ingredi in Eccle- « siam parochialem defuncti; 3° ac in illa solemne sacrum « ac reliqua omnia super cadavere persolvere, invito paro- « cho? », respondit: « Quoad primam et secundam partem « affirmative; quoad reliqua negative ». Et in *Monopolitana*, 29 Novembris 1670, ad dubium: « An Antiphona *Exul-* « *tabunt Domino* intonare in funeribus spectet ad paro- « chum, praesente Capitulo (Cathedrali vel Collegiali) iuxta « Rituale Romanum, vel ad dictum Capitulum, ob praece- « dentiam quam habet supra parochos? » respondit: « Ser- « vetur Rituale Romanum ». Unde apparet quod ad parochum exclusive pertinet aspergere corpus defuncti, intonare antiphonam et psalmum, missam exequialem celebrare, quae omnia, e contra Capitulum nunc peragit.

— Deinde parochi accedunt ad refutandas rationes quas Capitulum in sui favorem adducit, quaeque tum documentis tum testimoniis continentur. In primis quod spectat, ad documenta parochi contendunt haec ad rem non pertinere.

Quod spectat vero ad testes a Capitulo allatos, parochi ad trutinam singulos revocant, dotibus ante omnia adnotatis quae requiruntur in testimoniis pro immemoriali consuetudine demonstranda, ut Reiffenstuel docet Tit. IV, Lib. I. Decret., paragr. 7: « Loquendo de consuetudine immemoriali, ut ea concludenter intelligatur probata, testes conformiter deponere debent de quatuor aliis, videlicet: 1° de visu per quadraginta annos; 2° de auditu de suis maioribus qui dixerunt et ab aliis audierunt, semper ita observatum fuisse; 3° quod nunquam viderint nec audierint servare contrarium; 4° quod fuerit et sit vox publica, seu fama, memoriam non extare, nec extitisse in contrarium ».

In specie ex testibus quos Capitulum affert, parochi contendunt quatuor repellendos esse, de quorum moribus aiunt palam constare se coram iudice locutos esse et repelli etiam debere quandam unius ex canonicis sororem. Quorum verba parochi urgent quod contradicunt circumstantiis factorum aliunde probatis, et ideo nec per se merentur fidem.

Plures alii testes, prosequuntur parochi, haud attendi debent, aut ad rem nil pro Capitulo testantur. Eiusmodi sunt...

Testibus qui a Capitulo adducuntur ita infirmatis, parochi praeterea opponunt testes undeviginti, qui probant recentiorem esse consuetudinem, loquentes quidem de casibus quos ipsi viderint; de aliis vero ecclesiis vel casibus profitentes se nil deponere posse.

Quos testes parochi late commendant, et contra quos notant adversarios nullam exceptionem movere, vel tantum verbis calumniam impingere.

Quod si testes Capituli examinentur quoad dotes quas cum Reiffenstuel ad hoc requiri adnotavimus, parochi concludunt quod consuetudo immemorialis ab iis testibus probari nequit, cum non sint conformes, et non deponant quod ipsi rem a maioribus acceperunt, neque unquam viderunt aut audiverunt servari contrarium, neque quod sit vox publica memoriam non extare neque extitisse in contrarium.

Tertio insuper parochi demonstrare satagunt consuetudinem quam Capitulum adducit vim nullam iuridicam habere. Est enim notum in iure quod consuetudo contra legem non valet nisi sit rationabilis et legitime praescripta. Atqui, aiunt parochi, consuetudo quae adducitur non est rationabilis, quia ipsi iuri naturali adversatur, quatenus iustum est parochos percipere fructus pro officiis quae filianis praestant.

Neque est legitime praescripta, quia ad hoc bona fides et toto quidem tempore, exigitur, quae in Capitulo supponi nequit, cum capitulares iura parochialia probe noverint, neque ullam pactionem intercessisse ipsi demonstrare valent,

quae insuper absque confirmatione apostolica nullum valorem habuisset.

Neque, reponunt parochi, ius funerandi in Capitulo derivari potest ex facto matricitatis, stricte sumptae, quam Ecclesia S. Bartholomaei, nunc Cathedralis, praetendit; quia, ut docet Rota: « licet potuerit (in dismembratione) reservare sibi Ecclesia matrix, in signum subiectionis, ius sepeliendi vel similia, *id debet expresse facere*; alias omne « id quod non est exceptum, in dismembratam Ecclesiam « translatum dicitur », (Part. 18, tom. 1, dec. 7, n. 13; apud Ferraris verb. Dismembratio). — At neque matricitas a Capitulo probatur, nisi ex praecedentia in quibusdam, quae nullimodo matricitatem arguunt, sed pendent ex facto quod Ecclesia S. Bartholomaei sit Cathedralis.

Praeterea haec quae vult appellari consuetudo, iuxta parochos non fuit nisi actus, ut dicitur, facultativus, qui a gratiosa concessione et parochorum urbanitate dependit; qui ideo praescriptione non est susceptibilis, sed ad libitum revocari potest. Factum est revera ut quadam speciali occasione aliquis ex parochis id concessit, praesertim in paroecia S. Marci, ex quo Capitulum facile consuetudinem adstruere intendit; sed hac in re parochi animadvertunt nunquam se acquievisse.

Insuper parochi addunt quod consuetudo in casu peremptivam vim non habet ex alia ratione: quaecumque enim consuetudo contraria parochialibus iuribus quoad funera abrogata est decretis S. R. C. praesertim decreto super exequiis diei 23 Aprilis 1895, n. 3854.

Et iura parochialia praescriptionem non admittere nec vi consuetudinis centenariae et immemorabilis parochi deducunt ex responsis H. S. C. in *Melevitana, Funeris et emolumentorum*, d. 28 Iulii 1878; *Iuris funerandi* d. 15 Iulii 1882; *Andrien., Iurium et privilegiorum*, 2 Iunii 1883; *Melevitana. Finium et iurium parochialium*, 23 Iulii 1892; item *Melevitana, Iuris associandi et elevandi cadavera*, 30 Aprilis 1904 (1).

Praesertim vero parochi opponunt quod in casu contra invocatam consuetudinem ipsi semper restiterunt.

Demum parochi adnotant quod ipsum Capitulum in pluribus locis suarum allegationum fatetur parochos de hac re decursu temporum movisse querelas. Unde parochi eruunt consuetudinem, quaecumque fuerit, esse interruptam. Quod si lis ad definitivam sententiam non fuerit perducta, parochi id ex eo repetunt quod Vicarius Generalis fuerit et sit de gremio Capituli; imo in praesenti causa est delegatus et procurator Capituli. Quare concludunt parochi, si aliqua quasi-possessio in Capitulo admitti velit, nunquam fuit pacifica possessio, et illud possideo, quia possideo heic invocari nequit, quia possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.

Ex altera parte delegati et procuratores Capituli Cathedralis, in omnibus apprime parochis refragantur. Et in primis factum ipsum describere satagunt, ex quo parochialia iura laesa praetenduntur, et quod esset huiusmodi. Cum in associatione cadaverum Capitulum Cathedrale invitatur, quod ob auctam capitularem taxam nunc raro contingit (postremis annis pro singulis paroeciis tantum una vel altera vice), postquam Capitulum et clerus ad domum defuncti se contulerunt, parochus proprius defuncti antecedit, e limine domus aspergens cadaver aqua lustrali; postea archipresbyter denuo aspergit, intonans antiphonam *Exultabunt* cum psalmo *Miserere*. In parochiali autem Ecclesia archipresbyter missam canit cum duobus canonicis ad maiorem solemnitatem, quod intentioni familiae invitantis congruit, cum ob parvum numerum sacerdotum iuxta oratores, in parochiis vix administri inveniantur; ac dein archipresbyter solemnem absolutionem feretro impertitur. Tunc vero parochus solus remanet, cui obveniunt incerta pecuniae emolumenta et quod cereorum circa feretrum superest: parochus aqua benedicta corpus defuncti iterum aspergit, ipsumque ad portam coemeterii comitatus adhuc aspergit, et si sepulchrum non est benedictum, hoc benedicit caeterasque preces absolvit. Violata ergo parochorum iura in celebratione missae consisterent, quam delegati capituli demonstrare contendunt ad ipsum pertinere.

Claritatis gratia etiam capituli argumentationes in plura capita dispesci possunt, quorum unum demonstrat in favorem capituli consuetudinem ab immemorabili vigere; alterum originem praedictae consuetudinis inquirit; tertium expendit adversariorum confessionem, testes et documenta; et postremum comprobat consuetudinem immemorialem in praesenti materia a iure quidem admitti.

In primis consuetudinem ab immemorabili in casu adesse, capitulum potissimum probare intendit per seniores testes quos ab initio controversiae audiri curavit, et quorum quatuor etiam altera vice auditi fuerunt.

Exceptiones a parochis contra testes adductas Capitulum facili negotio refelli contendit.

Consuetudine ab immemorabili itaque asserta, quae meliorem titulum de mundo dicitur constituere, Capitulum ulterius originem praedictae consuetudinis nititur inquirere, eamque ex hoc repetit quod ipsius Ecclesia sit maior et matrix quoad alias ecclesias eiusdem urbis. Haec matricitas probatur, ut Capitulum ait, ex signis subiectionis quae documenta ostendunt alias Ecclesias erga Ecclesiam S. Bartholomaei, nunc Cathedralem, semper praebuisse. Ita instrumentum notorietatis die 2 Maii 1637 a publico notario et syndico subscriptum, testatur illam Ecclesiam esse maiorem, aliosque parochos baptismalem fontem non habere, et lampadem suis sumptibus alere teneri in cappella S. Grimoaldi Episcopi et Protectoris urbis Pontiscurvi, cuius corpus in praedicta Ecclesia asservatur.

Liber autem Capitularis testatur de eadem re, et insuper quod ex hac Ecclesia SS. Viaticum parochi extrahebant, fol. 14, 15.

Praesertim statuta Cathedralis Ecclesiae a. 1745 ab Ordinario Francisco Antonio Spadea approbata, testantur eiusdem Ecclesiae praeeminentiam sequentibus verbis: « E « intorno a quelle (Chiese) di Pontecorvo si costuma da noi « di passare colla Croce, stola ed ogni altra insegna di « giurisdizione per qualunque parrocchia, ed entrare in ogni « Chiesa e farvi funzione quando abbisogni » Imo cum contra hanc praeeminentiam parochi conquesti fuerint, Episcopus dioecesanus Alexander Filonardi sententia diei 22 Februarii 1641 omnes honores, praerogativas et praeeminentias confirmaverat; et altera sententia a. 1651 decreverat praedictae Ecclesiae ius esse faciendi processionem in festo Corporis Christi et pulsandi campanas in Sabbato sancto; cum tamem Ecclesia S. Bartholomaei tunc nondum esset Cathedralis Ecclesia. Quae iura et praecedentiae, ut Capitulum ratiocinatur, introduci non poterant nisi ex facto matricitatis, cum nec tempus quo sint orta assignari queat, nec secus parochi aequo animo tulissent. Hanc matricitatem delegati aiunt et H. S. C. indigitasse, cum Episcopo Dioecesano sub die 16 Ianuarii 1712 rescripserit: « Quoad alia dubia proposita circa praecedentiam abbatum et parochorum parochialium Pontiscurvi cum canonicis *Matricis* Ecclesiae... ». Quo facto matricitatis igitur posito nil mirum, deducit Capitulum, quod ipsi etiam in aliena paroecia ius funerandi competat.

Ita etiam origine immemorialis consuetudinis comprobata, Capitulum rationes parochorum repellere nititur tum eorum

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 153.

confessionem urgendo, cum testes ac documenta refutando.

Nam Capitulum advertit quod parochi in ipso libello litis introductivo denuntiantes tempus quo consuetudo orta fuerit, dubitativo adverbio *forse* usi sunt, admittentes inde remotiorem aetatem.

Cum enim parochi distinguant inter se suosque immediate decessores, qui aperte Capitulo refragati fuerint, ac inter decessorum antecessores, qui rem tolerassent, Capitulum seriem exhibet parochorum immediate decessorum et illorum qui ante hos fuerunt, qua ex serie diutius aevum intercessisse apparet ex quo consuetudo introducta fuisset.

In genere autem delegati capitulares protestantur se ob prudentiam nolle exceptiones adducere contra ipsas personas testium adversariorum; incusando tamen gravium criminum aliquos eorum, declarant res coram Episcopo se revelare posse.

Documenta autem a parochis allata, Capitulum ait nil probare vel pro Capitulo probare; quippe alia quaestionem inter Capitulum et parochos non attingunt, alia sunt querelarum acta quae a parochis in causa propria intentata, sed a superioribus admissa non fuerunt. Neque decretum quod a parochis adducitur an. 1785 Episcopi Sardi, ullum praeiudicium Capitulo affert, cum tantum pro prudentia disciplinari emissum fuerit, ut dicitur *in via amministrativa*, ac sine praeiudicio partium: « donec per nostram Curiam « partibus auditis fuerit provisum ».

Neque demum, delegati prosequuntur, praefata consuetudo sive naturaliter sive iudicialiter interrupta dici potest. Non est interrupta naturaliter, h. e. spatio decem annorum (quod requiritur ut consuetudo contra legem perimatur: cfr. Reiffenstuel *Ius can., tit. de cons., n. 194)*, quod constat, iuxta Capitulum, ex testibus et ex ipsa serie supra citata recursuum ex parochorum parte: qua in re procuratores aiunt: « Provino i parroci con chiarezza però e molta precisione « che per essi esista una tale interruzione ».

Neque est civiliter interrupta, i. e. ope legalium actuum qui ius interrumpendi praescriptionem habeant, quia procuratores urgent in casu supradictos actus, nullo secuto exitu, peremptos fuisse, ut scribunt.

Et relate ad parochorum exceptionem quod in causa Vicarius Capitularis erat de gremio Capituli, et nunc est etiam Capituli defensor, delegati nimiam praesentis Vicarii Generalis indulgentiam erga parochos notatam volunt.

Ita cum consuetudinis existentiam et simul originem vindicaverint, ac rationes parochorum refutaverint, delegati capitulares iuridicam vim saepedictae consuetudinis invocant, quam parochi iuri communi ac decretis SS. CC. appellando, omnino negare vellent. At Capitulum insistit heic agi de consuetudine ab immemorabili, quae dicitur a canonistis meliorem titulum de mundo constituere, et appellatur « privilegiata ». Ad quam abrogandam non sufficit communis clausula abrogativa, quae in generalibus decretis pro tuendis parochialibus iuribus invenitur, sed opus est speciali mentione: « non obstante quacumque consuetudine etiam ab « immemorabili ». Cfr. *Lega, Praelectiones in textum iuris can.*, vol. I, n. 302. Et si iura parochialia dicuntur nunquam praescribi posse, id de praescriptione ordinaria vel extraordinaria, non de ista quae est privilegiata, intelligi debet.

Sunt enim quaedam parochorum iura quae nullimode contrariam consuetudinem admittunt, ut habet H. S. C. in *Andrien. Iurium et privilegiorum*, 2 Iun. 1863, cuius causae laciniam relationis officialis nuper retuli. Tamen quoad aliqua parochialia iura et etiam quoad funera, procuratores capitulares addunt certum esse consuetudinem dari posse, ut *S. Rota*, in una *Romana*, *Oblationum*, 26 Ianuarii 1726 tenuit: « Etiam in actibus Ecclesiae praeiudicium divinique « cultus detrimentum inferentibus (consuetudinem) plenam « amplissimamque inducere cuiuscumque melioris tituli ac « proinde etiam beneplaciti apostolici praesumptionem ». Ac *Pitonius* (Discept. Eccl. T. I., Discept. 9, n. 23) de centenaria consuetudine docet: « Fungitur vice principis valentis « tollere et dare, praesumendo meliorem titulum de mundo « praesumit per consequens novum privilegium seu novam; « bullam.... omnemque alium titulum magis proficuum et « necessarium ». Et S. C. EE. et RR. in *Thelesina, Iurium parochialium*, 22 Augusti 1901, consuetudinem quoad funera contra parochos confirmavit: H. S. C. ut in *S. Severi, Iuris funerandi*, 27 Maii 1893 (1).

His itaque allatis modo sequens proponitur

DUBIUM

An inducta praxis funerandi sustineatur, vel potius servandum in omnibus sit ius commune in casu?

Responsum fuit: *Servandum esse ius commune.*

1246/5 II.

Feretrana — Translationis sedis paroecialis.

Denegatam, anno elapso, translationem sedis paroecialis, nunc, ob graves noviter adductas rationes, Emi Patres permiserunt.

Die 30 Iunii 1906.

Iterum ad vos redit, EE. PP., haec causa quae iam ventilata fuit in generalibus Comitiis 24 Augusti elapsi anni (2). Quaestio erat de transferenda, vel non, sede paroeciali (quae hucusque in Ecclesia S. Apollinaris in cacumine Montis S. Pauli prope oppidum Montegrimanum sita erat), in planitiem ubi praecipuus territorii curatialis pagus Mercatino Conca nuncupatus inveniri affirmabatur. Insuper quaerebatur etiam de onere manutentionis Cappellani novo parocho imponendo. Omnibus sueta sapientia Vestra, rite perpensis, ad proposita dubia: « *An et quomodo sit locus translationi sedis paroecialis Ecclesiae S. Apollinaris, vel potius conservanda sit Sedes paroecialis actualis in casu?* » Et quatenus negative ad 1^am^ partem et affirmative ad 2^am^: « *An et quomodo parochus S. Apollinaris cogendus sit ad statuendum suis expensis Vicarium Coadiutorem in pago Mercatino Conca in casu?* » Vos rescribi iussistis: « Ad 1um providebitur in secundo. Ad 2um affirmative iuxta cap. IV, sess. 21, Concil. Trid. de Refor. et Episcopi votum in litteris diei 24 Martii 1905 ».

At huic rescripto minime acquieverunt incolae pagi Mercatino, quibus instantibus pro secundo experimento, novae audientiae beneficium concessum est; hinc quaestio iterum ad trutinam revocatur.

Advocatus qui Mercatenses tuetur, in sua nova allegatione typis edita, demonstrare conatur adversarios sibi rescriptum favorabile obtinuisse, cum veritatem, cumulatis mendaciis, obscurassent; proinde, novis allatis testimoniis, quibus maximam inesse asserit auctoritatem, totus est in eo ut adversariorum artificia detegantur. De locorum conditione loqui incipiens, praetermisso testimonio quod ipse de visu ferre posset, cum superiore anno, post causam primam disceptatam, *Mercatino* se contulerit, plurium affert testimonia sacerdotum integritate insignium, qui Episcopum dioecesim invisentem Mercatinum nuperrime comitati sunt.

Quorum testimonio concinit illud sacerdotis Saponii qui,

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. I, p. 209.
(2) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIII, p. 378.

indicto specimine, parochus est renuntiatus: sed cum, prudenti consilio, antequam paroeciae mitteretur in possessionem, loca perlustrare constituisset, animadvertit, nisi sedes translata esset apud parochialem Ecclesiam, se vivere non posse: et quum Vobis sedem transferri non placuerit, concredito sibi muneri renunciavit.

Ex quibus concludit: idem esse parochialem sedem non transferri, ac eum Parochum habere, qui, dum parochiani parochialibus fraudantur ministeriis, *pastor sine grege* censendus est. Deinde alterum suscipit probandum, idest parochianis qui habitant in monte, nullum prorsus, translata paroecia, detrimentum importari.

Quod ut praestet, numerum recolit eorum qui in eodem montis cacumine habitant, et offert censum Episcopo exhibitum dioecesim invisenti, ab eoque confirmatum.

Ex mille circiter parochianorum, vix incolunt alta bis centum: Mercatini vel vivunt reliqui, vel in vicis, qui, inspecta distantia et itineris facilitate Mercatino viciniores sunt.

Quod confirmat, rogatum ab Episcopo, Cathedrale Capitulum: in quod, quum agatur de re, quae pertinet ad fidelium bonum et religionis incrementum, levitatis suspicio non cadit.

Unde sequitur quintam esse circiter parochianorum partem de qua quaeritur, an translata paroeciae sede iacturae aliquid sentiat: dum quatuor ex quinque partibus tantum sentiunt iacturae, ut Parochum non habeant nisi paroeciae sedes transferatur.

Iam vero, iuxta advocatum, his aequa lance libratis, facile colligitur quantus sit adversariis veritatis amor qui Ecclesiam Sancti Apollinaris, Paroeciae velut centrum ad quod percommode parochiani undique confluerent, praedicare non dubitarunt.

Quod autem paucissimis illis qui in altis habitant satis provisum sit etiam translata paroeciae sede, dilucide apparet ex facto quod eodem in vertice, ubi est Ecclesia Sancti Apollinaris, vetus oppidum Mons Grimanus inveniatur cum alia Ecclesia parochiali et Sede Municipii cui Mercatinenses subiecti sunt. Satis brevis est inter utramque paroeciam distantia, iter planum et curribus pervium, ita ut cum quis Sancti Apollinaris Ecclesiam attigerit, nisi ibi Parochum inveniat, iam ad aliam, sexta horae parte, Ecclesiam parochialem facillime se conferre possit. De his fidem iterum facit Cathedrale Capitulum...

Confirmant qui loca inspexerunt cum Episcopum dioecesim invisentem comitarentur.

Summa haec est: nisi paroeciae sedes transferatur, parochianorum plerique, quasi membra sine capite, privantur parochi adiutorio, gravissimum inde periculum illis impendit: nullum contra impendit periculum si paroeciae sedes transferatur.

Tertium postea aggrediens argumentum, nullum esse sacerdotem contendit advocatus, qui, nisi sedes transferatur, paroeciae regimen suscipiat. Hic revocat Saponii renunciationem iuri, quod ad paroeciam habebat.

Affert insuper testimonium Cancellarii Episcopalis qui testificatur nullum se obtulisse ad Paroeciam regendam, cum iterum specimen indictum fuit. Quod quidem et humanae naturae consentaneum esse adnotat. Non modo enim, qui tale munus assumeret, nisi sedes transferatur, parochianos haberet, sed cogeretur ibi sedem figere, ubi, ab annis quadraginta, utpote in regione inhabitabili Parochorum nullus unquam commoratus est. Rationem aliam, ex qua Paroeciae rector defuturus est depromit ex eo quod, dum Mercatini Ecclesia est ampla et sacra supellectili satis instructa, contra Ecclesia Sancti Apollinaris est squalida, sacra supellectili indigens et minus dimidio capax quam Ecclesia Mercatini, ita ut Parocho sollerti cultusque splendoris studioso perincommoda videatur: domus quoque parochialis est parva neque habitationi apta.

Neque minori pretio habendum censet argumentum quartum quod deducitur ex proborum hominum sententia, qui quot sunt in Paroecia, quot sunt viri praestantes in dioecesi, tot exposcunt, ut sedes transferatur. Inter hos eminent Cathedralis Ecclesiae Canonici, qui in conventu habito, uno ore iudicarunt, in fidelium emolumentum sedem esse transferendam. Neque aliter sensit Episcopus Feretranus, cuius magni facienda est sententia. Denique ipse Canonicus Martorellius qui in priore disputatione, strenue contra Mercatinenses decertavit, vix fuerat sententia pronunciata, veniam petiit Mercatinensibus quod illis se infensum praebuisset, et se non ex animi sententia sed partium studio, ne sedes transferretur obstitisse fassus est.

Postremo loco advocatus probandum aggreditur non modo fidelium utilitatem, sed ius exigere ut transferatur Paroeciae sedes. Praemisso quod ex tridentina lege, nec non ex responsis H. S. C. (confer causam *Narnien.* diei 24 Martii 1657) abunde constat Paroeciae sedem esse transferendam, cum periculum imminet ne Ecclesia labatur, cumque in casu ex allatis testimoniis satis confirmetur hoc periculum ex impendenti montis ruina, de translatione facienda nullum dubium amplius adesse contendit. Et sane Episcopi socii in dioecesi invisenda sacerdotes spectatissimae integritatis, Saponius de qua iam plura relata sunt testimonia, omnes concorditer affirmant: « che un'antica frana sempre in azione, a poca « distanza dalla Chiesa parrocchiale di S. Apollinare in « Montegrimano, minaccia di trasportarla nei sotterranei « burroni ».

Antequam suae orationi finem imponat Mercatiniensium patronus, vim adversariorum argumenti, ex maiorum liberalitate in aedificanda Ecclesia Sancti Apollinaris infirmare conatur, adnotans prius quod si fidelium utilitas exposcit, ut vivat Parochus Mercatini, frustra investigatur, an maiorum liberalitas ius pariat adversariis: frustra quaeritur cuius aere aedificata fuerit Ecclesia Sancti Apollinaris, si constet impendentem montem illi ruinam minari. At quidquid sit de illius valore, veritate argumentum carere adnotat, nam praeter ea quae allegata fuere superiore anno, nuperrime subiicitur chirographum quo, qui rem procurabat, pecuniam ab uno ex Mercatinensibus pro Ecclesia aedificanda Sancti Apollinaris accepisse testatur.

Unde neque ex hac parte sustineri potest ius adversariorum in Ecclesia cum paroecialis sedis translatio quominus fiat, nihil est quod prohibeat.

E contra qui partes oppidanorum loci S. Apollinaris defendit, in sua nova allegatione scripto tantummodo exarata, mordicus contendit iniquam fore omnem sedis paroecialis translationem. In duas partes dispescit orationem, quarum in prima potissimas rationes reassumit quae translationem in themate vetant, in altera ad trutinam revocat cuncta documenta noviter ab adversariis in medium prolata. Revocatis quae iure canonico continentur circa sedis paroecialis translationem, ex praxi quoque H. S. C. variis resolutionibus confirmata (*Firmana*, 26 Iunii 1779; *Amerina*, 5 Maii 1706. etc.) ostendit semper in his causis rationem habitam fuisse *possessionis* et *dominii*, licet numerus fidelium in alio vico eiusdem Paroeciae maior esset. Qua de re semper ratio saltem gravissima expostulatur ut haec translatio fiat, eamque in casu omnino deesse probari satagit triplici praesertim ex capite *a)* ex parte personarum, *b)* ex parte loci, *c)* ex parte dotis et reddituum.

Ad primam itaque progrediens, observat erronee hucusque

ab adversariis enunciatum esse oppidanos S. Apollinaris vix numerum 200 attingere, dum ex schemate quod hic integre reportatur elucet illos esse 422.

Hoc schema, iuxta censum anno 1901 peractum, apprime confirmatur ab officio Statisticae ac Status Civilis ex numero Consiliarium Municipalium huius vici, qui cum sint *duo* arguunt parochianos minores esse non posse quam *400*.

Adsunt in calce duo novi libelli Summo Pontifici oblati plus quam 60 familiarum capitum quorum subscriptiones cum authenticae sint, certam fidem de numero faciunt. Qui numerus sane neque levis, neque indifferens talis est ut exigat sedem parochialem permanentem, praesertim si attendatur illum maiorem esse nunc, quam tempore quo primitus ibidem sedes parochialis constituta fuerit. Neque aliter esse posse, arguit advocatus ex eo quod in montana regione adsunt aquae minerales et saluberrimum aër. Hinc concludit, si Paroecia ibidem necessaria erat anteactis temporibus, nempe saec. XIV, multo magis necessariam esse hodie.

Hinc affert resolutionem S. C. C. diei 27 Sept. 1877, quae concessit ut pagus Pessolo cum 223 et pagus Massera cum 140 incolis ab Ecclesia parochiali loci Scarmagno separarentur et in novam Paroeciam 363 animabus constantem erigerentur. Imo opinio communior exposcit ad habendam Paroeciam decem familias seu domus iuxta can. 3, Caus. X, q. II.

Vim addunt argumento numerus et qualitates personarum: nam familiae quae in regione superiori numerantur, nobiles ac perantiquae sunt et descendentes ab illis oppidanis, qui dotem et pecuniam persolverunt pro erectione atque paroeciae restauratione. Dum oppidani Mercatinenses saec. XIV nullimode existebant, et ipso anno 1840 vix septem familiae numerabantur.

Ex rogito notarii Ioannis Cordellini diei 27 Iulii 1782 apparet quod revera oppidani superiores pecuniam dederunt pro aedificatione ecclesiae, anno 1780 collapsae et ulterius. Hoc apparet quoque ex voto Card. Altieri, anni 1781. Quod autem tantummodo et unice iidem oppidani sint descendentes eorum qui dotem, ceteraque alia tribuerunt, probat advocatus etiam per exclusionem. Mercatinenses enim sunt aliunde immigrati, saltem maxima ex parte in hanc paroeciam. Testes omni exceptione maiores hoc affirmant. Et ad hoc demonstrandum schema praebet unde clarissime evincitur quod de facto familiae regionis inferioris sunt ex aliis locis immigratae et minime descendunt ex oppidanis montis.

Quin imo ipsi componentes Commissionem, quae nunc in planitie strenue militat pro translatione, sunt et ipsi omnes, ex alia remota regione. Mercatinenses igitur vere et proprie parochiani in casu dici nequeunt, cum ab aliis vicis et civitatibus, industriae et commercii causa, prope flumen Conca sint immigrati, neque domicilium fixum habeant, nam si negotiatio deest alio transvolant. Ergo iuxta ea quae ipse adversariorum patronus memorat in sua prima oratione in qua affirmat Parochum cum parochianis vivere usque debere, ibique residere, ubi populus eius adsit, rite concludi potest, Parochum S. Apollinaris in regione alta manere debere cum ibi populus eius adsit et municipium fatetur « mai « alcuna famiglia dall'alto è discesa ad abitare a Mercatino « Conca ».

Ex parte loci sive *physice*, sive moraliter loca considerentur, translationem prohiberi ita probat advocatus. *Physice* consideratus locus est valde alpestris, tempore praesertim hiemali ob itinerum difficultatem minime possibilis evadit accessus ad Paroeciam Montis Grimani, itemque torrens Tassona aquis tumescens impedit ex alia parte accessum ad Paroeciam Montis Liciani, uti luculenter apparet ex charta topographica confirmata a « Giunta Provinciale di statistica ». Dempto itaque Parocho, oppidani S. Apollinaris nullimode, tempore hiemali, divina officia adire possent, praesertim oppidani qui habitant vicos Seriola, Colacecca, Melito, Tassona, Monte Arena.

Moraliter autem consideratus locus Paroeciam item expostulare videtur. Tempore enim aestivo plures illuc se conferunt advenae ob aquas minerales, aërisque salubritatem. Hoc elapso anno 1905, iuxta eiusdem Municipii attestationem, advenae fuerunt 900 (in actis). Haec contra necessitas minime adest pro Mercatinensibus, nam tum tempore hiemali, tum aestivo habitantes, quamvis saepe diversi quia nomades, sunt semper numero iidem.

Faciliora sunt itinera, ita ut facillime accedere possint ad proximam Paroeciam Sancti Donati Montiscerignani, quae vix 500 m. et quidem via valde plana distat. Ulterius non sunt ibi tot officia, quot ab adversariis recensentur, sed unice officium epistolarum et statio parva militum vulgo « Carabinieri » uti testificantur Vicarius Foraneus et ipse Archidiaconus Martorelli. Ergo neque ex parte loci, concludit advocatus, fieri debet translatio.

Tandem ad tertium progreditur caput, ostendens in regione montana S. Apollinaris omnia parata esse propter convenientem Parochi residentiam in convenienti sede Paroeciali; in planitie, e contra, seu Mercatino Conca, plura deesse. Revera, in regione montana sunt bona rustica et immobilia pro Parochi sustentatione, adest sufficiens Ecclesia Parochialis, et sufficiens Parochi domus, idest habetur congrua dos, ceteraque alia necessaria pro sede Parochiali. Adversariis impugnantibus sufficientiam Ecclesiae Parochialis respondent Vic. Foraneus, ac duo artis murariae periti qui iuramento affirmant.

Cum agatur de parochianis qui sunt circiter mille, una cum incolis *Mercatino Conca*, Ecclesia sufficiens est. Itemque sufficiens dicenda est domus Parochi, quae ita describitur... In domo Parochiali, per aliquot dies, sacrae visitationis causa degerunt saepe Episcopi Feretrani cum Canonicis convisitatoribus et famulis, idest Episcopi Alberoni, Mariotti et Bonaiuti qui cum comitatu ibi mansit, dum plueret per quatuor dies anno 1900 (in actis).

E contra, in pago Mercatino, neque Ecclesia est sufficiens, neque domus Parochialis adest, neque congrua dos. Quod desit dos inter omnes constat, quod desit domus Parochialis, probatur ex eo quod hodiernus Cappellanus Sac. Ioannes Pradera debeat hospitari pretio soluto in domo cuiusdam Aloysii Fulvi. Pro sufficienti Ecclesia, adest publicum oratorium, uti fatentur Archidiaconus Martorelli aliique Parochi cum Vicario Foraneo.

Usque ad annum 1883 unicum altare aderat, et Episcopus Mariotti funera in ipso vetuit. Modo duo inveniuntur altaria, sed haec naturam parvi oratorii non mutant. Accedit quod molendini fossa illud circumfluit humiditatem gignens, et publicum horologium in eo invenitur uti pluries iam citatus Vic. Foraneus refert.

Ex hoc igitur capite advocatus concludendum putat translationem neque licitam neque validam fore. Hanc conclusionem pluribus aliis argumentis firmare nititur, quorum primum desumit ex conventione habita inter oppidanos montanae regionis et Mercatinenses anno 1781 cum Ecclesia parochialis esset diruta. In reaedificanda Ecclesia exorta est quaestio circa situm. Nonnulli oppidani qui in regione inferiori existebant, in planitie prope flumen Conca illam expostulabant, telluris instabilitatem opponentes, quam oppositionem ut frangerent periti accersiti sunt ut soli stabilitatem recognoscerent et insuper conventio inita est quae prostat in « Rogito del notaro Cardellini ». Haec conventio iuxta advocatum vere et proprie contractus bilateralis fuit,

quem non licet hodiernis Mercatinensibus perfringere. Nam aut isti sunt aliunde immigrati, et tunc nullum ius habent supra Paroeciam, aut saltem in parte sunt haeredes stipulantium conventionem, et tunc vi contractus non possunt sedem transferre.

Aliud argumentum depromit ex inconvenientibus quae haberentur facta translatione. Primum inconveniens exurgeret ex fonte baptismali quem, translata sede, Mercatinenses expostularent: uti iam nunc dictitatur. In hac hypothesi oppidani montis, qui nunc ad baptizandos suos pueros se conferunt ad Montem Grimanum deberent petere Mercatino Conca, vias difficiles et asperas potissimum tempore hiemali percurrentes spatium 4 circiter kilom. quod maximum esset incommodum, vergens in animarum perniciem. Dum rebus sic stantibus, oppidani inferiores e Mercatino Conca ad Montem Grimanum ascendunt per viam satis facilem.

Idemque fere inconveniens exurgeret ex funeribus: cum Ecclesia parochialis esse desineret Ecclesia S. Apollinaris, cadavera per quatuor kilom. deferri deberent in planitiem, et iterum, peractis exequiis, sursum deferri, ut in coemeterio Montis Grimani conderentur iuxta legis civilis praecepta. Aliud neque minus indifferens inconveniens respicit cappellanum: hic in planitie honestam posset agere vitam, cum ibi praeter 300 libellas ab H. S C. statutas, alias 200 lib. a Confraternitate Oratorii percipere posset, aliisque, nec parvis, adventitiis et incertis emolumentis frui. In regione montana e contra, ubi nulla adest confraternitas, nullaque habentur adventitia, unice contentus esse deberet 300 libellis, quae certe minime sufficiunt ad honestam cuiusvis sustentationem, proindeque ille perdurare nequiret, et oppidani absque ullo sacerdote manerent.

Ulterius si translatio fieret magnus pertimescendus esset in populo tumultus. Praeterquam enim iam nunc, ob odium erga Curiam Dioecesanam oppidani montis ecclesiam functionesque religiosas dereliquisse videntur, animi in eadem regione, post tot Mercatinensium instantias (sexta enim vice ius dominii et possessionis tollere conantur), ita sunt ira incensi ut Municipium locale affirmet. « Le conseguenze del trasferimento riuscirebbero funeste ». Quo ipsi denique oppidani aperte declarant.

Hisce omnibus, aliud addit argumentum extrinsecum deductum ex plurimorum auctoritate, nec non ex agendi ratione in hac causa Episcoporum, qui eam pertractarunt ab anno 1780 usque 1871.

Enucleatis quae translationem in themate prohibent, in altera parte suae orationis gradum facit ad argumenta adversariorum confutanda.

Tandem ad votum Capituli devenit ex quo potissima desumitur adversariorum difficultas. Archidiaconus Martorelli qui conventui adfuit, in separato folio illud confutat, sed advocatus, praemisso quod deliberatio capitularis habita non fuit in apposita et consueta sede sed quasi *furtim* et *raptim* in alia Ecclesia quam in Cathedrali, usque illico a secretario conscripta, sed postea a Vicario Generali et Cancellario Episcopali confecta et statim, quin canonicis manifestata fuerit, ad Mercatinensium patronum missa, adnotat quod canonici qui subscribuntur sunt vix *sex* supra *duodecim* quamvis praesentes *septem* fuissent.

Ex istis qui subscribuntur adest Ambrosius Riccardi qui anno 1891 votum iam dedit favorabile quod mutare non poterat: alter est Cancellarius qui cum Vicario Generali unicam facit personam et ulterius nullam videtur mereri fidem, uti quinque parochi illius dioeceseos affirmant, et ceterum, tum isti tum alii canonici qui subscripserunt nullimode cognoscunt paroeciam S. Apollinaris eiusque loca quae 40 kilom. a Capituli residentia distant. Sane, Vic. Gen. puer tantummodo ea loca vidit, Cancellarius illuc se contulit tantum praeterito mense Novembri, dum votum Capitulare prodiit mense Octobri. Item Canonicus Saporito siculus est, a duobus tantum annis Pennabilli moratur et dioecesim Feretranam praesertim extrema eius loca cognoscere nequit; idem dicatur de caeteris canonicis.

Haec quoad formam, quod si ad substantiam voti advertatur, maiora erumpunt. Deliberatio refert tantummodo rationes favorabiles omittens rationes contrarias, quae tamen allatae et acriter defensae fuerunt speciatim a Rev.mo Martorelli. Quinimmo etiam formula et locutio fuit immutata et quidem notabiliter, nam ubi legitur: « La cura delle « anime *esige* la residenza del parroco maggiormente a « Mercatino Conca che a S. Apollinare », prius legebatur: « *È meglio* per la cura delle anime che la parrocchia sia « a Mercatino Conca ». Quae verborum immutatio quanti momenti sit, nemo est quamvis italici sermonis imperitus, qui non videat. Ratio quoque in hoc voto adducta inanis est, cum eadem sit quae in voto Episcopi continebatur, quaeque ab EE. VV. cognita iam erat, antequam sententia elapsi mensis Augusti ederetur. Cum proinde novas rationes minime contineat, hoc votum, iuxta advocatum videretur, irreverens erga H. S. C. quasi haec erraverit quando non obstantibus his rationibus contrariam protulit sententiam.

Tandem cum adversarii de mendaciis passim arguant patronum, qui oppidanos montis tuetur, hic accusationem hanc repellit: se enim tantum affirmasse contendit, *unicum* adesse in oratorio publico altare, dum *duo* inveniantur, at notandum secundum altare recentissimum esse; insuper oratorium sistere supra molendini fossam, quod praecise praeteritis annis verum erat; cum autem fossa eadem illud circumfluit quod peius est, magna exinde oritur in Oratorio humiditas.

Post haec, nonnulla addenda putat advocatus circa onus libellarum 300 quod gravissimum videtur, cum parochus tantum habeat redditus lib. 1035,00. seu quantum vix sufficit pro eiusdem honesta sustentatione: neque aliquid sperare licet a Gubernio, nam *Il fondo per il culto* nil impendere tenetur iuxta leges pro capellano in casu, quia Capellania est recentioris originis, nempe post an. 1866 (Colandruccio, *Congrue parrocchiali pag. 8*). Exinde renuntiatio, ut supra, Sac. Saponi et carentia concurrentium.

Concludit tandem advocatus quod nullo pacto decerni potest in casu translatio, et quod res in integrum, etiam quoad lib. 300 capellano solvendas restitui debet. Si in pago inferiori alia est necessaria paroecia, locus esse poterit dismembrationi.

Hisce hic inde pro meo munere relatis, erit EE. VV. benigne, resumpto praeterito folio, sequens diluere

DUBIUM

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

Responsum fuit: *Recedendum a decisis; et residentiam Parochi transferendam esse in loco Mercatino Conca, salva potestate Episcopi providendi curae animarum in planitie superiori existentium, sive per Vicarium cum plenitudine paroecialis iurisdictionis, sive per unionem ad proximas paroecias, sive alio canonico modo sibi magis beneviso.*

E SACRA CONGREGATIONE
EPISCOPORUM ET REGULARIUM

15291/15 PONENTE EMO AC RMO

Cardinali AEMYDIO TALIANI

Die 14 Iulii 1905.

Viterbien. -- Incardinationis.

Sustinetur in casu implicita seu aequipollens incardinatio sacerdotis in aliena dioecesi, quum satis constet de voluntate Episcopi *a quo* dimittendi clericum, nec non et Episcopi *ad quem* illum acceptandi, dum illi perpetuum beneficium contulit. Notandum quod post decretum S. Congr. Concilii *A primis Ecclesiae saeculis* diei 20 Iulii 1898 (1), excardinatio sub poena nullitatis facienda est in scriptis, absolute et in perpetuum.

Ex actis constat Salvatorem Mascagna, e dioecesi Civitatis Castellanae oriundum, in Seminario Viterbiensi receptum fuisse, ibique, prout asseritur, cum dimissoriis proprii Episcopi in sacris ordinatum esse, et dein a. 1872, de eiusdem Episcopi consensu, canonicatum in Collegiata Viterbiensi S. Angeli, anno autem 1887 paroeciam SS. Martini et Iacobi obtinuisse. Porro, quum iustis de causis huic paroeciae nuntium mittere coactus fuisset, contentus menstrua pensione libell. 35, Curia Viterbiensis, illum, tamquam suae dioecesi haud formaliter incorporatum retinens, ad dioecesim originis seu Civitatis Castellanae remisit. Sed quum accidisset Episcopum originis eum recipere noluisse, eo quod dioecesi Viterbiensi putaret illum incardinatum fuisse, quaestio ad hanc S. C. proposita fuit, ut decerneret, cuinam videlicet dioecesi sacerdos Mascagna revera pertineret.

Notandum quod praesens controversia diiudicanda non est ad tramitem decreti S. C. Concilii die 20 Iulii 1898, quod incardinationem in scriptis sub poena nullitatis faciendam esse praescribit; nam, hoc in casu, certo certius cum nullum extet excardinationis aut incardinationis documentum, sacerdos Mascagna ad dioecesim Civitatis Castellanae pertineret. Verum agitur in casu de re decretum ipsum antecedente, ex quo fit ut resolutio edenda sit ad normam iuris antiqui, vi cuius clericus subditus fiebat cuiusdam Episcopi nedum ratione originis, vel domicilii, vel beneficii, vel familiaritatis, sed etiam incardinationis aequipollentis, dummodo tamen constaret de voluntate utriusque Episcopi dimittentis nempe et recipientis clericum perpetuo.

Tunc enim quoties clericus in aliena dioecesi domicilium suo arbitrio acquirebat, utriusque Episcopi subditus fiebat, originis nempe et domicilii, quemadmodum docet De Luca *(Theatrum iust. et verit., Misc. eccl., disc. 44, n. 2)*: « Considerando generaliter et in abstracto, quoniam recte dari potest subiectio ac respective competentia plurium Episcoporum, tam ad effectum collationis Ordinum, quam etiam cognitionis causarum aliosque effectus, quia nempe potest quis esse subditus unius Episcopi ratione originis, alterius ratione domicilii, alterius imo et plurium diversorum ratione beneficiorum ac respective bonorum, quae in singulorum dioecesibus possideat, eodem modo quo sub tit. *de praeemin.* habetur de civitate, quod scilicet potest quis esse civis plurium locorum pro diversitate respectuum ». Hoc idem dicendum est de clerico, beneficium residentiale in aliena dioecesi, absque proprii Episcopi beneplacito acquirente; quia licet fieret alterius Episcopi subditus ratione beneficii, non ideo tamen a prioris Episcopi iurisdictione eximebatur. Uno verbo, vigore veteris iuris excardinatio clerici ex una dioecesi et respectiva incardinatio in aliam, iuridicum effectum non sortiebatur, nisi simul concurrerent tum voluntas unius Episcopi perpetuo clericum dimittendi, tum voluntas alterius Episcopi illum item perpetuo acceptandi. Huius tamen duplicis generis voluntas per se non requirebatur expressa, sed etiam tacita, sufficiebat dummodo evidenter demonstrari posset.

Age vero, in casu dum Episcopus Civitatis Castellanae permisit sacerdoti Mascagna beneficium residentiale Viterbii assequi, necnon Episcopus Viterbiensis eidem praefatum beneficium contulit, satis clare apparere videtur voluntas utriusque Episcopi eum et dimittendi et recipiendi, in perpetuum, adeo ut aequipollens excardinatio et incardinatio praesumatur. Quum enim non repugnet ut aliquis clericus subditus sit plurium Episcoporum etiam ratione diversorum beneficiorum in diversis dioecesibus, ratione originis, domicilii, etc., tam ad effectum collationis Ordinum quam etiam ad omnes iurisdictionis effectus, cur repugnaret ut dum Episcopus clerico sibi subdito largitur facultatem acceptandi beneficium residentiale in aliena dioecesi, illum tamen a sua iurisdictione non eximeret.

Hoc tamen non valeret, si Episcopus originis litteras dimissoriales e sua dioecesi proprio clerico concessisset, et alter Episcopus beneficium perpetuum eidem contulisset; tunc enim sufficienter manifestaretur intentio Ordinarii *a quo* clericum in perpetuum dimittendi, necnon intentio Ordinarii *ad quem* illum perpetuo suae dioecesi adscribendi. Hoc eruitur ex una ***Rottemburgen. - Adscriptionis ad clerum;*** agitata enim quaestione num dioecesi Rottemburgensi pertineret quidam sacerdos, qui a proprio Episcopo Detroitensi dimissorias acceperat, et ab Episcopo Rottemburgensi curam animarum provisorio modo obtinuerat, S. C. Concilii die 26 Martii 1886 rescripsit *Negative*,. Et causa fuit quod non constabat de voluntate Episcopi *ad quem*, presbyterum illum in perpetuum adscribendi suae dioecesi.

Notandum vero quod in dubio utrum incardinatio facta fuerit necne, pro negativa sententia standum esse videtur, quia excardinatio a dioecesi aequiparatur in iure alienationi, quae, cum sit res odiosa, nequit praesumi, et secumfert, saltem quoad personam, limitationem episcopalis iurisdictionis, quae pariter odiosa est atque strictae interpretationi subiicitur.

In casu nostro, exquisitum insuper fuit votum duorum Consultorum, qui in contrariam prorsus abierunt sententiam. Alter enim ratus est sacerdotem Mascagna adhuc pertinere ad dioecesim Civitatis Castellanae, quia litteris dimissorialibus huius dioecesis Episcopi, in Seminario Viterbiensi ordinatus fuit, ibique eiusdem Episcopi consensu beneficium obtinuit. Unde, cum nullum unquam excardinationis verbum occurrerit, per renuntiationem beneficii in dioecesi Viterbiensi peractam, presbyter Mascagna redit sub iurisdictione illius Episcopi, a quo dimissorias habuit, cuique in ordinatione obedientiam promisit, id est Episcopi originis.

Alter e contra Consultor asserit sacerdotem in casu ad dioecesim Viterbiensem adscriptum fuisse. Ipse enim ab Episcopo Viterbiensi ordinatus fuit per dimissorias proprii

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. VI, p. 351.

Episcopi, de cuius assensu canonicatum et deinde paroeciam obtinuit. Iamvero, quamvis si facta inspiciantur ne verbum quidem excardinationis inveniatur, in ipsis tamen realis significatio illius verbi continetur; scilicet perfecta clerici Mascagna dimissio ex parte Curiae Civitatis Castellanae ad Dioecesim Viterbiensem absque ulla temporis et circumstantiarum restrictione habetur, quod revera aequivalentem excardinationem subaudit. Iam vero quum excardinationi incardinatio respondere debeat, haec recte inducitur per acta Curiae Viterbiensis, in sua dioecesi clericum Mascagna accipientis, sacris ordinibus initiantis, et perpetuo ac inamovibili beneficio donantis; quae omnia veram incardinationem inducere videntur.

Quibus sedulo perpensis, ad propositum

DUBIUM

An sacerdos Mascagna pertineat ad dioecesim Viterbiensem, vel ad dioecesim Civitatis Castellanae in casu,

Emi Patres rescripserunt:

Pertinere ad dioecesim Viterbiensem.

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

Ecclesia B. M. V. Gratiarum in Monte Sancto prope Goritiam, ad dignitatem Basilicae Minoris evehitur.

Exstat prope Goritiam in vertice montis, quem Sanctum appellant, Coenobio continens Ordinis Minorum celeberrima Aedes sacra et vetustissima, sub titulo Beatae Mariae Virginis Gratiarum, iussu ipsius Deiparae, uti fertur, a fundamentis erecta piis Cleri et populi Goritiensis impensis, atque anno 1544 Deo in honorem eiusdem Matris Gratiarum solemni ritu consecrata. Illuc non modo e comitatu Goritiensi, verum e finitimis quoque Provinciis, piae peregrinationis causa Christifideles, fere numero quinquaginta millia, quotannis accedere solent, Dei Genitricis sacram Iconem in Ara templi illius maiori collocatam, vetustate ac prodigiorum fama insignem veneraturi, praesertim Dominica tertia post Pentecosten, qua die anno 1717 ex Capituli Vaticani decreto sacra eadem effigies aureo diademate coronata fuit. Quapropter idem Templum non modo Romani Pontifices privilegiis atque indulgentiis locupletarunt, sed ipsi etiam Austriacae Domus Imperatores praeclaris admodum indultis condecorarunt.

Quae omnia animo reputans P. Fr. Placidus Fabiani Minister Provinciae Sanctae Crucis Carniolae Ordinis Minorum, Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X supplicia vota, Reverendissimorum Praesulum Ecclesiarum Goritien., Veglen. et Labacen. amplissime commendata porrexit, exposcens ut memoratam ecclesiam Beatae Mariae Virginis Gratiarum in Monte Sancto ad Basilicae Minoris dignitatem evehere dignaretur; utpote quae vetustissimis ac celeberrimis Ecclesiis Austriacae Ditionis ac praesertim Archidioeceseos Goritiensis merito accensenda sit, atque huiusmodi Basilicae nomine ab antiquis historiographis appelletur.

Sanctitas porro Sua, his precibus ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto relatis peramanter deferens, Ecclesiam Beatae Mariae Virginis Gratiarum in Monte Sancto, sitam prope Urbem Goritiam Basilicae Minoris titulo ac dignitate cohonestare dignata est: cunctis eidem honorificentiis ac privilegiis attributis, quae Minoribus Almae Urbis Basilicis de iure competunt. Voluit tamen Sanctitas Sua ut super eiusmodi concessione Litterae Apostolicae expediantur in forma Brevis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 28 Aprilis 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM PROVINCIAE TIROLIS SEPTEMTRIONALIS

Declaratur Congregationes Tertii Ordinis S. F. quae recitant Officium parvum B. V. M. comprehendi in Indulto de Missa vot. Imm. Conceptionis in Sabbatho.

Rev. Fr. Franciscus Tischler, Lector Ordinis Minorum Capuccinorum in Provincia Tirolis Septemtrionalis, Sacrorum Rituum Congregationi exposuit, quod Rescripto Apostolico diei 14 Martii vertentis (1) anni eadem Sacra Congregatio privilegium, quo gaudet Ordo Fratrum Minorum Capuccinorum celebrandi Missam votivam de Immaculata Conceptione B. M. V., extendi concessit etiam ad Ecclesias et Oratoria Religiosarum Congregationum, quae in horis canonicis persolvendis Kalendario Ordinis Minorum Capuccinorum legitime utuntur. Quaeritur an terminis *in horis canonicis persolvendis* comprehendantur omnes etiam Religiosae Congregationes quae quidem legitime Kalendario Minorum Capuccinorum utuntur quoad Missam etc., loco autem horarum Canonicarum Officium parvum B. M. V. tantum recitant?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito R.mo P. Procuratore Generali Ordinis Minorum Capuccinorum, exquisitaque sententia Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: « Affirmative, iuxta Decretum *Ordinis Fratrum Minorum* 15 Aprilis 1904 ad I. » (2).

Atque ita rescripsit, die 25 Maii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIV, p. 165.
(2) *Item*, vol. XII, p. 249.

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

Indulg. 300 d. extenditur ad omnes Christifideles recitantes iaculatoriam precem ad SS. Cor Iesu.

Très Saint Père,

L'Archevêque de Sida, Coadjuteur de Paris, Administrateur Apostolique du Diocèse de Bayeux, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, a l'honneur de lui exposer que dans son audience privée du 22 novembre dernier, Votre Sainteté avait daigné, à sa demande, accorder aux Religieuses du Monastère de la Visitation de Caen une indulgence de trois cents jours pour la récitation de cette invocation: « *Cœur Sacré de Jésus, que votre règne arrive !* ».

Désireux de promouvoir de plus en plus l'avènement de ce règne béni, l'Archevêque soussigné ose solliciter humblement de Votre Sainteté que la dite indulgence soit étendue à tous les fidèles qui réciteront cette invocation.

De Votre Sainteté, le fils très respectueux et très obéissant

Paris, le 4 mai 1906.

LÉON ADOLPHE, *Arch. de Sida, Coadj. de Paris.*

Ex audientia SS.mi die 29 Iunii 1906, SS.mus D.nus N. Pius divina Providentia Papa X, precibus annuens R.mi Archiepi Oratoris, petitam indulgentiae extensionem ad omnes Christifideles suprarelatam precationem pie recitantes, benigne concedere dignatus est.

Datum Romae e Secretaria Status, die, mense et anno praedictis.

IACOBUS DELLA CHIESA, *Substitutus.*

L. ✠ S.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic Sacrae Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C., die 6 Iulii 1906.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laod., *Secret.*

II.

Indulg. 300 d. conceditur pro iaculatoria erga Virginem Perdolentem.

Beatissimo Padre,

Il P. Giuseppe Angelucci de' Servi di Maria, parroco di S. Marcello in Roma, prostrato ai piedi della S. V., umilmente supplica perchè si degni concedere qualche indulgenza a tutti coloro che recitano la giaculatoria: *Maria Addolorata, Madre di tutti i Cristiani, pregate per noi;* soprattutto, affinchè si ottenga la conversione delle Chiese cristiane dissidenti. Che ecc.

Ex Audientia Sanctissimi, die 4 Iunii 1906.

SS.mus, auditis expositis, omnibus Christifidelibus qui corde saltem contrito, praefatam precem devote recitaverint, quoties id egerint, indulgentiam tercentorum dierum, etiam animabus in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria die 27 Iunii 1906.

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

III.

Indulg. 300 d. conceditur pro oratione ad S. Ioachim.

Beatissime Pater,

Joseph Masquilier, Sacerdos Congregationis SS.mi Redemptoris, Director Annalium Sancti Ioachim, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, humillime petit Indulgentiam pro sequente liturgica oratione:

« O Ioachim Sancte, coniux Annae, pater Almae Virginis, hic famulis confer salutis opem ».

Recitantibus hanc precem semel in die Indulgentiam tercentorum dierum in Domino concedimus.

PIUS PP. X.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar a SS. D. N. die 28 Maii 1906, manu propria, signatum, exhibitum fuit huic S. C. Indulg. Sacrisque Reliquiis praepositae.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C., die 16 Iunii 1906.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secr.*

IV.

Indulg. 300 d. conceditur pro oratione ad Iesum in SSmo Sacramento.

PREGHIERA A GESÙ IN SACRAMENTO.

« Le nostre colpe, o Signore, ci offuscano l'intelletto e ci fanno trascurare il bene di amarvi come meritate. Rischiarate la nostra mente con un raggio della vostra vivida luce. Voi siete l'amico, il Redentore, il Padre di chi pentito torna al vostro cuore; e noi pentiti ritorniamo a Voi. Salvateci, o Gesù, speriamo in Voi, perchè sappiamo che la nostra salvezza vi costò la morte sulla Croce e vi indusse a dimorare di continuo nel SS.mo Sacramento, per unirvi con noi tutte le volte che vogliamo. Noi, o Signore, per ringraziarvi di tanto amore che ci portate, vi promettiamo, con la vostra grazia, di ricevervi sacramentato quanto più spesso è possibile, di recitare le vostre lodi in chiesa e da per tutto, senza rispetto umano. Signore, vi supplichiamo, confidando nel vostro Sacratissimo Cuore, che conserviate nel vostro amore chi vi ama, e che chiamiate tutti a riceververi quotidianamente sull'altare secondo il vostro acceso desiderio ».

Die 26 Iunii 1906.

Ex Audientia SS.mi.

SS.mus omnibus Christifidelibus praefatam precem, corde saltem contrito, devote recitantibus, quoties id egerint, tercentum dierum indulgentiam, animabus in Purgatorio detentis etiam profuturam, benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus et absque Brevis expeditione. In quorum fidem, etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulg. Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae e Secria eiusdem S. C. die 6 Iulii 1906.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

E COMMISSIONE PONTIF. DE RE BIBLICA

De Mosaica authentia Pentateuchi.

Propositis sequentibus dubiis, Consilium Pontificium pro studiis de re biblica provehendis respondendum censuit prout sequitur:

I. Utrum argumenta a criticis congesta ad impugnandam authentiam Mosaicam sacrorum Librorum, qui Pentateuchi nomine designantur, tanti sint ponderis, ut posthabitis quampluribus testimoniis utriusque Testamenti collective sumptis, perpetua consensione populi Iudaici, Ecclesiae quoque constanti traditione nec non indiciis internis quae ex ipso textu eruuntur, ius tribuant affirmandi hos libros non Moysen habere auctorem, sed ex fontibus maxima ex parte aetate Mosaica posterioribus fuisse confectos?

Resp. Negative.

II. Utrum Mosaica authentia Pentateuchi talem necessario postulet redactionem totius operis, ut prorsus tenendum sit Moysen omnia et singula manu sua scripsisse vel amanuensibus dictasse; an etiam eorum hypothesis permitti possit qui existimant eum opus ipsum a se sub divinae inspirationis afflatu conceptum alteri vel pluribus scribendum commisisse, ita tamen ut sensa sua fideliter redderent, nihil contra suam voluntatem scriberent, nihil omitterent; ac tandem opus hac ratione confectum, ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore probatum, ipsiusmet nomine vulgaretur?

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

III. Utrum absque praeiudicio Mosaicae authentiae Pentateuchi concedi possit Moysen ad suum conficiendum opus fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus, secundum peculiarem scopum sibi propositum et sub divinae inspirationis afflatu, nonnulla hauserit eaque ad verbum vel quoad sententiam, contracta vel amplificata, ipsi operi inseruerit?

Resp. Affirmative.

IV. Utrum, salva substantialiter Mosaica authentia et integritate Pentateuchi, admitti possit tam longo saeculorum decursu nonnullas ei modificationes obvenisse, uti: additamenta post Moysi mortem vel ab auctore inspirato apposita, vel glossas et explicationes textui interiectas; vocabula quaedam et formas e sermone antiquato in sermonem recentiorem translatas; mendosas demum lectiones vitio amanuensium adscribendas, de quibus fas sit ad normas artis criticae disquirere et iudicare?

Resp. Affirmative, salvo Ecclesiae iudicio.

FULCRANUS VIGOUROUX, P. S. S.
P. LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
Consultores ab Actis.

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

XLIII. Die Sabbati prima Iulii 1679.

TORNACEN. — Servitii. — R. *Ad primum negative, et ita in reliquis.*

FLORENTINA. — Matrimonii. — R. *Ferrantes teneri redire ad primum et referatur Sanctissimo.*

DUBIUM. — Absolutionis. — R. *Exprimantur casus particulares.*

DUBIUM. — Concursus. — R. *Ad primum, affirmative et eligendus a vicario capitulari. Ad secundum, negative.*

TRICARICEN. — Caducitatis seu Devolutionis. — R. *Negative.*

DE LOCIS NULLIUS DIOECESIS etc. — R. *Examinetur dubium in Congregatione particulari deputandae per SS.mum.*

BITUNTINA. — Distributionum. — R. *Negative in omnibus.*

BITUNTINA. — Anniversariorum. — R. *Negative ad utrumque.*

AVERSANA. — Processionum. — R. *Dilata ad primam.*

151. Tornacen. — Servitii.

Anno 1248 Innocentius IV dedit in mandatis Walterio Episcopo Tornacen., ut circa statuta, et consuetudines Capituli Tornacensis disponeret prout personarum saluti, et utilitati eiusdem Ecclesiae vidisset expedire. Walterius autem constituit unumquemque inservire debere per 37 septimanas, sive continuas, sive interpolatas quolibet anno, si voluisset haberi pro residente, severe monens eos, qui sine gravi, et non fucata ratione abfuerint, a culpa immunes

non fore coram Deo, et exprimens speciatim dies omnes, quibus canonici in civitate morabuntur inter legitimae residentiae dies esse computandos, et statuti huius observantia a canonicis iuratur.

Publicata porro Tridentina synodo, eaque in Belgio religiosissime recepta, Capitulum censuit imposterum tres dumtaxat absentiae menses cum lucro esse concedendos, hocque deliberatum est, et statutum anno 1567 et 1591. Usu autem et consuetudine factum est, ne omnino libertate statuti Walteriani privarentur, ut praeter tres menses a Concilio, sine dispendio permissos, possent absque foraneitatis (ut loquuntur) discrimine etiam per duos alios menses abesse istorum duorum mensium fructibus carentes.

Usu etiam receptum est, ut aliquando longior absentiae licentia concedatur ex urgenti, et necessaria causa, modo qui eam obtinet prius iuraverit talem esse causam, ob quam istam licentiam sibi petit indulgeri, atque ita in Capitulo communi sententia statutum fuit anno 1658.

Cum autem nuper non levis controversia in Capitulo exorta sit et quidam Canonici censuerint se posse ex Walteri statuto adhuc antiqua quinque mensium plena libertate gaudere, causari hoc statutum auctoritate apostolica fuisse sancitum, nec ei a Concilio derogatum, alii vero e contra a Concilio derogatum statutis, et dum S. Sedes Concilium confirmavit ius Pontificium nullum detrimentum capit; ideo Episcopus ut quaestiones definire possit, cum agatur de interpretatione mentis Concilii humanissimis litteris Sacram Congregationem rogat pro responsione ad dubia quae sequuntur:

1. An Canonici Tornacenses possint, vel non possint abesse ultra tres menses a Concilio Tridentino permissos?

2. An ex indulgentia hactenus firmata usu et consuetudine, possint ultra dictos tres menses abesse per duos alios menses, amittendo fructus pro rata absentiae?

3. Si vero licentiam petant, hoc ipso nihil debeant amittere?

4. An possit a Capitulo ex legitima causa puta ad invisendos parentes aegrotos, et in vitae periculo versantes, ad patrimonialium bonorum divisionem, et partitionem, aut conservationem, et propter alias causas arbitrio Capituli relinquendas, longior absentia permitti, an certe debeant istae causae esse in iure expressae?

5. An si quis canonicus in civitate moretur, nec chorum frequentet, censeri possit residere, ut ex cortice occidentis litterae videtur innuere Walteri statutum, an debeat citra legitimam excusationem in iure expressam, quotidie uni saltem ex maioribus horis canonicis, ut moris est, et a synodo provinciali Cameracen. anni 1586 videtur declaratum, adesse adeo ut singuli ab Ecclesia absentiae dies ita tempori quo iure abesse possunt canonici, adscribantur ut si sive continuos, sive per interpolatos dies ultra legitimum istud absentiae abessent tempus ab Ecclesia licet in civitate morarentur, foranei censendi essent ut fructus suos deberent amittere?

R. *Ad primum negative, et ita in reliquis.*

152. Florentina. — Matrimonii.

Vicarius Generalis E.mi Cardinalis Archiepiscopi super infrascripta facti specie, Sacrae Congregationis oraculum exquirit.

Pluribus abhinc annis Stella Enriquez mulier haebrea et uxor Isach Pinto, divina afflante gratia, catholicam fidem amplexa est, et Mariae Rosae nomen accepit, viro in iudaica perfidia relicto, quo iuridice permonito an vellet, et ipse christianus fieri, et uxorem conversam sequi, terminoque assignato ad deliberandum elapso, declaratum fuit a iudice ecclesiastico p.ti matrimonii vinculum esse omnino dissolutum, ita ut liceret praedictae mulieri conversae ad secunda vota transire. Ipsa nihilominus sperans fore aliquando ut et ipse vir converteretur, semper permansit innupta. E contra vir infidelis in matrimonium duxit Exer ex sorore septem, una cum qua novissime baptismi gratiam suscepit Ferrantis Mariae nomen assecutus. Quia vero Maria Rosa uxor prima instabat suum sibi virum restitui, a secunda uxore statim post baptismum separatus est, quae in conservatorio honestarum mulierum degit, donec vel viro restituatur, vel alteri nubat. In re autem tanti ponderis ut rectius, ac tutius procedatur, humillime insuper istius Sacri Senatus oraculum expetitur pro decisione:

An dictus Ferrantes Maria debeat ad primam uxorem redire? An vero cum secunda perseverare?

R. *Ferrantem teneri redire ad primam, et referatur Sanctissimo.*

153. Dubium. — Concursus.

In Sacro Concilio Tridentino circa concursus ad parochiales Ecclesias vacantes ita disponitur: transacto constituto tempore omnes qui descripti fuerint examinentur ab Episcopo, sive ab eius Vicario atque ab aliis examinatoribus. Peracto deinde examine renuncientur quotcumque ab his idonei iudicati fuerint. Ex hisque Episcopus eum eligat quem caeteris magis idoneum iudicaverit. Atque illi, et non alteri collatio Ecclesiae ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre.

Si peracto concursu, factaque per examinatores renunciatione idoneorum, Episcopus coram quo concursus fuit celebratus, antequam idoneiorem eligat praemoriatur, quaeritur:

1. An Ecclesia conferenda sit uni ex iam approbatis, et a quo sit eligendus idoneior?

2. An vero sit locus novo concursui?

R. *Ad primum, affirmative et eligendus a Vicario Capitulari. Ad secundum, negative.*

154. De locis nullius Dioecesis etc.

Cum SS.mus Pontifex tamquam Pastor supremus universalis Ecclesiae curam gerat, optima ratione constitutum fuit, ut singuli Antistites in pastoralis sollicitudinis partem advocati constitutis quibusdam temporibus S. R. E. omnium ecclesiarum magistrae, ac matri obedientiam exhiberent, sacra limina visitando et vinearum eorum curae creditarum rationem redderent, ut iuxta exigentiam, quod magis in Domino expediret decerneretur. Sanctum hoc institutum iam ab antiquis Ecclesiae temporibus introductum et a sa. me. Sixto V instauratum adhuc usque tempore felicissime constituitur. Verum de locis *nullius dioecesis*, cum de illis Sixtina constitutio non loquatur, nulla S. Sedi redditur ratio, et ista nihilominus amplos districtus comprehendunt, ac tamquam S. Sedi immediate subiecta, eo fortius ad hanc rationem praebendam obliganda. Talia considerans SS.mus D. N. Sacrae Congregationis desuper votum exquirit. Et quoniam ex istis locis nonnulla quidem vere habent territorium separatum, nonnulla illud praetendunt, et fortasse super eo cum Episcopis pendent lites, alia sunt mere

exempta, erit Summae Eminentiar. Vestrarum prudentiae perspicere quid respective cuiusque facto opus sit.

R. *Examinetur dubium in Congregatione particulari deputanda per SS.mum.*

155. Bituntina. — Distributionum.

Vicarius Generalis Episcopi Bituntini est etiam primicerius et Canonicus, praebenda tenuis est; et quatuor ducatos auri de camera non excedit; distributiones vero ad scut. 20 monetae regni vix ascendunt. Vicario pro tempore impedito ratione sui officii adhuc ab antiquo distributiones dari consueverunt, quamvis non inserviret, ac moderno Vicario Canonici aliique presbyteri participantes illas condonant, quatuor, vel quinque tamen reclamant, atque decerni petunt quid iuris, praesertim cum condonationes sint anticipatae; e contra Vicarius, pt. refert Episcopus, inquit ab ipso nequaquam praetendi distributiones de iure, nisi dumtaxat duas ex tribus partibus, quae stante praebendae tenuitate sapiunt fructuum naturam. Reliquam vero tertiam posse legitime condonari, quia distribuuntur in fine anni, et propter benemerita erga Capitulum et Ecclesiam, proinde supplicatur declarari:

1. An Canonico Vicario Episcopi si ratione officii impeditur non inserviat, debeantur duae ex tribus partibus distributionum? et quatenus negative,

2. An ex causis praedictis sit concedendum indultum gaudendi duabus ex tribus partibus distributionum?

3. An singuli interesse habentes possint condonare reliquam tertiam partem, postquam ipsis applicata fuit?

R. *Negative in omnibus.*

156. Bituntina. — Anniversariorum.

Tres Capitulares Bituntini ob laudabile servitium annor. 40 et ultra, obtinuerunt a Sacra Congregatione indultum iubilationis sub hac forma: quamvis imposterum non inserviat, fructus tamen omnes sui Canonicatus una cum distributionibus quotidianis percipere valeat, perinde ac si choro personaliter interesset.

Vigore talis indulti Episcopus concessit etiam anniversaria, quae in Cap. unico de Clericis non residentibus in 6 videntur aequiparari distributionibus, ideo citato iubilatorum procuratore quaeritur:

1. An dictis iubilatis quamvis non intersint, vigore dicti indulti, emolumenta anniversariorum debeantur? et quatenus negative,

2. An indultum praedictum veniat ampliandum etiam ad emolumenta Anniversariorum?

R. *Negative ad utrumque.*

XLIV. Die Sabbati 9 Augusti 1679.

Avenionen. — Iurisdictionis. — R. *Ad primum, negative, ad secundum dilata ad kalendas.*

Florentina. — Donationis iurispatronatus. — R. *Affirmative secundum causas quae proponuntur.*

Romana. — Subsidiorum dotalium. — R. *Ad primum, et quoad primam partem, negative, et quoad secundam, partem affirmative. Ad secundum, affirmative.*

Frisingen. — Residentiae. — R.

Spoletina. — Iurisdictionis. — R. *Uniantur decreta congregationum, et auditis partibus iterum referatur.*

Pictavien. — Professionis. — R. *Remissa asserta uxore et reassumpto habitu, redeat ad religionem et deinde iustificet exposita.*

Barchinonen. — Aromatariae. — R. *Extensionem petitam denegandam. Sed danda decreta S. Congregationis in hac materia.*

Colonien. — Distributionum. — R. *Dilata et detur integra copia indultorum.*

Mantuana. — Iurisdictionis. — R. *Dilata ad primam.*

Firmana. — Decimarum. — R. *Ad primum et secundum, dentur litterae remissoriales. Ad tertium, quoad quartam funeralia deberi.*

Montis Politiani. — Decimarum. — R. *Adeant in petitione iudices suos, et interim Bellarminus manuteneatur in quasi possessione non plus solvendi quam duo staria.*

Lucana. — Officiaturae. — R. *Esse intelligendam de manuali, et amovibili.*

157. Barchinonen. — Aromatariae.

Alias a Sacra Congregatione Visitationis Apostolicae sub die 29 Augusti 1637 dicitur emanasse contra regulares aliosque Ecclesiasticos questuosas artes in Urbe, eiusque districtu exercentes pro saecularibus, decretum, cuius copia datur per informantem. Decretum hoc tamquam rationi congruum communitas et artistae Barchinonen. ad eamdem civitatem per libellum a SS.mo remissum extendi supplicant. Proinde quaeritur:

An petita extensio sit concedenda?

R. *Extensionem petitam denegandam. Sed danda decreta S. Congregationis in hac materia.*

158. Lucana. — Officiaturae.

Presbyter Vincentius Pucci in codicillis ita disposuit:

Item comanda che dalli signori esecutori si vendino tutti i mobili etc. ad effetto si metta tutto in denari contanti per impiegarsi in compra di beni stabili, o censi ad effetto che con gli utili, che annualmente si caveranno si fondi una offitiatura perpetua all'altare del SS.mo Crocefisso de' Bianchi, acciò vi si dica ogni giorno una messa per l'anima di esso codicillatore se sarà possibile, e caso che le forze della sua eredità non comportassero, ne faccino celebrare quattro o cinque la settimana, e più o meno secondo quello che gli infrascritti suoi esecutori conosceranno poter fare con gli effetti della sua eredità, concedendo libera facoltà e potestà a detti suoi esecutori di nominare il prete che dovrà principiare a celebrare le sudette messe a detto altare, e dopoi fatta da essi la prima nominazione del suddetto prete, le altre nomine che occorressero fare in avvenire si debban fare ne perpetui successivi tempi dal priore che sarà per i tempi dalla compagnia del SS.mo Crocifisso de Bianchi, pregando però detti esecutori a procurare che le messe suddette siano principiate a celebrarsi ogni giorno dal giorno della sua morte per continuare sin tanto che non sarà stata eretta la sudetta Offitiatura, quale offitiatura detto Sig. codicillatore intende, e vuole che sia perpertua, e che duri quanto durarà il mondo.

In vim dispositionis huiusmodi executores praetendebant erigi debere beneficium ecclesiasticum quod conferretur in titulum; at contra, confratres repugnantes protestati fuere ad erectionem huiusmodi non procedi, nisi ipsis citatis; nihilominus sequenti die Vicarius Generalis ad erectionem parte inaudita processit. Appellarunt confratres, sed postmodum

per concordiam reservato apostolico beneplacito erectioni consenserunt, verum beneplacito denegato, lis iterum coram Eminentissimo Episcopo reassumpta est, ab ipso tamen partes pro declaratione ad hanc Sacram Congregationem fuerunt remissae; quare Confraternitas, exhibito praeinserto codicilli tenore, item attestatione plurium sacerdotum, quod iuxta communem usum loquendi Officiaturae vocabulum importat cappellaniam amovibilem, non autem perpetuam collativam, et alia attestatione quod testator vivens declaraverat velle instituere officiaturam manualem et amovibilem, nec non citata parte, supplicat declarari:

An officiatura de qua agitur, intelligenda sit cappellania manualis, et amovibilis, an vero beneficium ecclesiasticum collativum?

R. *Esse intelligendam de manuali, et amovibili.*

XLV. **Die Sabbati 9 Septembris 1679.**

Mantuana. — Iurisdictionis. — R. *Dilata ad primam omnino.*

Colonien. — Distributionum. — R. *Ad primum, Affirmative, sed consulat conscientiae suae. Ad secundum, Negative, Ad tertium, Negative. Ad quartum, Affirmative.*

Dubium. — Ordinationis. — R. *Negative.*

Burgi S. Sepulcri. — Iurisdictionis. — R. *Ad primum et secundum, quoad seculares, et tertium, Negative. Ad quartum, compellat Episcopus iuris remedia.*

Florentina. — Ordinationis. — R. *Ad primum, Negative. Ad secundum et tertium, dilata.*

Dubium. — Concursus. — R. *Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative.*

Pisauren. — Decimarum. — R. *Teneri pro medietate.*

Dubium. — Legitimationis. — R. *Dispensationem fuisse validam et ideo prolem esse legitimam.*

Tranen. — Iuris visitandi. — R. *Dilata et fiat processus per Episcopum servat. serv.*

Tarentina. — Professionis. — R. *Negative.*

159. **Colonien. — Distributionum.**

In Sacra Congregatione habita 12 Augusti dilata fuit resolutio ad dubia infrascripta, ut exhiberetur copia integra indultorum, quo facto, iterum proponitur quod inter caeteros inservientes E.mo electori Archiepiscopo Colonien. est Maximilianus Burman, qui est decanus in una Collegiata, et Canonicus in alia; proinde quaeritur:

1° An dictus Burman pro praesente habendus sit quando non est actualiter occupatus in servitiis dicti Eminentissimi.

2° An quando uti decanus interest horis Canonicis in Ecclesia decanatus habendus sit pro praesente in Ecclesia, in qua possidet canonicatum.

3° An indultum ei suffraget quoad memorias, anniversaria, speciales fundationes, et festa fundata (quae composita vocantur) in quibus fundatores personalem praesentiam stricte praeceperunt.

4° An indultum suffraget dum possidet praebendam presbyteralem, ob quam vigore statutorum Ecclesiae ad personalem residentiam praecise obligatur.

R. *Ad primum, Affirmative, sed consulat conscientiae suae. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Negative. Ad quartum, Affirmative.*

160. **Dubium. — Ordinationis.**

Emanarunt nuper sequentes litterae: R.me D.ne etc. Etsi Concilium Tridentinum decreto cap. 2, sess. 21, de reform. diserte caveat ne quis Clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, et aetate ad SS. Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat pacifice possidere; Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari non possint nisi illi, quos Episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate suarum ecclesiarum; temporis tamen cursu animadversum est nonnullos Episcopos ab hac ordinandi norma absque ullo discrimine, deflexisse, passim quoscumque ad patrimonii titulum ad sacrum ministerium admittendo. Quantum ex hoc iacturae in ecclesiastica disciplina acceptum fuerit manifestum est: Quare SS.mus D. N. pro suo insigni zelo malis huiusmodi provide obviaturum, praedictae dispositionis exactissima observantia in Urbe in primis instauravit. Deindeque per hasce circulares litteras Episcopis omnibus sanctissimum Tridentini Decretum in memoriam reduci mandavit, quatenus omnes illud sancte custodiant, sciantque non aliter quem ordinandum ad titulum patrimonii vel pensionum, nisi cum Ecclesiae necessitas vel commoditas ita exigat, qua in re prudens Episcopi timoratumque iudicium versari debebit; Amplitudo igitur tua Sanctitatis suae exemplo et mandato se conformet, eique omnia prospera precamur a Domino. Romae 13 Maii 1679.

Cum autem a SS.mo concedi soleant brevia de promovendo extra tempora, in quibus ita legitur: Ut parentibus tuis solatio esse possis et fervore devotionis accensus ad sacros et extra tempora ac interstitiis non servatis ad titulum patrimonii tui, seu perpetui beneficii ecclesiastici, dummodo illud pacifice possideas etc. promoveri possis concedimus.

Dubitat Archiepiscopus Urbinas:

An vigore Brevium huiusmodi quis promoveri possit ad titulum patrimonii non obstante, quod non concurrat Ecclesiae necessitas vel commoditas, dum causa motiva concessionis videtur solatium parentum?

R. *Negative.*

161. **Burgi S. Sepulcri. — Iurisdictionis.**

Alias Leo X s. m. erexit Burgum S. Sepulchri in Episcopatum, illique, pro districtu assignavit inter caetera Castrum S. Mariae in Blanco nullius dioecesis cum omnibus iuribus et pertinentiis, etc. Sed exortis inter Episcopum, et Abbatem S. Mariae de Blanco Congregationis Camaldulen. aliquot controversiis, etc., fuerunt per concordiam compositae anno 1581 per Rotam decis. 15 Martii 1626 coram Buratto, ac demum anno 1635 per DD. Cardinales Pamphilium et Sacchettum prolato laudo terminatae.

Rursus in materia sacramenti Confessionis, haec Sacra Congregatio 10 Novembris 1646 declaravit: Presbyteros tam saeculares, quam regulares esse ab Episcopo Burgi S. Sepulchri per examen approbandos ad confessiones personarum saecularium audiendas.

Et iterum sub die 3 Augusti 1658 emanavit sequens decretum:

An stante laudo alias sub anno 1635 per E.mos Cardinales Pamphilium et Sacchettum prolato, et successive confirmato per litteras s. m. Urbani VIII in forma brevis expeditas, aliisque deductis, etc. ius approbandi confessarios

in Valle Balnei dioecesi Burgi S. Sepulchri competat dicto Episcopo privative, vel cumulative cum praed. Abbate?

S. Congregatio Concilii censuit in casu, de quo agitur, non competere Monachis approbationem confessariorum.

Attamen his non obstantibus P. Abbas Balnei, eiusve vicarius praetendit posse licentiam audiendi confessiones concedere suis Monachis, ac etiam aliis sacerdotibus, qui semel ab Episcopo Burgi approbationem reportarunt; immo nuper vicarius facultatem concessit regularibus neutiquam approbatis. Proinde saepius citato et expectato P. Procuratore generali Camaldulensium, supplicatur pro declaratione magis expressa, et facultate opportuna cogendi Abbatem ad observantiam. Quaerendum igitur videtur:

1° An Abbati Balnei competat ulla facultas absque Episcopo concedendi licentiam audiendi confessiones saecularium personarum sacerdotibus saecularibus, sive regularibus?

2° Monachis suae Congregationis et suae familiae?

3° Sacerdotibus ab Episcopo approbatis post expiratum tempus ab Episcopo praefinitum?

4° An et quae remedia adhibenda pro observatione?

R. *Ad primum et secundum, quoad seculares; et tertium, Negative; ad quartum, Compellat Episcopus iuris remedia.*

ANALECTA VARIA

I.

De Actione populari Catholica Italica: **1° Normae generales; 2° statuta pro unione populari inter catholicos italos; 3° statuta pro unione oeconomica sociali pro Catholicis Italis; 4° statuta pro unione electorali catholica italica** (1).

I.

Norme fondamentali.

1. In ciascuna Diocesi d'Italia è istituita sotto l'alta dipendenza del Vescovo una Direzione Diocesana (2), allo scopo di promuovere, reggere e coordinare l'azione cattolica locale, in conformità agli insegnamenti e alle istruzioni della Santa Sede.

2. La Direzione diocesana si compone dei delegati ufficiali delle maggiori associazioni cattoliche esistenti nella Diocesi, designate, per la prima volta, dall'Ordinario locale.

Questa potrà, in seguito, aggregarsi altri membri attivi, scelti fra le persone che si ritengono potere, per riconosciuta operosità ed attaccamento alla causa cattolica, utilmente appartenervi.

Se in qualche Diocesi non esistesse alcuna istituzione cattolica, la Direzione diocesana verrà costituita direttamente dal Vescovo con persone di sua fiducia.

3. La Direzione Diocesana avrà un assistente ecclesiastico nominato dal Vescovo, coi diritti e doveri a lui demandati dal Vescovo stesso.

4. Ogni Direzione diocesana avrà statuti e regolamenti proprii, che dovranno essere approvati dal rispettivo Ordinario. Questi statuti, oltre che rispondere ai bisogni della Diocesi, dovranno essere coordinati agli statuti per l'azione cattolica generale in Italia.

5. Le Direzioni diocesane procureranno di ottenere l'adesione di tutte le istituzioni cattoliche esistenti nell'àmbito delle singole Diocesi ed in unione alle rispettive presidenze, ne renderanno più comoda ed efficace l'azione.

6. Le Direzioni diocesane dovranno mantenersi in costante relazione con le superiori Unioni cattoliche italiane, per aiutarle efficacemente a conseguire i loro scopi comuni e generali.

7. La Direzione Diocesana, nell'esplicare la propria azione, dentro l'ambito della rispettiva Diocesi, conserva tutta la libertà che le è consentita dal proprio statuto.

8. Le Associazioni cattoliche aventi finalità uguali od affini, potranno, d'intesa con la propria Direzione diocesana e col consenso del rispettivo Ordinario, unirsi in Federazioni diocesane, regionali ed italiane.

II.

Statuto dell'Unione popolare fra i cattolici d'Italia.

Denominazione e scopo.

1. È costituita una Unione popolare fra i Cattolici d'Italia.

2. Essa ha per iscopo di promuovere la difesa e l'attuazione dell'*ordine sociale* e della *civiltà cristiana*, secondo gli insegnamenti della Chiesa, educando la coscienza sociale, civile, morale, religiosa del popolo italiano.

Costituzione e funzioni.

3. L'Unione popolare è costituita da Cattolici di ogni classe, i quali dichiarino di accettare il programma dell'Unione stessa e di cooperarvi colla penna, coll'opera e con un contributo minimo di una lira all'anno. L'ascrizione è puramente personale e comprende cittadini maggiorenni, uomini, donne, ecclesiastici, laici, senza distinzione.

4. Essa *a)* con *funzioni di studio* raccoglie e fornisce ai Soci criteri e materiali scientifici per la soluzione dei problemi sociali pratici, specialmente di attualità attenendosi sempre alle direzioni Pontificie ed in ispecie alle Encicliche sulla questione operaia e sull'azione sociale: — *b)* con *funzione di propaganda* ne cura la diffusione scritta ed orale: — *c)* con *funzione organizzatrice*, promuove la costituzione e lo sviluppo di sodalizi e istituti riguardanti la vita sociale morale della nazione, procedendo nei singoli luoghi in armonia colle Direzioni diocesane, che verranno a costituirsi, sotto l'alta dipendenza dei Vescovi, anche per coadiuvare l'Unione popolare nel conseguimento de' suoi scopi generali.

(1) In praecedenti fasc. p. 172 relata fuit approbatio pontificia praefatorum Statutorum. *N. D.*

(2) Il titolo di « Direzione Diocesana » è qui posto solo ad indicare la necessità della esistenza di un centro direttivo dell'azione cattolica in ciascuna Diocesi. Rimane quindi libero di indicare, a seconda dei luoghi, col nome reputato più opportuno, conservando magari l'antico di « Comitato Diocesano » l'organismo coordinatore delle Associazioni cattoliche locali, purchè si regga con le norme qui sopra riferite.

4. Quelle istituzioni od associazioni che avessero raggruppamenti o federazioni tecniche proprie, siano diocesane, regionali, circondariali, provinciali o simili, hanno diritto ad un proprio delegato.

Le istituzioni, che non abbiano cosiffatti raggruppamenti,

a) Essi sono rappresentati in seno all'*Unione* da appositi delegati nominati a mente dell'art. 4.

b) Gli attuali membri del II Gruppo Generale della disciolta Opera dei Congressi, vi faranno pure parte di diritto; il loro ufficio è a vita.

Organi e facoltà.

5. L'Unione è governata da un Consiglio direttivo costituito da delegati regionali. I soci residenti in ogni Diocesi, qualunque sia il numero, eleggono un delegato; se però superano i cinquanta ne eleggono uno per ogni 50 soci iscritti o frazione di 50.

I delegati diocesani di ogni regione, le cui Diocesi abbiano ciascuna almeno 50 soci, eleggono nel proprio seno due delegati regionali chiamati a far parte del Consiglio dell'Unione. Le regioni che non si trovino nelle condizioni di cui sopra, avranno un solo delegato regionale.

I modi di procedere alle elezioni saranno determinati dal Regolamento.

6. Il Consiglio direttivo *a)* costituisce nel proprio seno una presidenza di nove Membri. Presidente, tre Vice-presidenti, Segretario, Tesoriere e tre Consiglieri, i quali si dividono fra di loro la direzione amministrativa e scientifica; *b)* Per il migliore raggiungimento degli scopi sociali, il Consiglio può aggregarsi alcuni Soci, specialmente competenti in determinate materie; *c)* il Consiglio direttivo si riunisce ad ogni richiesta della Presidenza o per domanda di due terzi dei suoi membri; ed ogni anno in adunanza ordinaria per discutere e deliberare intorno all'operato della Presidenza, al bilancio finanziario ed all'indirizzo generale dell'Unione.

7. I soci potranno essere convocati in Assemblee locali e in quella generale, per sentirne il parere in argomenti riguardanti l'amministrazione e il programma sociale dell'Unione.

Doveri della Presidenza.

8. Spetta alla Presidenza, coadiuvata dal Consiglio, di convocare in Assemblea i soci; e di provvedere alle ascrizioni dei soci e alle relazioni con essi; — al prelevamento dei contributi finanziari; — e al conseguimento dei fini sociali dell'Unione, in tutti i modi suggeriti dalle esigenze od esperienze pratiche e compatibili col carattere della Società.

a) in particolare, nei riguardi dottrinali, la Presidenza curerà la istituzione di un *Ufficio centrale di studio, di informazione e di divulgazione* delle dottrine etico-sociali cristiane; e per mezzo di esso — promuoverà la preparazione e diffusione di scritti, opuscoli, foglietti volanti popolari; — la pubblicazione di articoli di occasione nei giornali cattolici; — le conferenze private e pubbliche; — le scuole o corsi pratici di propagandisti per la difesa dei principii sociali cristiani del popolo, e per la fondazione e amministrazione delle varie istituzioni popolari; — i corsi sistematici (Università popolari; o Settimane Sociali per la esposizione e discussione di problemi-sociali-civili contemporanei; — Comizi pubblici per affermazioni e voti di carattere urgente e generale;

b) In particolare, nei riguardi pratici solleciterà la formazione di Circoli di cultura; — di Società per le biblioteche popolari; — le Associazioni per la stampa periodica; — lo sviluppo delle organizzazioni giovanili sotto tutte le forme e gradi specialmente educative e sociali militanti: di quelle femminili in tutte le esplicazioni private e sociali, specialmente di patronato e carità — e di quelle professionali popolari per assicurare (d'accordo colla Unione economica e colla Unione elettorale e colle associazioni democra-

c) di aiutare gli enti medesimi, mediante uffici di consulenza legale e tecnica;

d) di promuovere studi, inchieste, pubblicazioni, giovevoli allo sviluppo delle istituzioni aderenti.

Costituzione.

3. L'*Unione* è costituita dalle Associazioni ed Istituti riconosciuti dai rispettivi Ordinari diocesani che aderiscono all'*Unione* accettandone lo Statuto.

III.

Statuto dell'Unione economica sociale pei Cattolici italiani.

Denominazione e' sede.

1. È istituita una *Unione* fra le istituzioni economico-sociali dei cattolici italiani, avente la propria sede dove è la dimora abituale del Presidente.

Scopo.

2. Essa ha per iscopo:

a) di promuovere la fondazione di Associazioni ed Istituti che si propongono di attuare, anche parzialmente, il programma economico-sociale in conformità agli insegnamenti della Santa Sede ed alle deliberazioni dei Congressi cattolici nazionali;

b) di coordinare l'azione delle Associazioni e degli Istituti affini;

Relazioni con altri sodalizi.

9. L'*Unione popolare* si terrà, per il bene comune, in relazioni amichevoli con tutte le istituzioni e le associazioni cattoliche che esistono o che vengano liberamente a costituirsi in Italia, di carattere locale e generale, in modo particolare colle Direzioni diocesane; e di tutte favorirà i rispettivi Congressi speciali.

10. L'Unione popolare procederà d'accordo colle associazioni cattoliche di carattere generale nella iniziativa e nella preparazione periodica di *Congressi nazionali* dei Cattolici italiani.

11. La sede dell'Unione verrà determinata dal Consiglio direttivo.

Disposizione transitoria.

12. Il presente Statuto resterà in vigore, in via provvisoria, per un biennio.

tiche cristiane), l'ordinamento autonomo, la educazione cristiana e la elevazione civile delle classi lavoratrici;

c) In modo speciale poi promuoverà la costituzione di apposito Ente, che diriga l'azione cattolica scolastica in Italia, ne propugni la libertà, nonchè tuteli i diritti e gli interessi degli insegnanti cattolici; affidando eventualmente questo cómpito ad alcuna organizzazione già esistente riconosciuta atta a disimpegnarlo.

possono, riunendosi per ogni Diocesi, nominare pure un delegato.

Agli effetti di cui sopra, i raggruppamenti devono avere l'adesione di non meno di 10 istituzioni, ed hanno diritto ad un delegato per ogni 25 istituzioni aderenti.

Alla nomina dei delegati, di cui sopra, non potranno concorrere, col loro voto, le Associazioni, o Federazioni o Gruppi aderenti che non siano in regola coi contributi finanziari stabiliti.

5. L'*Unione* è governata da un *Consiglio direttivo* di 9 membri, nominati dall'Assemblea dei delegati nelle proporzioni seguenti:

Quattro fra i membri del disciolto Secondo Gruppo dell'Opera dei Congressi, di cui all'art. 3, lett. *b*, finchè questi non siano ridotti a meno di dieci;

Cinque fra i delegati di cui all'art. 3, lettera *a*.

Gli uni e gli altri durano in carica tre anni e sono rieleggibili.

Quando i membri a vita del Secondo Gruppo siano ridotti a meno di *dieci*, la elezione dei nove Consiglieri è libera fra tutti i componenti l'*Unione*.

6. Il Consiglio direttivo elegge, nel proprio seno, un Presidente, un Vice-Presidente, un Segretario e un Cassiere, il cui ufficio dura un triennio.

Occorrendo, il Consiglio direttivo potrà assumere uno o più impiegati; in tal caso, il Consiglio stesso ne determinerà le attribuzioni e le responsabilità e ne fisserà l'onorario.

7. Il Consiglio direttivo, di regola, si aduna una volta al mese. Ai membri non residenti nella sede dell'*Unione*, saranno rimborsate le spese, per il loro intervento alle adunanze.

Assistente Ecclesiastico.

8. L'*Unione* ha un Assistente Ecclesiastico scelto dalla Santa Sede, con le istruzioni che le saranno da questa impartite.

Egli ha diritto di assistere a tutte le adunanze del Consiglio direttivo, a tutti i convegni e Congressi parziali e nazionali.

Mezzi.

9. L'*Unione economica-sociale* intende di raggiungere i suoi scopi, coi seguenti mezzi:

a) col promuovere e organizzare convegni diocesani, regionali, nazionali, di rappresentanti delle associazioni ed istituti cattolici aderenti;

b) con pubblicazioni d'indole economico-sociale, allo scopo di popolarizzarne i criterî direttivi e la pratica applicazione;

c) coll'organizzare concorsi e mostre parziali o generali, ove se ne presenti l'opportunità ed il vantaggio;

d) coll'istituire collegi di persone legali e tecniche, aventi l'incarico di risolvere i dubbi ed i quesiti che venissero proposti dalle Associazioni, dai Gruppi o dalle Federazioni aderenti;

e) coll'istituire un corpo d'ispettori amministrativi e contabili, i quali sieno a disposizione del Consiglio direttivo e dei singoli Gruppi o Federazioni quando ne avessero bisogno.

f) coll'assumere la difesa, nei modi consentiti dalle leggi, di interessi comuni morali ed economici, di carattere generale, dinanzi a qualsiasi Autorità o Dicastero, ogniqualvolta se ne presenti la necessità;

g) coll'avviare e mantenere relazioni amichevoli con Istituti ed Associazioni nazionali ed estere, di natura e scopi identici od affini.

Finanze.

10. Ogni gruppo o Federazione aderente deve versare annualmente all'*Unione economica-sociale*, un contributo finanziario da stabilirsi nel Regolamento.

Ove le entrate annuali, in tal modo costituite, non bastino a sopperire alle spese ordinarie, spetta all'Assemblea generale dei membri dell'*Unione*, su proposta del Consiglio direttivo, di provvedere a seconda dei casi.

Assemblee.

11. Una volta all'anno, ordinariamente, nel tempo e nel luogo designati dal Consiglio direttivo, si terrà un'adunanza plenaria di tutti i delegati delle istituzioni aderenti e membri del cessato II Gruppo Generale di cui all'art. 3.

L'invito, contenente l'ordine del giorno, dovrà essere spedito ai singoli membri un mese prima.

12. Il Consiglio direttivo, di sua iniziativa o in seguito a richiesta di Federazioni o Gruppi aderenti, potrà indire congressi o adunanze speciali. Il programma dovrà essere prima approvato dal Consiglio direttivo, il quale designerà il Presidente del Congresso.

13. L'*Unione* curerà di mantenere buone relazioni con tutte le altre associazioni cattoliche italiane, per aiutarsi scambievolmente in ogni occorrenza.

14. Il Consiglio direttivo è autorizzato a redigere e ad approvare apposito Regolamento, per rendere più facile e più efficace l'applicazione del presente Statuto.

IV.

Statuto per la Unione elettorale cattolica italiana.

Denominazione e scopo.

1. È costituita la *Unione elettorale cattolica italiana*.

2. Essa ha per iscopo:

a) di riunire le Associazioni elettorali cattoliche italiane esistenti nei collegi, mandamenti e comuni d'Italia per coordinare ed intensificare la loro azione;

b) di far sorgere Associazioni consimili dove non esistano, ovvero dove altre già costituite, sebbene diverse di natura e d'intenti, non ne assumano le funzioni;

c) di raccogliere e determinare gli elementi del programma di azione, che i rappresentanti cattolici debbono, concordemente, propugnare nelle pubbliche amministrazioni.

Sodalizi aderenti.

3. Per essere ammessi a far parte dell'*Unione elettorale cattolica italiana*, le singole Associazioni devono farne domanda alla presidenza dell'*Unione* dichiarando di accettarne le direzioni generali di programma e di prestarsi a favorirne l'opera nelle rispettive circoscrizioni. Le Associazioni aderenti rimarranno, del resto, libere nella scelta delle direzioni tattiche e dei mezzi corrispondenti, consigliati loro dagli interessi e dalle esigenze locali.

Mezzi.

4. Per raggiungere i propri scopi, la *Unione:*

a) promuove riunioni ordinarie e straordinarie dei

delegati delle associazioni aderenti e di cattolici investiti di un pubblico mandato elettivo per studiare i problemi politici ed amministrativi di maggiore interesse per lo Stato, per la provincia e per i comuni, nonchè quelli religiosi, morali e sociali, secondo le direzioni pontificie;

b) mantiene un Segretariato centrale permanente di consulenza generale ed in particolar modo legale;

c) raccoglie la statistica del movimento elettorale cattolico in tutta Italia;

d) pubblica un Bollettino di istruzioni e di informazioni che serva a coordinare e facilitare l'opera delle singole associazioni, di cui all'uopo esporrà i bisogni e le aspirazioni;

e) segue il lavoro legislativo, segnalando alle Associazioni aderenti ed alla stampa i progetti di legge e le leggi che possono interessare l'azione pubblica dei cattolici.

Organi.

5. La *Unione* è retta da un Consiglio direttivo composto di nove membri, che vengono eletti ogni due anni, in Assemblea generale, dai delegati delle Associazioni aderenti. È ammessa la rielezione.

6. Il Consiglio direttivo elegge nel proprio seno un Presidente, un Vice-presidente, un Segretario ed un Cassiere.

7. La sede della *Unione* sarà nel comune che verrà determinato dal Consiglio direttivo.

Cassa.

8. Ogni Associazione aderente alla *Unione* dovrà versare annualmente, alla medesima un contributo, che sarà fissato dal Consiglio direttivo in proporzione del numero dei soci e della importanza dell'Associazione. Detto contributo non potrà in ogni caso essere inferiore a lire dieci annue.

Disposizione transitoria.

9. Il presente Statuto rimarrà in vigore in via provvisoria per un biennio.

ROMANAE INSTITUTIONES

Casus Conscientiae propositi et soluti Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli, A. 1905-906.

DE CENSURIS IN SPECIE ET DE IRREGULARITATIBUS.

DE EXCOMMUNICATIONE

I.

De excommunicatis vitandis et toleratis.

Die 27 Novembris 1905, hora 15 (3 pom.)

Quum decretum de R. P. infallibilitate a Concilio Vaticano sancitum, nonnulli athenaei romani professores laici, documento publice edito et subscriptis nominibus, temerario ausu reiecissent, Rom. Pontifex fel. rec. Pius IX datis litteris ad E.mum Cardinalem Urbis Vicarium sub die 15 Maii 1871 declaravit, eosdem professores « catholicos esse desiisse, adeoque *vitandos* esse a catholicis ». Deinde subiunxit: « Interim vero, Venerabilis Frater noster, tu parochos omnes istius Metropolis orbis catholici moneto, eorum esse officii, nullam negligere occasionem suadendi iuvenibus suae curae creditis, non licere prorsus auditores se illis praebere, eorumque excipere institutionem, qui nefariis litteris subscripserunt, quorum nomina, cum publicae nunciaverint ephemerides, recensenda non duximus ».

Titius, qui tunc temporis in eodem urbano athenaeo medicinae studio vacabat, quique de catholicae religionis exercitio nullatenus sollicitus iam sacramentis valedixerat, licet omnia haec nosceret, nihilominus Caii professoris, anti-infallibilistae, scholas frequentare, imo et illius amicitia frui, simul cum eo cibum saepe sumere et communia solatia habere non destitit. Mox idem Titius ad meliorem frugem conversus, et ob morbum valde periculosum, quo vexabatur, sibi vitae finem imminere animadvertens, in confessione generali, praeter alia, totam sui cum Caio agendi rationem confessario aperit, qui omnibus auditis secum quaerit:

1° *Quinam iure novo sint excommunicati vitandi, et quinam tolerati?*

2° *In quibus vetitum sit fidelibus cum vitandis communicare?*

3° *Utrum professores, de quibus in casu, habendi sint ut excommunicati vitandi?*

4° *An Titius in sua agendi ratione cum Caio peccaverit, et in excommunicationem inciderit?*

Resp. ad 1um. Explicandum est praecipuum discrimen, quod nunc inter excommunicatos viget, quorum alii *vitandi*, alii *tolerati* nuncupantur. Vitandi sunt, quos fideles tenentur vitare; tolerati, quos fideles vitare non tenentur.

Iure antiquo quicumque maiorem excommunicationem sive a iure sive ab homine latam incurrissent, vitandi erant, eo solum cum discrimine, quod ii, quorum excommunicatio publica ac notoria erat, publice essent vitandi; ii vero, quorum excommunicatio publice non erat nota, tantum privatim vitandi ab iis essent, qui conscii erant.

Verum in Constitutione Synodi Constantiensis a Martino V approbata, quae incipit « *Ad vitanda* », sancitum est hac in re ius novum et inductum discrimen inter toleratos et vitandos. Scilicet ad praecavenda varia peccata ac scandala, quae conscientiis timoratis accidere posse animadversum est, Christifidelibus fuit indultum, ut nemo abstinere teneretur a communione alicuius quacumque censura sive a iure sive ab homine ligati, nisi sententia contra personam certam a iudice specialiter et expresse publicata fuerit, vel nisi eum per sacrilegam manuum iniectionem in clericum excommunicationem a canone latam adeo notorie constiterit incurrisse, ut factum non posset aliqua tergiversatione celari, aut aliquo iuris suffragio excusari.

Hodie igitur iuxta huius Constitutionis tenorem excommunicati vitandi sunt tantum.

1). Qui a iudice competente, scilicet sive a Romano Pontifice sive ab Episcopo, *publice, expresse* et *nominatim*, quando agitur de excommunicatione ferendae sententiae, excommunicantur; vel tamquam excommunicati denuntiati sunt, idest, ubi agitur de excommunicatione latae sententiae, qui eam contraxisse sententia pariter iudiciali et publica declarantur.

a) Publice; idest excommunicationis sententia sive condemnatoria sive declaratoria publica esse debet, fieri nempe debet solemni aliquo modo, prout fieri solet in edicti alicuius aut legis promulgatione. Ratio est quia ad vitandum excommunicatum obligari per denunciationem debet communitas. Denunciatio igitur fieri debet communitati, atque adeo requirit solemnem aliquem promulgationis modum,

nempe ut sententia legatur aut affigatur in loco publico, in templo v. g. tempore concionis etc.

b) Expresse; scilicet non satis est ad aliquem habendum ut excommunicatum vitandum, ut per sententiam declaretur tantum reus, nempe quod commiserit crimen, cui annexa est excommunicatio, sed omnino requiritur, ut insuper expresse denuncietur ab habente potestatem ceu excommunicatione innodatus.

c) Nominatim; non sunt ergo excommunicati vitandi quilibet excommunicati etiam notorii, sed qui designati sunt nomine expresso, vel alio titulo qui nomini aequivaleat: e. g. excommunicamus talis loci decanum, vel praetorem, etc. Hinc non tenemur vitare haereticos vel schismaticos, etiamsi publice notum sit, eos a iure esse excommunicatos. Nam nominatim non sunt excommunicati et denuntiati. Item non sunt vitandi, qui tantum cum aliis eiusdem criminis participibus generali quadam expressione declarati sunt excommunicati, ut si dicatur; excommunicamus e. g. Petrum incendiarium eiusque complices, Petrus tantum est vitandus non vero alii, licet publice noti sint; nam sententia quoad illos est tantum generalis, et non specialis contra certam personam.

2). Publici et notorii clericorum percussores, etsi non fuerint denuntiati tamquam excommunicatione canonis innodati. Sane Martinus V in cit. Constitutione eos tantum clericorum percussores vitandos esse declarat, quos « adeo notorie constiterit incidisse (in excommunicationem) quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, *nec aliquo iuris suffragio excusari* », Iam vero propter haec ultima verba *S. Alphonsus, lib. VII, n. 144* probabile putat, vitandum non esse clerici percussorem, nisi sit notorius notorietate facti simul et iuris: scilicet non satis est, quod pluribus sit notum percussionis crimen (notorietas facti), sed insuper requiritur, ut crimen sit notum per sententiam iudicis, vel per rei confessionem in iudicio (notorietas iuris). Si enim adest sola notorietas facti, poterit semper factum aliquo suffragio excusari, puta quod percussor ad sui defensionem percusserit, vel fuerit ebrius, vel ignoraverit censuram, etc. Quocirca idem S. Doctor concludit cum Diana, raro nunc contingere, percussorem clerici ita notorium esse facto ipso, ut non possit aliquo iuris remedio, aut probabilitate aliqua excusari.

Demum advertendum est, facultatem communicandi cum excommunicatis toleratis (idem dic de ligatis alia censura) datam esse caeteris fidelibus « ad vitanda scandala et multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis »; nullatenus autem esse favorem ipsis excommunicatis praestitum quo eorum poenae mitigentur. Ut enim addit Martinus V *cit. Constit:* « Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos seu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, neque eis quomodolibet suffragari ». Ex consuetudine tamen quaedam mitigatio ipsis excommunicatis toleratis concessa est, ut ex solutione sequentium casuum patebit.

Ad 2um. Triplex fidelium communicatio cum vitandis debet distingui: scilicet in *divinis*, in *forensibus* et in *civilibus*.

Quod attinet ad communicationem *in divinis*, haec ab Ecclesia prohibita est sub gravi, et huiusmodi prohibitio respicit, tum vitandos ne cum fidelibus communicent, tum fideles ne communicent cum vitandis.

Excipe *a)* nisi parvitas materiae a mortali excuset, ut si Missa exigua parte v. gr. usque ad evangelium tantum cum vitando audiatur;

b) si agatur de communicatione omnino privata e. gr. de recitando domi rosario cum vitando;

c) si gravis necessitas, quae a quavis culpa excusat, adsit; e. g. periculum gravis infamiae, scandali, aut cuiuslibet alterius damni. Hinc extra necessitatis casum nec fideles possunt sacramenta a vitandis petere, nec vitandi eadem fidelibus administrare.

Caeterum de interdicta communicatione in divinis cum excommunicatis, sive vitandis, sive toleratis fusius dicetur in solutione sequentium casuum.

Insuper iure canonico interdicitur inter excommunicatos et fideles communicatio *forensis;* scilicet communicatio in quolibet actu ad iudicium pertinente in foro, tum ecclesiastico, tum civili: *Cap. Decernimus 8 de sent. excom. in 6°.*

Verum haec privatio communicationis forensis in foro civili iam nullum habet locum. In foro autem ecclesiastico eadem viget pro vitandis; hinc in huiusmodi foro vitandus nequit esse iudex, advocatus, procurator, actor, tabellio, testis, tutor, curator, executor testamenti etc.; in quibus officiis gerendis semper illicite agit. Potest tamen excipere, appellare, et seipsum defendere. Sententia autem iudicis vitandi non solum est illicita, sed etiam invalida, cum vitandus iurisdictione careat.

Dixi quod privatio communicationis forensis in foro ecclesiastico viget pro vitandis. Nam toleratus nulla forensi communicatione ipso facto privatur; unde valide agit si ea utatur, et licite etiam si requiratur. Sed iuridice repelli potest per exceptionem, tum ab adversariis, tum a iudice.

Tandem excommunicatio iuxta rigorem iuris privat quoque communicatione *civili;* scilicet excommunicati cum reliquis fidelibus nec contrahere, nec commercia aut negotia habere, nec cum eis cohabitare, convivere, familiariter conversari, officiose loqui valent, nec fideles cum illis. At haec privatio civilis consortii nunc intelligenda non est de toleratis. Ex hodierna enim consuetudine tolerati non solum si requirantur, sed etiam si sponte se ingerant, non peccant communicando in civilibus cum fidelibus, ut declaravit *S. Poenitentiaria 5 Iulii 1867.* Quin et pro ipsis vitandis haec poena in desuetudinem abiisse videtur. Ut enim recte advertit *Lehmkuhl Vol. II, n. 897* rationes illae, quae iamdiu ab antiquis DD. *(S. Alphonsus lib. VII, n. 200 seqq.)* ut causae excusantes afferebantur, propter quas civilis communicatio in pluribus casibus liceret, hodie tam late patent, ut eae vix non pro quolibet adsint. Iam vero si lex aliqua communiter servari amplius non potest, ea vim suam amisisse censetur, etsi ab aliquo in particulari possit servari. Unde consequens esset, communicationem in civilibus etiam cum vitando nunc prohibitam non esse.

Ad 3um. Responsio ad tertium quaesitum non caret difficultate. In primis videri posset, huic quaesito respondendum esse affirmative; cum professores, de quibus in casu, fuerint a Rom. Pontifice publice, expresse et nominatim excommunicati, quod, ut patet ex respons. ad 1um, requiritur et sufficit ut aliquis excommunicatus habeatur tamquam vitandus.

Sane *a)* literae Rom. Pontificis datae ad Cardinalem Urbis Vicarium, per earum evulgationem in pluribus ephemeridibus et periodicis factam, deductae sunt in notitiam omnium et evaserunt publicae.

Insuper *b)* in iisdem literis non solum declaratum est, professores illos « catholicos esse desiisse » ratione haeresis, ob negatam scil. Rom. Pontificis infallibilitatem paulo ante a Concilio Vaticano definitam; sed etiam expressa videtur poena excommunicationis ob haeresim ab illis contracta per illud quod additur « adeoque *vitandos* esse a catholicis ». Sane iuxta sacros canones hoc nomen *vitandi* designat unam ex duabus speciebus, quae sub eodem genere proximo excommunicati continentur, scil. vitandi et tolerati; quemadmodum sensu philosophico per verbum *rationale* indicatur una ex

duabus speciebus, quae sub eodem genere proximo animalis continentur, scilicet rationale (homo) et irrationale (brutum). Ergo per illa verba « catholicos esse desiisse, adeoque vitandos esse a catholicis » indicantur duo, et crimen haeresis ab illis professoribus patratum et poena, quam incurrerunt, scilicet esse excommunicatos; hoc ipso enim quod dicuntur vitandi, dicuntur simul excommunicati.

Demum *c*) si Rom. Pontifex in praefatis literis non recensuit singulorum professorum nomina in seipsis, recensuit tamen aequivalenter, scilicet sese retulit ad nomina quae publicae ephemerides nuntiaverant, et ideo iterum non expressit, quia iam erant expressa. Sane si Rom. Pontifex noluisset habere illos professores ut excommunicatos vitandos, ad quid iniecisset mentionem de illorum nominibus?

In hanc sententiam concessere aliqui ex Censoribus, qui coetui aderant, dum hinc inde expensae et examinatae sunt rationes ad casus solutionem facientes.

At non defuerunt censores alii, quibus contraria opinio arrisit.

Sane *a*) in illis Rom. Pontificis verbis, professores illos « catholicos esse desiisse, adeoque vitandos esse a catholicis » necesse non est quod nomen *vitandi* sumatur de una excommunicati specie et prout opponitur alteri h. e. tolerato; sed potest etiam bene intelligi secundum significationem a S. Paulo intentam cum *ad Titum III, 10* ait « Haereticum hominem devita »; cui congruit illud *in II Ioan. 10* « Nec ave ei (haeretico) dixeritis ». Quasi scilicet dicat Rom. Pontifex: Illi professores professi sunt haeresim et desierunt esse catholici, et proinde propter periculum perversionis et lapsus contra fidem a catholicis sunt fugiendi et vitandi. Hinc, prout in suis literis idem Pontifex subiungit, parochi sunt monendi ut iuvenes suae curae creditos avertant ab illorum scholis et institutione. Et iuxta hunc sensum recta est illatio scil. desierunt esse catholici et *ideo* sunt vitandi. E contra in alia interpretatione consequens non recte inferretur ab antecedente. Licet enim omnes haeretici sint excommunicati, non omnes tamen sunt excommunicati vitandi, sed possunt esse simpliciter tolerati.

Insuper *b*) in literis Pontificis professorum nomina non fuerunt in terminis expressa, quod plane requiritur ex dictis in resp. ad 1um ut illi habendi sint tamquam excommunicati vitandi. Allusio autem facta ab eodem Pontifice ad ephemerides publicas, in quibus illorum nomina occurrunt, nihil proficit. Numquid enim dicemus per hoc impositam fuisse fidelibus obligationem sibi procurandi aliquam ephemeridem in qua illa nomina recensebantur? Profecto non. Imo non videtur a veritate alienum supponere, quod Rom. Pontifex hac in re usus fuerit prudenti oeconomia, ita ut ex una parte praesto esset fidelibus modus cognoscendi illos professores et ab eis cavendi, et ex alia parte non daretur occasio illos habendi ut excommunicatos vitandos.

In hac opinionum discrepantia, iuxta *Reg. Iur. can. 30 in VI* « In obscuris quod minimum est tenendum », sequenda videtur ea sententia, quae est minus onerosa et libertati benignior. Nempe illi professores habendi sunt ut irretiti excommunicatione specialiter reservata Rom. Pontifici ob crimen haeresis iuxta *num. 1. C. Apost. Sedis;* sed censendi sunt ut simpliciter tolerati, non autem ut vitandi.

Resp. ad 4um. Nullum dubium quod Titius peccaverit in sua agendi ratione cum Caio, licet hic non fuerit excommunicatus vitandus. Ille enim, prout notatur in casu, literas Rom. Pontificis ad Emum Vicarium bene noverat, et proinde sciebat ex mandato Pontificis, sibi obligationem inesse a Caii consortio abstinendi, et speciatim sibi non licere, auditorem se illi praebere eiusque excipere institutionem. Mandato ergo Pontificis scienter restitit. Insuper fovendo cum Caio amicitiam, eiusque scholam frequentando, se exposuit gravi perversionis periculo, eo vel magis quod nullatenus esset de religionis exercitio sollicitus et minus firmus in fide.

Nullam vero Titius excommunicationem incurrit, etiam supposito, quod Caius fuerit excommunicatus vitandus. Equidem ante *C. Apost. Sedis* si quis cum vitando communicasset incurrebat in excommunicationem *minorem*, quae per se privabat tantum usu passivo, seu receptione Sacramentorum et a quolibet confessario poterat absolvi. At hodie haec minor excommunicatio per *C. Apost. Sedis* sublata est. Ita S. Officium die 5 Decemb. 1883, adprobante et confirmante Leone XIII.

Verum quidem est, quod nunc ob communicationem cum excommunicato incurritur excommunicatio maior prout patet *ex artic. 16 et 17 C. Apost. Sedis.* Sed isti articuli ad casum nostrum non applicantur.

PETRUS CHECCHI.

Casus Liturgici propositi et soluti Romae, in Academia Liturgica.

V.

De Praefatione in quadam missa votiva.

Die 17 Ianuarii 1906, hora 3 ½ a meridie.

Ecclesiae cuidam, quae collegialis est, privilegium concessum fuit celebrandi in singulis diebus infra octavam Imm. Conceptionis Deiparae, etsi ritus duplex minus occurrat, solemnem Missam votivam de eadem Imm. Conceptione, conventuali tamen nunquam omissa. Hinc quaestio exorta est circa praefationem propriam, an scilicet tam in Missa conventuali, quam in votiva, praefatio de Immaculata dicenda sit, an alia potius de communi. Plures enim sustinent dictam praefationem esse de Immaculata non posse, saltem in votiva, quia in alia conventuali iam recitata est. In missis enim duabus conventualibus, sicut eaedem nunquam iterantur Orationes, ita nec eadem videtur iteranda praefatio. Oppositum nihilominus plerique defendunt ob Rubricam Missalis, quae praefationem exigit in Missis votivis propriam, si habeatur, vel de octava, aut de Dominica, aut de tempore, aut de communi. Re in incerto sic posita, ad hanc Academiam datae sunt litterae, in quibus *quaeritur*:

1. *Ad quamnam antiquitatem liturgicam praefationes in Missa pertineant, et num semper recitatae in Missis fuerint, seu latinae seu graecae Ecclesiae disciplina inspecta?*

2. *Quaenam leges, sive generalibus, sive specialibus Rubricis attentis, praefationem dirigant quando Missae plures conventuales occurrant, et num ad votivas sint illae applicandae?*

3. *Pro quibus ex disceptantibus ratio pugnet, ut in casu?*

Ad 1um. Iuxta clarissimum de Fleury (*La Messe*, Vol. I, pag. 29) Praefatio, hoc est praeludium ad Canonem, antiquitus incipiebat verbis *Sursum corda*, eo quod verba *Per omnia saecula* etc. non sunt nisi conclusio orationis Secretae praecedentis. Iam dicebatur tam in Ecclesia Orientali, quam in Occidentali, quia est solemnis oratio Sacerdotis nomine totius ecclesiae in templo congregatae facta. Praefatio omnium typica, et etiam antiquior est *Exultet*. De ea loquitur S. Hieronymus, in celebri sua epistola ad Prae-

sidium Diaconum Placentinum, iuxta cl. fr. Vallasios anno 390 exarata. Sunt qui tenent (Cfr. Duchesne, *Origines du culte chrét.*) Praefationem ab initio ex tempore enunciatam fuisse a celebrante quasi inspirato, aliquid decantando de mysterio diei, quae postea fuerunt scripta, et in sacramentariis collecta. Alioquin et ipse S. Cyprianus (de Oratione Dom.) meminit invitationem *Sursum corda* quam Sacerdos populo faciebat. In sacramentario autem quod vulgo dicitur Leonianum, sed multo post S. Leonem I. redactum, inveniuntur quamplurime Praefationes pro unaquaque festivitate, quae in ritu Ambrosiano dein inductae sunt.

Sed et apud Graecos Praefatio invenitur quae *Anaphora* dicitur, uti habemus in liturgiis S. Ioannis Chrysostomi et S. Basilii, quae tamen non mutatur uti apud latinos.

In sacramentario Gelasiano inveniuntur Praefationes N. 46, attamen S. Gregorius Magnus decem tantum retinuit, quae in ritu Romano adhuc habentur, quibus a beato Pontifice Urbano II. in Concilio Placentino, (1095), Praefatio B. M. Virginis adiecta fuit.

In ritu Hierosolymitano quo utuntur Patres Carmelitae Antiquae Observantiae, quaedam harum Praefationum, uti etiam Praeconium *Exultet*, a romanis in quibusdam differunt.

Semper ergo a saeculo III. usque ad nos, Praefatio in Missis locum obtinuit, et est quasi hymnus iubilationis quo inducuntur fideles ad Synaxim celebrandam et terminatur cum trisagio *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* etc.

Ad IIum. Generatim loquendo Praefatio dicitur quae magis convenit cum Missa celebranda, ideoque tam in festo, quam per octavas, quam in votivis Missis, ex. gr. B. M. Virginis, dicitur semper eius Praefatio, relicta ea quae forsan dicenda esset ratione temporis. Hinc regulae pro dicendis Praefationibus hae sunt quas ex auctoribus hausimus.

1. In Missis propriam Praefationem habentibus, propria dici semper debet, excepto festo S. Ioannis Ap. et Ev. die 27 Dec. in quo dicitur Nativitatis Domini propria. Apud Carmelitas Antiquae Observantiae vero, die festo S. Ioannis, ea quae Apostolorum est dicenda praescribitur.

2. Si vero Missa praefatione propria non gaudeat, et celebretur infra octavam aliquam, tunc Praefatio octavae propria erit dicenda, quamvis de octava commemoratio nulla fiat: excipe, nisi Missa sit de feria, absque commemoratione octavae, quia tunc in Missa feriae dicitur Praefatio de Tempore aut communis.

3. Sin autem neque praefatio propria, neque de octava habeatur, dicitur de tempore.

4. Tandem si Praefatio propria, vel de tempore locum non habeat, communis dicenda erit, si Missa infra hebdomadam celebretur, de Trinitate si in Dominicis.

Insuper S. R. C. haec edidit: 1. « In Dominicis Quadragesimalibus et Paschalibus debet recitari Praefatio de Tempore, non vero de SS. Trinitate » deficiente, intellige, Praefatione propria (2515 ad 6).

2. Praefatio alicuius octavae propria, dicitur etiam in festis maioribus infra ipsam octavam occurrentibus, dummodo propria careant, licet de octava nulla fiat commemoratio in Missa (2439, ad 2).

3. In Missis Votivis semper dicitur Praefatio propria, si habeatur. Si Missa Votiva sit de Spiritu Sancto in Praefatione omittuntur verba *hodierna die*, si vero sit de B. V. M. dicitur *Et te in veneratione.* Si vero propria non habeatur, tunc sumitur de tempore vel de octava. In occurrentia plurium Octavarum, dicitur de digniori. Si autem Missa Votiva in Dominica dicenda sit, et careat propria Praefatione, vel de octava, vel de tempore, de SS. Trinitate erit legenda, utpote Dominicae propria (2449, 3683 et 3922).

4. Si in die octava Nativitatis B. M. V. occurrat conventualis Missa de feria, in ea dicenda erit Praefatio communis (428).

5. Propria Praefatio retinetur etiam, si Missa Votiva celebretur infra octavam privilegiatam praefationem propriam habentem; *Communicantes* vero erit de octava (1265 ad 3, et 3922).

6. In Vigiliis, Feriis Quatuor Temporum et Quadragesimae infra octavas occurrentibus praefationem propriam habentes, Praefatio de octava dici debet, secus communis (2319 ad 26), si agatur tamen de quibuscunque missis lectis, in quibus agenda est commemoratio octavae; et etiam si agatur de conventuali quando celebratum sit officium de infra octavam.

Ad IIIum. In Missa Conventuali de festo occurrente, Praefatio erit communis, eo quod altera Missa Conventualis de Octava Immaculatae Deiparae celebretur, in qua Praefatio de eadem Immaculata esse debet (Cfr. Decr. S. R. C. *Ord. Fratr. Minor.*, 19 Iun. 1903 apud *Anal. Eccl.* Vol. XI, pag. 298).

P. Elias M. Coccia, Ord. Carm.
S. R. C. Consultor,
Censor Pontif. Academiae Liturgicae.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ

NE PEREANT

Juillet 1906.

2 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Antoine Delenda, Arch. d'Athènes, Délégué Apost. pour la Grèce; — S. G. Mgr Joseph-Raymond Ibarra, Arch. de Puebla; — Mgr Etienne Ehses, Prot. Apost. Directeur de l'Institut Historique *Görres-Gesellschaft*; — et le T. R. Père Alexis-Marie Lépicier, Proc. Gén. des Servites.

3 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Dominique Serafini, Arch. de Spolète; — S. G. Mgr Janvier Trama, Ev. de Lecce; — et le Rme Dom Hildebrand de Hemptinne, Abbé Primat des Bénédictins.

4 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. A. le Comte Leininghen; — le Rme P. Thomas Rodriguez, Prieur Général des Ermites de S. Augustin; — et le Rév. Elie Coury-Scedid, Recteur du Collège Maronite.

5 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Sauveur Fratocchi, Ev. d'Orvieto; — Mgr Jean de Montel, Doyen des Prélats de la Rote; — et Mgr Joseph Lohninger, Recteur de l'*Anima*.

6 Vendredi.

S. G. Mgr Bernardin Caldajoli, Ev. de Grosseto, est reçu en audience.

7 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: Le T. R. Père Alphonse Eschbach, Proc. Gén. de la Congrégation du S. Esprit; — et Mgr Albert d'Armailhacq, Recteur de la Maison Nationale de S. Louis-des-Français.

9 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. M le Comte Nicolas Szécsen de Temerin, Ambassadeur d'Autriche-Hongrie près le S. Siège; — Mgr Joseph Guthlin, Prélat Référendaire de la Signature Papale de Justice; — et le T. R. Père François Frédéric Linneborn. Proc. Gén. de la Congrég. des prêtres de la Sainte Croix.

10 Mardi.

Congrég. Préparatoire des S. Rites, tenue au Vatican, pour examiner l'héroïcité des vertus du Vén. Jean-Népomucène De Tschiderer, Prince-Evêque de Trente.

11 Mercredi.

S. G. Mgr Joseph de Camargo Barros, Arch. de St-Paul (Brésil), est reçu en audience.

13 Vendredi.

Le T. R. Père Eugène Meyer, Supérieur Gén. des Missionnaires du S. Cœur de Jésus, est reçu en audience.

20 Vendredi.

A l'occasion du troisième anniversaire de la mort de Léon XIII, un service funèbre est célébré à 9 heures 1[2 dans la Chapelle Sixtine. La messe est chantée pontificalement par S. Em. le Card. François Satolli. Le St-Père donne l'absoute.

21 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Joseph Marcondes Homen de Mello, Arch. de Bélem de Para; — et Mgr Félix Cadène, Prélat Référendaire du Suprême Tribunal de la Signature Papale de Justice, Directeur des *Analecta Ecclesiastica*.

24 Mardi.

S. G. Mgr Edouard Pulciano, Arch. de Gênes, est reçu en audience.

25 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Joseph Ibarra, Arch. de Puebla; — et Mgr Gaëtan Chiriatti, Vicaire Général de Brindes.

26 Jeudi.

Le Saint-Père reçoit en audiences: Mgr Joseph Aversa, Délégué Apost. de Cuba et Porto-Rico; — et S. G. Mgr Ange Struffolini, Ev. d'Ascoli et Cerignola.

27 Vendredi.

S. G. Mgr Joseph Morabito, Ev. de Mileto, est reçu en audience.

28 Samedi.

S. G. Mgr Nicolas Armentia, Ev. de La Paz, est reçu en audience.

29 Dimanche.

S. G. Mgr Bernardin de Milia, Ev. de Larino, est reçu en audience.

30 Lundi.

S. G. Mgr Alphonse Mistrangelo, Arch. de Florence, présente au St-Père le Rme P. Emmanuel Sanchez, élu hier Sup. Gén. des Scolopes, ainsi que les membres du Chapitre général.

S. Exc. M. le comte Jules de Wagner, Env. Extr. de la Principauté de Monaco, est reçu en audience.

31 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG· Mgr Charles Castelli, Ev. de Bobbio ,Arch. élu de Fermo; — et Mgr Henri Gabriels, Ev. d'Ogdensburg.

— Le St-Père reçoit dans la Salle Clémentine un groupe de pèlerins des Etats-Unis.

— Congr. Antipr. des S. Rites, tenue auprès de S. Em. le Card. Vincent Vannutelli, Ponent, pour l'examen de l'héroïcité des vertus de la Vén. Sœur Floride Cevoli, moniale professe capucine, du monastère de Città di Castello.

F. C.

BIBLIOGRAPHIA

Praxis sollemnium functionum *Episcoporum*, cum appendicibus pro *Abbatibus* mitratis et *Protonotariis* apostolicis, iuxta Ritum Romanum. Studio et opere Sac. BENIAMINI FAVRIN, in Sem. Ep. Tarvisino Rectoris vice fungentis. Romae 1906, apud Fridericum Pustet, lib. 3,50.

Libellum diligentissime ac magna perspicuitate elaboratum, perutilem commendamus, non clericis tantum, sed etiam sacerdotibus qui Pontificalium solemniis vel praesunt, vel intersunt. R.mus D.nus Petrus Piacenza e scriptoribus nostrae Ephemeridis, in rebus liturgicis non alteri secundus, ita suam, quae nostra est, sententiam patefecit: « In eo (opello) Caeremoniarum Magistri leges omnes liturgicas, pro pontificalibus officiis rite peragendis, singulas tam Celebrantis quam Ministrorum ac Clericorum, uno conspectu in tabellis habent breviter sed distincte descriptas; et quoniam in hac sua opella cl. Auctor non solum Rubricas Caeremonialis Episcoporum, sacraeque Rit. Congregationis Decreta, sed et sententias Doctorum, melioris notae, secutus est, eam perutilem, et liturgicae disciplinae cultoribus commendandam declarare non renuo ».

Manuale Theoretico-practicum pro Minoribus Poenitentiariis Apostolicis, nec non pro aliis privilegiatis confessariis pagellam S. Poenitentiariae praesertim habentibus, confectum et ad mentem Const. Apostolicae Sedis ac iuxta recentiora SS. Congregationum oracula redactum ***a P. Andrea Tarani a Spalannis, O. F. M.*** in Archibasilica Lateranensi Min. Poenitentiario. Bel volume di 680 pagine in-8, approvato da S. Em. il Cardinale Serafino Vannutelli Penitenziere Maggiore di S. S., L. 6. — Libreria Pustet. Roma, 1906.

Praefati *Manualis* editio, duplici ex capite commendanda videtur, utpote quae perutilis sit, non tantum ipsis Poenitentiariis Ap.licis, sed etiam illis confessariis privilegiatis qui S. Poenitentiariae *Pagellam* obtinuerunt, necnon et omnibus indiscriminatim confessariis. Clarus Revisor ab Emo Maiore Poenitentiario deputatus, ita de operis merito testatur: « in quo, ad doctrinam theologicam moralem quod spectat, nihil censura dignum occurrit; quin imo cl. Auctor peculiari laudis declaratione donandus, quod theorias multiplices, ab optimae notae Doctoribus tum veteribus, tum recentioribus traditas, in unum velut corpus redegerit ad argumentum sibi propositum illustrandum, quod universam pene Theologiam Moralem attingit; necnon praxim ad scitissimas prudentiae leges exactam, iugiter indigitaverit, cui in casibus in S. Tribunali Poenitentiae obtingentibus circa singula theoriae capita in antecessum dilucide enucleata sit insistendum ».

Tractatus bifarie dispertitur. In I parte agitur de Min. Poenitentiariorum Ap. institutione, praerogativis, privilegiis atque dotibus. — In parte altera, sermo est de facultatibus quibus gaudent Poenit. Ap. et quidem: 1° de facultatum origine, natura et usu; 2° de facultatibus absolvendi a casibus et censuris reservatis; 3° de facultatibus quoad dispensationes. Triplex accedit Appendix: 1ª elenchus Censurarum latae sententiae quae hodie vigent in Ecclesia; 2ª facultates ordinariae et extraordinariae Min. Poenit. concessae; 3ª variae facultates quae S. Sedes Epis seu locorum Ordinariis concedere solet, quaeque in hoc *Manuali* vel sunt explanatae vel saltem recensitae.

Haec satis superque demonstrant operis meritum, illiusque practicam pro confessariis utilitatem. F. C.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente*.

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS QUARTUS

FASCICULUS OCTAVUS - AUGUSTUS 1906

SUMMARIUM

In proximo fasciculo unientur fasciculi Septembris et Octobris.

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Breve Beatificationis VV. SS. Dei sexdecim Monialium Carmelitarum Excalceatarum Compendiensium.

PIUS PP. X

Ad perpetuam rei memoriam.

Nullo sane tempore in Ecclesia Domini heroes defuere, et hi non modo integrae aetatis viri, sed etiam mulieres, senes ac teneri usque infantes, qui atroces inter cruciatus mortem oppeterent, et de christiana fide testimonium exhiberent. Neque solum in barbaris regionibus, ubi Evangelii praecones « a tenebris et umbra mortis » homines ad veritatem adducere conantur, verum apud excultissimos etiam populos et in opulentis civitatibus; nam infestus humanitatis osor ubique gentium odium contra Christi asseclas excitat atque movet. Ita duodevicesimo exeunte saeculo vel Parisii, divinis humanisque cunctis permixtis, fecundo martyrum sanguine rubuerunt. Ibi enim iniuriae libertatis nomine in Ecclesiam illatae magis magisque in dies crevere, ac sub terroris regimine, sublata publica catholicae regionis dignitate, pollutisque Altaribus, tum Sacerdotes piaeque Virgines in claustris abditae, tum cives cuiuslibet ordinis, quos neque honestas neque scientia iuvit, in vitae discrimen continenter sunt adducti ac misere necati. Inter famosae huius crudelitatis victimas mirabili extiterunt exemplo sexdecim Moniales ex ordine Carmelitarum Excalceatarum, quae vi iam Coenobio Compendiensi exactae, cruenta morte suae in fide et religiosis votis constantiae, perinde ac si scelus admiserint, poenas Parisiis pependerunt. Venerabiles Dei famulae, quarum ultimum supplicium novum addidit Ecclesiae splendorem ac notam iudicibus inussit, nulla oblivione delendam, hae fuerunt: Theresia a S. Augustino, Maria Francisca a S. Aloisio, Maria a Iesu Crucifixo, Maria a Resurrectione, Euphrasia ab Immaculata Conceptione, Gabriella Henrica a Iesu, Theresia a SS.mo Corde Mariae, Maria Gabriella a S. Ignatio, Iulia Aloisia a Iesu, Maria Henrica a Providentia, Maria a S. Spiritu, Maria a S. Martha, Stephana Ioanna a S. Francisco Xaverio, Constantia Meunier, et Catharina ac Theresia Soiron germanae sorores. Placet de iis aliquid meminisse,

quo videantur singulae, quibus praeditae virtutibus, insigne pro suo coelesti Sponso martyrium fecerint. Theresia a S. Augustino, in saeculo Magdalena Claudia Lidoine, ortum Lutetiae Parisiorum habuit anno 1752, et adhuc adolescentula ad Carmelum vocata, vicesimo primo aetatis suae anno Religionem est ingressa. Haec tam incenso sacrificii charitatisque enituit studio, ut in Antistitam electa, se et Communitatem Deo pro impetranda inter Ecclesiam et Gallias pace consecraret, ac martyrii flagraret desiderio. Mira in extremo supplicio apparuit eius virtus, nam omnes suas filias ad mortem excitare non destitit, usque dum ipsa gloriosa martyrum corona non fuerit redimita. Huic succedit Maria Anna Francisca a S. Aloisio e gente Brideau, quae anno 1770, aetatis suae decimo octavo, religiosam vitam amplexa, adeo singulari silentii et solitudinis amore praestitit, ut difficiliora sibi demandata munera summa cum diligentia expleverit, ac mortem libentissime obierit. Par non erat alacritas ad vitam amittendam Mariae Annae Piedcourt Parisiensi, novem et septuaginta annos natae, quae inter Carmelitides Mariae a Iesu Crucifixo nomen assumpserat; sed tanta fuit eius in Deum pietas atque in homines charitas, ut naturae voce devicta, hilari vultu patibulum ascenderit et suavibus verbis carnifici pepercerit. Eandem ac prior aetatem egit Anna Maria Thouret, in claustris Maria a Resurrectione nuncupata, neque minorem ei iniecerat formidinem martyrium, sed magis Christi potuit amor, quo in Monasterio infirmis heroice praesto fuerat; immo a militibus barbare e curru deiecta, maxime timuit, ne sororibus praemoriens, martyrii gloriam consequi non posset. Praeclaris animi ingeniique dotibus exornata Maria Claudia Brard, quae inter Carmelitides adlecta, sibi Euphrasiae ab Immaculata Conceptione nomen indiderat, ad se abiiciendam est pro viribus adnisa; propterea humilis et mitis omnibus admirantibus facta, mortem suae aetatis anno octavo et quinquagesimo libentissime excepit, ut suus propinquus ad bonam frugem revocaretur. Litteris pariter exculta et quidem poetrix fuit Maria Francisca de Croissy anno 1745 Parisiis orta, atque in religione Gabriella Henrica a Iesu vocata. A mundo penitus abhorrens, claustri vitam summo amore prosecuta, ac sanguinem pro Christo profundere cupiens, huiusmodi sensus facile versibus exprimebat. Martyrii itaque nuncium gaudio gestiens accepit, et gloriose ad superos evolavit. Septima accedit Theresia a SS.mo Corde Mariae, in saeculo Maria Anna Hanisset, cui urbs Rhemensis patria fuit. Haec prudentia aliisque virtutibus, quibus Moniales excellere solent, elucens, duo et quinquaginta annos nata martyr occubuit. Fidelis regulae custodia una cum sanctitate, silentio et assidua cum Domino unione ita Mariam Gabriellam a S. Ignatio e familia Trezel illustrarunt, ut obrutus thesaurus vulgo nuncuparetur. Haec propinquis se deprecantibus, ut iam e Monasterio expulsa, domum reverteret, fortiter obstitit, atque a Domino impetravit, ut sibi natus nepos ad caelestia gaudia adhuc innocens duceretur. Spectatam in se victoriam retulit Rosa Chrétien, quae iam consobrino Chrétien de la Neuville data nuptum et paucos post annos marito viduata, ad Carmelum confugit, ubi Mariae Aloisiae a Iesu sibi nomen adscivit. Cum esset enim ardenti difficilique ingenio, tanta cura studioque suos mores emendavit, ut omnes ab ea modestiae sumerent exemplum. Sed nobiliorem palmam accepit quinquagesimo tertio suae aetatis anno; nam, quamvis supplicii cogitatione vehementer commoveretur, vitam tamen pro Domino animose profudit. Verecundia autem, praeclara Monialium virtus, in Anna Pelras apprime effulsit, quae anno 1760 parentibus pietate egregiis orta, primum in Vincentianum Institutum cooptata fuit, in quo germana soror Antistitae munere fungebatur, ac deinde utpote periculis propter singularem oris venustatem obnoxia, intra Carmeli claustra se recepit. Hic Mariae Henricae a Providentia sibi imposito nomine, infirmis adiuvandis ut inter a Charitate Sorores operam dedit, ac fortissimum contra tyrannos animum praebens, martyrium insigne fecit. De Angelica Roussel, id est Maria a S. Spiritu, anno 1768, suae aetatis decimoquinto inter Carmelitides excepta, commemoranda est heroica patientia, qua licet ardentissima praedita indole, totius vitae atroces pertulit poenas, ita ut glorioso martyrio eumdem habuerit et patiendi et vivendi finem. Ac pariter de Maria Dufour, in religione Maria a S. Martha, satis erit mirum illud praestantium virtutum recolere documentum, quibus uti prius in saeculo, sic postea, usque ab anno 1772, aetatis suae tricesimo primo in communitate Compendiensi omnium sibi animos devinxit. In hac inclita mulierum cohorte decima tertia sequitur Elisabeth Verolot, cui vota nuncupanti Stephana Ioanna a S. Francisco Xaverio nomen fuit. Honesto loco nata, atque indole dulcis et festiva Carmelitidum vestem anno 1787, vigesimo tertio suae aetatis, induit; sese ad religiosae vitae labores et molestias sibi ab Antistita oculis subiecta libenter amplectenda paratam ostendit, atque in nuncio mortis est summopere laetata. Iunior inter has Maria Ioanna Meunier extitit, Constantia in monasterio dicta, quae lege iniuria lata a se Deo votis obstringendi impedita, cum parentibus pro viribus conflixit, non modo ut libere in claustris relinqueretur, sed etiam ut una cum Antistita piisque sororibus se ad mortem pro Christo offerre posset, quam vero duodetriginta annos nata libens oppetiit. Reliquum est, ut pauca dicamus de germanis sororibus Catharina ac Theresia Soiron quae, licet humilibus officiis in pia monasterii domo addictae, magno tamen fortique animo moniales aequarunt. Prima enim maior natu atque ob suam prudentiam ad ianuam custodiendam delecta, Antistitam cum lacrymis obsecravit, ne se ab ipsa disiungi pateretur, atque ita sibi quoque sanguinem pro Christo effundere liceret: altera autem ob ipsius pulchritudinem a foemina Principe de Lamballe ad servitia arcessita, renuit, et claustri paupertatem aulae deliciis praeponens, cum caeteris Carmelitidibus supplicium consociavit. Hae venerabiles Dei famulae, decus et ornamentum totius ordinis Deiparae Virginis a Monte Carmelo sacri, vel ab ineunte Galliarum perturbatione e Compendiensi coenobio expulsae in exiguas manus decesserant, sive ad religiosa promissa, quantum liceret, implenda, sive ad pericula a fidelibus prudenter acriterque propulsanda; sed quum saevus ille furor in christianum nomen ut cum maxime increvisset, mites et innoxiae Virgines mense Iunio anno 1794 comprehensae sunt atque in vincula coniectae. Quod eas summo affecit gaudio, nam iterum omnes simul congregatae, carcerem pro Monasterio habuerunt, ibique pietatis exercitationibus, quoad fieri potuit, operam navantes, sese invicem ad martyrium cohortabantur. Illinc vero haud multo post, IV idest idus Iulias repente Parisios traducuntur. Grave est dictu, quantum in longo itinere sanctae hae mulieres excruciarentur. Duris curribus superiectae, manibus ad tergum vinctis, circumdatae armatis ac plebis contumelias et irrisiones perferre coactae, hoc uno fruebantur solatio, quod

Deo summas adhibentes preces, se ei in holocaustum offerrent. Ubi autem ad principem Galliarum urbem pervenerunt, denuo in horridum carcerem conduntur, novas et acerrimas molestias, famem nimirum, sitim, crassum foetidumque aërem, et quod gravius erat, nequam hominum societatem perpessurae. Sed heroicas Carmeli filias neque animus neque vires defecerunt, quin immo diem 17 ante kalendas Augustas, ipsarum supplicii praeludium, in honorem Nostrae Dominae Carmelitidis effusa laetitia celebrarunt, ita ut profanis visae sint potius ad nuptias quam ad mortem se parare. Postridie eius diei in ius raptae sine testibus, sine defensoribus praecipiti ac tumultuario iudicio capitis damnatae sunt, huic tantum culpae affines, quod suo instituto se fideles servaverint ac SS.mum Iesu Cor eximia coluerint religione. Qua edita sententia incredibile est quantum moniales oblectarentur, utpote quae martyrii coronam tandem essent adepturae. Iter a tribunali ad supplicii locum triumphi crederes viam, nam Carmelitides per mediam turbam, alto usam silentio, laetis iucundisque vultibus incedebant, Deo grates pro tanto beneficio cumulate persolventes. Ubi vero mortis pegma conspiciunt, suas voces, mox angelorum choreis commiscendas, elatius emittunt, atque hymnum Paracletum invocantem maximo cum fervore canunt. Itaque renovatis tum sacri Baptismatis tum religiosis votis, Theresia a S. Augustino antistita luculentum Machabaeorum exemplum imitata, omnibus precibus exorat, ut ad animos morituris addendos, securi caput ultima submittat. Atque ita delicati flores, omnigenas virtutes redolentes, singuli a tortore praeciduntur, et decoro effuso sanguine, uti efflagitavit Theresia, gratiam apud Altissimum pro Galliis invenerunt. Paucis enim abhinc diebus effrenata illa caedis cupiditas sensim restincta fuit, et effluere desiit cruor, quo nefarii cives nobilissimam regionem per biennium resperserant.

Tanta martyrii fama longe lateque protinus pervulgata propter caelestia signa nova luce refulsit. Quare eius caussa iuridicis inquisitionibus feliciter absolutis, ad SS. Rituum Congregationem delata est. A qua mature perpensis, ratisque habitis actis omnibus in ordinario ad has aedes Vaticanas conventu kalendas Decembres anno 1902 (1) celebrato, de eiusdem caussae introductione pertractatum fuit, quam 17 Kal. Ian. anni supradicti rec. me. Leo XIII Decessor Noster sua manu signavit. Praeterea nutu iussuque Nostro Apostolico actis confectis, aliisque quaestionibus rite solutis, signisque seu miraculis, quae ad earum Venerabilium Dei Famularum intercessionem a Deo patrata ferebantur, una cum martyrio et caussa martyrii ad trutinam de more revocatis, Nos per memoratae SS. Rituum Congregationis Decretum, die octavo Kal. Iulias superioris anni datum (2), memoriae Sancti Praecursoris dicato, de martyrio eiusque caussa, necnon de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus constare rite declaravimus. Hoc unum tandem supererat inquirendum, ut VV. FF. NN. S. R. E. Card. praefatae Congregationi SS. Rituum praepositi rogarentur, num stante, ut superius dictum est, approbatione martyrii eiusque caussae, pluribus signis seu miraculis a Deo illustrati et confirmati, tuto censerent ut procedi posset ad Beatorum honores eisdem Venerabilibus Dei Famulabus decernendos. Quod dubium propositum fuit a Venerabili Fratre Nostro Vincentio S. R. E. Card. Vannutelli Episcopo Praenestino et caussae Relatore in generalibus Comitiis coram Nobis 18 Kal. Dec. elapsi eiusdem anni habitis, omnesque qui aderant, tum Cardinales, tum SS. Rituum Congregationis consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse Deo preces censuimus, ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam caeleste auxilium Nobis compararemus. Denique 4 Idus Decembr. superioris eiusdem anni, quo die Ecclesia Almae domus Lauretanae B. M. V. I. translationem celebrat, Eucharistico Sacrificio libato, adstantibus dilecto Filio Nostro Aloisio Diacono Cardinali Tripepi SS. Rituum Congregationis Pro-Praefecto, ac supradicto Ven. Fratre Nostro Vincentio S. R. E. Cardinali Vannutelli, necnon Ven. Fratre Diomede Panici Archiepiscopo Laodicensi, eiusdem Congregationis Secretario, ac Rev. Patre Alexandro Verde Fidei Promotore, tuto procedi posse decrevimus ad sollemnem Venerabilium Dei Famularum, quas supra memoravimus, Beatificationem (1). Quae cum ita sint, Nos precibus Dilecti Filii Nostri Francisci Mariae Beniamini S. R. E. Card. Richard, Archiepiscopi Parisiensis, una cum VV. FF. Archiepiscopis et Episcopis Dioecesum ad quas pertinebant praedictae Venerabiles Dei Famulae, nec non universae Carmelitarum Excalceatorum familiae permoti, Apostolica Auctoritate Nostra harum litterarum vi facultatem facimus, ut Venerabiles Dei Famulae Theresia a S. Augustino, Maria Francisca a S. Aloisio, Maria a Iesu Crucifixo, Maria a Resurrectione, Euphrasia ab Immaculata Conceptione, Gabriella Henrica a Iesu, Theresia a SS.mo Corde Mariae, Maria Gabriella a S. Ignatio, Iulia Aloisia a Iesu, Maria Henrica a Providentia, Maria a S. Spiritu, Maria a S. Martha, Stephana Ioanna a S. Francisco Xaverio, Constantia Meunier ac germanae sorores Catharina et Theresia Soiron ex Ordine Carmelitarum Excalceatarum Beatarum nomine in posterum nuncupentur, earumque Corpora et lipsana, seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, et sacris radiis Imagines decorentur. Insuper eadem Auctoritate Nostra concedimus, ut de illis recitetur Officium et Missa de Communi Virginum Martyrum cum orationibus propriis per Nos approbatis iuxta rubricas Missalis seu Breviarii Romani. Huiusmodi vero officii recitationem Missaeque celebrationem fieri concedimus intra fines dumtaxat Dioecesium Parisiensis et Bellovacensis, itemque omnibus in templis religiosarum domorum Fratrum necnon Sororum Ordinis B. M. V. a Monte Carmelo, qui Excalceati dicuntur, ab omnibus fidelibus ad horas Canonicas recitandas obstrictis, et quod ad Missas attinet, ab omnibus Sacerdotibus tum saecularibus tum regularibus ad Ecclesias, in quibus festum agitur, convenientibus, servato Decreto SS. Rituum Congregationis N. 5862 *Urbis et Orbis* 9 Decembris 1895. Demum concedimus, ut sollemnia Beatificationis Venerabilium Dei Famularum, quas supra recensuimus, praedictis in templis celebrentur, ad normam Decreti seu Instructionis SS. Rituum Congregationis die 16 Dec. 1902 de triduo intra annum a Beatificatione sollemniter celebrando, quod quidem fieri praecipimus diebus legitima auctoritate definiendis intra annum postquam eadem sollemnia in Vaticana Basilica fuerint celebrata.

Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum exem-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XI, p. 78.

(2) *Item*, vol. XIII, p. 255.

(1) *Item*, vol. XIV, p. 25.

plis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae SS. Rituum Congregationis subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce Litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 13 Maii 1906, Pontificatus Nostri anno Tertio.

L. ✠ S.

ALOIS. Card. MACCHI.

II.

De Religiosorum sodalitatibus nisi consulta Apostolica Sede non instituendis.

PIUS PP. X.

MOTU PROPRIO.

Dei providentis benignitatem, opportune Ecclesiae temporibus subvenientem, cum alia multa ostendunt, tum hoc praeclare, quod veteribus religiosorum Ordinibus ob conversionem publicarum rerum dispersis afflictisque, nova instituta accessere, quae, professionem religiosae vitae retinendo, ingravescentibus christiani populi necessitatibus multipliciter deserviunt. Illas hoc loco, ut apparet, utriusque sexus Familias dicimus, proprio et titulo et habitu distinctas easdemque solo simplicium votorum aut nullo id genus vinculo adstrictas, quarum sodales, licet in plures distributi domos, eisdem tamen legibus ac sub uno summo praeside omnes vivunt, eo proposito, ut perfectionem virtutis ipsi assequantur, seque proximorum causa in variis religionis aut misericordiae operibus exerceant. Profecto sodalitatum istiusmodi, tam bene de Ecclesia deque ipsa civili societate merentium, sperandum est, nunquam defuturam copiam: hodieque libet agnoscere, usque adeo eas increbuisse, ut nullum videatur esse ministrandae charitatis christianae genus, quod illae reliquum fecerint. Verumtamen, quae est humanae conditionis infirmitas, ex ipsa ista talium sodalitatum frequentia, nisi temperatio aliqua iuris accesserit, fieri non potest quin aliquando sacrae disciplinae perturbatio quaedam oriatur et confusio. Itaque ad hoc avertendum incommodum plura iam Apostolica Sedes edixit; nominatimque cavit, ne ibi sodalitas nova conderetur, ubi per alias iam conditas necessitatibus loci satis consultum esset; neve ulla usquam sineretur institui, quae aut redditibus careret, ad sodalium victum necessariis, aut quidquam minus decorum in titulo, in habitu, in opere exercendo prae se ferret. Praeterea Sacrum Consilium Episcoporum et Regularium negotiis praepositum nonnulla praescripsit antea servanda, quam hae sodalitates earumque constitutiones approbatione aut laude Sedis Apostolicae honestarentur. At vero experimentis compertum est, nondum per has praescriptiones satis esse provisum, ne sodalitates ab suis exordiis in eo statu collocentur, unde postea, quum Apostolicae Sedis comprobatio erit assequenda, debeant magno saepe cum detrimento recedere. Quare, de eiusdem Sacri Consilii sententia, haec Nos quae infra scripta sunt, motu proprio statuimus:

I. Nullus Episcopus aut cuiusvis loci Ordinarius, nisi habita Apostolicae Sedis per litteras licentia, novam alterutrius sexus sodalitatem condat aut in sua dioecesi condi permittat.

II. Ordinarius, huius licentiae impetrandae gratia, Sacrum Consilium Episcoporum et Regularium negotiis praepositum adeat per libellum supplicem, quo haec docebit: quis qualisque sit novae sodalitatis auctor, et qua is causa ad eam instituendam ducatur; quibus verbis conceptum sit sodalitatis condendae nomen seu titulus; quae sit forma, color, materia, partes habitus a novitiis et professis gestandi; quot et quaenam sibi opera sodalitas assumptura sit; quibus opibus tuitio eiusdem contineatur; an similia in dioecesi sint instituta, et quibus illa operibus insistant.

III. Accepta Sacri Consilii venia, nihil iam obstabit, quominus Ordinarius novam sodalitatem instituat aut institui permittat, eo tamen titulo, habitu, proposito caeterisque rebus ab ipso Sacro Consilio recognitis, probatis designatisve: quae nunquam deinceps, nisi eodem consentiente, immutari licebit.

IV. Conditae sodalitatis constitutiones Ordinarius recognoscat: verum ne prius approbet, quam eas ad normam eorum, quae Sacrum Consilium in hac causa decrevit, exigendas curaverit.

V. Instituta sodalitas, quamvis decursu temporis in plures dioeceses diffusa, usque tamen, dum pontificiae approbationis aut laudis testimonio caruerit, Ordinariorum iurisdictioni subiaceat, ut Decessoris Nostri constitutione « *Conditae* » (1) sancitum est.

Quae vero per has litteras decreta sunt, ea Nos rata et firma esse volumus, contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die 16 Iulii anno 1906, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

III.

Litterae Encyclicae ad commonendos Ordinarios Italiae, ut valide eradicent e medio clericorum gliscentes mores subiectionis obedientiaeque impatientes.

AI VENERABILI FRATELLI ARCIVESCOVI E VESCOVI D'ITALIA

PIO PP. X.

Venerabili Fratelli, salute ed Apostolica Benedizione.

Pieno l'animo di salutare timore per la ragione severissima, che dovremo rendere un giorno al Principe dei pastori Gesù Cristo a riguardo del gregge da lui affidatoci, passiamo i dì Nostri in una continua sollecitudine, a preservare, quanto è possibile, i fedeli dai mali perniciosissimi, onde è afflitta di presente l'umana società. Teniamo perciò come detta a Noi la parola del Profeta: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* (2); e non manchiamo, ora di viva voce ed ora per lettere, di avvertire, di pregare, di riprendere, eccitando sopratutto lo zelo dei Nostri Fratelli nell'episcopato, onde spieghi ciascuno la più sollecita vigilanza sulla porzione dell' ovile, a cui lo Spirito Santo lo ebbe preposto.

Il motivo, che Ci spinge a levare di nuovo la voce, è

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. VIII, p. 481.
(2) Is. LVIII, 1.

del più grave momento. Trattasi di richiamare tutta l'attenzione del vostro spirito e tutta l'energia del vostro pastoral ministero contro un disordine, di cui già si provano i funesti effetti: e, se con mano forte non si svelle dalle più ime radici, conseguenze ancor più fatali si proveranno coll'andare degli anni. — Abbiamo infatti sott'occhi le lettere di non pochi fra voi, o Venerabili Fratelli; lettere piene di tristezza e di lagrime, le quali deplorano lo spirito *d'insubordinazione* e *d'indipendenza*, che si manifesta qua e là in mezzo al clero. — Purtroppo un'atmosfera di veleno corrompe largamente gli animi ai nostri giorni; e gli effetti mortiferi sono quelli che già descrisse l'apostolo S. Giuda: *Hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant* (1); oltre cioè alla più degradante corruzione dei costumi, il disprezzo aperto di ogni autorità e di coloro che la esercitano. Ma che tale spirito penetri comecchessia fino nel santuario ed infetti coloro, ai quali più propriamente convenir dovrebbe la parola dell'Ecclesiastico: *Natio illorum, obedientia et dilectio* (2); è cosa questa che Ci ricolma l'animo d'immenso dolore. — Ed è soprattutto fra i giovani sacerdoti che sì funesto spirito va menando guasto, spargendosi in mezzo ad essi nuove e riprovevoli teorie intorno alla natura stessa dell'obbedienza. E, ciò ch'è più grave, quasi ad acquistar per tempo nuove reclute al nascente stuolo dei ribelli, di tali massime si va facendo propaganda più o meno occulta fra i giovani, che nei recinti dei Seminari si preparano al sacerdozio.

Pertanto, o Venerabili Fratelli, sentiamo il dovere di fare appello alla vostra coscienza, perchè, deposta ogni esitazione, con animo vigoroso e con pari costanza diate opera a distruggere questo mal seme, fecondo di esizialissime conseguenze. Rammentate ognora che lo Spirito Santo vi ha posti a reggere. Rammentate il precetto di S. Paolo a Tito: *Argue cum omni imperio. Nemo te contemnat* (3). Esigete severamente dai sacerdoti e dai chierici quella obbedienza, che, se per tutti i fedeli è assolutamente obbligatoria, pei sacerdoti costituisce parte precipua del loro sacro dovere.

A prevenire però di lunga mano il moltiplicarsi di questi animi riottosi, gioverà assaissimo, Venerabili Fratelli, l'aver sempre presente l'alto ammonimento dell'Apostolo a Timoteo: *Manus cito nemini imposueris* (4). E' la facilità infatti nell'ammettere alle sacre ordinazioni quella, che apre naturalmente la via ad *un moltiplicarsi di gente* nel santuario, che poi *non accresce letizia*. — Sappiamo esservi città e diocesi, ove, lungi dal potersi lamentare scarsità nel clero, il numero dei sacerdoti è di gran lunga superiore alla necessità dei fedeli. Deh! qual motivo, o Venerabili Fratelli, di rendere così frequente la imposizione delle mani? Se la scarsità del clero non può essere ragione bastevole a precipitare in negozio di tanta gravità; là dove il clero sovrabbonda al bisogno, nulla è che scusi dalle più sottili cautele e da somma severità nella scelta di coloro, che debbano assumersi all'onore sacerdotale. Nè l'insistenza degli aspiranti può menomare la colpa di siffatta facilità. Il sacerdozio, istituito da Gesù Cristo per la salvezza eterna delle anime, non è per fermo un mestiere od un ufficio umano qualsiasi, al quale ognun che il voglia e per qualunque ragione abbia diritto di liberamente dedicarsi. Promuovano adunque i Vescovi, non secondo le brame o le pretese di chi aspira, ma, come prescrive il Tridentino, secondo la necessità delle diocesi; e nel promuovere di tal guisa, potranno scegliere solamente coloro che sono veramente idonei, rimandando quelli che mostrassero inclinazioni contrarie alla vocazione sacerdotale, precipua fra esse la indisciplinatezza e ciò che la genera, l'orgoglio della mente.

Perchè poi non manchino i giovani che porgano in sè attitudine per essere assunti al sacro ministero, torniamo, Venerabili Fratelli, ad insistere con più premura su ciò che già più volte raccomandammo; sull'obbligo cioè che vi corre, gravissimo dinanzi a Dio, di vigilare e promuovere con ogni sollecitudine il retto andamento dei vostri Seminari. Tali avrete i sacerdoti, quali voi li avrete educati. — Gravissima è su ciò la lettera che vi diresse, in data 8 dicembre 1902 (1), il Nostro sapientissimo Predecessore, quasi testamento del suo diuturno pontificato. Nulla Noi vogliamo aggiungervi di nuovo: richiamiamo solo alla vostra memoria le prescrizioni in essa contenute; e raccomandiamo vivamente, che al più presto sieno messi in esecuzione i Nostri ordini, emanati per organo della Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari, sulla concentrazione dei Seminari, specialmente per gli studi della Filosofia e della Teologia, a fine di ottenere così il grande vantaggio derivante dalla separazione dei Seminari piccoli dai Seminari maggiori, e l'altro non meno rilevante della necessaria istruzione del clero.

I Seminari siano gelosamente mantenuti nello spirito proprio, e rimangano *esclusivamente* destinati a preparare i giovani, non a civili carriere, ma all'alta missione dei ministri di Cristo. — Gli studi di Filosofia, di Teologia e delle scienze affini, specialmente della Sacra Scrittura, si compiano, tenendosi alle pontificie prescrizioni, e allo studio di S. Tommaso, tante volte raccomandato dal venerato Nostro Predecessore e da Noi nelle Lettere Apostoliche del 23 gennaio 1904 (2). I Vescovi poi esercitino la più scrupolosa vigilanza sui maestri e sulle loro dottrine, richiamando al dovere coloro, che corressero dietro a certe novità pericolose, ed allontanando senza riguardo dall'insegnamento quanti non approfittassero delle ricevute ammonizioni. — Il frequentare le pubbliche Università non sia permesso ai giovani chierici se non per molto gravi ragioni e con le maggiori cautele per parte dei Vescovi. — Sia onninamente impedito che dagli alunni dei Seminari si prenda parte comecchessia ad agitazioni esterne; e perciò interdiciamo loro la lettura di giornali e di periodici, salvo per questi ultimi, e per eccezione, qualcuno di sodi principî, stimato dal Vescovo opportuno allo studio degli alunni. — Si mantenga con sempre maggior vigore e vigilanza l'ordinamento disciplinare. — Non manchi da ultimo in verun Seminario il direttore di spirito, uomo di prudenza non ordinaria ed esperto nelle vie della perfezione cristiana, il quale, con cure indefesse, coltivi i giovani in quella soda pietà, ch'è il primo fondamento della vita sacerdotale. — Queste norme, o Venerabili Fratelli, ove siano da voi coscienziosamente e costantemente seguite, vi porgono sicuro affidamento di

(1) Iud., 8.
(2) III, 1.
(3) II, 15.
(4) I Timoth. v, 22.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. X, p. 479.
(2) *Item*, vol. XII, p. 63.

vedervi crescere intorno un clero, il quale sia vostro gaudio e corona vostra.

Se non che il disordine d'insubordinazione e d'indipendenza, finora da Noi lamentato, in taluni del giovane clero va assai più oltre, con danni di gran lunga maggiori. Imperocchè non mancano di coloro, i quali sono talmente invasi da sì reprobo spirito, che, abusando del sacro ministero della predicazione, se ne fanno apertamente, con rovina e scandalo dei fedeli, propugnatori ed apostoli.

Fin dal 31 luglio 1894 (1) il Nostro Antecessore, per mezzo della Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari, richiamò l'attenzione degli Ordinari su questa grave materia. Le disposizioni e le norme date in quel pontificio documento Noi le manteniamo e rinnoviamo, onerando su di esse la coscienza dei Vescovi, perchè non abbiano ad avverarsi mai in veruno di loro le parole di Nahum profeta: *Dormitaverunt pastores tui* (2). — Nessuno può avere facoltà di predicare, *nisi prius de vita et scientia et moribus probatus fuerit* (3). I sacerdoti di altre diocesi non debbono ammettersi a predicare senza le lettere testimoniali del proprio Vescovo. — La materia della predicazione sia quella indicata dal Divin Redentore, là dove disse: *Praedicate evangelium* (4).... *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (5). Ossia, come commenta il Concilio di Trento: *Annunciantes eis vitia, quae eos declinare, et virtutes quae sectari oportet, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant* (6). — Quindi si bandiscano del tutto dal pulpito gli argomenti più acconci alla palestra giornalistica ed alle aule accademiche che al luogo santo; si antepongano le prediche morali a conferenze. il men che possa dirsi, infruttifere; si parli *non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* (7). Perciò la fonte precipua della predicazione devono essere le Sacre Scritture, intese, non già secondo i privati giudizi di menti il più delle volte offuscate dalle passioni, ma secondo la tradizione della Chiesa, le interpretazioni dei Santi Padri e dei Concilî.

Conformemente a queste norme, Venerabili Fratelli, egli è d'uopo che voi giudichiate di coloro, ai quali vien da voi commesso il ministero della divina parola. E qualora troviate che talun di essi, più cupido degli interessi proprii che di quelli di Gesù Cristo, più sollecito di plauso mondano che del bene delle anime, se ne allontani; e voi ammonitelo, correggetelo; e se ciò non basti, rimovetelo inesorabilmente da un ufficio, di cui si manifesta affatto indegno. — La quale vigilanza e severità tanto più dovete voi adoperare, perchè il ministero della predicazione è tutto proprio di voi ed è parte precipua dell'ufficio episcopale; e chiunque oltre di voi lo esercita, lo esercita in nome vostro ed in vostro luogo; ond'è che resta sempre a voi il rispondere innanzi a Dio del modo col quale viene dispensato ai fedeli il pane della parola divina. — Noi, per declinare da parte Nostra ogni responsabilità, intimiamo ed ingiungiamo a tutti gli Ordinarii di rifiutare o di sospendere, dopo le caritatevoli ammonizioni, anche durante la predicazione, qualsivoglia predicatore, sia del clero secolare sia del regolare, il quale non ottemperi pienamente alle ingiunzioni della precitata Istruzione emanata dalla Congregazione dei Vescovi e Regolari. Meglio è che i fedeli si contentino della semplice omelia e della spiegazione del Catechismo fatta dai loro parroci, anzichè dover assistere a predicazioni che producono più male che bene.

Un altro campo, dove tra il giovane clero si va trovando purtroppo ansa ed eccitamento a professare e propugnare la esenzione da ogni giogo di legittima autorità, è quello della così detta azione popolare cristiana. Non già, o Venerabili Fratelli, perchè questa azione sia in sè riprovevole o porti di sua natura al disprezzo dell'autorità; ma perchè non pochi, fraintendendone la natura, si sono volontariamente allontanati dalle norme che a rettamente promuoverla furono prescritte dal Predecessore Nostro d'immortale memoria (1).

Parliamo, ben l'intendete, della Istruzione, che circa l'azione popolare cristiana emanò, per ordine di Leone XIII, la Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari, il 27 gennaio 1902 (2), e che fu trasmessa a ciascun di voi, perchè nelle rispettive diocesi ne curaste l'esecuzione. — Questa Istruzione altresì Noi manteniamo, e colla pienezza di Nostra potestà ne rinnoviamo tutte e singole le prescrizioni; come pure confermiamo e rinnoviamo tutte le altre da Noi stessi all'uopo emanate nel *Motu proprio* del 18 dicembre 1903 (3) *De populari actione christiana moderanda*, e nella Lettera circolare del diletto figlio Nostro il Cardinale Segretario di Stato, in data 28 luglio 1904 (4).

In ordine alla fondazione e direzione di fogli e periodici, il clero deve fedelmente osservare quanto è prescritto nell'art. 42 della Costituzione Apostolica « *Officiorum* » (5): *Viri e clero... prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.* — Parimente, senza il previo assenso dell'Ordinario, niuno del clero può pubblicare scritto di sorta, sia di argomento religioso o morale, sia di carattere morale, sia di carattere meramente tecnico. Nelle fondazioni di circoli e società, gli statuti e regolamenti debbono previamente esaminarsi ed approvarsi dall'Ordinario. — Le conferenze sull'azione popolare cristiana o intorno a qualunque altro argomento, da nessun sacerdote o chierico potranno essere tenute senza il permesso dell'Ordinario del luogo. — Ogni linguaggio che possa ispirare nel popolo avversione alle classi superiori, è e deve ritenersi affatto contrario al vero spirito di carità cristiana. — È similmente da riprovare nelle pubblicazioni cattoliche ogni parlare, che, ispirandosi a novità malsana, derida la pietà dei fedeli ed accenni a *nuovi orientamenti della vita cristiana, nuove direzioni della Chiesa, nuove aspirazioni dell'anima moderna, nuova vocazione sociale del clero*, nuova civiltà cristiana, e simili. — I sacerdoti, specialmente i giovani, benchè sia lodevole che vadano al popolo, debbono nondimeno procedere in ciò col dovuto ossequio all'autorità e ai comandi dei Superiori ecclesiastici. E pure occupandosi, con la detta

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. II, p. 381.
(2) III, 18.
(3) Conc. Trid., Sess. V, cap. 2, *De Reform.*
(4) Marc. XVI, 15.
(5) Matth. XXVIII, 20.
(6) Loc. cit.
(7) I Cor. II, 4.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. IX, p. 9.
(2) *Item*, vol. X, p. 72.
(3) *Item*, vol. XI, 483.
(4) *Item*, vol. XII, p. 303.
(5) *Item*, vol. V, p. 4.

subordinazione, dell'azione popolare cristiana, deve essere loro nobile còmpito « di togliere i figli del popolo alla « ignoranza delle cose spirituali ed eterne, e con industriosa « amorevolezza avviarli ad un vivere onesto e virtuoso; « riaffermare gli adulti nella fede dissipandone i contrari « pregiudizi, e confortarli alla pratica della vita cristiana; « promuovere tra il laicato cattolico quelle istituzioni, che « si riconoscano veramente efficaci al miglioramento morale « e materiale delle moltitudini; propugnar sopra tutto i « principî di giustizia e carità evangelica, ne' quali trovano « equo temperamento tutti i diritti e i doveri della civil « convivenza... Ma abbiano sempre presente, che anche in « mezzo al popolo il sacerdote deve serbare integro il suo « augusto carattere di ministro di Dio, essendo egli posto « a capo dei fratelli *animarum causa* (1); qualsivoglia ma« niera di occuparsi del popolo, a scapito della dignità sa« cerdotale, con danno dei doveri e della disciplina eccle« siastica, non potrebbe essere che altamente riprovata » (2).

Del resto, Venerabili Fratelli, a porre un argine efficace a questo fuorviare d'idee e a questo dilatarsi di spirito di indipendenza, colla Nostra autorità proibiamo d'oggi innanzi assolutamente a tutti i chierici e sacerdoti di dare il nome a qualsiasi società che non dipenda dai Vescovi. In modo poi più speciale, e nominatamente, proibiamo ai medesimi, sotto pena pei chierici d'inabilità agli Ordini sacri e pei sacerdoti di sospensione *ipso facto a divinis*, di ascriversi alla *Lega democratica nazionale*, il cui programma fu dato da Roma-Torrette il 20 ottobre 1905, e lo Statuto, pur senza nome dell'autore, fu nell'anno stesso stampato a Bologna presso la Commissione Provvisoria.

Sono queste le prescrizioni, che, avuto riguardo alle condizioni presenti del Clero d'Italia, ed in materia di tanta importanza, esigeva da Noi la sollecitudine dell'Apostolico ufficio. — Ora altro non Ci resta, che aggiungere nuovi stimoli al vostro zelo, Venerabili Fratelli, affinchè tali disposizioni e prescrizioni Nostre abbiano pronta e piena esecuzione nelle vostre diocesi. Prevenite il male dove fortunatamente ancor non si mostra; estinguetelo con prontezza dov'è sul nascere; e dove per isventura sia già adulto, estirpatelo con mano energica e risoluta. Di ciò gravando la vostra coscienza, vi imploriamo da Dio lo spirito di prudenza e fortezza necessaria. Ed a tal fine vi impartiamo dall'intimo del cuore l'Apostolica Benedizione.

Dato a Roma presso S. Pietro, il 28 luglio 1906, anno terzo del Nostro Pontificato.

PIVS PP. X.

IV.

Pius X gratias dicit Epo Tarbien. de voluntate exornandi cryptam erectam in hortis vaticanis honori B. Mariae Virg. Lapurdensis.

À NOTRE CHER FILS FRANÇOIS-XAVIER SCHOEPFER ÉVÊQUE DE TARBES.

Cher Fils,

La première fois que Nous avons visité les jardins du Vatican Nous avons été surpris de devoir constater que devant la sainte image de la Vierge de Lourdes il n'y avait pas une lampe ou autre signe de culte. Nous en avons parlé à Mgr Radini-Tedeschi lors de son retour à Rome, en lui exprimant Notre désir que la grotte fût embellie et pourvue de tout le nécessaire pour pouvoir y célébrer la Sainte Messe. — Mais puisque vous, cher Fils, en union avec les fidèles de votre diocèse, vous avez le mérite d'avoir conçu l'idée de faire ce beau don à Notre vénéré prédécesseur Léon XIII de sainte mémoire, et que par votre lettre du 16 courant vous exprimez le désir d'embellir la grotte de Lourdes au Vatican, il Nous est doux de dire tout Notre reconnaissance et d'implorer du Ciel l'abondance des grâces divines pour tous ceux qui apporteront leur concours à la réalisation de Notre désir. — Oui, Nous en avons la confiance, la Vierge Immaculée, dont l'intercession est si puissante à l'ombre de la grotte bénie de Massabielle, acceptera ce témoignage de piété filiale, et dans le courant de cette année jubilaire Elle exaucera les prières qui Lui seront adressées ici comme à Lourdes, pour la conversion des pécheurs et pour la paix et la liberté de la Sainte Eglise. Merci donc, cher fils, de votre noble et généreuse offrande, et comme gage de Notre reconnaissance et de Notre affection spéciale, recevez pour vous et pour tous ceux que Dieu a confiés aux soins de votre zèle pastoral, la bénédiction Apostolique.

Rome, du Vatican, le 21 janvier 1904.

PIVS PP. X.

V.

Pius X commendat ephemeridem edendam ab alumnis Collegii Latini Americani de Urbe.

DILECTIS FILIIS ALOISIO CAPPELLO S. I. MODERATORI COLLEGII PII LATINI AMERICANI IN URBE EIUSDEMQUE COLLEGII ALUMNIS.

PIVS PP. X.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Magnam equidem habet utilitatem inter alumnos qui in Collegio Latino Americano degunt eosque, qui, confecto studiorum curriculo, in patriam remearunt, coniunctionem animorum servari ac veluti operis communionem. Hinc enim qui adhuc formandi sunt stimulos sibi adiici sentiunt ad fructus eruditionis rite percipiendos. Inde vero, qui iam sacro ministerio in patria occupantur, exactos in ephebeo annos memoria repetentes, suscepta ibi proposita instaurant et alacriore studio persequuntur. Hanc in rem magnopere conferunt ephemerides, quae statis temporibus in Collegio eduntur; quibus factorum notitia tum praesentium tum veterum alumnorum, rerumque Collegii continetur. Consilium igitur editionis eiusmodi libenti Nos commendatione honestamus. Et quia Collegium urbanum Americae Latinae haud minori, quam Decessores Nostri, benevolentia complectimur, faustitatem omnem illi a Domino adprecamur. Cuius sit pignus Apostolica Benedictio, quam Moderatori Magistris, alumnis universis tum qui sunt, tum qui fuerunt, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die IX Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

(1) S. Greg. Magn. *Regul. Past.* Pars II, c. VII.
(2) Ep. Encycl., 8 Dec. 1902.

VI.

Pius X grates agit Imperatori Germaniae de accepto primo volumine operis ad illustrandum Xystinum Sacrarium editi.

Augustissimo Serenissimoque Principi Guilelmo Germaniae Imperatori Borussiae Regi illustri.

PIVS PP. X.

Augustissime et Serenissime Imperator, salutem et felicitatem.

Primum operis volumen, quod ad Xystinum illustrandum sacrarium Ernestus Steinmann, doctor, edere est aggressus, pergrate a Maiestate Tua dono suscepimus, gratiasque Eidem quam plurimas de praeclaro munere agimus. Novum inde haurire placet argumentum humanitatis urbanitatisque, quae in praenobili ac munifico Maiestatis Tuae animo elucent ac splendent; libetque gratulari etiam vehementer quod ad rem tanti tamque explorati decoris favorem omnem ac liberalitatem Tua Maiestas contulerit. Id interea gaudemus, doctoris Germanici studio novum artis monumentum e Vaticanis aedibus fuisse profectum, semperque id genus opera in eruditis Germaniae viris laudabimus, quum non minus eadem ad Nostram illustrandam Sedem, quam ad comparandam Imperio isti gloriam conducant. Maiestati Tuae omnique Augustae Ipsius Domui faustissima quaeque exoptamus, Deumque adprecamur ut Maiestatem Tuam incolumem diutissime servet.

Datum Romae apud S. Petrum, die IX Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

VII.

Pius X grates agit pro Sibi oblato volumine de Ioanna Arcensi.

Dilecto Filio Henrico Debout, Canonico Atrebatum.

PIVS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Oblatum dono volumen, quod de Ioanna Arcensi, deque Atrebatensi ac Tornacensi urbibus per hos dies emisisti, studia, quibus totus multa ab aetate vivis, maiorem in modum commendat, opusque longe maius auspicato portendit, quod de eadem virgine, uti nunciasti, paras. Quaedam a te admirandae vitae capita pleniore fuisse lumine illustrata, non sine laetitia conspicimus; ars enim, quam pulchre tractatio praesefert, id efficit ut exantlatae a fortissima puella aerumnae clariore virtutes eius ornamento condecorent. Quod vero prope iam fere est ut edatur amplioris molis opus, in quo universa descripta atque illustrata contineantur, quae ad historiam Ioannae Venerabilis pertinent, illud et cum iucunditate novimus et cum desiderio expectamus. Omnino erit id tua dignum industria, doctrina et pietate: erit etiam nobilitati sanctitatique consentaneum gestorum Ioannae, quippe ea prae caeteris decet fusiore calamo curisque impensioribus prosequi, e quibus virtuti publicae possunt splendidiora exempla manare. Auspicem divinorum munerum Nostrique grati animi testem, Apostolicam benedictionem peramanter tibi impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 28 Iulii 1904, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

VIII.

Pius X gratulatur Archiepo Armachano de felici dedicatione templi S. Patricii.

Dilecto Filio Nostro Michaëli tit. S. Mariae Paciferae S. R. E. Presb. Card. Logue, Archiepiscopo Armachano, Armacham.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quod publicus rumor iam detulerat tuae Nobis litterae confirmarunt, dedicationem videlicet novi Templi, Deo in honorem Sancti Patricii sacri, feliciter ac secundum spem omnium splendidissime cessisse. Gratulamur tibi praeclaro factum catholicisque Hiberniae universis, eo praesertim quod celebritas ista novo testimonio patefecerit quam alte fides in Hibernorum animis haereat quamque ii indivulse cum Beati Petri Cathedra coniungantur. Gratias tibi praeterea de officiosis litteris peramanter agimus; atque ut benevolentiam iterum testemur, qua Hibernorum gentem complectimur, Apostolicam benedictionem, munerum divinorum auspicem, tibi caeterisque Episcopis, nec non clero ac fidelibus universis effuso corde impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 9 Augusti 1904, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X.

IX.

Pius X gratias reddit Eugenio Archiduci Austriae, pro legatis Equitibus, ex Ordine Teutonico.

Dilecto Filio Eugenio Archiduci Austriae, Summo Teutonici Ordinis Magistro.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Libenti omnino voluntate et eo, quo par erat, honore illustres Equites excepimus ex Teutonico Ordine, quos Imperatoria ac Regia Celsitudo Tua ad Nos nuper legandos curavit. Ab iis, Tuo totiusque Ordinis nomine, qui Tuo gaudet magisterio, fidei et obedientiae sensus confirmatos audivimus, quos in Apostolicam Sedem fovistis semper: simul vero duplex est munus oblatum, alterum petrianae stipis ad angustias Nostras levandas, alterum iconicae effigiei Tuae, mirae artis operis. Reddere quas mereris gratias, differre diutius nolumus; reddimusque cummaximas. Tibi autem et Ordini Teutonico universo benevolentiam Nostram testamur singularem. Quam ut gratiis suis foecundet Deus, enixe exoramus: atque ideo Apostolicam benedictionem Celsitudini

Tuae I. ac R. singulisque Equitibus amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 17 Octobris 1904, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

E S. R. UNIV. INQUISITIONE

SSmus concedit ut presbyteri saeculares sexagenarii in Hispania... praecisione facta ab eorum maiori vel minori robore, uti carnibus possint feriis II et III maioris Hebd., sicut fideles laici.

Romae ex aedibus S. Officii, die 31 Martii 1906.

Em.me ac Rev.me Domine mi Observantissime,

Litteris datis die 15 Januarii anni currentis, Revmus istius Ecclesiae Cathedralis Canonicus Poenitentiarius, ut consultationibus sibi factis ex diversis Hispaniae provinciis faceret satis, sequentes quaesitus E.mo Domino Cardinali Poenitentiario Maiori proponebat:

1° Utrum in Hispania Presbyteri saeculares sexagenarii, vi Bullae Cruciatae et indulti pro carnibus vescendis, praecisione facta ab eorum maiori vel minori robore vel infirmitate, uti carnibus possint feria secunda et tertia Maioris Hebdomadae, sicuti fideles laici?

2° Et quatenus negative: Utrum illos oporteat generali dispensatione ad huiusmodi usum communire?

Re ad Supremam hanc Congregationem S. Officii delata et in generali conventu habito fer. IV die 28 curr. mensis mature discussa;

Ad I^{um} Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinales una mecum Inquisitores Generales respondendum decreverunt: Negative.

Ad II^{um} vero SS.mus D. N. in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, eorumdem Eminentissimorum Patrum voto inhaerens, benigne declarare dignatus est Presbyteros saeculares sexagenarios in Hispania, vi Bullae Cruciatae et indulti pro carnibus vescendis, praecisione facta ab eorum maiori vel minori robore vel infirmitate, uti carnibus posse feriis II et III Maioris Hebdomadae, sicut fideles laici.

Quod dum ad Eminentiae Tuae notitiam, ut mei muneris est, deferre propero, impensos altissimae aestimationis meae sensus testatos volo Tibi, cui manus humillime deosculor. — Eminentiae Tuae — Humillimus et Addmus. verus famulus

S. Card. VANNUTELLI.

Em.mo ac Rev.mo Domino

D. Card. Sancha y Hervas, Arch. Toletano.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

Canonicis Cathedralis Aesinae conceditur usus vestis talaris cum zona violacei coloris in sollemnioribus diebus anni festis.

Cum. R. P. D. Ioannes Baptista Ricci, Aesinae dioecesis Episcopus, canonicis suae ecclesiae Cathedralis ob iamdiu probatum eorum erga se studium, sedulamque quam in muneribus ipsis commissis obeundis navant operam, aliquod benevolentiae suae testimonium praebere cuperet, SSmo Dno Nostro Pio PP. X, litteris die 2 Maii hoc anno datis, humiles porrexit preces ut iisdem facultatem induendi vestem talarem violacei coloris, absque tamen syrmate, cum zona coloris eiusdem sollemnioribus diebus anni festis, primae nempe classis ritus duplicis, aliisque quibus Episcopus sacra in pontificalibus facit, vel divinis officiis sacris vestibus aut cappa magna indutus interest, benigne concedere dignaretur.

Sanctitas Sua, me referente infrascripto Sacrae Congr.nis rebus Consistorialibus expediendis praepositae Substituto, omnibus mature perpensis, attentis expositis, ad splendorem divini cultus augendum, atque in propensae Suae erga Aesinae Cathedralis ecclesiae canonicos voluntatis testimonium, quo ipsi animarum saluti curandae, aliisque muneribus obeundis alacriori in dies studio dent operam, oblatas preces benigne excipere dignata est.

De Apostolicae itaque potestatis plenitudine, Beatitudo Sua, omnes ac singulos Cathedralis ecclesiae Aesinae canonicos actu exsistentes, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis poenis et censuris, sive a iure sive ab homine, quovis modo vel quavis de causa latis si quas fortasse incurrerint, huius tantum rei gratia absolvens et absolutos fore censens, iisdem, eorumque in perpetuum legitimis successoribus, facultatem benigne concedere dignata est ut sollemnioribus diebus anni festis, primae nempe classis ritus duplicis, aliisque quibus Episcopus sacra in pontificalibus peragit, vel sacris vestibus aut cappa magna indutus divinis officiis adstat, intra limites Aesinae dioecesis, vestem talarem violacei coloris, absque tamen syrmate, cum zona coloris eiusdem licite ac valide gestare possint ac valeant, servatis de iure servandis, praesertim ritualibus dispositionibus, et in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Hisce autem super rebus idem SSmus Dnus Noster praesens edi iussit consistoriale decretum, perinde valiturum ac si Litterae Apostolicae in forma Brevis super praemissis expeditae fuissent, cuius exsecutionem cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi in eumdem finem quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, committi voluit eidem R. P. D. Aesino Antistiti et decretum ipsum inter acta Sacrae huius Congregationis Consistorialis referri mandavit.

Datum Romae, hac die 19 Maii anno Dni 1905.

Pro R. P. D. Secretario, IULIUS GRAZIOLI,

S. Congr. Consistorialis et Sacri Collegii *Substitutus.*

L. ✠ S.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 28 Iulii 1906, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda:

A. — Per Summaria Precum.

I. Ravennaten. — Nominationis caeremoniarii. — R. *Non proposita.*

II. Tiburtina. — Erectionis fontis baptismalis. — R. *Pro gratia erectionis fontis baptismalis in unaquaque Paroecia iuxta petita, firmo tamen iure fidelium, si velint, deferendi infantes ad Cathedralem pro suscipiendo baptismate, facto verbo cum SSmo et ad mentem.*

III. Nicosien. — Reductionis Canonis. — R. *Dilata et ad mentem.*

B. — In folio.

I. Parisien. — Nullitatis matrimonii. — R. *Dilata et compleantur acta iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio.*

II. Varsavien. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

III. Imolen. — Nullitatis matrimonii. — R. *Sententiam esse confirmandam et supplicandum SSmo pro opportunis dispensationibus ad effectum matrimonii in casu, praevia separatione Iosephi a Virginia per aliquot dies, et reparato scandalo prudenti iudicio Episcopi.*

IV. Nanceyen. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

V. Calatayeronen. — Redditionis rationum. — R. *Ad 1um Negative. Ad 2um Provisum in primo. Ad 3um Acquiescant.* (Sub-secreto).

VI. Neapolitana. — Iurispatronatus. — R. *Sententiam esse confirmandam.*

VII. Derthonen. — Finium parochialium. — R. *Sententiam esse confirmandam.*

A. — Per Summaria precum.

4830/5

II.

Tiburtina. — Erectionis Fontis Baptismalis.

Quamvis cathedralis ecclesia Tiburtina ius habuerit usque nunc exclusivum retinendi unicum fontem baptismalem pro septem paroeciis totius civitatis, attenta tamen animarum utilitate, et non obstante Capituli oppositione, concessum est singulis paroeciis ius habendi proprium fontem... ad mentem; mens vero nonnulla puncta practica parvi momenti respicit.

In civitate Tiburtina septem adsunt paroeciae. Verum unicus fons baptismalis est in ecclesia Cathedrali, quae etiam est paroecialis. Usque ab antiquissimo aevo singuli sex parochi qui s. fontem in sua ecclesia non habent, accedere solent ad Cathedralem pro collatione baptismi respectivis neonatis paroecianis, illique cedunt emolumenta tenuia seu oblationes traditae occasione administrationis huius sacramenti, dum inservientes Cathedralis, qui tantum baptismi collationi assistunt, aliquando etiam ipsi parva incerta lucrantur. Baptizatorum nomina ab unoquoque parocho rite describuntur, in libro ad hoc parato qui in Cathedrali asservatur: hinc fit quod attestationes recepti baptismi non a parochis sed a Capitulo relinquuntur et huius favore emolumenta cedunt.

Novissime sex parochi sive ex mutatis temporum circumstantiis, sive ex aucto fidelium numero, ab H. S. C. per supplicem libellum expostularunt ut sibi indulgeretur gratia in sua quaque ecclesia paroeciali erigendi baptismalem fontem, non obstante Capituli Cathedralis oppositione, sicuti iam nuper concessum fuerat duabus paroeciis loci Vallecorsa, ut ex causa *Caietana* diei 23 Ianuarii 1904 (1) eruitur. Preces a Praesule Tiburtino commendabantur. Sed Capitulum in sua allegatione haec apponit.

In primis reiiciendam censet paritatem cum casu oppidi Vallecorsa; nam ibi sermo erat de paroeciali Ecclesia aut simplici aut Collegiata quae praetendebat ius sibi exclusivum fontis vindicare, dum Ecclesia quae in casu praesenti idem ius sibi asserit est Ecclesia ipsa Cathedralis. In *Caietana*, responsum datum aiunt Capitulares favore parochorum praetendentium fontis baptismalis in propria ecclesia erectionem contra Parochum Collegiatae S. Martini, eo quod certo non constiterat de iure matricitatis huius respective ad ecclesias praetendentes; in casu vero praesenti agitur de Ecclesia Cathedrali, quae respectu ad caeteras Ecclesias absque ulla ambiguitate, cum sint apertissimi iuris textus, reputari debet matrix. Ad rem invocatur auctoritas Doctorum in interpretatione tituli XXIV *de Paroeciis* et praesertim Fagnan. qui in *cap. Cum contingat....* haec ponit principia: Regulariter eadem Ecclesia *(Cathedralis)* est Parochialis et baptismalis, in qua fons Baptismi est erectus pro aliis paroeciis, quae ecclesiae baptismales non sunt, sed pure Parochiales, quia fideles iam baptizati in eis recipiunt alia sacramenta, licet ibi non baptizentur, sed in baptismali quae ideo vocatur Ecclesia matrix, quia in illa regenerantur homines per Baptismum quae ordinarie est etiam Curata Parochialis.

Hoc autem ius matricitatis et hinc privilegium habendi exclusive fontem baptismalem ab antiquissimo tempore Ecclesiis Cathedralibus competit: quin imo dici potest inde a prima paroeciarum institutione existere. Nota enim sunt quae docet Benedictus XIV in *Instit. Eccl.* in principio *Iae Inst.* In origine nonnisi in Ecclesia in qua erat cathedra Episcopi erant baptisteria, et penes eamdem exclusive usque ad saec. III cura Parochialis exercebatur. Unicus fons et unicus minister ordinarius, Episcopus nempe, erant aperta argumenta unitatis fidei. Progressu temporis constitutae sunt Ecclesiae Collegiatae quibus et cura animarum commissa fuit, et nonnisi serius erectae fuere proprie dictae independentes Ecclesiae Paroeciales vel in ipsa urbe Episcopali vel ruri.

Forma igitur originaria paroeciarum fuit ut unica consisteret cum unico pastore episcopo, et hinc unicus fons in unica Ecclesia cathedrali; successit serius sub forma derivata et quasi exceptionali ut ecclesiae erigerentur cum cura animarum. Est igitur originarium in ecclesia cathedrali ius parochialitatis et consequenter fontis baptismalis; derivatum vero et exceptionale pro aliis ecclesiis. Hinc nil vetabat ut in erectione istarum ius fontis baptismalis privative esset reservatum uni ecclesiae cathedrali, quae sic perseverabat unica ecclesia baptismalis.

Age vero, pro ecclesia Cathedrali Tiburtina id reapse con-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 14.

tigisse ex duplici facto capitulares evincere satagunt. Primum arguunt ex eo, quod praeter nunc existentes paroeciales ecclesias, aliae Tibure non paucae et nobilitate et antiquitate pollentes excitatae fuere, sed penes ullam earum erectus fuit fons baptismalis si ecclesiam Collegiatam excipias S. Petri, quae tamen ius fontis amisit eo ipso quo collegiata desinit esse et unita mansit ecclesiae Cathedrali. Alterum factum est quod inde ab anno 1560 usque ad praesens liber baptizatorum extitit semper et servatus fuit apud ipsam ecclesiam Cathedralem.

Praeterea Capitulares contendunt duo absolute requiri pro facienda concessione erectionis novi fontis baptismalis: 1. Ut absit laesio iuris alterius. – 2. Ut extet gravis necessitas. Atqui in themate haec duo exulant. Siquidem vitari nequit laesio iuris ipsius ecclesiae Cathedralis, cum parochus eiusdem privetur per novam erectionem fontium emolumentis ipsi obvenientibus ex attestationibus fidem facientibus, quas excerpit ex baptizatorum libris; inservientes quoque eiusdem Ecclesiae non amplius fruuntur illis pecuniariis incertis, quae percipere solent, absque parochorum praeiudicio, occasione administrationis sacramenti baptismatis. Nec pariter adest alia ratio, gravis scilicet necessitatis. Nam populi numerus etsi hisce ultimis temporibus auctus sit, non ita tamen crevit ut novorum fontium baptismalium merito praetendi erectio debeat. Nam incolae Tiburtini, qui ex 9000 hodie ascenderunt ad 15000, idem territorium ferme occupant quod prius, cum ampliores fabricae excitatae sint ferme omnes intra antiqua moenia; viarum accessus ex alia parte admodum commodior est effectus; nec pariter obiici potest longinquitas itineris.

Quae omnia evincunt, iuxta Capitulares quod si nulla necessitas adfuit anteacto tempore, uti novi fontes baptismales erigerentur, multo minus recurrit in praesens talis necessitas. Relate autem ad incommodum certe non extraordinarium, quod sustinere debent parochi in accessu ad ecclesiam Cathedralem, hoc abunde compensatur ab aliis commodis quae ipsis obveniunt ex dicta fontis unicitate, uti exempli causa occurrit pro attestationibus ex libris baptizatorum extrahendis, in inquisitionibus pro redigendo schemate genealogico alicuius familiae, et aliis eiusdem generis, quae attestationes et inquisitiones facilius et expeditius obtineri valent.

Quin parochi obtendant aliquando sibi impossibile fere esse accedere ad ecclesiam Cathedralem, eo quia aliis occupationibus ita detinentur, ut eas omittere nequeant. Reponunt enim Capitulares, hoc inconveniens evitari posse per cappellani deputationem qui parochum suppleat, quando ipse accedere nequeat. Sacerdos vero deputandus posset esse sacrista minor vel alius beneficiatus ecclesiae Cathedralis, pro quo satis esset quod parochi de communi consensu aequam compensationem statuerent; Capitulum vero non se alienum exhiberet a consensu praestando pro dispensatione obtinenda a chori servitio, quando ille huiusmodi munus exercet.

Demum quoad numerum auctum baptizandorum et obtentam a Parochis difficultatem accedendi ad Cathedralem Ecclesiam, hoc exploditur per votum ab Archidiacono Coccanari emissum et a Capitulo approbatum.

Ex adverso sex Parochi civitatis Tiburtinae in suis allegationibus typis vulgatis et mihi exhibitis contendunt petitam erectionem fontis baptismalis in suis Ecclesiis esse concedendam: 1° quia id a iure communi favetur; 2° ob inconvenientia derivantia ex unicitate fontis in Ecclesia Cathedrali; 3° quia id est in votis tum Episcopi tum totius populi Tiburtini; 4° demum quia argumenta pro gratiae denegatione nullo nituntur solido fundamento.

Primum suae orationis caput ineuntes recolunt cum Bened. XIV, *inst. Eccl. 1, n. 4*, antiquitus usque ad saeculum X solum Episcopum fuisse baptismi ordinarium ministrum: hinc nil mirum quod baptisteria tantum in Ecclesiis Cathedralibus extiterint. Decursu vero temporis ob auctum fidelium numerum, melius dioecesum finibus determinatis, et erectis paroeciis, Parochus coepit esse ordinarius baptismi minister, et hinc necessitas etiam in Ecclesiis habendi fontem baptismalem, uti refert Catalanus *ad rituale R. cap. 30, n. 8* « Sequentibus saeculis, quibus Parochi facti sunt ordinarii baptismi ministri, illudque ministerium pene totum ad illos fuit devolutum, tum quoque contigit, ut omnes passim erectae Ecclesiae parochiale baptisterium construxerint in quo omnes paroeciae incolae solemniter baptizarentur ». Quare non semel Concilia provincialia inculcarunt ut in unaquaque paroeciali Ecclesia adesset fons baptismalis, uti de Concilio Meldensi refert Frances *De Cathed. cap. 19, n. 25*, et de Viennensi tradit Roya *Inst. Can. lib. 4, tit. de Paroch.*, et non semel statuit S. Carolus Borromaeus in sua prima et tertia Synodo provinciali Mediolanensi.

Nec alia est doctorum et canonistarum sententia ut facile videre est apud Fuscum *De Visit. et regimine Eccl. lib. 1, cap. 7*, Barbosa *De Paroch., p. 2, cap. 18* et praesertim apud Crispino *Della visita pastorale, p. 2, n. 1, ibi.* « Il « buon Vescovo si porterà a visitare il battisterio ossia il « fonte battesimale, il quale regolarmente deve essere in « tutte le Chiese parrocchiali ». Quare S. Rota in una *Romana Iuris baptizandi* 13 Ian. 1733, *coram Samniat.* ait: « convenientissimum est omnes Ecclesias paroeciales suum habere fontem baptismalem, cum ita fiat, ut suus cuique pastor sacramenta administret ».

Traditae doctrinae consonam esse aiunt Parochi praxim H. S. C. pluribus resolutionibus inductam. Ita in una *Urbinaten.* diei 15 Iunii 1824, declaratum fuit: « Censuit S. C. in omnibus Ecclesiis parochialibus debere esse fontem baptismalem ». Ita in *Urbevetana* 3 Augusti 1748, concessa est novi fontis erectio licet unica Ecclesia baptismalis esset matrix: ita in nupera causa *Caietana* diei 23 Ianuarii data fuit facultas erigendi fontem baptismalem in aliis duabus Ecclesiis paroecialibus S. Angeli et S. Mariae loci Vallecorsa, licet Ecclesia Archipresbyteralis S. Martini unicitate fontis gauderet; et ita porro in aliis causis quae in dicta *Caietana* allegantur.

Sed erectio in paroecialibus Ecclesiis Tiburtinis nedum est maxime conveniens, sed etiam valde necessaria. Parochi id deducunt ex variis inconvenientibus, quae profluunt ex unicitate fontis in Ecclesia Cathedrali, et quae de die in diem augescunt. Haec primo desumuntur ex distantia Ecclesiae Cathedralis ab Ecclesiis paroecialibus, et ex difficultate accessus ad ipsam, praesertim hiemali tempore, ita ut vita baptizandorum in discrimen vocari queat. De distantia loci Moderator communitatis Tiburtinae haec ait: « La di« stanza delle singole Chiese parrocchiali dalla Cattedrale « di S. Lorenzo percorrendo la via carrozzabile è di m. 650 « per la Parrocchia di S. Vincenzo, 600 per S. Biagio, 550 « per S. Michele, 700 per S. Francesco, 400 per S. Giorgio « e 300 per S. Silvestro ». Notant Parochi quod in citata *Caietana* erectio fontis indulta fuit licet distantia duarum Ecclesiarum ab Ecclesia S. Martini non excederet 100 mensuras seu metra. Eadem Syndicus recitat quoad difficultatem accessus. « La Chiesa del Duomo si trova in luogo basso « e scosceso e di accesso disagevole nella stagione inver« nale ».

Alterum inconveniens oritur ex loco seu situ quo invenitur fons baptismalis in Cathedrali. Omisso enim quod hic situs est maxime humidus et ventosus, unde non raro pa-

rentes puerulorum vitae maxime solliciti, ad plures menses baptismi collationem differunt, Parochi insuper in suo recursu, ab Episcopo commendato, haec referunt: « Il Sacro « Fonte attualmente è situato in un andito, privo affatto « di luce, collocato tra la sagrestia e la gradinata dell'al- « tare maggiore, e perciò si trova nella parte più internale « della Cattedrale. Gli esorcismi di rito che si premettono « alla lavanda si devono eseguire in sagrestia in mezzo ad « un va e rivieni di persone, il che certamente non concilia « devozione e solennità a questo S. Ministero; e quando si « celebrano le solenni funzioni, per impedirne il disturbo a « causa della prossimità dell'altar maggiore, conviene lavare « colle acque lustrali i neonati in sacrestia con porta chiusa « e in forma puramente privata, dopo che si è fatto venire « il Parroco da tanta distanza ».

Insuper Parochi animadvertunt quod vigens praxis in maximum vergit detrimentum ministerii parochialis, praesertim si ratio habetur aucti numeri baptizandorum, qui dum antiquitus 20 vel 30 pro singulis paroeciis non excedebant, nunc ad 70 vel 100 progressi sunt uti in libro baptizatorum facile inspici potest. Haec difficultas etiam maior evadit si attendatur, quod infantes plerumque ex parentibus ruricolis vel operariis afferuntur pro baptismo tantum diebus festivis et dominicis, et Parochus cogitur non semel accedere ad Cathedralem, et inibi etiam aliquando per plures horas opperiri, ut neonati deferantur.

Nec Parochi in ministerio parochiali adiuvari possunt a familiis Regularium, uti fiebat ante religiosorum suppressionem: nam hae familiae in civitate Tiburtina disparuerunt si excipias P. Franciscanos Minores, et religiosos Ordinis Praedicatorum. Hi vero in parvo numero cum commissas habeant duas paroecias incolis frequentiores, nempe Fratres Minores paroeciam S. Crucis et Fratres Praedicatores paroeciam S. Blasii, eorum Parochus a duobus vel tribus suis confratribus adiutus vix munus suum adimplere valet, quia religiosi coadiutores vel sunt senes vel mala affecti valetudine. Hinc his duobus Parochis praecipue admodum grave est petere Ecclesiam Cathedralem diebus festivis pro baptismi collatione: proinde hi maxime instant pro erectione fontis baptismalis in suis Ecclesiis.

Aliud non minoris ponderis inconveniens est circa libros baptismales. Iuxta canonici iuris sanctiones unusquisque Parochus baptizatorum librum retinere deberet in paroeciae archivio caute custodiendum. At in casu, unicus baptizatorum codex habetur, et a Capitulo « viene lasciato senza la « debita custodia o sovra un armadio della sacrestia, op- « pure dentro una piccola credenza senza serratura, di modo « che ciascuno può leggere il contenuto, e colla massima « facilità qualche persona malevola potrebbe o strappare i « quinterni oppure rubarlo; ciò che non può avvenire degli « altri registri particolari conservati negli archivi delle sin- « gole parrocchie ».

Demum Parochi recurrentes observant quod erectio fontis extantibus praefatis adiunctis aliquando etiam concessa fuit Ecclesiis filialibus et non parochialibus; et iure merito quia salus animarum in themate debet esse suprema lex. Hinc S. Carolus Borromaeus in 3ª provinciali Synodo tradit, quod ex concessione Episcopi fons baptismalis in Ecclesiis non parochialibus erigi potest, quando Ecclesia paroecialis nimis distet: id etiam concessum fuit ab H. S. C. pro oppido Itri an. 1900, uti apparet ex una *Gaietana* eiusdem anni: et nuper Episcopus Tiburtinus iussit erectionem S. Fontis in Ecclesia S. Symphorosae prope *Bagni di Tivoli*, quae parochialis non est, sed dependens a paroecia S. Silvestri, in qua tamen fons baptismalis adhuc desideratur. Si itaque, concludunt Parochi, erectio fontis baptismalis ex iustis causis permitti etiam solet in Ecclesiis filialibus et non parochialibus, id potiori iure valere debet in casu quo agitur de Ecclesiis parochialibus et independentibus.

Quoad tertium allegationis punctum, nempe quod expetita erectio fontis sit in votis tum civium Tiburtinorum, tum Episcopi, rem aiunt, in promptu esse et paucis absolvunt.

In ultimo allegationis capite Parochi evertere conantur difficultates, seu argumenta quae ex adverso afferri possunt. Primum et potius argumentum quod assistere potest Capitulo, in consuetudine est fundatum. Sed reponunt Parochi: haec consuetudo ex mutatis circumstantiis est effecta potius iuris corruptela, cum in religionis et boni spiritualis fidelium dispendium nunc vergat. Hinc est improbanda et tollenda iuxta *cap. ult. titul. 4, De consuetud.*

Antiquitus enim, uti referunt Parochi Episcopo confirmante, recensebantur 18 paroeciae, et populus non ita frequens erat uti in praesens, et accessus parochorum ad Cathedralem pro collatione baptismi non ita frequenter in anno fiebat, uti nunc accidit quo paroeciae 7 habentur et incolae Tiburtini fere usque ad dimidium succrevere. Insuper, antiquitus Parochi ex Apostolica dispensatione erant insimul canonici, hinc difficultas conferendi baptismum aberat quia per se illum conferre poterant praesentes in Cathedrali, interim ministerio paroeciali consulentes per substitutum. At hodie longe alia res est; ipsi duplici beneficio non amplius fruuntur, et uti Parochi tenues percipiunt redditus, qui insufficientes prorsus sunt ad manutentionem Cappellani.

Quin ex adverso opponatur, recensitis incommodis occurri posse per constitutionem simplicis presbyteri, aut etiam deputationem beneficiati in Cathedrali, qui paratus sit toties quoties nomine Parochorum baptismum administrare (Cappellano battezziere) et cui satis esset tenuis retributio de bono et aequo determinanda.

Nam subiiciunt Parochi, tali ratione non adhuc essent remota omnia inconvenientia: praeter quam quod enim Parochi essent impediti ab exercendo nobili munere, fieri etiam posset ut pro patrinis reciperentur personae minus dignae utpote non cognitae Cappellano baptizanti: insuper haec praxis Parochorum incerta imminueret.

Quod si demum erectio fontis baptismalis aliquando etiam Ecclesiis parochialibus fuit denegata, Parochi Capitularibus id opponentibus respondent, hoc evenisse vel quia non aderat urgens necessitas, vel quia iustitiae laesio intercedebat. Sed contrarium in themate evenire superius iam visum est: ergo, Parochi recurrentes concludunt, nihil obstare quominus petita erectio fontis baptismalis sibi indulgeatur.

Rationibus hinc inde a partibus adductis sequentia videntur posse adiici. Iuxta Concil. Trid. *sess. 21, cap. 4, de Reform.*, fons baptismalis non ita est connexus Ecclesiae paroeciali, ut ab ea non posset disiungi: nam iuxta citatum caput dari possunt Ecclesiae baptismales, quin sint parochiales; inibi enim dicitur *in Ecclesiis parochialibus vel baptismalibus.* Et reapse si in praxi res inspiciatur, non eadem viget disciplina ubique quoad S. Fontem. Extra Italiam adest consuetudo Synodis etiam provincialibus firmata, ut singulae paroeciales Ecclesiae fonte baptismali sint instructae: in Italia vero plures adsunt civitates etiam nobilissimae, in quibus unicus tantum extat fons baptismalis, licet plures adsint paroeciae, uti in civitate Florentina, Bononiensi, Pisana, Ravennatensi, Senensi, Urbinatensi et pluribus aliis, et id fortasse contigit ut vestigium aliquod sit servatum primaevae disciplinae, iuxta quam antiquitus fons baptismalis tantum extabat in Ecclesia Cathedrali.

Huius privilegii Ecclesiam hucusque fuisse retinentissimam ex duobus potest argui. Primo ex facto Bened. XIV qui cum esset Archiepiscopus Bononiensis fontem baptismalem

noluit concedere Ecclesiis paroecialibus Bononiensibus, licet ageretur de perampla civitate, nulla ratione habita incommodi incolentium remotiores civitatis partes, et rerum *novarum minime cupidus* ut ipse ait in nuper citata *Instit. Eccl. n. 8.* Alterum factum est quod H. S. C. Benedicti XIV vestigiis inhaerens non semel hanc doctrinam amplecti visa est uti in *Mathelicen.* diei 18 Feb. 1879, et praesertim in *Camerinen.* die 10 Feb. 1748. Huius causae species est sequens. In montana civitate Camerinensi tres aderant Ecclesiae parochiales: verum fons baptismalis ab immemorabili tantum in Ecclesia Cathedrali extabat. Parochialis et Collegiata Ecclesia S. Venantii facultatem expostulavit fontem erigendi in sua Ecclesia eo quia praesertim hiemali tempore neonati cum deferrentur pro baptismi receptione ad Cathedralem, plurimis incommodis fiebant obnoxii. Archiepiscopus referebat id esse veritati consonum; tamen cum Capitulum Cathedrale sustineret allatum incommodum non esse novum, et ius privativum baptizandi sibi semper spectasse, proposito dubio « *An sit locus erectioni fontis baptismalis et iuri baptizandi respectivo in Ecclesia Collegiata et parochiali S. Venantii in casu* », S. C. respondit: *Negative et amplius.* Quare iuxta allatas decisiones, in themate erectio fontis baptismalis videretur esse deneganda.

Verum cum *sacramenta sint propter homines* et in collisione iuris particularis alicuius Ecclesiae cum bono spirituali fidelium, hoc praevalere debeat, inspiciendae sunt potius speciales facti circumstantiae et etiam mutata hodierna tempora ad diiudicandum, utrum in proposito casu magis in Domino expediat antiquum retinere privilegium, vel potius illud prorsus abolere concessione fontium baptismalium in Ecclesiis parochialibus civitatis Tiburtinae: quod huiusmodi practicum iudicium merito servatum est prudentiae et peritiae EE. VV.

Quare, etc.

Responsum fuit: *Pro gratia erectionis fontis baptismalis in unaquaque Paroecia iuxta petita, firmo tamen iure fidelium, si velint, deferendi infantes ad Cathedralem pro suscipiendo baptismate, facto verbo cum SSmo et ad mentem.*

B. — In folio.

5156/5 I.

Imolen. — Nullitatis matrimonii.

VOTUM CANONISTAE.

In hoc singularissimo casu, 1° petitur ut declaretur nullitas matrimonii religiosi inter Josephum et Dominicam, ob impedimentum affinitatis; 2° ut concessa dispensatione super impedimento Criminis, altera etiam concedatur dispensatio super impedimento ex affinitate, ut Josephus possit cum Virginia, sorore Dominicae, religioso matrimonio (iam civili ligantur) copulari.

E.mi Patres,

1. Qui hodie, ut ipsorum conscientiae consulatis, coram S. V. O. sistunt se oratores, facultatem efflagitantes, qua fiant coniuges coram Deo, sicut iam tales civium lege agnoscuntur, si veterrima canonum disciplina diiudicandi fuissent, vereor ne eosdem, perpetuo prohibitos a nuptiis *(C. 8-9, De Consang. et affin.)*, inter *Hiemantes*, seu inter perpetuo exclusos ab ipso atrio Ecclesiae, relegaretis. Scelestissimos enim homines adulterio bilaterali atque incestuoso concubitu, neque clam, neque breviter perpetratis, sed palam et diuturnissime (ante annum 1878 usque nunc) nescio qua remissiori poena plecteret Ecclesiasticus iudex, si quando crimina hisce minora perpetua poenitentia inurant canones poenitentiarii. Sed quoniam, mutatis moribus, longe alia facta est disciplina Ecclesiae, benignissimae semper matris, miserandum istorum casum dignoscamus opus est, vindiciis iustitiae sepositis, et rimantes quae, ad misericordiam elargiendam, explorata et in propatulo ut sint leges nostrae requirunt. Iudicii autem rationem hac ex parte suscipientes, male mihi opinari non videor, si ipso in limine felicia dixerim istorum peccata, propter quae adhuc in eo statu sub lege versantur, cui subvenire possit suprema potestas.

2. En revera factispecies. Iosephus, orator Imolensis dioecesis, nunc annos natus 64, professione structor coementarius, anno 1859 matrimonio sibi coniunxit Angelam, ex qua liberos plurimos suscepit. Quamvis autem cum sua uxore una caro factus fuerit, uno tamen corde cum ipsa fuisse visus non fuit, cognovit enim, florente iuventa, Virginiam quamdam mulierem iam viro maturam licet innuptam, cuius amore, ultro se dedente muliere, ita captus fuit, ut cupidinis flamma ipse aeternum ureretur simul et ureret criminis sociam. Vesanam enim libidinem vincere non potuerunt tum cum anno 1878 mulier legitimas nuptias inivit cum Iacobo, quin etiam frequentiores evaserunt adulterae consuetudines; neque identidem anno 1890 cum Virginiae iam vetulae (51 annorum) vestes viduitatis assumere oportuit ob mortem viri, quin vero, facta liberiore facultate moechandi, vehementi concupiscentia ducti sunt ut utrinque promissionem firmarent de coniugio inter se celebrando, cum uxor legitima Iosephi, iam morbis laborans, e vivis excederet.

3. Pessimis autem votis arrisit fortuna die 10 Maii 1894, qua die misella Angela, uxor Iosephi, ab hac vita migravit. Mora non interposita, moecham suam Virginiam repetiit Ioseph, veterem, mutuum amorem sacrare pertentans per coniugium sacramentale quam citissime celebrandum; mulier vero dilationem expetiit, ne ludibrio ferrentur per os vulgi, quod pietatem erga priorem uxorem laederent, si, ea vix sepulta, novum matrimonium agerent. Iusto sane hoc consilio mulieris levis animus viri non modice offensus fuit, quippe ea derelicta, eiusdem sororem germanam, Dominicam ipsamque viduam, uxorem poposcit. Hac tempestate quoque prompta ei adfuit pronuba Venus, siquidem benigne annuente muliere, bannis non proclamatis, coram Parocho et testibus connubium initum fuit rite. Haec omnia completa sunt intra octiduum a morte Angelae.

4. Neque hic finis singularissimi huius casus. Virum, sibi ablatum a sorore, malo animo tulit Virginia, quae contineri non potuit, quin uteretur acquisito ex consuetudine amatoris imperio in virum, atque induceret ut a sorore ad se deficeret; id quod revera factum est, sex vel septem diebus elapsis a celebratione matrimonii. Iurgiis inde succrescentibus inter duas sorores, quod utraque alteram viri furem exprobaret, optimum factu duxit Virginia aliquo vinculo sibi virum ligari. Idcirco coram municipum delegato eum deduxit, bimestre circiter transacto ab inito publice concubinatu, ibique declaratio, quam matrimonium civile vocant, perfecta est ad tramitem codicis civilis; et ita factum est ut apprehenderint duae sorores virum unum, altera lege sacramenti, altera civium lege, atque ut haec ultima viro revera frueretur, sicut et nunc eiusdem saltem cohabitatione maritali fruitur.

5. Tandem, cum tarda senecta adventaret, saniora consilia animo perceperunt concubinarii coniuges. Horrentes praeterita peccata, et summopere statum peccati in quo habitualiter erant, viros Ecclesiasticos adiverunt, quibus

subiecerunt miserandam suarum animarum conditionem, atque ipsos rogaverunt si quod esset remedium benignissime elargiendum. Docti autem quomodo possent sibi consulere, dato ad Ordinarium supplici libello, die 2 Apr. 1903 postulabant:

« 1° Che si dichiari invalido e nullo il matrimonio eccle« siastico di Giuseppe con Domenica, per impedimento d'af« finità, nato dal commercio carnale da questi avuto in an« tecedenza con Virginia sorella di Domenica.

« 2° Che ottenutasi la dispensa dell'impedimento *Criminis* « si ottenga la dispensa dall'altro di affinità contratto pel « commercio avuto colla Domenica sorella della Virginia, « affinchè possa egli unirsi in vero e legittimo matrimonio « secondo il rito di S. Rom. Chiesa colla nominata Vir« ginia ».

6. Ordinarius Imolen. ad tramitem Constitut. « Dei miseratione » tribunal constituit super asserta nullitate iudicaturum. Cunctis affabre peractis, si excipias comparationem materiae probatoriae, quae pinguior esse poterat, sententia prodiit, die 16 Sept. 1905, quinque articulis *dispositivum*, quod vocant, comprehendens, in quorum primo declaratur nullitas celebrati coniugii inter Ioseph et Dominicam. Mihi quoque Acta perlegenti eadem opinio suasa est, quam EE. VV. nunc per propositionem demonstrandam subiicio.

Prop. I. – *Matrimonium initum inter Ioseph et Dominicam nullum est ex impedimento affinitatis.*

7. Quid iuris ad rem elementare est. Affinitas contrahitur tam ex copula licita quam ex illicita (*C. 3, Caus. 35, 5*); cum hac differentia quod heic in secundo tantum, illic, ad quartum usque gradum dirimit (*Conc. Trid. De Ref. Matr. 4*). Aliquid potius delibandum est circa probationem pro foro externo huius impedimenti, casu quo asseratur postquam matrimonium contractum fuerit. Generatim conveniunt Doctores, innixi *Cap. 3, De eo qui cognovit consanguineam*, in re tam gravi separationis iudicium proferri non posse, nisi certis et concludentibus argumentationibus mens iudicis suasa fiat, impedimentum revera coniugale vinculum intercepisse: et id merito, quoniam praesumptio prima est pro valore actus. In concreto autem probatio affinitatis, ad finem coniugii dissolvendi, ex trino capite, nec refert si *seiunctive* unumquodque tantum adsit, nobis constare potest, quoniam haec probatio recidit in probationem copulae carnalis, quam tribus modis acquirimus, nempe:

a) Testimoniis duorum, vel unius (concurrentibus aliis praesumptionibus) omni exceptione maioris testis (Mascard. *De Probat. Verb. Copula, 12*), qui de scientia visus referant se virum et mulierem conspexisse in ipsa venerea commixtione, vel in proximis eiusdem, ut si viderint *solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto iacentes. Cap. Litteris XII, De praesumpt. Mascard. l. c. et verbo Adulterium).*

b) Praesumptione certa sive sit *violenta* (*Cap. cit.*) *ut si multis locis secretis, et latebris ad hoc commodis et horis electis* vir et mulier visi fuerint; sive simpliciter gravis, dummodo fama accedat iuxta illud: *fama cum aliis praesumptionibus probat* (*Glossa in C. Tertio loco, De presumpt.*). Inter quas praecipue adnumeratur factum cohabitationis, specialiter si fuerit voluntaria, et superiores quam ipsi copulantes in domo non degerint; mutuus amor nec mediocris ardoris; crebriores visitationes ad invicem supra quam morum urbanitas patiatur; nimia familiaritas, et similia.

c) Confessione iurata coniugum, non quidem nuda, ob periculum collusionis, sed insimul conspirantibus aliis probationibus, etsi inferioris ordinis: Iurata enim depositio coniugum iam per se principium probationis constituit, cum et religio iuramenti, et gravitas causae, et solemnitas apparatus iudicialis praesumenda sint multum valere in animis christianorum, ne veritatem conculcent. Cui si accedant aliae probationes, sive collusionem coniugum excludentes, sive assertam copulam adminiculantes, aequae sapientiae iudicis solidum sat fundamentum paratur, supra quod sententiam solutoriam expediat. Unde Glossa (*in C. V. De eo qui cogn. consang.*) asserere non veretur quod si *fama publica confessioni coniugum consentit, tunc statur famae et confessioni.*

8. Porro hanc doctrinam in Actis huiusce causae deducentes, protinus exclusam conspicimus probationem quae ex primo allato capite manat, siquidem adulterinam copulam intentantes summopere caverunt, ne testes adventarent. Et ideo Actrix rogata an testes haberet: « delle relazioni col « Giuseppe. Ce ne saranno *respondit*, perchè si sapea dal « paese, ma capirà che quelle cose non si fanno all'aperto » (*Act. n. 9*).

9. Probatio secundi capitis infirmissima est, non quidem propter nimiam obscuritatem factorum, sed ob non parvam iudicis parsimoniam in exscrutandis testibus. Ni fallor enim sive ex testibus vocatis, sive ex aliis vocandis facillimum fuisset indicia certa comparare, ex quibus non una praesumptio oriretur in favorem asserti probandi. Impossibile namque videtur famam eo late succrevisse de turpibus relationibus inter Iosephum et Virginiam, ipsosque eo longissimo tempore laqueis amoris irretitos permansisse, quin in oppidulo testibus ea nota fierent quae inter amantes necessario intercedunt, neque nisi aliquoties occultari possunt. Eiusmodi sunt frequentiores visitationes quam amicitia platonica patiatur, colloquia intima, blandimenta amoris, latebrarum inquisitio, munera hinc inde data et accepta, eloquentes significationes vultus, dulcia eloquia, familiaritates et alia quae prudentissimus quisque, si concupiscentiae habenas laxat, non potest non prodere exterius. De iis autem iudex Imolen. parum sollers fuit, unius enim tantum testis scientiam exquisivit.

Praeter haec frustra alia quaeruntur, quae forsan splendidiorem probationem suppeditarent in casu. Putavit forsan egregius iudex aliunde iam sibi acquisivisse certam notitiam controversi impedimenti, neque ad uberiorem teneri, cum *certus certiorari ulterius non oporteat (Reg. 31 in VI)*; veruntamen deflectere videtur a communi Doctorum consilio, iudices suadentium, ut in causis matrimonialibus probationes eo abundantiores quo fieri potest, colligant, neque ullam unquam superfluam putent.

10. Attamen probatio, quam tertio loco recensuimus perspicue satis in casu nostro invenitur. Coniuges iurati fatentur. Et actricis soror pariter iudici dixit de consuetudinibus turpibus inter Iosephum et sororem suam Virginiam: « Le « conoscevo le relazioni, ma non sapevo che queste costi« tuissero impedimento al mio matrimonio con lui » *(Act. num. 8).*

11. Collusionem vero ab ipsis longe abesse aliqua suadent, et in primis:

a) Scopus ob quem auctoritatem Ecclesiae adiverunt. Non enim iudicio convenerunt, ut coniugium, ad quod concupiscentia Iosephum et Virginiam impellat, quomodocumque, etiam per periurium, assequerentur. Nihil enorme esse intelligo amantioribus ab hymenaeo interdictis. At nostri annos iam pene duodecim eodem thalamo fruuntur, civium lege protecti, ne molestia ulla afficiantur. Neque identidem putandi sunt auctoritatem Ecclesiae exorare, ut in catholico oppido moribus catholicis vivere videantur, etsi tales non sint; nam cum pene totam vitam transegerint cum publico scandalo fidelium, ipsis neque erubescentibus, neque celan-

tibus sui ipsorum infamiam, inverisimile est nunc, in senectute, humano tantum respectu angi, et non potius divini iudicis tremore, cuius de sanctitate matrimonii tam graviter leges violaverint. Fides igitur tuto, ni opinio me fallit, adhibenda est eis dum asserunt per hoc iudicium nihil aliud intendisse « fuorchè lo scopo di mettere in pace la coscienza ».

b) Sinceritas quam duplex argumentum innuit. Primo cohaerentia depositionum tum eorum, tum testium, simul cum nativa quadam ingenuitate in responsionibus ad iudicem, ex qua apparet animum a fraude alienum, praecipue in responsionibus duarum sororum. Sed maxime sinceritas probatur ex confessione alterius occulti impedimenti, nempe crimen adulterii cum promissione formali de matrimonio contrahendo post mortem coniugis. Hoc certe novum obstaculum est quominus fiat secundum petitionem ipsorum, et nihilominus, quoniam ex conscientia manifestandum erat, exprimendum curarunt in supplici libello, dum e contra ipsum in abditis tenere collusionem iuvasset. Ex spiritu canonum *(Glossa in Cap. XIII, Tit. XXIII, De eo qui cogn. cons., verb. Nollet.)* non praesumitur falsum confiteri, qui aliquid fatetur quod contra sua optata deducitur Quid igitur in casu nostro, in quo non tam fatentur, quam educunt amasii secretum colloquium abditumque pactum quod, si silentio sepeliissent, prodire unquam potuisset?

c) Interesse denique quod Dominica haberet excludendi assertum impedimentum, si excludendum foret. Mittamus enim nunc haud amplius virum Iosephum sibi optare (quod nec ex Actis resultat, nec mihi suadetur), qua tamen bonis moribus praedita est mulier catechista valde sua referret veritatem detegere; eo magis quod si impedimentum abesset, posset et coram iudicibus et coram populo a se peractum matrimonium iustificare. Non tam enim acres censuras populi meruit quod cito nuptias fecerit cum Iosepho, sed quod fecerit etsi eius consuetudines cum sua sorore non ignoraret, unde etiam ab iudice de hoc redarguta fuit, licet insueta forma interrogatoria. Sive igitur ad matrimonium cum Iosepho in pristinum constabiliendum, sive ad iustificationem suorum gestorum sexuales relationes sororis non confiteri cogebatur, si hae non extitissent; et ideo huic multum deferendum est dum asserit se inductam esse ad testificationem peractam « allo scopo di aggiustare le cose, e accomodare le faccende dell'anima ».

12. Fama de impedimento plenitudinem probationis prope attingit. Ad ipsam appellat Virginia, et testes confirmant, qui uno ore repetunt « si sapeva da tutto il paese... si diceva da tutti... si ripeteva comunemente... era risaputo e « si sparlava pubblicamente » et similia.

13. Contra vero duo adduci possunt. Pro collusione primo obiicitur parum fiduciae quam de se praebet Iosephus uti a testibus describitur: « non un uomo in pieno possesso delle sue facoltà... un po' privo di giudizio e un po' scemo... in paese passa quasi per matto... ha poca testa ed è poco cosciente ».

14. Attamen testes talia deponentes certe non ita consilii expertem Iosephum putant, ut cum semifatuis, rigorose loquendo ad normas medicinae legalis, comprehendendus sit, ex quibus nil certum, dum loquuntur, carpere possimus; qui enim quotidie artem coementarii exercet, in qua non parum ingenii et peritiae requiritur, qui immo in ea arte magister est, et ordinario alios dirigit, certe is non est, qui egeat curis Doct. Lombroso. Potius existimatio testium referenda est ad quamdam stultitiam, imbecillitatem, vel levitatem animi in Iosepho, qui in suis moribus, nedum castigationem servavit quam decet christianos, sed neque illud naturale temperamentum vel fucum, quo, propter naturae pudorem, vel ipsi pessimi utuntur. At, cum primis in aetate in qua nunc versatur, intentatio praesentis iudicii et sub iuramento ab ipso deposita putanda sunt effectus conversionis potiusquam collusionis. Insuper res gravissima, de qua agitur, quippe ultimo corrigente sua praeterita male gesta, leviter tractanda non suscepta est, ut supra n. 10-*a* diximus, neque a Iosepho, qui amoto ludo, seria salvationis suae animae videtur quaerere. Caeterum haec conferunt ad defendendam agendi rationem ipsius Ioseph in hac causa; sed superflua sunt in themate evincendo. Esto enim Iosepho fides non sit adhibenda, numquid non alii assertam copulam asserunt? Quamvis non multum ipsi deferendum esset, tamen cum et super concordem affirmationem alterius coniugis et amasiae, et super latam famam innitatur thema nostrum, nihil metuendum est pro valore probationis.

15. Obiicies etiam contra famam, afferendo depositionem Parochi, qui rogatus: « *Sapeva delle relazioni del Giu- « seppe con la Virginia?* — respondit: *Non ne sapevo nulla « in caso contrario già non avrei fatto l'attestato di stato « libero?* »

16. Papae? Via interclusa est. Qui primus rumorem de malis moribus oppidanorum percipit, is profecto est Parochus; et summopere in casu verum id esse oportebat, cum Ioseph Parocho famulabatur tunc temporis, ex confessione eiusdem Parochi. Quid igitur cum hic famam ignorare fateatur, et aliunde *praesumptive* ex ipsius dignitate sit testis omni exceptione maior? Pace tamen boni viri, quoniam Excell. iudex Imolen. sibi permisit aliquid contra ipsum excipere, et imo deploravit « modum quo se gessit in re tanti momenti » liceat et mihi aliquid animadvertere.

a) Falsitatis nota inurerem eiusdem negationem quoad famam relationum sexualium inter oratores. Nam...

Tria haec testimonia, inter quae alterum testis omni exceptione maioris, scilicet Mariani, nunc Parochi Montis Catonis, ultro sufficiunt ad omnimodam reprobationem depositionis obiectae; sed amplius:

b) Mendacii vel reticentiae eum insimularem dum testatur circa expulsionem Ioseph a suo famulatu.

Parochus enim cum iam negasset se de crimine scientiam habuisse, ab iudice percontatus: « Perchè dunque ha cac- « ciato il Giuseppe dal servizio? Per il matrimonio civile « *reponit* fatto colla Virginia. *At ille:* Non sono avvenuti « prima questi licenziamenti? No, no, *ait* soltanto dopo... io « l'ho cacciato dopo il matrimonio suo civile, e poi non l'ho « più ripreso ». At vero ex testibus deprehendimus duo opposita, nempe et eiecisse ante civile matrimonium, et postea eiusdem opera usum fuisse.

Verum mitiores simus in virum quem natura timidum tradit aliquis testis. In prima responsione ad iudicem fatetur de Actore: « *è stato al mio servizio in qualità di « sguattero* ». Ex quibus verbis probabiliter arguendum foret Parochum duplici opera Iosephi usum fuisse, opera scilicet alicuius famulatus domestici, (sguattero) et structoris coementarii. Qua posita interpretatione testimonium Parochi cum veritate componi posse videtur, referendo verba: « *l'ho « cacciato dopo il matrimonio civile e poi non l'ho più « ripreso* » ad domesticum famulatum. Quaeso tamen: cur aequivocationem, non diluit, quando iudex exquisivit ab ipso: « Come è che il Giuseppe dice che Ella lo ha cac- « ciato prima del matrimonio civile da lui fatto e per le « relazioni colla Virginia? » Naturale heic erat distinguere inter opus et opus Iosephi cui renunciavit post matrimonium civile, et non absolute respondere: « il Giuseppe non « dice la verità ». Idcirco etsi mendacii absolvatur, dissimulationis vel reticentiae reus semper evincitur. Sed denique:

c) Testis est excepibilis, quia sua interest validum esse

matrimonium. Nam occasione controversi matrimonii acres censuras meruit, tam ab Ecclesiastica auctoritate, quam a populo, ob plus aequo festinatam celebrationem, et ob praecedentia crimina sponsi.

Quid mirum si, ad evitandam, quam fortasse sibi expectabat vir formidolosus, exprobationem ab Episcopali Curia, ad ignorantiam recurrat? Quasi tamen ignorantia malorum quoad oves sibi concreditas Pastorem excuset?!

17. Paucis perstringo. Probatio copulae eruitur vel ex testimoniis de visu, vel ex praesumptionibus certis sive violentibus, sive simpliciter gravibus iuncta fama; vel ex confessione eorum qui rem habuerunt, si fama late diffusa confirmat *(7, a, b, c)*. In themate porro exulat probatio quae ex primo capite prodit *(8)*; secunda infirmissima est *(9)*; tertia vero perspicua deprehenditur in Actis, siquidem tres coniuges, si dicere liceat, concorditer fatentur *(10)*; neque colludere videntur *(11, a, b, c)*, atque fama plene concordat *(12)*. Quae vero in contrariam partem adduci possunt pro collusione *(13)* eliduntur *(14)*, simulque, si contra famam opponitur ignorantia Parochi, depositio istius prorsus reiicienda est quia falsum continet *(16, a)*, mendacium vel reticentiam *(16, b)*, vel ad minimum personae excepibilis est ob interesse *(16, c)*. Propterea dubio:

An nullitas matrimonii inter Ioseph et Dominicam iam declarata per sententiam Curiae Imolen. sit confirmanda?

Responderem: *Affirmative.*

18. Ex connexione cum nullitate, de qua agitur, et in hypothesi quod H. S. O. placeat verbum facere coram SS.mo, pauca pro munere subiicio, relate ad secundam Oratorum petitionem, nempe dispensationem ab affinitate contracta cum Virginia ob copulam cum sorore Dominica, et ab impedimento criminis ob adulterium perpetratum cum Virginia intercedente promissione ultro citroque firmata.

19. Impedimentorum existentiam plene percipimus ex supplici libello et ex depositione ipsorum Oratorum. Nec ultro investigandum est, cum rei confitentes contra seipsos plenam probationem faciant. In casu vero, quoniam agitur de matrimonio ineundo, impedimenta quae asseruntur ab Oratoribus superventa ex ipsorum criminibus, revera ut asserta a reis contra seipsos apparent.

20. Causas dispensandi adesse patens est, quod ex ipsa factispecie scatet; sed praecipue notatum volo non tam faciliter Iosephum abrupturum esse incestuosum concubinatum cum Virginia, si dispensatio haud elargiatur. Cum enim interrogaretur: « *Non potreste tornare a convivere colla* « *Domenica sanando il matrimonio se fu invalido? No,* « respondit, *a nessun costo, dovessi metterci anche la vita:* « *se dovessi andare anche all'inferno, sceglierei quasi* « *piuttosto questo che la Domenica* » (*Act. 7*).

21. Neque scandalum timendum est populo, quod in collisione duorum coniugiorum, Ecclesiastici scilicet et civilis, hoc, etsi simplex ceremonia, firmetur, illud, quamvis sacramentum, dirumpatur. Rumor enim invasit in populo sacramentum illud ob praecedentia et ob modum quo initum fuit irritum fuisse. Id percipimus ex testibus. Scandalum tamen, quod partialiter metuendum esset, removeri potest, ea observando quae caput 4um sententiae Curiae Imolen. praescribit. Caput hoc sic redigitur: « *Dispensationis obtentae* « *et invaliditatis prioris matrimonii initi a Ioseph cum* « *Dominica esse fideles commonendos ad scandalum re-* « *movendum, et futuro matrimonio esse de more procla-* « *mationes praemittendas* ».

22. Haec scribentis mens, E.mi Patres, quam plene submittit sapientissimis decisionibus EE. VV. et interim Vestrum famulum se profitetur

F. Aloysius a Tabia O. M. Cap.

Ex Coenobio Barberinio ad SS.mae Concept.
5 Ian. 1906.

Huiusmodi itaque causae perpensis actis, rogantur EE. VV. sequens derimere

DUBIUM

An nullitatis matrimonii sententia a Curia Imolensi prolata die 16 septembris 1905 sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Emi Patres rescripserunt: *Sententiam esse confirmandam et supplicandum SSmo pro opportunis dispensationibus ad effectum matrimonii in casu, praevia separatione Iosephi a Virginia per aliquot dies, et reparato scandalo, prudenti iudicio Episcopi.*

3020/4 VI.

Neapolitana — Iurispatronatus.

Cum non constet naturam patronatus activi in casu, stricte et praecise agnatitiam esse, declaratur ius praesentandi pertinere ad illos omnes qui se a fundatore descendere demonstrarunt.

Bulla diei 17 Aprilis 1521, quae incipit *Sincerae devotionis affectus*, Leo PP. X Hannibalem de Ianuario, cuiusdam Masotti filium atque canonicum Primicerium in Cathedrali ecclesia Neapolitana, gratioso favore prosequi cupiens, eo quod ipse, propriis redditibus bona Primiceriatus ad supradotis instar auxit, eiusdem « familiae de Ianuario' « videlicet, ex quondam Masotto de Ianuario, a quo idem « Hannibal descendit, descendentibus et in illius domo, in « qua idem Hannibal inhabitat, pro tempore habitantibus..., « tamquam non ex privilegio sed ex vera fundatione et do- « natione competeret », iuspatronatus activum praefati beneficii concessit ac reservavit.

Res itaque pacifico modo processerunt usque ad annum 1839, quo tempore contestationes exortae sunt inter Emmanuelam de Ianuario Marchionissam de Auletta, quae nupta erat nobili Antonio Castriota Scanderberch, ex una parte, ac inter Principes Caravita de Sirignano, Caraciolo de Castagneto, de Morra et de Palma ex altera parte; qui omnes, ad iuspatronatus activum Primiceriatus praetendentes, proprium candidatum nominarunt atque Archiepiscopo Neapolitano praesentarunt.

Hac de re quaestio agitata fuit coram Curia Metropolitana, quae, per sententiam diei 29 Iulii 1841, omnibus praetendentibus exclusis, dumtaxat in Marchionissa de Auletta iuspatronatus admisit; addens tamen quod, ipsa demortua, beneficium liberae evaderet collationis. Quapropter Ordinarius in Primiceriali dignitate, quae est prima post Episcopalem, instituit Iosephum Venatum Dentice « tamquam prae- « sentatum et nominatum intra legitima tempora ab illustri « domina Emmanuela de Ianuario Marchionissa de Auletta « nuncupata patrona, et iuspatronatus habente, et in quasi « possessione existente praesentandi canonicum Primicerium « nuncupatum ».

Paulo autem post vacante rursus beneficio per decessum praedicti canonici Venati Dentice, eadem Marchionissa d'Auletta, nemine contradicente, die 8 Septembris 1844 praesentavit Philippum Caravita e principibus Sirignano, qui usque ad annum 1896 beneficium tenuit, et deinde canonicum Iosephum Laviano.

Sed die 18 Augusti 1867 latis legibus italicis, quae assem ecclesiasticum everterunt, etiam praebenda Primicerialis

comprehensa fuit. Quare anno 1869 Emmanuela Marchionissa de Ianuario, una cum proprio marito Antonio Castriota Scanderberch de Auletta, petiit et obtinuit redemptionem suppressi beneficii, soluta taxa 12000 libellarum, quas mutuo accepit.

Ut autem huic oneri satisfacerent, coniuges praedicti supplicem libellum ad S. Sedem miserunt, expetentes facultatem alienandi quamdam portionem fundi Primicerialis. Re sane vera per rescriptum S. Poenitentiariae die 11 Ianuarii 1874 iisdem oratoribus facultas tributa fuit « alienandi « ex fundis dotalibus beneficii eam tantum quantitatem quae « sufficiens sit ad solvendum quod a Gubernio exigitur, ex- « ceptis expensis iudicialibus et cum onere redintegrandi « dotem beneficii ex fructibus eiusdem, deponendo quotannis « libellas 150 apud aedem sacram », usque ad dotis beneficialis redintegrationem. Quae summa libellarum 150 una tantum vice arcae Curiae Neapolitanae soluta fuisse videtur. Interim anno 1874 obiit Marchionissa de Ianuario, eiusque maritus, utens mandato ab eadem relicto, anno 1880 vendidit portionem fundi beneficiarii.

Anno vero 1896, cum ob mortem Primicerii Iosephi Lanciano beneficium iterum vacasset, dictus marchio Antonius Castriota de Auletta Scanderberch una cum proprio filio Ioanne canonicum Henricum Attanasio Curiae dioecesanae pro institutione praesentarunt; dum e contra Comes Aloisius Cuomo de Ianuario, se compatronum beneficii asserens, nominavit sacerdotem Ferdinandum de Deo. Tunc temporis idem Comes Cuomo tribunal civile Neapolitanum adivit, et marchionem Ioannem Castriota Scanderberch in iudicium convenit, rogans ut declararetur non suppressum vi legis 1867 beneficium, ideoque nullam eiusdem redemptionem ab ipsis Castriota Scanderberch factam nullamque subsequentem alienationem fundi beneficiarii, atque una simul ipsi Castriota, pater et filius, damnarentur ad restituendos fructus ex redditibus beneficiariis iniuste exactos, ad dimittendos fundos beneficii adhuc residuos, necnon ad expensas. At tribunal laicum anno 1898 retinuit beneficium valide suppressum, Comitem Cuomo actione omni destitutum, atque beneficium valide suppressum declaravit.

Ab hac tamen contraria sententia Comes ad tribunal civile secundae instantiae appellationem interposuit, ubi et Ordinarius Neapolitanus libere intervenit pro sustinenda libera Primiceriatus collatione. Hoc appellationis Consilium, vulgo *Corte d'appello*, anno 1899 emisit sententiam, qua supradotationem Primiceriatus uti non suppressam habuit, ideoque nullam fuisse peractam redemptionem, familiarem indolem patronatus admisit atque pronuntiavit Comitem Cuomo ius habere ad idem iuspatronatus.

Haec autem sententia in rem iudicatam in foro laico pertransiit, quia quum marchio Castriota Scanderberch recursum interposuisset apud Supremum Consilium Cassationis vulgo *Corte di Cassazione*, haec appellationem reiecit.

Hisce tamen non obstantibus contrariis sententiis, Curia Neapolitana iustis de causis anno 1900 instituit atque in possessionem Primiceriatus immisit canonicum Henricum Attanasio, qui a patrono marchione de Auletta iam ab anno 1896 praesentatus fuerat. Interea idem marchio Ioannes de Auletta expensarum causa anno 1898 summam libellarum 15000 mutuo accepit a domina Aruta data hypotheca super fundum Primicerialem.

Paulo vero post, nempe anno 1903, quum canonicus Attanasio obiisset, marchio Ioannes d'Auletta statim ad Primicerialem dignitatem praesentavit Rmum Fridericum Natale, cui deinde defuncto R.mum nobilem Iosephum Contarini suffecit. Sed Curia Metropolitana sui muneris esse duxit per publicum edictum omnes interesse habentes ad iuspatronatum exercendum invitare.

Tunc vero aliae duo praesentationes factae fuerunt, nempe Rev.mi Henrici Marano ex parte Dominici et Henrici Morra, necnon R.mi Dominici Sersale ex parte Comitis Aloisii Cuomo de Ianuario, Principum de Sirignano et de Castagneto.

Quam ob rem marchio d'Auletta recursum habuit penes hanc S. C., quae cum nequiret in statu actorum iudicare, die 15 Iunii 1904 rescripsit, ut marchio d'Auletta suum ius experiretur in prima instantia coram Curia Neapolitana. Iudicio proinde apud huiusmodi Curiam instructo atque ad exitum perducto, die 18 Septembris 1905 sententia prodiit, quae quoad partem substantialem est sequentis tenoris:

« 1° Perillustres dominos Dominicum et Henricum, patrem « et filium Mosra marchiones de Sancto Maximo, quippe « qui suam a fundatore supradotationis beneficii Primice- « rialis descendentiam evincere neglexerint, extra causam « ponimus: proindeque de praesentatione Primicerii ab eis « facta nulla ratio habenda est.

« 2° Perillustrem dominum Ioannem Castriota Scander- « berch marchionem de Auletta declaramus privationem « iuris patronatus nequaquam incurrisse, ideoque iure prae- « sentandi clericum ad Primiceriatum Metropolitanae eccle- « siae Neapolitanae adhuc frui.

« 3° Cum sententia Curiae Neapolitanae die nona Iulii 1841 « lata naturam patronatus stricte et praecise agnatitiam « aperte atque explicite non definierit, iudicamus sententiam « tribunalis civilis appellationis de die 6–13 Februarii 1899, « a Supremo Collegio die quinta Iunii 1901 confirmatam, « praedictae sententiae R.mae Curiae non contradicere. « Propterea in praesenti rerum statu, cum dictae sententiae « tribunalis appellationis civiles effectus reiici nequeant, « oportet ut admittantur ab auctoritate ecclesiastica, quin « isthaec laicorum iudicum potestati subiiciatur. Et ideo « quoniam Princeps de Sirignano, Princeps de Castagneto « et Comes Aloisius Cuomo de Gennaro comprehenduntur « in familia Masotta de Gennaro, uti iam ab ea descendere « demonstrarunt, decernimus ius habere idoneum clericum « ad canonicatum Primicerialem praesentandi.

« 4° Omnes universi huius iudicii expensas aequalibus « partibus inter singulos litigantes compensamus ».

At ab huiusmodi Curiae Neapolitanae sententia, praecisa vero quoad tertium articulum seu punctum omnes contendentes in causa, nempe Marchio d'Auletta ex una parte, et Comes Cuomo, Princeps de Sirignano ac Princeps de Castagneto ex altera apud H. S. C. appellarunt. Hodie vero EE. VV. quaestio dirimenda proponitur sub infrascripto concordato inter partes dubio: *An sententia Curiae Archiepiscopalis Neapolitanae diei 18 Septembris 1905 sit confirmanda vel infirmanda super tertio articulo, in casu.*

Responsum fuit: *Sententiam esse confirmandam.*

2869/5

VII.

Derthonen. – Finium parochialium.

Tum in petitorio, tum in possessorio, sustinetur iurisdictio parochi S. Iacobi super quadam domo, frustra reclamante parocho adversario S. Matthaei.

Extat in civitate Derthonensi quaedam domorum insula a SS. Trinitate nuncupata, eo quia maior aedificiorum pars efformabat antiquum ex-coenobium PP. Augustinianorum vel ad illud pertinebat. Haec insula duobus viis interclusa manet, nempe via S. Martiani in plaga occidentali, quae

paroecialem S. Iacobi ecclesiam prospicit, et via Aemilia ad meridiem, quae adversus habet ecclesiam paroecialem S. Matthaei. Fabricae ex-conventus iacentis ad viam S. Martiani in parte posteriori adhaeret quaedam domus, nunc possessa ab haeredibus Ambrosii Rossi et quae olim ad coenobitas Augustinianos spectabat: haec licet unum corpus efficiat, tamen ex parte alta et parte ima seu duabus adnexis officinis efformatur, quae habent prospectum in via Aemilia.

De hac domo in praesens est quaestio, utrum nempe ea censeri debeat intra fines paroeciae S. Iacobi, vel potius iurisdictioni parochi S. Matthaei subiiciatur. Unusquisque parochus rem evincere conatur pro se adducendo acta status animarum, fides mortuorum et baptizatorum nec non alia documenta. Haec quaestio suam originem ex eo praecipue ducit quod anno 1895 in una ex memoratis officinis aperta est ianua principalis quae in domum immittit. Ex hoc facto parochus S. Matthaei suam iurisdictionem asserere coepit in dicta domo contra alterum S. Iacobi parochum: an. 1897 recursus et deductiones ex utraque parte factae sunt apud Curiam Episcopalem, verum lis insoluta mansit.

Initio mensis Martii 1904 instante parocho S. Matthaei Ioachim Bidone lis iterum excitata fuit: et Curia Episcopalis, acceptis partium allegationibus, iisque oraliter auditis die 30 Martii superioris anni, definitivam sententiam tulit favore parochi S. Iacobi Augustini Serra, cuius pars dispositiva ita se habet: « Pronunciamo doversi dichiarare come « dichiariamo, estendersi i confini della parrocchia di S. Giacomo in Tortona fino alla casa Negro in via Emilia, e « conseguentemente spettare alla giurisdizione della stessa « parrocchia la casa ora degli eredi di Ambrogio Rossi ».

Cum ab edita sententia parochus Bidone appellationem ad H. S. C. tempore utili interposuerit, hinc est quod omnibus de ritu absolutis hodie causa discutienda proponitur.

Parochus Bidone antequam ius suum firmet, nonnulla praemittit historice et topographice circa controversam domum. Hac praemissa historica et topographica descriptione parochus Bidone gradum facit ad sententiam Curiae Episcopalis impugnandam. Sane sententiae fundamentum in eo est quod tum domus haeredum Rossi tum adnexa duo cubicula seu officinae, spectari debent uti pars ex-conventus SS. Trinitatis; qui cum indubie pertineat ad iurisdictionem parochi S. Iacobi, idem censendum est de domo et duobus cubiculis. Parochus hoc sententiae suppositum pluribus impetit, evincere satagens id a veritate esse prorsus alienum.

Sedulo distinguit inter domum conventus et alia aedificia quae licet ad Patres Augustinianos SS. Trinitatis spectarent, tamen dici nequeunt unum corpus cum domo conventus efformare, et in hac secunda categoria domum praefatam cum adnexis cubiculis recenseri sequentibus demonstrat.

Verum, prosequitur parochus, dato etiam et non concesso quod tum domus tum cubicula haberi velint uti pars conventus iuxta placitum partis adversae, non ideo sequeretur ea habenda esse uti sita in paroeciae S. Iacobi territorio, iuxta oppositum principium, accessorium sequitur principale. Agitur enim de re dividua, et materialiter separata, uti ex positione loci constat: et nihil profecto impedit, quod in hac secunda conventus parte alterius parochi iurisdictio exerceatur, uti de facto contigit et probat allegatus status animarum paroeciae S. Matthaei. Hisce elucubratis parochus Bidone ad trutinam revocat argumenta in sententia adducta, quorum primum desumitur a contractu precarii ab Archidiacono Amedaeo Cantù uti Seminarii procuratore inito an. 1842 cum Antonio Rossi pro concessione aperitionis ingressus inter huius domum et dicta cubicula.

Demum appellans parochus contendit perperam ex adverso urgeri praescriptionem plusquam quinquagenariam. 1° Quia haec non est legitime praescripta; nam paroecia S. Matthaei ab an. 1867 usque ad an. 1884 caruit suo titulari; hinc praescriptio fuit interrupta vel suspensa: et tempus elapsum ab an. 1842 usque ad annum 1867 dici nequit habile ad praescribendum, cum inter ecclesiam et ecclesiam requiratur praescriptio quadragenaria. 2° Quia fines paroeciales praescriptioni obnoxii esse nequeunt uti sancitum invenitur in *cap. de paroch. et alien. paroec.* et tradit Maschat *instit. can. lib. 3, tit. 29, n. 12.*

Ex hisce parochus Bidone deducit quod cum domus cum adnexis cubiculis nunc possessa ab haeredibus Ambrosii Rossi et descripta in praesens numero civico 100, sit in pristinum statum reducta per ingressus seu ianuae principalis aperitionem in fronte viae Aemiliae, iure merito sibi sit super eam paroecialis iurisdictio adscribenda. Omissa enim quaestione utrum ab an. 1842 per novum statutum aditum sub uno ex fornicibus interni cavaedii conventus mutari potuerint fines paroeciales, nunc certum est ab an. 1895 rem in pristinum rediisse. Hinc sicuti parochus S. Iacobi sibi avocabat iurisdictionem in praefatam domum, eo quia cavaedium conventus ubi dictus ingressus prospiciebat, erat in suo territorio, eodem iure nunc parochus Bidone sibi iurisdictionem vindicat, quia restituta ianua est posita adversus viam Aemiliam intra suae paroeciae fines extantem.

Ex adverso parochus S. Iacobi contendit suam iurisdictionem extendi usque ad domum Negro ita ut domus haeredum Ambrosii Rossi una cum adnexis duobus cubiculis contineatur intra fines suae paroeciae. Duplici via id evincere satagit nempe in petitorio et possessorio.

Primam itaque viam ingrediens, thesim adstruere nititur probando quod dicta domus retineri debet uti pars aedificii conventus SS.mae Trinitatis, quod, ablata exemptione ob discessum seu expulsionem religiosorum, obnoxium mansit iurisdictioni paroeciali S. Iacobi; eo quia ianua principalis conventus erat in territorio huius paroeciae. Praenotat dictam domum quae nunc civico numero 100 indicatur, antiquitus in libro census fuisse descriptam numeris mappae 5108, 5109.

Deinde sequentia innuit facta ex documentis ordine chronologico citatis.

Ex hisce factis et documentis parochus S. Iacobi duo sponte sua fluere dicit. 1° Controversam domum nunc sub N. civico 100 distinctam iuxta syndici Derthonensis fidem, et duabus partibus constantem nempe posteriori et anteriori seu ima ab haeredibus Ambrosii Rossi modo possessam, illam esse quae initio saeculi 19, ferebat numeros mappae 5108, 5109. Re quidem vera duo cubicula empta sunt an. 1868 ab Ambrosio Rossi: alteram domum nempe posteriorem cubiculis contiguam an. 1838 acquisierat Antonius Rossi a quo primum Ambrosius, et deinde actuales haeredes causam habuerunt. De identitate itaque actualis domus cum antiquis, ait parochus, dubitari non licet.

At 2° si ita res se habent, neque eius iurisdictio in eamdem oppugnari potest. Quandoquidem ex eisdem documentis constat illa aedificia primum inter se divisa et nunc coagulata sub eodem civico numero 100, efformasse partem ampli aedificii ex-conventus SS. Trinitatis, ceu diserte inibi asseritur et pluries repetitur: et iam notatum est superius, amplum conventus aedificium religiosis eiectis, in parochi S. Iacobi ditionem incidisse.

Nec parochus subiicere omittit, alia conventus aedificia extitisse, quae licet conventus corpus non efficerent, tamen ad ipsum spectabant. Ita domus modo a familia *Bussoletti* possessa, extans in insula Trinitatis, antiquitus ad religiosos pertinebat, at non erat pars aedificii conventus: haec domus

initio saeculi 19 a Gubernio Gallico, sicuti aliae, apprehensa dicebatur modo *domus nationalis*, modo *domus gubernii.*

Deinde quia ex adverso etiam a parocho S. Matthaei documenta nempe status animarum adducta sunt ad suam intentionem probandam, parochus S. Iacobi ita prosequitur.

Tandem quia ex adverso tota quaestio praesens praetenditur resolvi ex citatis statibus animarum parochus expendit non nimis fidendum esse huic argumento, et innuere satagit contradictionem seu incongruentiam inter status animarum utriusque paroeciae extantem, subiiciendo duas familias nempe Romano et Grillo quae sub utraque paroecia inscriptae inveniuntur, uti deprehendi valet ex adnexo Summario. Cum itaque praecipuum, seu potius unicum a parocho S. Matthaei adductum argumentum ad sententiam impugnandam nutet, parochus S. Iacobi concludit eam potius esse confirmandam.

Neque id tenendum esse ait tantum si res inspiciatur in petitorio, sed etiam in possessorio. Profecto quod parochus S. Iacobi per ultra 40 annos iurisdictionem paroecialem exercuerit in domum sub n. civico 100 distinctam in insula SS. Trinitatis, primo scatet ex particulis in libris matrimoniorum et mortuorum paroeciae: idem firmatur a depositione ad futuram memoriam a quodam Quagliotti emissam coram Curia Episcopali: hic qui uti sutor in dictis officinis ab an. 1831 et 1833 extiterat, declarat, has domos semper a parocho S. Iacobi Sabbato S. aqua benedicta fuisse lustratas: item deponit de duobus funeribus celebratis ab eodem parocho pro duobus personis defunctis in domo Rossi an. 1854 et 1867. Adductae depositioni altera accedit Abbatis infulati Doria in ecclesia S. Matthaei Ianuensis, qui in ecclesia paroeciali S. Iacobi prius munere vicarii Curati ab an. 1867 functus est, et deinde parochus in eadem ecclesia fuit ab an. 1873 usque ad an. 1883: ipse de pacifico exercitio iurisdictionis parochi S. Iacobi super praefata domo Rossi sub. n. 100 luculenter refert.

Hoc autem exercitium fuisse pacificum, subdit parochus, ex eo eruitur quod saltem usque ad an. 1897 nulla contestatio adfuit ex parte parochi S. Matthaei. Eo quidem tempore oblatus fuit Curiae recursus et tantum in via administrativa, idest absque actione iudiciali intentata, qui tamen recursus nullum exitum habuit. Lis proprie an. 1904 promota fuit per indictionem vadimonii parocho S. Iacobi factam a parocho S. Matthaei sub die 1 Martii ad comparendum coram Curia Episcopali. Igitur dato etiam et non concesso quod iurisdictio parochi S. Iacobi super praefata domo ex aliis titulis non resultaret, tamen haec ei esset adiudicanda ex facto longae et pacificae possessionis exercitii eiusdem seu vi praescriptionis ultra quadragenariae.

Quin obiiciatur in themate praescriptionem invocari non posse; quia id importaret fines paroeciales praescribere, quod est expresse vetitum in *cap. 4 de paroch. et alien. par.* Reponit enim parochus, id intelligendum esse de casu, quo constet fines legitima auctoritate fuisse constitutos; aliter vero tenendum quando de hac legitima constitutione non appareat, ut concorditer docent canonistae dictum caput explicantes, confer Reiffenstuel et Phiring in titulo *de parochis et alienis par.* Atqui in themate nulla designatio finium facta adhuc fuit ab ecclesiastica auctoritate circa controversam domum, scilicet cuiusnam ex duobus paroeciis territorio esset adscribenda. Ergo nihil impedit quominus praescriptio invocari queat.

Haec ex partium allegationibus scripto exaratis potiora selegi ut prudentissimo iudicio EE. VV. subiicerem, quae interim rogantur sequens diluere

DUBIUM

An sententia Curiae Episcopalis Derthonensis diei 31 Martii 1904 sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Responsum fuit: *Sententiam esse confirmandam.*

2387
4

Papien. — Funerum.

Quaeritur an ius funerandi fideles seu in hospitali publico civitatis, seu in privato aliquo valetudinario defunctos, spectet ad parochum localem, vel ad parochos respectivorum defunctorum. Contra editam sententiam appellatio fuit iam interposita. De hoc, suo tempore.

Die 20 Ianuarii 1906.

In civitate Papiensi sub initium saeculi XV erecta est Confraternitas a Pietate, quae hospitale pro pauperibus infirmis construxit, a S. Matthaeo nuncupatum. Vi brevis Summi Pontificis Nicolai V de anno 1449 eidem Confraternitati adiudicata sunt Ecclesia et bona prioratus S. Matthaei, nec non Ecclesia et bona Ecclesiae S. Mauritii cum respectivis adnexis aedificiis.

Hospitale vero pluribus ditatum fuit privilegiis: hinc fruebatur exemptione a Parochorum et Ordinarii iurisdictione, proprium habebat coemeterium, nempe Ecclesiam S. Matthaei pro Confratribus, et pro *dedicatis* seu in ipso inservientibus: pro aliis vero inibi defunctis praesto erat coemeterium contiguum S. Mauritii Ecclesiae, cui serius anno 1769 alius locus fuit substitutus, sepulcretum nempe ita dictum S. Ioannis. Pro administratione sacramentorum et pro funeribus sodalitas utebatur cappellanis a se nominatis.

Sub fine saeculi XVIII, diruta Ecclesia S. Mauritii, et Ecclesia S. Matthaei ad aulam redacta pro exercitio artis chirurgicae, funera a cappellanis agi coeperunt in Ecclesia paroeciali S. Eusebii, intra cuius paroeciae ambitum extabat hospitale. Anno 1796 ob politicas perturbationes extincta fuit sodalitas cum suis privilegiis, suffecta in hospitali laica administratio, et ita in celebratione funerum pro defunctis in hospitio, successit de facto Ecclesiae S. Eusebii parochus. Contra inolescentem consuetudinem an. 1802, protestationem emisit apud Episcopum unus ex parochis civitatis nempe parochus S. Michaëlis: sed Episcopus resolvit standum esse consuetudini « senza pregiudizio delle ragioni competenti alle parti nel merito ».

Anno 1806 ex legibus Napoleonicis nova inducta paroeciarum circumscriptione, Ecclesia S. Eusebii unita mansit cum Ecclesia S. Francisci, et hinc hospitale existere coepit in territorio paroeciae S. Francisci. Funera decedentium in hospitali quae prius agebantur in Ecclesia S. Mauritii, persoluta sunt a parocho S. Francisci in sua Ecclesia, et haec consuetudo, si demas nonnullos paucos casus post an. 1886, perduravit usque ad praesens tempus, in quo novissime parochi civitatis reclamarunt contra inolitam consuetudinem.

Interea notandum quod hucusque modus agendi funera pro decessis in hospitali hic erat. Parochus S. Francisci eos funerabat in sua Ecclesia, nulla persoluta portione canonica emolumentorum parocho proprio domicilii decedentium: administratores autem hospitalis ope Curiae Episcopalis denunciabant parochis domicilii obitum defunctorum, ut ii in libro mortuorum inscriberentur. Quod si ageretur de defunctis absolute pauperibus, horum cadavera ab hospitali directe ad coemeterium publicum deferebantur, nullo persoluto funere *charitatis* (uti vocant) a parocho S. Francisci.

Denique quoad defunctos in hospitali, quorum parentes postulassent funus celebrari in paroeciali Ecclesia domicilii, eorum cadavera deferebantur ad defuncti domum, et ab hac cadaver levatum a proprio parocho in suam Ecclesiam duce-

batur et inibi funus persolvebatur, nulla tributa portione emolumentorum parocho S. Francisci.

Eadem ferme praxis viget pro defunctis in domo salutis sita in paroecia S. Theodori, cuius tamen institutio recens est, cum vix attingat tricennium.

Pro occurrentibus super memoratis casibus non semel controversiae quoad funera exortae sunt inter parochum S. Francisci, et alios parochos civitatis praesertim post editam Synodum dioecesanam a f. r. Cardinali Riboldi an. 1878, in qua edicitur parochos celebrare posse funera suorum parochianorum quocumque loco obierint.

Plures recursus oblati sunt sive a parocho S. Francisci, sive ab aliis civitatis parochis ad decessorem Episcopum Riboldi, et ad hodiernum Praesulem Ciceri: at hi rem tantum in possessorio definierunt insolutam relinquentes quaestionem in petitorio.

Ita Episcopus Riboldi rogatus de interpretatione legis Synodalis circa funera sub die 10 Decembris an. 1899 sequentia rescripsit: « A chi muore all'ospedale od alla casa di salute « si facciano pure i funerali nelle Chiese parrocchiali nei « confini delle quali sono l'ospedale e la casa di salute, « secondo la pratica in corso; ma se i dolenti volessero che « i di lui funerali si facessero nella parrocchia in cui egli « era realmente domiciliato, il parroco di questa parrocchia « ha il diritto ed il dovere di prestarvisi, dandone per altro « avviso al parroco della parrocchia nei di cui confini av« venne la morte: nè si può in alcun modo supporre che la « pratica in corso tolga questo diritto, a cui non si oppone « nè si potrà opporre ».

Nec aliter respondit hodiernus Episcopus an. 1901 occasione decessus in hospitali puellae Magdalenae Torti cuius parentes decreverant, ut ipsius funera, omissa Ecclesia S. Francisci, celebrarentur in Ecclesia paroeciali domicilii defunctae puellae: nam Episcopus iussit servandam esse consuetudinem, quoadusque quaestio in merito non esset resoluta: quin imo Decreto diei 20 Iunii 1903, iussit emolumenta funeris iam parocho S. Francisci soluta, reddi parocho S. Primi ad cuius paroeciam dicta defuncta pertinebat ratione domicilii.

Cum vero hodie controversia in petitorio sit resolvenda ex actione promota a parochis civitatis contra parochum S. Francisci, et cum partes proprios elegerint procuratores ad sua iura protuenda, sequentia de ipsorum consensu concinnata sunt dubia. 1) *An Parocho S. Francisci civitatis Papiensis ius competat funerandi eos, qui decedunt in hospitali S. Matthaei vel potius tale ius competat proprio defuncti parocho in casu?* Quatenus affirmative ad primam partem et negative secundam. 2) *An proprio defuncti parocho spectet quarta funeraria in casu?* 3) *An ius funerandi competat parocho defuncti proprio saltem in casu quo defunctus vel eius familia id deposcant?* Et quatenus affirmative ad tertium, 4) *An funebris associatio ab ipso Hospitali incipienda sit?* Et quatenus affirmative ad quartum, 5) *An et quaenam iura ac emolumenta competant parocho S. Francisci in casu?*

Mei nunc muneris est contendentium iura breviatim referre.

Advocatus a Collegio parochorum civitatis Papiensis adlectus tria probanda sibi assumit, videlicet: 1° quod ius funerandi defunctos hospitalis S. Matthaei ad proprium ipsorum parochum spectat; 2° quod mortuorum cadavera a dicto hospitali ad propriam parochiam pro funere explendo deferenda sunt a proprio illorum parocho; 3° tandem quod nullum emolumentum competit parocho Ecclesiae S. Francisci pro funeribus alienorum parochianorum in eodem hospitali decedentium a proprio parocho explendis; quarta autem funeraria parocho defunctorum proprio pertinet quoties quacumque de causa parochus S. Francisci peragat funus in casu.

Primum assertum demonstrare nititur patronus tum *ex iure communi* tum *ex iure particulari.* Quoad ius commune pertinet, praemittit in primis iuris canonici principium: *ubi sepulchrum, ibi funus.* Sane, ut tradit Santi (*Prael. iur. can., lib. 3, tit. 28, n. 6*). « Ius exsequendi funeralia ex « sensu tituli (*nempe 28, De sepult.*) pertinet ad Ecclesiam, « in qua cadaver sepelitur, et Ecclesiae ipsi cedunt emolu« menta, quae ex funere obveniunt ». Atqui cadavera infirmorum, qui in hospitali S. Matthaei moriuntur, in propria ipsorum parochia sepelienda sunt; ergo ad proprium parochum pertinet ius eos funerandi.

Minorem enunciatam propositionem constare ait patrocinator in primis *ex iure canonico promulgato,* praesertim vero ex *cap. 3, De sepult., in 6,* iuxta quod viatores, hospites et peregrini, qui in aliena parochia breviter commorantur, si ibi decedant, in propria domicilii parochia sunt sepeliendi, dummodo illuc commode et sine periculo transferri possint; secus, sepeliuntur in loco ubi moriuntur. Iamvero in themate agitur de infirmis, qui veluti hospites in hospitali S. Matthaei recipiuntur, ibique nec domicilium nec quasi-domicilium habent; hinc nullo sub respectu subditi parochi S. Francisci dicendi sunt. Praefati insuper aegroti commode ad suam parochiam transferri valent, cum ipsorum paroeciae in ipsa civitate Papiensi contineantur.

Caeterum, prosequitur orator, Parochi officium et iurisdictio haud est territorio, sed parochianorum personis affixa; ex quo fit ut parochus dum omne ius habet in parochianum suum quocumque ierit, nullum vero ius habeat in propria Parochia super alienum parochianum.

Quae omnia confirmat *practica iurisprudentia,* ex qua eruitur quod hospitale sive exemptum a iurisdictione parochi, sive non, quoad sepulturae ius, ad parochum non autem ad illius cappellanum pertinet. Etenim S. H. C. ad dubium: « An cappellano Hospitalis S. Mariae de vita et morte com« petat ius ducendi solemniter funera ad publicum coeme« terium seu potius spectet ad parochum », die 24 Ian. 1857 respondit: « *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad « secundam ». Eadem habet Rota, *(dec. 348, part. 11, Recent.).*

Haec iure communi inspecto enucleat defensor: ad ius vero particulare quod attinet, ipse ait tres eiusdem fontes in praesentiarum recenseri posse, nimirum leges episcopales vel synodales, consuetudinem et privilegium.

Relate ad leges episcopales vel synodales, haec habet advocatus. Contendit in primis Episcopum Riboldi in synodo a. 1878 admisisse ius parochorum celebrandi funeralia suorum parochianorum ubicumque moriantur, et proinde etiam illorum qui in hospitali S. Matthaei decedunt, dummodo parentes defuncti hanc exprimerent voluntatem. A qua lege synodus dioecesana excepit dumtaxat Capitulum Cathedrale, ita tamen ut etiam in hoc casu: « parochus « domicilii ipsius defuncti ius habeat ad funus interve« niendi elata cruce ac cum suo clero in ecclesia Cathe« drali, ac quartam funerariam recipiendi ».

Deinde relate ad consuetudinem patronus sustinet ipsam in casu favore parochi S. Francisci continuatam dici non posse. Observat enim quod soli infirmi pauperes ad paroeciam S. Francisci pertinentes, ab ipsorum parocho funerantur funere charitatis, dum caeteri pauperes aliarum paroeciarum absque ullo funere ad publicum coemeterium transferuntur. Addit insuper quod a. 1883 cadaver sacerdotis Iosephi Mairaghi, parochi in oppido *Giussago* et in hospitali S. Matthaei demortui, iubente Episcopo, ad eccle-

siam parochialem Giussago translatum est, ibique funus celebratum fuit. Tandem a. 1902 parochus ecclesiae S. Primi iussit ut cadaver cuiusdam Magdalenae Torti, petentibus eius parentibus, ad propriam duceretur parochiam.

At dato et non concesso, pergit orator, quod in civitate Papiensi adsit consuetudo, vi cuius parochus S. Francisci celebret funera omnium decedentium in praefato hospitali, evincere tamen satagit huiusmodi consuetudinem nunquam inducere posse praescriptionem. Iuxta ipsum ad hoc requireretur non tantum consuetudo continuata et ininterrupta, quam ex dictis non constare ait; sed etiam bona fides praescribentis. Iamvero ex historia hodiernae controversiae apparet quod usque ab initio parochi Papienses protestationem contra parochum S. Francisci emiserunt; quin imo ipsi Papienses Episcopi, dum provisorio modo consuetudinem servari iubebant, quaestionem in merito seu quoad ius, integram manere voluerunt.

Sane ab institutione Confraternitatis S. Matthaei usque ad a. 1796 funera decedentium in hospitali eiusdem nominis a suis cappellanis vi Bullae Nicolai V celebrabantur; at suppressa a. 1796 dicta Confraternitate, statim ac parochus S. Eusebii (in cuius territorio tunc extabat hospitale S. Matthaei) huiusmodi funera celebrare coepit, nempe post sex annos Praepositus S. Michaëlis, iam Vicarius Generalis dioecesis, apud Curiam contra parochum S. Eusebii de iure laeso protestatus est.

Ipse Episcopus Bertesi, quamvis quaestionem in merito solvere noluerit, tamen a. 1801 decrevit: « devesi stare alla « consuetudine senza pregiudizio delle ragioni competenti « alle parti nel merito ». Nec praetereundum est, ait advocatus, quod constans semper fuit praxis, quae adhuc perseverat, vi cuius administratio hospitalis per ministerium Curiae dioecesanae denuntiabat infirmorum mortem non parocho S. Francisci, sed proprio cuiusque parocho.

Interea a. 1878 Episcopus Riboldi in synodo dioecesana decrevit funera parochianorum ad proprium ipsorum parochum pertinere quocumque in loco moriantur, etiamsi in hospitali memorato, et insuper recognovit privilegium Capituli Cathedralis, ita tamen ut hoc etiam in casu parochus domicilii interessendi ius habeat cum cruce elata et cum suo clero. Ab hoc anno 1878 pluries funera decedentium in hospitali S. Matthaei a proprio cuiusvis parocho celebrata fuisse ex supra dictis satis probatum fuit. Quibus accedit iam citata responsio Episcopi Riboldi a. 1899, cum iterum quaestio de funeribus enata fuerit, nempe introductam facti consuetudinem servandam non esse, si contraria adsit parentum voluntas. Et consona etiam est responsio a. 1902 data ab hodierno Episcopo Ciceri: « Per l'avvenire si con- « servi il privilegio praticato a favore di S. Francesco fin- « chè non sia data sentenza contraria ».

Relate demum ad Apostolicum privilegium, nullum concessum fuisse contendit patronus Parocho S. Francisci, ita ut ad ipsum pertineat ius funerandi cadavera defunctorum in hospitali S. Matthaei; quod de caetero ab omnibus excluditur. Sed neque asserendum est, pergit orator, privilegium a Nicolao V Confraternitati S. Matthaei concessum ad Parochum S. Francisci transiisse. Dictum enim privilegium Confraternitati S. Matthaei eiusque Cappellanis elargitum fuit una simul cum exemptione aliisque praerogativis.

At, subdit patronus, quum Confraternitas penitus sit extincta, extincta quoque remanent privilegia et exemptio eidem concessa. Antiqui Cappellani Confraternitatis eatenus illis privilegiis gaudebant, quatenus repraesentabant Sodalitatem privilegiatam, cuius erant delegati. Dum e contra non constat quo iure Parochus S. Francisci in personalitatem iuridicam ipsius Congregationis successerit. Nam ipse neque repraesentat hodiernos Rectores hospitalis, neque, si illos repraesentaret, aliquo privilegio frueretur, quia hi utpote laici auctoritate civili administrantes, in iura ac privilegia antiquae Confraternitatis succedere non potuerunt. Unde concludit ius funerandi eos qui decedunt in hospitali S. Matthaei respective ad Parochum defuncti proprium pertinere.

Secundum deinde propositum assertum probandum aggrediens advocatus, contendit cadavera defunctorum ab hospitali S. Matthaei ad propriam cuiusvis Paroeciam a proprio Parocho transferenda esse. Praemittit in casu agi de publico hospitali, in quo quisque Parochus sacramenta suis parochianis administrare valet. Quemadmodum enim consuetudine inductum est ut Parochus suis parochianis sacramenta poenitentiae et eucharistiae in aliena Paroecia conferre possit, ita hoc idem praestare potest suis infirmis parochianis in publico hospitali degentibus. Citatus Alberti (*loc. cit., pag. 66*) postquam docuerit quod: « ius administrandi « SS. Viaticum et Extremam Unctionem degentibus in no- « socomiis spectat ad Cappellanum, si nosocomium exemptum « sit a iurisdictione Parochi; secus ad hunc pertinet », in adnotatione subdit quod, nisi aliter lex constituat, ad proprium infirmi Parochum ius praedictum spectat. Item quoad peregrinos idem auctor tenet quod hoc ius « pertinet ad « Parochum loci, ubi ipsi infirmantur; nisi Parochus pro- « prius aut adsit, aut facile acciri possit ». Ratio est, ait patronus, quia quoad peregrinos non cessat proprii Parochi iurisdictio.

Praeterea, urget advocatus, ex documentis constat Parochos Papienses matrimoniis suorum parochianorum etiam in alieno territorio commorantium adsistere consuevisse. Hinc etiam Parochus decedentium in hospitali proprius poterit eorum cadavera, recto tramite et sine pompa per alienum territorium, ad propriam Ecclesiam parochialem atque ad publicum coemeterium ducere.

Ex quibus omnibus nec non ex decisione S. H. C. diei 22 Decembris 1866 advocatus colligit ius elevandi et associandi cadavera ad constitutam sepulturam regulariter ad proprium defuncti Parochum pertinere seu ad illum, in cuius Parochia defunctus quocumque iure sepeliendus est. Ratio iuxta advocatum in eo est quod iurisdictio Parochi non est affixa territorio sed personis parochianorum, ex quo fit ut Parochus ius habeat in parochianum suum quocumque ierit.

Idque patronus confirmat comparationem instituens inter publicum hospitale publicumque coemeterium. Sicut enim coemeterium publicum, licet in territorio alicuius Paroeciae situm, consideratur commune omnibus eiusdem civitatis Parochis, ita ut unusquisque Parochus cadavera suorum filianorum ad illud iure proprio adducere possit; eodem modo hospitale publicum, quamvis in territorio alicuius Paroeciae situm, est omnibus Parochis quoad suos filianos commune. Proinde infirmus parochianus sub iurisdictione proprii Parochi remanet, ab eoque recipere valet etiam extrema sacramenta; quinimo haec iurisdictio neque cessat neque minuitur post infirmi mortem, adeo ut Parochus proprius, absque consensu Parochi localis, cadaver suorum filianorum levare possit.

Caeterum, addit patrocinator, absurdum est quod adversarii petunt, nempe quod cadaver deferatur ad propriam defuncti domum et ab hac levetur a Parocho proprio. Etenim Parochus S. Francisci, ut cadaver aliorum parochianorum ad ipsorum domum deferret, et ipse per alienum territorium transire deberet, et insuper iurisdictionem in defuncto exerceret ad eum nullimodo pertinente. Obiicientibus forsan quod Parochus S. Francisci usque ad fines sui territorii cadavera adducere posset, ut inde a proprio Parocho deferantur, advocatus observat, quod cum agatur de eadem ci-

vitate, hoc esset inutile utriusque Parochi incommodum.

Concludit demum in civitate Papiensi praxim extare, vi cuius Parochus proprius cadavera decedentium in hospitali S. Matthaei ab eodem hospitali levet et ad propriam Paroeciam pro funeribus adducat; quodque probare satagit ex iam citatis funeribus Parochi Mairaghi, Carolinae Carini, Aloysiae Azzovetti, Marii Delfrate et Magdalenae Torti in propria ipsorum Paroecia persolutis, necnon ex decreto Episcopi Riboldi, qui dum permittit ut firma maneat consuetudo facti, donec quaestio in merito a S. Sede resolvatur, iubet tamen ut, petentibus aliter parentibus et cognatis, Parochus defunctorum proprius cadavera levet ab hospitali S. Matthaei eaque ad propriam Parochiam associet pro funeribus explendis, hac tantum adiecta conditione: « dando avviso al Parroco della Parrocchia, nei cui confini « avvenne la morte ».

Ad tertium demum assertum demonstrandum, quod nempe nullum emolumentum competat parocho S. Francisci in funeribus alienorum parochianorum in hospitali S. Matthaei decedentium et a parocho proprio explendis, advocatus praemittit hoc esse iuris communis canonici principium quod traditur a Santi (*loc. cit. n. 6 et 7*).

Unde, subdit patronus, emolumenta funeraria ideo competunt parocho, vel quia in sua parochia fidelis etiam alienus sepelitur, vel quia etiamsi in aliena sepeliatur paroecia, ille tamen est subditus parochi ratione domicilii aut quasidomicilii; quo in casu parochus ad quartam funerariam ius habet. At in casu, iuxta advocatum, neutrum quoad parochum S. Francisci verificatur, cum agatur de alienis infirmis parochianis in publico hospitali S. Matthaei decedentibus, qui in propria paroecia sepeliri debent, quique nullo modo sunt subditi parochi S. Francisci.

Tamen advocatus eos excipit, qui alibi sepulturam elegerint; nam si in parochia S. Francisci sepulturam vel funus elegerint vel alia de causa funerentur a parocho S. Francisci, hoc in casu iuxta patronum, licet emolumenta funeraria ad parochum S. Francisci pertineant, ad parochum tamen proprium quarta portio canonica spectat.

Ex adverso advocatus a parocho S. Francisci electus contendit primo loco ius funerandi infirmos in hospitali S. Matthaei decedentes ad solum S. Francisci parochum, caeteris exclusis, pertinere. Quod probare incipit ex quadam synodi dioecesanae dispositione, vi cuius decedentes extra propriam paroeciam, non a proprio domicilii parocho, sed a parocho loci decessus funerantur; unico tantum excepto casu quo aliter statuerint parentes. Hinc iuxta patrocinatorem, parentibus proprium defunctum non reposcentibus, super ipsum parochus proprius ius suum amittit, quod propterea acquirit parochus loci decessus.

Eadem fateri asserit parochos adversarios cum epistolam E.mi Riboldi, tunc temporis Episcopi Papiensis, die 10 Sept. 1899 ita statuentem referunt: « A chi muore all'ospe« dale od alla casa di salute si facciano pure i funerali nelle « chiese parrocchiali, nei confini delle quali sono l'ospedale « o la casa di salute, *secondo la pratica in corso* ».

Praeterea orator ostendere satagit parochum S. Eusebii postea S. Francisci iam ab a. 1769 super defunctis praefati hospitalis funera persolvere coepisse. Etenim exemptum coemeterium pro dictis mortuis tumulandis a Nicolao V Confraternitati S. Matthaei intra bona hospitalis eiusdem nominis concessum, utpote cadaveribus stipatum, a. 1769 clausum fuit, novumque fuit destinatum extra eadem bona situm, quod proinde exemptum non amplius dici poterat. Hinc cadavera defunctorum in hospitali S. Matthaei, cum nulla gauderent exemptione, quippe extra locum exemptum sepelienda, sub iurisdictione parochi S, Eusebii postea vero S. Francisci incidebant, sive ratione territorii non exempti sive ratione existentis consuetudinis superius recensitae. Exemptio enim hospitalium primario loca et nonnisi secundario personas ibidem degentes respicit, ita ut si quis in loco exempto decedat et in loco non exempto sit sepeliendus, localis exemptio minime suffragetur. Quapropter Nicolaus V hospitale in casu ab omni et quavis praestatione eximens expresse cavit: « quod servientes et morientes in dicto Ho« spitali, absque quartae seu canonicae portionis solutione, in eo sepeliri libere valeant »; sepulturamque extruendam concessit intra bona et aedificia eiusdem Hospitalis, nempe: « *in eodem Prioratu et illius ecclesia*, Hospitale huiusmodi « cum cappella, campanili, campanis, *coemeterio* pro pau« perum et aliarum personarum in illo pro tempore degen« tium et servientium, corporibus tumulandis, *fundandi*, « *construendi et aedificandi* ».

Nec negotium facessit, prosequitur advocatus, quod non obstante sepulturae destinatione extra hospitale S. Matthaei a. 1769 peracta, eiusdem cappellani in funeribus peragendis perrexerint; huiusmodi enim munus ab ipsis exsolvebatur non super infirmis in hospitali decedentibus sed dumtaxat super *dedicatis*, qui appositum sepulcrum intra septa Ecclesiae S. Matthaei adhuc servabant: quod si aliquando id etiam infirmis praestiterunt, hoc processit ob rite electam ab eis sepulturam in eadem S. Matthaei ecclesia. Quod si ulterius unus vel alius infirmus, alio eligens sepulturam extra coemeterium nuper assignatum, parochum S. Eusebii dein S. Francisci pro funeribus invitavit, ex hoc inferri minime potest parochum huiusmodi tunc temporis ius non habuisse ad funerandos decedentes in dicto hospitali absque sepulturae electione; nam parochus defuncti proprius ius non habet ad funera peragenda sui defuncti alio sepulturam eligentis, sed totum ius devolvitur ad parochum electae sepulturae.

Excipiendum tamen esse ait casum, quo defunctus alio quidem sepeliri sed in propria paroecia funerari vult; tunc enim per electionem sepulturae ius proprii parochi ad funera non perimitur: quod praecise evenisse ait patronus in uno alterove casu ab adversariis relato, in quo iste vel ille infirmus, electa sepultura penes coemeterium S. Matthaei pro *dedicatis* destinatum vel penes publica coemeteria, parochum S. Eusebii seu S. Francisci ad funera explenda accivit.

Caeterum, prosequitur patrocinator, parochus S. Eusebii seu S. Francisci revera ab. a 1769 hucusque ius funerandi decedentes in hospitali S. Matthaei pacifice exercuit. Siquidem dictus S. Eusebii parochus ad compescendas praetensiones parochi S. Michaëlis, expetentis cadaver cuiusdam parochiani in praefato hospitali decessi, confugit ad Episcopum Papiensem, postulans ut nihil innovaretur « contro « l'immemorabile diritto ed imperturbato possesso del parroco « dell'Ospedale », enixeque flagitans « di essere con favo« revole decreto *mantenuto nella sua giurisdizione e nel* « *non mai interrotto possesso* »; idem Episcopus die 14 Oct. 1801 rescripsit: « Ordiniamo che si osservi *il fin qui* « *praticato* in simili casi, senza pregiudizio delle ragioni « competenti alle parti nel merito ». Poterant igitur parochi Papienses, ad vim huius possessorii decreti infringendam, litem in merito proponere suaque praetensa iura recuperare, sed e contra sive ipsi sive eorum successores altum silentium per integrum saeculum servarunt. Ex hoc silentio advocatus centenariam praescriptionem favore parochi S. Francisci enatam esse ait, eo vel magis quod adversarii nec ullum adducere possunt casum, quo controversum ius toto illo tempore ab ipsis exercitum fuerit.

Demum iuxta patronum, ipsa ratio ipsaque aequitas exigit

ut ius funerum super defunctis hospitalis S. Matthaei a Parocho S. Francisci prae omnibus aliis exerceatur. Sane expulsa Confraternitate ab hospitali, extinctoque iure a Nicolao V concesso eligendi nempe Rectorem et Cappellanos hospitalis pro animarum cura inibi exercenda, unus S. Francisci Parochus et eius Viceparochi fuerunt electi ut Rectoris et Cappellanorum munera obirent, inter quae et illud baptizandi infantes a matribus enixos in hospitali nec quasi-domicilium habentibus; hinc ad tramitem regulae iuris 55 in 6 « Qui sentit onus, sentire debet commodum, et viceversa », etiam ius funerandi decedentes in hospitali S. Matthaei congruentius soli Parocho S. Francisci spectat.

Dato igitur quod ius funerandi in themate uni Parocho S. Francisci competat, advocatus sponte sua fluere contendit quartam funerariam emolumentorum Parocho defuncti proprio minime spectare posse. Ipsi enim Parochi adversarii saltem tacite fatentur nunquam a Parocho S. Francisci quartam funerariam pro infirmis in hospitali defunctis atque in Ecclesia S. Francisci funeratis recepisse. Idem firmat Episcopis. Ius autem quartae funerariae subiicitur praescriptioni, prout tenent unanimiter doctores, v. g. Ferraris *(Bibl. can., v. Quarta, n. 3)*.

Tertio lôco et ipse patronus Parochi S. Francisci ultro concedit ius funerandi infirmos in hospitali S. Matthaei decedentes, posita defuncti vel parentum voluntate in propria ipsorum Paroecia sepeliendi, competere Parocho defuncti proprio seu Parochis civitatis Papiensis.

Quarto loco idem advocatus ostendere satagit cadavera in hospitali decedentium, poscentibus parentibus iusta funebria in propria Paroecia fieri, prius privatim asportanda esse ad propriam domum, ut ab hac a proprio Parocho comitentur, nunquam vero funebrem associationem ab ipso hospitali incipiendam esse. Talis enim est praxis hucusque servata, quam firmat in sua informatione Episcopus. Quinimo idem Episcopus decreto diei 9 Iunii 1903 in partium contradictorio edito sancivit: « Rimane l'uso che se alcuno « morto viene per volere dei congiunti asportato *privata-* « *mente* dall'Ospedale nella famiglia per avere i funerali « nella propria Parrocchia, i dolenti non ledono con ciò « nessun diritto al Parroco di S. Francesco ».

Huic praxi iuxta oratorem innuere videtur vel ipsa dioecesana synodus hisce verbis: « Qui extra Paroeciae fines, « in qua domicilium vel quasi-domicilium habet, vita excedit « (ita vel parentibus vel haeredibus cupientibus) in propriam « Paroeciam, *absque* funeribus, ideoque nihil Parocho apud « quem mortuus est, soluto, transferri poterit, ibique funus « habebitur ». Iamvero sub nomine funerum in primis continetur ipsius cadaveris associatio funebri ritu seu funeris ductio; hinc si cadaver in casu, iuxta synodalem dispositionem, absque funeribus est transferendum in propriam Paroeciam, ritu funebri nedum ipsum in decessus Paroecia est funerandum, verum etiam in propriam est deducendum. Non enim Synodus directe respicit Paroeciam decessus, in qua funera exsolvenda non sunt, sed principalius translationem cum funebri ritu. Hocque confirmatum ait ex aliis insequentibus verbis « ibique (nempe in Paroecia domicilii) « funus habebitur »; cum negato quolibet funere in Paroecia decessus atque in cadaveris translatione, integrum funus peragendum remanet in propria defuncti Paroecia.

Admittit quidem advocatus E.mum Riboldi a. 1899 recitatam Synodi dispositionem diversimode interpretatum fuisse. Verum huiusmodi interpretatio taxativam Synodi dispositionem infirmare nequit, dum Episcopus, non uti iudex sed uti doctor privatus, generali illo inciso « *senza fare* « *i funerali* nella Parrocchia » vel etiam funeris ductionem prohibuit, vel de solis officiis expiatoriis loquutus est.

Caeterum ait patronus suam thesim ex ipsa adversariorum confessione adstrui. Ipsi profecto in libello litis introductivo fassi sunt nonnisi ab a. 1886 funerare in propria Parochia, ex parentum voluntate, proprios filianos in hospitali decessos incoepisse; ac tres tantum commemorant casus (praeter illum qui huius controversiae initium fuit), quin tamen edoceant utrum in his associatio funebris ab ipso hospitali vel a domo defuncti fuerit peracta. Sed etiam parumper concesso quod huiusmodi associatio in tribus praefatis casibus ab ipso hospitali, non autem a domo defuncti, incoepta sit, ex hoc minime censendum est peremptum ius Parochi S. Francisci, quod plusquam centenaria praescriptione, per eius nempe exercitium ab a. 1769 ad a. 1886, fuit acquisitum. Ast actus in contrarium positi, si interrumpere valent tempus ad praescriptionem necessarium, quando huiusmodi tempus nondum sit expletum, talem vim non habent, cum tempus a lege taxatum pro iuribus praescribendis iam effluxerit ac ius sit consequenter quaesitum; excipe nisi hi actus per tantum temporis spatium exerceantur, ut novum ius in prioris locum suffectum fuerit; quod in casu non evenit.

Sed dato etiam et non concesso, ait patronus, quod praetensi actus in contrarium gesti praeiudicium afferre valuissent iuri Parochi S. Francisci, non tamen Collegium parochorum potest contra praescriptionem, ab ea liberationem vindicando, inclamare. Neminem profecto latet iura Parochorum esse iura *singulorum* non iura *Collegii;* quapropter sicut unius desidia in suis iuribus prosequendis praeiudicium afferre nequit aliorum iuribus, ita unius vel alterius sollertia in praescriptione excutienda, caeteris prodesse non potest. In casu proinde beneficium inde proveniens iste vel ille Parochus, qui actus contrarios emisit, non totum Parochorum Collegium, sibi vindicare valeret.

Praeterea advocatus sustinet nullum ex recensitis casibus favere posse Parochorum Papiensium intentioni in subiecta materia.

Quibus omnibus, iuxta advocatum pergraves circumstantiae accedunt, quae ius parochi S. Francisci magis firmant ac roborant, prout eas expendit ipse Episcopus.

Tandem quinto loco advocatus contendit quod casu contingente, quo associatio funeris, ex parentum voluntate, a paroc o proprio incipienda sit ab hospitali non autem a domo defuncti, Praepositus S. Francisci ius habeat in tali funeris ductione interessendi usque ad ianuam ecclesiae parochialis defuncti et quartam funebrem percipiendi iuxta iuris communis praescriptum. Parochus vero dictae ecclesiae tunc funera exsolvit *non titulo domicilii* sed *titulo electionis funerum* ex parte parentum. In casu enim parochus proprius eorum, qui in hospitali S. Matthaei decedunt, etiam quoad funera explenda est Praepositus S. Francisci, sive vi legum localium sive vi legitimae praescriptionis. Synodalis dispositio haec habet: « Si propinqui defunctum transfe- « rendum non reposcunt, nec parochus eius paroeciae ubi « domicilium habebat repetere illum potest, nec parochus « apud quem mortuus est facultate indiget ad funera agenda ». Ipsae igitur leges, concludit patronus, quae moderantur iura inter parochum proprium defuncti et parochum electae sepulturae applicari deberent in hypothesi, quod parochi Papienses possent ex parentum voluntate ab hospitali, non autem a domo defuncti, ducere funus.

Quapropter advocatus parochi S. Francisci generatim postulat ut quinque suprascripta dubia dimittantur responso, Servetur decretum Episcopi diei 9 Iunii 1903.

Haec sunt partium iura quae latius evolvuntur in allegationibus apud EE. VV. circumferendis.

Demum opportunum duco etiam sermonem instituere de

alia controversia non absimili a superiore, nempe de iuribus parochi S. Theodori relate ad funera facienda super alienis paroecianis decessis in domo salutis intra territorium suae paroeciae sita, et in qua domo tantum recipiuntur personae pensionem persolventes ideoque non pauperes. De hac implicite loquuntur 5 parochi civitatis Papiensis in suo recursu contra parochum S. Francisci et licet parochus S. Theodori sese extraneum liti exhibeat, tamen, teste Episcopo, etiam ipse expectat ut eadem quaestio resolvatur quoad praedicta funera.

Pro ea solvenda superius canonici iuris principia invocata inservire possunt, si demas centenariam praescriptionem, quae in praesenti casu vix 28 annis continetur cum tot sint anni effluxi a dictae domus aedificatione.

Hisce pro meo munere relatis, modo pro solutione sequentia proponuntur

DUBIA.

I. *An parocho S. Francisci civitatis Papiensis ius competat funerandi eos, qui decedunt in hospitali S. Matthaei, vel potius tale ius competat proprio defuncti parocho in casu?*

Quatenus affirmative ad 1am partem et negative 2am,

II. *An proprio defuncti parocho spectet quarta funeraria in casu?*

III. *An ius funerandi competat parocho defuncti proprio saltem in casu quo, defunctus vel eius familia id deposcant?*

Et quatenus affirmative ad tertium,

IV. *An funebris associatio ab ipso hospitali incipienda sit in casu?*

Et quatenus affirmative ad quartum.

V. *An et quaenam iura ac emolumenta competant parocho S. Francisci in casu?*

VI. *An eadem iura vigere debeant etiam pro parocho S. Theodori relate ad alienae paroeciae subditos in domo salutis decedentes in casu?*

Responsum fuit: *Attentis omnibus servetur Decretum Episcopi diei 9 Iunii 1903 et ad mentem.*

E SACRA CONGREGATIONE
EPISCOPORUM ET REGULARIUM

I.

DECRETUM.

Promulgatur infrascripta Instructio.

In approbandis seu commendandis novis Institutis votorum simplicium iampridem praescribi consuevit ut a moderatoribus seu moderatricibus generalibus tertio quoque anno ad S. Sedem Apostolicam transmittatur relatio de statu personali, disciplinari, materiali et oeconomico propriae cuiusque Congregationis. Huiusmodi enim relatione singula Instituta, quorum domus in variis extant dioecesibus dissitisque locis, explorata perspectaque fiunt eidem S. Sedi; quae idcirco continua providentia ea prosequi, et, si quando a legibus deflectere videantur, sive cohortationibus, sive correctionibus mandatisque ad pristinam observantiam revocare potest.

Cum vero perspicuum sit parum vel nihil utilitatis inesse praedictae relationi si, uti non raro factum est, fusius expositis quibusdam ad rem minus facientibus, vix innuantur aut plane reticeantur ea, quae potissimum cognoscere oportet; hinc ad optatum finem facilius ac tutius assequendum peropportunum visum est, ut etiam modus et ratio conficiendi relationem omnibus et singulis, ad quos spectat, communi lege praescribatur.

Itaque haec S. Congregatio negociis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita redigendum curavit elenchum quaestionum, quibus distincte indicantur ea omnia, quae in relatione utiliter seu necessario sunt exponenda, eumque, post maturum examen, in plenario E.morum Patrum coetu approbatum, cum omnibus et singulis moderatoribus et moderatricibus generalibus Institutorum, per modum *instructionis*, cui sese conformare oporteat, communicandum esse censuit.

His autem relatis SS.mo D.no Nostro Pio Divina Providentia PP. X in audientia habita ab infrascripto Cardinali eiusdem S. Congregationis Praefecto, die 17 Iunii 1906, *Sanctitas Sua* rem ultro probavit, iussitque per hanc ipsam S. Congregationem omnibus et singulis moderatoribus et moderatricibus Institutorum vota simplicia profitentium Apostolica Auctoritate mandari, prout praesentis Decreti tenore mandatur, ut in triennali relatione proprii cuiusque Instituti ad singulas quaestiones in elencho hisce litteris adiuncto conscriptas et ab *Eadem Sanctitate Sua* approbatas confirmatasque, memores rationis quam Deo, cordium scrutatori, reddituri erunt, fideliter atque examussim respondeant: contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria praefatae S. Congregationis die 16 Iulii 1906.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. ✠ S.

PH. GIUSTINI, *Secretarius.*

Instructio seu Elenchus quaestionum ad quas respondendum est a moderatoribus seu moderatricibus generalibus Institutorum vota simplicia profitentium in Relatione ad S. Sedem tertio quoque anno transmittenda.

PRAEMITTENDA.

1. Doceatur quae decreta approbationis seu commendationis et quando Institutum a S. Sede obtinuerit.
2. Quinam sit finis sive scopus peculiaris Instituti.
3. Num titulus Instituti ab initio assumptus aut scopus vel habitus sodalium aliquatenus postmodum immutati fuerint et quanam auctoritate.
4. * Quot sodales ab initio usque in praesens, aut saltem ultimo vicennio, habitum Instituti induerint.
5. * Quot sodales a fundatione Instituti usque in praesens, aut saltem ultimo vicennio, et quomodo ab eo recesserint, sive tempore novitiatus, sive post emissa vota

(*) Ad interrogationes aut interrogationum partes asterisco notatas non nisi in prima, post promulgatam hanc instructionem, relatione respondendum erit.

temporanea, sive post emissa vota perpetua. Num et quot fuerint *fugitivi*.

6. Quandonam ultima relatio ad S. Sedem missa fuerit.

I. De Personis.

a) De admissis.

7. Quot novi sodales ab ultima relatione admissi fuerint.
8. Num omnes praescripta testimonia exhibuerint.
9. Num speciali aliquo modo seu industria ad nomen Instituto dandum quis allectus fuerit; et praesertim num ephemeridum ope moderatores hunc in finem usi sunt.
10. *(In Institutis religiosorum)*. Num litterae testimoniales per Decretum *Romani Pontifices* praescriptae in singulis casibus expetitae fuerint.
11. Quoties et super quibus impedimentis seu defectibus dispensatio necessaria fuerit et a quonam superiore ecclesiastico concessa.
12. In quanam domo et quanto tempore Postulantes seu candidati commorati fuerint.

b) De Novitiis.

13. Quot sint domus Novitiatus et num unaquaeque auctoritate S. Sedis instituta sit.
14. Quot novitii post ultimam relationem habitum Instituti susceperint.
15. Quot nunc in Novitiatu degant.
16. Num Novitii a Professis rite separati existant.
17. Num omnes habeant integrum exemplar Constitutionum.
18. Num omnes ante professionem per annum integrum et continuum in domo Novitiatus sub cura magistri degerint.
19. Num, quantum et qua auctoritate, tempus Novitiatus ultra terminum in constitutionibus praefinitum prorogatum vel imminutum fuerit.
20. Utrum Novitii primo novitiatus anno vacaverint tantummodo exercitiis pietatis, an aliis etiam et quibus operibus addicti fuerint.
21. Num durante secundo anno Novitiatus (ubi peragitur) novitii in alias domus missi fuerint.
22. *(In Institutis Sororum)*. Num ante admissionem ad habitum et ad primam professionem Episcopus vel eius delegatus examen praescriptum instituerit.

c) De Professis.

23. Quot nunc sint in Instituto sodales *a*) votorum temporaneorum, *b)* votorum perpetuorum.
24. Num vota temporanea semper tempore debito fuerint renovata.
25. Num sodales tempore debito ad vota perpetua admissi fuerint post elapsum tempus votorum temporaneorum.
26. Quot sodales sive professi sive novitii post ultimam relationem obierint.

d) De egressis et dimissis.

27. Quot post ultimam relationem ab Instituto recesserint *a)* ex novitiis, *b)* ex professis temporaneis, *c)* ex professis perpetuis.
28. Num in dimittendis sodalibus semper observatae fuerint normae in Constitutionibus praescriptae.
29. Num semper et a quo superiore ecclesiastico, in casibus dimissionis, obtenta fuerit dispensatio super votis emissis.
30. *(In Institutis Sororum)*. Num in casibus dimissionis professarum in perpetuum accesserit confirmatio apostolica.
31. *(In Institutis virorum)*. Num in dimittendis sodalibus semper et in omnibus observatum fuerit Decretum « *Auctis admodum* »; et nominatim num in casu professi perpetui, vel professi votorum temporaneorum quidem, sed constituti in Ordine sacro, Moderatores Instituti

a) praemiserint trinam monitionem;

b) admiserint, concesso congruo tempore, legitimam rei defensionem, eiusque rationem debitam habuerint;

c) an, quoties et qua facultate processerint summario modo.

32. *(In Institutis Sororum)*. Num egressis quacumque de causa dos, quomodolibet constituta, integre tradita fuerit, una cum supellectili quam ad Institutum attulerant, in eo statu in quo tempore egressus reperiebatur.
33. Num iis quae propriis bonis destitutae erant in casu egressus ex Instituto, necessaria suppeditata fuerint, quibus tuto et decenter in propriam familiam reverti potuerint.

II. De Rebus.

a) De domibus.

34. Quot domos Institutum habeat, et in quibusnam dioecesibus: an et quot habeat provincias.
35. An et quot novae domus post ultimam relationem apertae fuerint: et an in omnibus intercesserit legitima auctoritas et servata fuerit ratio in constitutionibus praescripta.
36. Quot sodales diversarum classium in singulis domibus commorentur, et (si diversa opera ab Instituto exerceantur) quibusnam operibus addicti sint.
37. Num post ultimam relationem domus aliqua suppressa fuerit et cuiusnam auctoritate.
38. Utrum singuli sodales proprias cellas habeant, an saltem in communi dormitorio suum quisque cubile convenienter ab omnibus aliis separatum.
39. Num infirmis curandis separatus locus undequaque aptus addictus sit.
40. Num pro recipiendis hospitibus adsint in domo cubicula sufficienter, ut decet, a communitate religiosa separata.
41. *(In Institutis Sororum)*. Num habitatio Capellani sive confessarii ingressum separatum, et nullam cum Sororum habitatione communicationem habeat.

b) De bonis.

42. Quinam fuerint ab ultima relatione annui redditus et expensae *a*) tum Instituti in communi, *b*) tum uniuscuiusque domus.
43. Num ab ultima relatione sive Institutum in communi, sive certae domus in particulari nova bona mobilia vel immobilia et cuius valoris obtinuerint.
44. Num pecuniam semper utili foenore et honesto ac tuto collocaverint.
45. Utrum et quam iacturam bonorum suorum, post ultimam relationem, fecerint, vel damna subierint, et qua de causa.
46. Num et quae bona sive immobilia sive mobilia pretiosa abalienaverint, et qua facultate.
47. Num illorum bonorum, quae *capitalia* vocantur, partem aliquam consumpserint.
48. Num arca communis vel domus aliqua particularis aere alieno gravetur, et quanto.

49. Num ab ultima relatione nova debita contraxerint; quaenam, et qua auctoritate.
50. Num unaquaeque domus procuratorem sive oeconomum, distinctum a Superiore domus et ab oeconomo generali, habeat.
51. Num Procuratores, sive generalis sive locales, rationem suarum administrationum praescriptis temporibus reddiderint; et an huiusmodi rationes modo praescripto examinatae et approbatae fuerint.
52. Num lites de bonis habeant.
53. Num in omnibus domibus adsit arca tribus clavibus clausa; et an serventur leges ad rem latae.
54. Num et quo pacto pecuniam sive res pretiosas, a saecularibus depositas, custodiendas acceptaverint.
55. (*In Institutis Sororum*). Utrum dotes Sororum iuxta leges canonicas in tuto ac fructifero investimento collocatae fuerint; an et quae earum pars, quo modo et cuius permissu in expensas faciendas insumpta fuerit.
56. Num et quaenam legata pia seu fundationes in Instituto, sive pro missis celebrandis, sive pro operibus charitatis exercendis, existant.
57. Num huiusmodi onera fideliter adimpleta fuerint.
58. Num pecunia, qua huiusmodi fundationes factae fuerunt, rite collocata et seorsim ab aliis quibuslibet administrata fuerit.
59. Num Episcopo iuxta Constitutionem « Conditae » de huiusmodi fundationibus ratio reddita fuerit.
60. Quantum superfluae pecuniae in fine cuiuslibet anni a singulis domibus in arcam communem collatum fuerit.
61. Utrum sponte an invite huiusmodi pecuniae collatio ab omnibus facta fuerit.
62. An superiorissa vel oeconoma habeat pecunias, de quibus libere, etsi pro bono Instituti disponat, quin ullam rationem reddat.

III. De Disciplina.

a) De vita religiosa.

63. Num in unaquaque domo exercitia spiritualia pro singulis diebus, mensibus, annis vel aliis certis temporibus statuta accurate peragantur.
64. Num omnes sodales quotidie missae sacrificio assistant.
65. Utrum omnes sodales exercitiis communibus interesse possint, et an illis qui quandoque pro negotiis domesticis ab aliquo exercitio communi eximuntur, saltem concedatur tempus privatim illud peragendi.
66. Num observetur Decretum *Quemadmodum a*) quantum ad conscientiae manifestationem non exigendam; *b*) quoad sacramentalem confessionem: num pariter servetur decretum *Sacra Tridentina* circa communionem eucharisticam; et an utrumque Decretum statis temporibus lingua vernacula in communi legatur.
67. Num in Institutis Sororum ubique quovis triennio confessarius ordinarius mutetur, vel debita auctoritate confirmetur.
68. Num praescriptiones de clausura servanda in parte domus Religiosis reservata fideliter observentur.
69. Num Religiosis frequenter permittatur locutorium adire et an Constitutiones in hac re serventur.
70. Num Religiosis e domo egredientibus semper a Superioribus socius addatur.
71. Num, qua ratione et quibus temporibus habeantur institutiones catechisticae et piae exhortationes ad conversos aliosque alumnos nec non ad famulos seu convictores.
72. Num scripta circa pietatem, religionem, etc. etiam ad usum Instituti tantum, typis edantur absque Episcopi licentia.
73. Num et quibus libris, sive antiquis sive recentioribus, etiam manu scriptis, sola moderatorum Instituti licentia editis sodales utantur.

b) De observantia quarumdam specialium legum.

74. Num omnia circa Capitulum Generale praescripta diligenter observata fuerint: *a)* quoad litteras convocatorias; *b)* quoad electionem delegatorum; *c)* quoad electionem scrutatorum et secretarii; *d)* quoad electionem Moderatoris generalis; *e)* quoad electionem Consiliariorum Oeconomi et Secretarii generalium.
75. Num omnino liberum fuerit sodalibus litteras, quae ab inspectione Superiorum exemptae sunt, sive scribere sive recipere.
76. Num lex de mutandis Superioribus post statutum tempus fideliter observetur. Num, quot dispensationes et a quo super hac lege impetratae fuerint.
77. Num Moderator Generalis et Superiores Provinciales praescriptam domorum visitationem rite peregerint.
78. Num Moderator Generalis et Superiores sive Provinciales sive locales praefinitis temporibus consiliarios suos convocent, ut cum eis agant de negotiis sive Instituti sive Provinciae sive domus.
79. Num in deliberationibus debita libertas consiliariis servata fuerit.
80. Num in Consilio Generali electiones libere et iuxta normas praescriptas factae fuerint.
81. Utrum omnibus sodalibus necessaria, praecipue quoad victum et vestitum, a Superioribus ea qua decet charitate paterna suppeditentur, et an forte sint qui haec sibi ab extraneis procurent.
82. An alicubi sodales sint numero insufficientes ita ut nimis graventur laboribus cum gravi valetudinis discrimine.
83. Num provideatur ne quid desit infirmis ex iis, quibus iuxta propriam cuiusque conditionem indigent, atque ut in corporalibus et spiritualibus necessitatibus qua par est charitate subleventur.
84. *(In Institutis Clericorum).* Quot annis clerici vacent studiis *a)* litterarum humaniorum; *b)* philosophiae, et *c)* theologiae.

Quatenus autem studia domi peragantur, quot professores singulis disciplinis tradendis sint addicti.

85. Num omnes studentes:

a) integrum cursum studiorum perfecerint antequam e domo studiis destinata exierint:

b) ante promotionem ad sacros Ordines studia per pontificium decretum *Auctis admodum* respective praescripta rite perfecerint;

c) caetera omnia a sacris canonibus pro admissione ad Ordines requisita (circa titulum Ordinationis, litteras dimissorias etc.) religiose observaverint.

86. Num Pontificia decreta statis temporibus publice legenda, reipsa lecta fuerint.

c) De operibus Instituti.

87. Quot personis (vel classibus personarum) beneficia con-

tulerint sodales iis operibus quibus iuxta scopum sui Instituti sese devovent.

88. Si numerus istarum personarum post ultimam relationem alicubi imminutus fuerit, indicentur rationes.

89. *(Pro Institutis quae stipem ostiatim colligunt.)*

a) An ex constitutionibus clare et certo constet de iure seu officio stipem ostiatim colligendi;

b) Num decretum « *Singulari* » d. d. 27 Mart. 1896 ipsis Constitutionibus insertum sit;

c) Num illud decretum in omnibus religiose observetur.

90. Num ab Institutis Sororum habeantur in suis domibus diversoria aut valetudinaria pro personis quibuscumque, etiam diversi sexus; et quatenus affirmative, cuius licentia et quibus cautelis.

91. Num et quomodo Sorores in seminariis vel collegiis vel quibuscumque ecclesiasticorum virorum domibus rem domesticam gerendam assumpserint.

92. Num Sorores opera quaedam charitatis exerceant (v. g. erga infantes aut parturientes aut chirurgi cultro incisos) quae virgines Deo dicatas et habitu religioso indutas dedecere videntur.

93. Num Sorores, quae infirmis in privatorum domiciliis inserviunt, praescriptas a Constitutionibus cautelas semper adhibeant.

94. Num Superiores permiserint commorationem sodalium in domibus saecularium, et quanto tempore.

95. *(Pro Institutis Religiosorum).* Num aliquod Institutum Sororum quasi ab ipsis dependens, sibique aggregatum, directe vel indirecte, retineant vel dirigant et quanam auctoritate.

96. Num post ultimam relationem aliquod novum opus, vel potius nova species operum aliis iam existentibus adiuncta fuerit, et quanam auctoritate.

97. Num in Instituto vel in aliquibus domibus irrepserint abusus et qui?

98. Num querelae vel difficultates existant *a)* cum Ordinariis locorum, *b)* cum confessariis, *c)* cum capellanis.

Responsa autem ad suprascriptas quaestiones non solum a moderatore seu moderatrice generali, sed etiam a singulis consiliariis seu assistentibus generalibus, praevio maturo examine, signanda erunt.

Quod si quis ex iisdem consiliariis seu assistentibus aliquid magni momenti praeterea S. Sedi significandum esse putaverit, id etiam per privatas atque secretas litteras praestare poterit. Verumtamen memor ipse sit conditionis suae et sciat conscientiam suam graviter oneratum iri, si quid a veritate alienum secretis eiusmodi litteris exponere audeat.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

PH. GIUSTINI, *Secretarius.*

II.

DECRETUM.

Usus Cappae Magnae conceditur omnibus Praesulibus Congregationum Monachorum Benedictinorum Nigrorum sub Abbate Primate confoederatarum.

Romani Pontifices non semel Religiosorum Ordines bene de Ecclesia et civili societate meritos, laudibus, honoribus privilegiisque honestarunt. Quod in primis erga monachorum Nigrorum S. Benedicti Ordinem factum est, quippe qui, historia testante, in his occidentalibus oris, non modo totius monasticae semen, sed etiam bonarum artium eximius vindex et cultor extiterit. Cum igitur Hildebrandus de Hemptinne Abbas Primas totius Ordinis S. Benedicti SS.mo D. N. Pio PP. X, postulaverit, ut usus Cappae Magnae, quo, ex S. Sedis privilegio, nonnulli Praesules dicti Ordinis fruuntur, omnibus Capitibus Congregationum Monachorum Nigrorum Confoederationi suae adscriptarum extenderetur, Eadem Sanctitas Sua Praedecessorum suorum vestigiis inhaerens, peculiarisque suae benevolentiae pignus praefato inclito Ordini dare volens, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 15 Iulii 1906, benigne concessit, prout praesentis Decreti tenore concedit usum Cappae Magnae omnibus Praesulibus Congregationum eidem Ordini adscriptarum, ipsis Praesulibus indulgens, ut ea uti valeant non modo in propriis Ecclesiis, verum etiam in Ecclesiis totius Congregationis, cui praesunt. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 30 Iulii 1906.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

PH. GIUSTINI, *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

NUCERINA PAGANORUM SEU COMPSANA.
DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Dominici Blasucci, clerici studentis in Congregatione Sanctissimi Redemptoris.

Alfonsiana Familia, quae in religiosis Ecclesiae viridariis suam habet venustatem et foecunditatem, imaginem Patris sui legiferi in sanctis quoque alumnis impressam, iucunda gratulatione iugiter conspicit. Dumque adhuc redolet odorem illius lectissimi floris Gerardi Maiella laici professi, cuius virtus ac memoria per Beatissimum Patrem Nostrum Pium X sanctificationis fastigio coronata est, alter sese explicat flos, veluti eodem succo terrae et calore solis procreatus et auctus, similem afflans suavitatem. Clericus studens est, Dominicus Blasucci, ob innocentiae candorem cum poenitentiae rigore et legum observantia coniunctum, ab ipso S. Alfonso qui Eum in suam nascentem Congregationem cooptaverat, *Angelicus iuvenis* corpore et spiritu appellatus. Ruvi de Monte in Lucanis, die 5 Martii an. 1732, a piis honestisque parentibus Nicolao Blasucci et Maria Antonia Carnevale ortus est Dei Famulus, die sequenti in Paroecia oppidi baptizatus. Infans adhuc ob parcum lactis

alimentum languens, deficientibus viribus, interiisse, et, genitrice S. Franciscum Xaverium invocante, mirifice ad vitam revocatus fuisse traditur. Post triennium, patre demortuo, maternis curis et piae religiosaeque educationi ita satisfecit, ut aequalibus proponeretur imitandus. Aures, oculos sensusque cohibens, ne quid animus detrimenti caperet, in deliciis habebat synaxim, preces et conciones in templo. Sancto Vincentio Ferrerio valde devotus in Iesum Christum patientem et Virginem Matrem perdolentem singulari ferebatur pietatis affectu, quem congruis exercitationibus in Ecclesia patrum Franciscalium maxime fovebat. E domestica institutione atque ab humanioribus litteris ad philosophicas disciplinas gradum faciens, Antonium Carnevale oppidi curionem et avunculum suum habuit etiam praeceptorem, sub quo adeo profecit, ut, in aetate quindecim annorum, cum ingenii et diligentiae laude philosophiae cursum absolverit. Ad perfectioris vitae statum inclinatus, adhibito consilio prius Patrum Minorum Conventualium et postea sacerdotum S. Vincentii a Paulo, dum in eo erat, ut sanctum propositum exequeretur, contradicentibus propinquis, illud aegre differre debuit. Verum Beatissima Virgo clientem suum in angustiis non reliquit. Nam patribus Ligorianis Atellam prope Ruvum adeuntibus pro sacris ad populum concionibus in novendiali et in Festo Immaculatae B. M. V. Conceptionis, Dominicus opportunam arripuit occasionem. Ipsa Deipara Virgine opitulante, carni et sanguini lacrymisque genitricis victor restitit, et properante die natali Domini an. 1749, ac favente Petro-Paulo fratre germano, natu maiore, qui post ipsum in Congregationem SS.mi Redemptoris se recepit, a P. Villani Cioranum ad Sanctum Alfonsum deductus fuit. Hic iuvenem optimae spei paterna benevolentia amplexus, statim in tirocinium admisit. Anno insequente, die 2 Februarii in solemniis Deiparae puerperae perlitantis, Servus Dei habitum Instituti sumpsit, tirocinium prosecutus sub ipso P. Villani probatae prudentiae et virtutis viro, ex voluntate sancti Institutoris tironibus praefecto. Morum innocentia, orandi studio, religiosa disciplina ita inclaruit, ut sodales eius vestes cum devotione osculari eumque Angelum vel Aloisium nuncupare gaudebant. Absoluto tirocinio, religiosa vota cum maxima laetitia nuncupat, atque studiis et exercitationibus, iuxta morem et statuta, incumbit: a quibus tamen paulisper vacare coactus est ob aegritudinem et, iussu amantissimi Patris S. Alfonsi, ut animum viresque reficeret. Quamdiu valetudo ei praesto fuit, nam voluntas nunquam defuit, comes adiectus est patribus in sacris expeditionibus. Testes sunt Rocchetta, Aquilonia et Troia de mirabili ac ferventi eloquio quo SS. Rosarii mysteria et Iesu ac Matris gaudia, dolores ac triumphos coram clero et populo, attento ac devoto, explicabat. Volvente an. 1751 Ilicetum venit, valetudinis etiam curandae causa, ibique cum Gerardo Maiella sanctitatis et amicitiae foedere iunctus est. Ex quo fides data est, ut sese invicem precibus apud Deum iuvarent, interposita potentis Virginis ope, quotidie angelicae salutationis recitatione imploranda. Pauli etiam Cafaro, Dominicus sibi devinxit animum, illiusque sancti viri ductu Nuceriam Paganorum concessit ad Alexandri de Meo theologicas praelectiones audiendas in qua palaestra singularem laudem et gloriam inter sodales adeptus est. Angriam, Lancusium aliasque civitates sacris missionibus Christi operarius perlustravit, et mense Iulio an. 1752 ad Collegium Capitis Silari, quod ipse P. Cafaro regebat, missus, ibi usque ad obitum mansit nova virtutis praebens argumenta, praesertim vehementis amoris erga Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, a cuius reali praesentia atque intima conversatione neque per vim abstrahi atque avocari posse videbatur. Demum Dei Famulus diuturno morbo fractus, eoque ingravescente totus in Dei voluntatem nutumque conversus, et decedentium sacramentis recreatus, Sanctissima Virgine invocata et cruce ad os et ad pectus admota, piam exalavit animam, angelicis choris sociandam, die 2 Novembris in commemoratione omnium fidelium defunctorum, eodem anno, aetatis vigesimo primo et Congregationis tertio. Fama sanctitatis vitae quam Dominicus in vita sibi acquisierat, post mortem clarior evasit, civium multitudine ex omni ordine ad funus et ad tumulum confluente, auxiliumque implorante. Eapropter super eadem fama adhuc in dies crebrescente, Inquisitiones Ordinariae in ecclesiasticis curiis Nucerina Paganorum et Compsana adornatae sunt. Quibus Sacrorum Rituum Congregationi exhibitis, iam peracta et probata revisione scriptorum Servi Dei, atque obtenta dispensatione ab interventu et voto consultorum, ad instantiam R.mi P. Claudii Benedetti Congregationis SS.mi Redemptoris Postulatoris generalis attentisque litteris Postulatoriis quorumdam E.morum S. R. E. Cardinalium, plurium R.morum Sacrorum Antistitum una cum R.mo P. Mathia Raus praedictae Congregationis Superiore Generali ac Rectore maiori, et clero ac populo tum Ruvi oppidi natalis, tum Capitis Silari ubi Dominicus obiit, infrascriptus Cardinalis Aloisius Tripepi Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefectus et Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis eiusdem Sacrae Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* » Et E.mi ac R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Cardinalis Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibusque sedulo perpensis rescribendum censuerunt: « *Affirmative seu Commissionem esse signandam si Sanctissimo placuerit* ». Die 15 Maii 1906.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacri Consilii ratum habuit et confirmavit, propriaque manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praedicti Venerabilis Servi Dei Dominici Blasucci clerici studentis e Congregatione SS.mi Redemptoris, die 23, eisdem mense et anno.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secretarius.*

INFORMATIO

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

1. Qui penitus mancipati rebus humanis saeculique tenebris obcoecati, appetentia honorum ac dignitatum insaniunt aut per luxum et libidines aetatem agunt, ii saepe, praeiudicata quadam vulgi opinione, sapientissimi appellari solent, iidemque omnia tenere ac possidere dicuntur, quae vitam beatam efficiunt. Qui autem celso erectoque animo se rebus omnibus

abdicarunt atque, inter tantam saeculi mollitiem, fastidiumque delicatissimum, aspere se habent, et morbos, insulsae plebis ludibria, omne malorum genus non tam perferre, quam vorare alacritate mirabili student, eos, tamquam stultos, per ora hominum traducit huius aetatis sapientia eorumque vicem maximopere dolet. Verum ex utrisque propositis rebus quaenam christiano viro sit eligenda, ut ad aeternam salutem nitatur; quae via capessenda, unde deducatur eo, ubi vera sapientia consistat, multa divus Paulus docuit, digna profecto quae animis penitus incidantur. Illud enim in primis edixit *sapientiam huius mundi stultitiam esse apud Deum*, tantumque odium ac fastidium concepit eorum, quae apud coecos mortales prima putantur, ut, iis tamquam stercore despectui habitis, quo melius Christum lucraretur, *se nihil scire* professus sit, *nisi Iesum Christum et hunc crucifixum.* Quibus monitis exciti multi, stultitiaque crucis uti absoluta sapientia probata, quoad poterant, studuerunt Christi Iesu formam in se ipsis transferre, qui pauperrimus, contumeliose illusus, repudiatus a suis, non modo nec tantulum voluit possidere proprium, quo caput reclinaret, sed vitam ipsam ad hominum salutem profudit.

2. Porro ex iis, qui hac recentiori aetate ampliorem sapientiae laudem aspero vitae genere attigerunt ac magis singulares cum divino Redemptore similitudines assequuti sunt, merito Dominicus Blasucci celebratur. Is, floris teneri instar, e terrae sinu primum emicantis, in Alphonsiano sodalitio, tamquam in sanctitatis viridario, adolevit et iuventutis vernantem adhuc viriditatem cum adultae virtutis maturitate coniunxit. Etenim, anno aetatis suae XXI, Angelorum choris adiunctus, brevissimo annorum spatio genuinam perfectionis imaginem senescenti mundo ad spectandum proposuit. — S. Alphonsus, qui singulari Dei beneficio Dominicum se in sodalitium cooptasse prorsus referebat acceptum, de eo praeclarum testimonium edidit, quo iuvenis consummatae virtutis haud amplius desiderare potest. Nam cum in tironibus in primis sanctitatem et charitatem erga Christum Iesum ille divus Parens requireret atque olim familiaris sermo cum eis institutus, in illam quaestionem incidisset, *ubinam vera hominis sapientia posita sit*, « *la vera sa-* « *pienza* (inquit) *è sapere solo Gesù Cristo. A che serve* « *la scienza, se non è indirizzata a cercare Iddio? Pos-* « *siamo dire con verità che il nostro Fratel Blasucci, già* « *defunto, ha avuto la vera scienza, mentre in tutte le* « *cose non cercava che solo Iddio, e perciò, come tutti* « *sapete, ha fatto una morte da santo* ». Quae cum ita sint, iure meritoque ad eum transferri potest quod Urbanus VIII de S. Stanislao Kostka olim edixit *iuvenem* fuisse *aetate parvum, sanctitate magnum* atque de S. Aloysio Gonzaga Ecclesia praedicat *miram vitae innocentiam pari cum poenitentia* in eo divinitus fuisse sociatam. Plane illorum iuvenum sanctissimorum imagines in se ita ad vivum expressit Dominicus, ut nemo magis. Idque prorsus assequutus est tum acerrima legum Instituti custodia, tum singulari mundi contemptu, tum odio implacabili sui ipsius, tum denique adeo fervida erga Deum charitate ut, interiori aestu sensim absumente corpus, iussus mentem a divinis rebus tantisper avertere, occurrentem sibi ubique Deum irrito conatu fugeret. — Ut autem huius sanctissimi adolescentis imago quaedam menti haereat, eius vitae cursum et rationem in pauca conferam.

VITAE SYNOPSIS.

3. Natus est Ruvi de Monte, quod est oppidulum in Lucanis longe amoenissimum, anno ab ortu Christi MDCCXXXII, tertio Nonas Martias. Parentes habuit pietate et honestate praestantes Nicolaum Blasuccium et Mariam Antoniam Carnevale, qui postridie puerulum sacro fonte abluendum curarunt. Quanta olim sanctitate foret statim divinitus portentum est. Quamdiu enim alvo materna gerebatur, nullam unquam gravidae parenti molestiam attulit. In lucem venit quadam membranula conclusus atque carnis fasciola devinctus: quibus reseratis, puer egregia forma apparuit, qui subito brachia ad coelum sustulit et deinde ad pectus in speciem crucis suavissime decussavit. Quod haud incertum praesagium erat tum aerumnarum, quibus in omnem deinde vitam devexaretur: tum desiderii, quo, cum mortalia cuncta illi sordescerent, in aeternam patriam raperetur!

4. Exiguo parentis lacte aegre victitans, ceu flos, quem succi humoresque deficiunt, sensim elanguescere coepit: donec, viribus prorsus amissis, interiit. Iam publicum mortis editur signum: exequiae parantur: puerulum flent omnes acerba luce carentem. Inter haec mater, divino instinctu commota, Franciscum Xaverium invocat, cuius opem praesentissimam sentit. Uti primum enim aqua, ex sanctissimi viri invocatione lustrata, parvuli labiis immissa est, subito, oh mirum! excitatur ad vitam. Feliciae Pepe, mulieri honestissimae, lactandus traditur: quae tanto amore pueri capta est, ut eum in liberorum locum sibi sumere voluisset. Id non tulit maternus amor ideoque tres post menses parentibus restituitur.

5. Iam triennium attigerat, quum pater ei moritur alienissimo familiae tempore. Mater tenellum animum ad omne pietatis genus effinxit. Adolescentem praesertim precibus et adsidua sacramentorum susceptione exercuit: is vero, qui docilem nactus erat indolem, pie religioseque educationi respondit, idemque omnium virtutum genere inter aequales floruit. Ludos puerilis aetatis despectui habens, solitudine et sacris caeremoniis ad simulacrum institutis maximopere delectabatur; improborum consuetudinem fugit; ex ore eius nullum aliquid licentius excidit. Siquid aures haurirent, quod impuritatem redoleret, turbari puer, ingenuo rubore perfundi, deiectisque oculis, aures animumque avertere. Oculos ita cohibuit ut in mulieris vultum nunquam defixerit; idemque sensuum custodiae, corporis cruciatus adiecit. Ieiunia plerumque modico pane et aqua tolerabat. Preces per horas solidas producebat immotus: cuius constantiae praemium fuit stabilitas mentis inter orandum alio non vagantis, imo perpetua veluti extasi in Deo defixae. Hinc per summam laetitiam quotidie rei sacrae ad aram ministrare: piis commentationibus mentem alere: sacramenta quo saepius obire; sacris concionibus adesse atque aliis huiusmodi pietatis officiis se libentissime exercere. — S. Vincentii Ferrerii addictissimus cliens fuit. Deiparam tamquam alteram parentem dulcissimam veneratus est, cuius honori preces novendiales et singulo sabbato ieiunia adhibuit. Singularibus charitatis sensibus erga Christum patientem ferebatur. Mense Martio, ad singulam feriam sextam, meditationes celebrare nunquam omisit, quibus in proximo templo Franciscalium Patrum, Christi cruciatus et Virginis perdolentis memoria, e pio more, recolebantur.

6. Excellentiam virtutum augebat singularis ingenii laus, qua litterarum studiis mentem appulit. Domi institutus est: eumque a litterarum rudimentis ad philosophiam et ius Canonicum deduxit vir doctrina et pietate insignis, Antonius Carnevale, oppidi curio et Dominici avunculus. Aequales et condiscipuli ei fuerunt Petrus et Franciscus, germani fratres, Franciscus Carnevale et Paschalis de Paola, sobrini, quos omnes, inito tentamine, sic ille praevertit ut harum disciplinarum, vix quindecim annos natus, cursum expleverit. Sed iam sentiebat se natum non esse ut rebus caducis et perituris operam daret, verum aeternis. Maioris itaque perfectionis stimulis actus, totum Deo vivere, totum Dei esse secum ipse constituit atque in hanc unice curam et cogita-

tionem incubuit ut aliquam religiosam familiam ingrederetur. Forte contigerat ut iis diebus quidam concionator e Conventualium Fratrum ordine, Ruvum pervenisset et populum pietatis exercitiis publice excoleret. Ad eum confugit Dominicus, atque consilio communicato, eumdem sequi omnino proposuit. Sed, ut initum consilium innotuit, dici non potest quantum inde propinqui aegritudinis ceperint. Ingens matris dolor, quae carissimum a se filium divelli, in quo potior familiae spes nitebatur, ferre non sivit. Insequenti anno sacram expeditionem ad animorum culturam Patres a S. Vincentio a Paulo Ruvi obiverunt. Dominicus, eorum consuetudine illectus, de Vincentiano sodalitio ineundo cogitavit. At eius votis iterum intercesserunt propinqui et distulerunt facultatem.

7. Hunc in modum omni humana spe ac praesidio destitutus, ipse non abiecit animum aut propositum urgere destitit: imo acrius ad omnes exequendi vias investigandas exarsit. Et si unquam alias opem beatissimae Matris imploravit, nunc studio enixiori illam exorabat, adauctis eius honori precibus, ieiuniis et omni obsequiorum ratione. Iam ineunte mense Decembri, in proximo templo Franciscalium Patrum, novendiales supplicationes Deiparae, omnis labis experti, publice habebantur easque Dominicus sanctissime obibat, quum divino plane consilio factum est ut alphonsiani patres Atellam, prope Ruvum, venirent, qui populum ad potioris vitae rationem pro suggestu adhortarentur. Profecto cum recentes patres omni genere virtutis florerent, ad summam nominis amplitudinem brevi pervenerant: hinc vocari se puer ad Ligorianum institutum magis magisque sensit.

8. Sed omnia obstacula, quibus obsepiretur via, penitus comperta habens, ad Petrum Paulum fratrem natu maiorem confugit: continuo ei intimos animi sensus aperit eiusque apud patres enixe patrocinium implorat. Hic probavit consilium: ardorem et constantiam laudavit: opem prolixe atque operam promisit. Ita, aliquando comparatis rebus, perinde ac si concionantes Patres audire vellent, Atellam pergunt iidemque a P. Villani, qui sacrae illi expeditioni praeerat, perhumaniter excepti sunt.

9. Interea adolescens sanctissimus, cum spem suam omnem haberet ex Patrum voluntate suspensam, non cessaverat die ac nocte Deum obsecrare ut illis mentem suis votis amicam iniiceret et ratum iuberet esse quod unum postulabat. Ut igitur Pater Villani Dominicum audivit pro se perorantem eumque primo statim adspectu vidit sensitque esse adolescentem supra annos maturum et gravem, ea charitate quae patrem amantissimum, ea pietate, quae virum ut erat sanctum decebat, arcte complexus est eique promisit se eum ad P. Alphonsum esse deducturum, vix illa sacra expeditione absoluta. Hisce promissis recreatus puer, profusis lacrymis, gratias ingentes egit Deo, et domum rediit ut rem cum propinquis communicaret atque ab iis abeundi facultatem expeteret. At ibi eum carnis et sanguinis acerrimum manebat certamen. Constituto enim ad discessum die, domus plena luctus erat, plena moeroris et lacrymarum. Mater dolori sustinendo impar ac de mentis sanitate fere deturbata, seorsum nullam lugendi finem faciebat. Dominicus autem, qui sua vita cariorem matrem habebat, vires dolore in se frangi sentiebat. Sed maternam charitatem vicit Dei charitas. Generosus iuvenis restitit carni et sanguini, maluitque vocem Dei se ad perfectioris vitae genus vocantis audire, quam reclamitantis naturae a sanctoque proposito revocantis. Itaque, ne moeroris sensus acuerentur, se ab extremo matris amplexu retinuit, disruptisque feliciter laqueis omnibus, Calitrim convolavit XI Kalendas Ianuarias, anno MDCCXLII. Ibi eum P. Villani, sacra expeditione peracta, avide expectabat, a quo, duobus post diebus, Cioranum ad S. Alphonsum deductus est.

10. Pater ille sanctissimus, cui per epistolas P. Villani omnia significaverat, effuso sinu venientem excepit et subito in tirocinium admisit. Dominicus votorum compos factus, grates ex animo habuit Deo quod coepta tam felici exitu secundasset. Atque illud sibi constituit omnino Deo vacare, idemque totis viribus in id incumbere ut in se divini Redemptoris imaginem, virtutum imitatione, referret. Interea paterna domus adhuc fletibus resonabat. Mater, filii suavissimi desiderio commota, perinde conficiebatur lacrymis ac si eius mortem defleret. Cives, qui eam solaturi adibant, eximiis pueri virtutibus magnopere delectati, omni ex parte beatam vocabant eam, cui talem filium in lucem edere contigisset! Sic inter suos Dominici nomen ad sempiternam temporis memoriam propagabatur.

11. Quarto nonas Februarii, anno MDCCLI, quo die sollemnia aguntur Deiparae puerperae perlitanti, vestem Alphonsiani Instituti induit. Verum exinde tantam hausit animo voluptatem, quanta alia nunquam in vita cepit, nisi cum coelestis regni aeternam haereditatem adiit. Tironum praefectura, ab ipso divo Alphonso tradita, admodum patri Villani obtigerat, viro insigni, omnibus naturae dotibus ac virtutum ornamentis claro. Talis magistri ductu atque hortatu, totum se studio perfectionis Dominicus dedit, tantumque in ea palestra profecit, quantum eius postea sanctitas declaravit. Cum autem vitae novae iter ingrederetur, sodalium suorum vestigia oculis attentissimis observabat, intuens quidquid imitatione dignum exhiberent: perinde ac si haberet in singulis religiosae vitae magistrum, cuius in moribus praecepta recte vivendi legeret atque in suis vicissim moribus exprimeret. At praecipue tamquam acriores stimuli urgebant altae mirabilesque virtutes Alphonsi patris, quae ob oculos quotidie propositae erant: ambo enim eadem in domo diversabantur. Hunc ubi primum Dominicus aspexit et eius paterno complexu verbisque amantissimis natum se filium sodalitii eius sensit, incredibilem accepit voluptatem ac bene collocatum omnem laborem putavit, ut viri tanti conspectu frueretur et in eo tam perfectum virtutum exemplar inveniret.

12. Quo anno tirocinium iniit Dominicus, erat illud eiusmodi, cui ullum fuisse vix quisquam credat aut futurum par speret. Tirones egregiis, quascumque possunt homines commendare, virtutibus praediti erant. Porro inter tot tirones omni laudum genere abundantes, inter tot moderatores omni sanctitatis lumine atque ornamentis praeclaros, locum aliquem meruisse pars non exigua laudis foret: longe vero maxima illis non inferiorem, imo parem extitisse. Brevi exempla, quae alii sequerentur, Dominicus praebuit. Deprehensa continuo fuere coelestis gratiae dona, quae in eum divina manus tam prolixe contulerat, atque im primis virginitatis florem, cuius odorem suavissimum corpus animusque spirabant, singulari modestia coluit. Morum innocentiam inexplebili orandi studio adauxit. Etenim horas omnes in Deo cogitando et amando collocabat et, quamvis operis aliquid ageret foris, intus a Deo non recedebat. Ita incedebat ut omnino raptus et a rebus humanis plane alienus esse videretur, nihilque, nisi de rebus divinis, cogitare. Beatum puerum! qui, florente adhuc aetate, illud assecutus est, quod habent Angeli conditione felici naturae: quod sancti acerrima virtutis contentione impetrarunt. — Praeterea obedientiae praeclarissimus cultor fuit. Regulis enim, quae quotidianum religiosae disciplinae ordinem singillatim dirigunt, se totum composuit, easque tamquam dictatas a Deo leges altius in mente defixit. Et quamvis nihil intus haberet perturbatum, quod sedaret, rebelle quod vinceret, quippe qui

totus Dei esset, eam sui cruciandi partem est amplexus, quae crucifigendae carni studet, non tam ut accepta sanaret vulnera, quam ut merita cumularet. Admirationi erat generosus pueri ardor, cum ea ambiret ac sibi uni deposceret, quae sive ad macerandum corpus spectarent sive ad animi demissionem et contemptum sui pertinerent, in quibus suscipiendis tam suavi perfundebatur laetitia, ut gestire prae gaudio ac triumphare videretur. Accedebat suavissima charitas, qua ad Angelorum panem gustandum paene abripi quam saepissime videbatur: tum denique tenerrimus amor, quo clientela Deiparae sese dignum praebere studebat.

13. Ut primum animadversae fuerunt coelestis gratiae opes in Dominicum a divino spiritu congestae, omnium in se oculos, venerationem, amoremque convertit. Domi tanta gratia et sanctitate apud omnes florebat ut sodales clam vestes eius osculari non dubitarent eumdemque dicerent in se *Aloysii Gonzagae vel Stanislai Kostkae* ad vivum imaginem expressisse. Foris certatim cives eum alloqui contendebant vel saltem transeuntem prospicere, omnium votorum compotes facti siquando res, quae eius usui fuerant, impetrarent, tamquam pretiosum sanctitatis pignus religiose servandas.

14. Tandem aliquando optatissimus Dominico illuxit dies IV Non. Feb. anno MDCCLII, quum sollemni ritu vota initi instituti nuncupavit. A P. Rossi accepta sunt, quem S. Alphonsus delegaverat. Itaque, absoluto tirocinio, animum ad ea studia adiecit, in quibus exerceri Ligoriana iuventus solet. Iamque magnam de se expectationem movebat, quum lento morbo tentari coepit, qui letalis sibi esse debuerat. Porro asperrimum illud afflictationum genus susceptum, ieiunia, somnus brevis, frequentes vigiliae ac diuturnae: nocturnae precationes, hirsuta cilicia, cruentae verberationes, rerum divinarum adsidua contentio, etsi haec omnia certis quibusdam prudentiae finibus moderatores circumscripsissent, tamen pueri vires praeter modum attriverant atque ante tempus mortem arcessiverunt. Qua de causa a S. Alphonso, cuius amor erga eum erat quam qui poterat esse maximus, iussus est a studiis paullisper vacare et librorum lectione, quibus multa iucunditas et magnus lepus inesset, animum reficere. Quid? Patribus sacras expeditiones obituris saepe comes adiunctus est atque ab una ad alteram sodalitii domum missus, ut amoena et grata aëris temperatione recrearetur. Rocchettam, Aquiloniam et Troyam adiit, ubi illarum exercitationum eam partem sibi reservatam libenter sumpsit, qua augustissima Rosarii mysteria, pia commentatione, in templo, coram populo recoleret. Dum Iesu et Matris gaudia, dolores, triumphos explicabat, auditores pendebant ex ore eius, nec facile divino eloquio, quod tamquam ros de labiis fluebat, satiari poterant. In eo audiendo adeo Laquedoniensis Episcopus delectabatur, tantamque ex eius congressu capiebat iucunditatem ut non modo singulo quoque vespere in absidem templi se conferret ut eum audiret, sed etiam quotidie ipsum voluerit sibi sacra facienti ministrare. Adversa valetudine impeditus puer quominus in illis expeditionibus maiora persequeretur, adsidue exorabat Deum ut Patrum labores secundaret, unde uberiores fructus, manifesto Dei praesidio, colligebantur.

15. Interea gravior fiebat morbus. Tertio Nonas Septembr. anno MDCCLI, P. Bernardus Apice, praesidum iussu, Dominicum ad collegium Ilicetense deduxit. Verumtamen iter illud ampliori virtutis documento fuit. Viribus enim fractus, nullum unquam consumenti morbo solamen quaesivit. Quieta tranquillaque mente in curru quiescebat, ducens diem in tacita coelestium rerum meditatione. Appetente hora, qua per Alphonsiana collegia statae preces fundi solent, *Pater* (inquiebat), *nunc sodales nostri orant: oremus.* Ad pontem, quo prope Bovinum via iungitur, difficilis atque praeruptus itineris ascensus erat et pedibus conficiendus. Dominicus anhelantem spiritum aegre ducebat, iam fere molestia itineris animam intercludente. Nullum tamen questum edidit. Porro laborem viae et corpusculi defatigationem levabat animi laetitia tanto dulcior, quanto certior erat ac cupidior pro Christo pati.

16. Denique Nonis Septembris Ilicetum pervenit. Iam adeo secunda fama adventum eius praeverterat ut inter faustas fratrum et sodalium laeta omnia comprecantium voces, effuso sinu exciperetur. Usque ad exeuntem Octobrem ibi mansit: idque temporis satis communem expectationem firmavit. Vitae enim rationes, a primo in sodalitium ingressu susceptas, non immutavit unquam. Semper cum Deo coniunctissimus erat, cruciandi corporis avidus, morborum ad miraculum patiens. Sed, dum Angelus habebatur ab aliis, longe aliter de se iudicabat. In quemcumque enim sodalium coniiceret oculos, inter verecundiam et consolationem haerebat anxius: consolationem quidem, cum unumquemque eorum intueretur sanctum: verecundiam vero, cum ne dignum quidem se putaret, qui servus eorum esset, quorum se fratrem esse cernebat. Porro ibi, ante oculos B. Gerardi Maiella splendebat exemplar, qui, quum certo quodam sanctitatis vinculo, ad eum se trahi sentiret, arctam amicitiam cum eo coniunxit. Ex quo fides invicem data est, tamquam perpetuum amicitiae foedus, de angelica salutatione quotidie recitanda: quod, dum vixerunt, ab iis religiose praestitum fuit. Praeterea accidit aliquando ut B. Gerardus esset graviter perturbatus et difficili oppressus taedio: cumque in Dominicum incidisset, oravit ut pro se Deum precaretur, omnino confidens se ipsius precibus molesta perturbatione liberandum. Ille, postquam brevi oratione Gerardum in spem erexit, signum crucis pectori eius duxit: statimque illa caligo perturbatae mentis evanuit ac taedio quies, pax et consolatio successit.

17. Inter caetera sanctitatis lumina, quibus illa Ligoriani sodalitii aetas felicissima renitebat, Paulus Cafaro erat, vir perfectae cumulataeque virtutis, quem divus Alphonsus non modo dignum habuit cui arcana animi sui committeret, sed etiam coelestes honores post obitum, rite decernerentur. Is, quippe qui emunctae esset naris in sanctitate aliorum dimetienda, subito quanta adolescentulus virtute valeret probe intellexit, eumque singulari benevolentia complexus, Nuceriam Paganorum secum ipse deduxit. Ibi Dominicus iussus est audire P. Alexandrum De Meo in theologicis disciplinis tradendis aetatis suae facile principem. Inter sodales adolescens tam singulari ingenii laude floruit ut eos, qui in ea palestra maiorem sibi gloriam comparaverant, longe praeverteret. — In his autem occupationibus, quae persaepe animum rebus divinis aliquantum relaxare solent, perfectionis cursum, quem ab ipso tirocinio currere instituerat, magis magisque urgere instituit. Verum in tanto apparatu virtutum, inexhausta caedendi sui eminebat aviditas, qua, minime sibi parcens, admirationem omnium ac praecipue S. Alphonsi, in se excitaverat. Acrior interea fiebat morbus, qui cuiuscumque fortissimi viri despondisset animum: contra Dominicus nihil unquam de festivo ore et de suavi adloquio remisit. Omnium malorum patientissimus, interrogantibus *quomodo se haberet*, hilari vultu inquiebat: *ego quidem valeo.* Nunquam mare viderat, atque olim, oblectationis causa, Stabias deductus est. Ibi totum in conspectu late patet mare et oculis aperitur. Sed Dominicus naturale videndi studium omnino retudit: nec profecto sustulisset oculos, neque illud spectaculum intuitus esset, nisi id obedientia prorsus exegisset. Saepe Angriam mittebatur ut divinae legis elementa puerulis explicaret: quo in munere suaviter praestitit. Simul

cives suavem ardorem admirabantur quo extra sensus fere raptus, coram Augustissimo Sacramento orabat.

18. Pariter sacram expeditionem obivit, quam Patres Lancusii peregerunt in Salernitana Dioecesi. Ibi prima fidei christianae praecepta aeque pueris tradidit. Hi tanta morum suavitate deliniti, innumeri confluebant ad eum. Adeo homines confirmatae aetatis, adspectu eius satiari non poterant. Olim tam piam tamque suavem de Christi Iesu cruciatibus et morte orationem habuit, ut Ioannes Baptista Ansalone, ex animo commotus, Alphonsianum institutum professus sit. Huic sacrae expeditioni forte praeerat P. Blasius Amarantes, qui probe intelligens quam uberes fructus colligi possent ex ea sanctitatis opinione, qua Dominicus inter cives florebat, eum iubebat quotidie in medio templo genibus flexis orare: ipse vero confitentibus aures praebebat. Si quando autem ad confessionem accederent homines, qui in peccato pervicacem voluntatem obfirmassent, iisdem: *intuemini* (inquiebat) *iuvenem illum sanctissimum in medio templo orantem: spectate quam singularem modestiam ex specie, totiusque corporis habitu prae se ferat; deinde ad me revertite.* Revera contemplabantur ipsi Dominicum atque eius aspectu commoti, admissorum poenitentissimi redibant ad Patrem. Porro qui in eius vultum oculos defigebant, hanc et vultus et mentis formam in eo sibi visam esse narrabant, qua nihil propius ad angelicam accederet: simulque profitebantur se, virginalis modestiae conspectu, ad pietatem et istius Angeli venerationem, miris modis fuisse inflammatos. Hinc ne mireris quod P. Ferrara de eo praedicare solitus erat: *Innocens est: vestem candidam, qua in baptismo exornavit illum Deus, nunquam inquinavit!* Per viam transeuntem *terque quaterque beatum* puerum vocabant: omnesque consistebant ut eum viderent et laudibus celebrabant.

19. Mense Iulio, anno MDCCLII, ad collegium Capitis Silaris missus est, quod P. Cafaro tanta sapientia regebat. Hic venientem effusa laetitia excepit, quem in tanto amore ac pretio habebat ut cuidam sodali Cioranum proficiscenti dixerit: *quum Cioranum perveneris, dic Patribus indignos se equidem esse qui talem puerum habeant.* — Augebatur magis in dies illa sanctitatis opinio apud Patres, cum hi cernerent Dominicum adsidue orantem, frequentem in aede sacra, moderatorum dictis obedientissimum, cum sodalibus suavem, charitatis plenum in omnes. Idem semper et nunquam sui dissimilis apparebat: aequalis erat ubique et animi et vultus tenor: non eos imitatus, quos nunc hilares erectosque videas, nunc demissos et abiectos: navigantibus simillimos, qui, dum spirant faciles aurae, plenis indulgent velis et prono feruntur aequore: vento destituti, contrahunt vela et in tranquillo mari torpent. Nihil eo modestius, nihil dulcius! — Singulo quoque vespere, coram P. Cafaro genibus flexis exorabat ut benedictionem sibi impertiretur. Quotidie, summo mane, iis charitatis indiciis sacrum convivium celebrabat ut vultu, angeli e coelis descendentis laetitiam retineret. Ne carnis cruciatus valetudinem, iam devexatam, funditus everterent, P. Cafaro eum iusserat voluntariis corporis afflictationibus abstinere. At ipse ea industria ac mentis sagacitate omnes occasiones aucupabatur ut neque obedientiae leges offenderet, neque tamen aliae cruciandi corporis causae deessent. Ei vacationem a studiis moderator dederat: ipse autem se continere non poterat quin ullum librum prae manibus haberet, lectaque iterum perlegeret vel alios elementa fidei et litterarum doceret vel aegrotis adesset vel coquo adiutricem operam praestaret.

20. Verum omnium virtutum longissime princeps, divina charitas in Dominico enituit. Beati adolescentis anima tam purgata, tam vacua omnis terreni amoris, ac contra tam plena Deo erat, ut prope aeterno aevo, non fluxo tempori, nata esse videretur. Non modo inter orandum, sed etiam inter laborandum nunquam aut mente, aut voluntate ab amore Dei et eius cogitatione ne puncto quidem temporis distrahebatur. Privilegium quam insigne, tam rarum, quod viri sanctissimi vix assecuti sunt! Ex tali familiari cum Deo congressu manabant dulcissimae lacrymae, quae cum preces funderet, ex oculis defluebant: inde ille mentis ardor, qui cum foras erumperet, tota facies ardere conspiciebatur, quo fere modo Seraphinos pingimus ore accenso, tamquam aestuantes propter eam, qua depascuntur intus, charitatem. Veluti igni cera absolvitur, ita charitatis aestu Dominici corpus absumi videbatur. Eam ob causam moderatores, ne contentio nimia incommodaret valetudini, dulce illius cum Deo commercium certo temporis spatio opportune definiebant. Iussus fuerat haud diutius precibus fundendis immorari. Sed ipse de industria dabat operam ut cogitationes in Deum semper colligeret. Omnem temporis occasionem captabat amoris sui explicandi. Hinc modo in horto florum serta nectere, quibus altare SS.mi Sacramenti exornaret: modo ire ac redire ante ostium templi, idemque saepe saepius genu flectere aut in eo saltem loco consistere, unde posset oculos in coelitum imagines obiter coniicere: modo brevibus precibus, tamquam sagittis e charitatis pharaetra depromptis, erigi ad Deum. Moderatores vel illud exegerant ne diutius coram SS.mo Sacramento oraret: verum ex hac vi illata, perturbatio molestissima torquebat animum, qua vix se contineret. Ipse autem omnem industriam et curam in id contulerat ut quo minori contentione, eo saepius ad Sacramentum adorandum accederet. Olim P. Cafaro orabat in choro. Improviso aures feriit quidam passuum rumor, perinde ac si quis clanculum Sacramentum adiret. Sensit Dominicum esse, eumque severo vultu intuens: *tamen illic es?* (inquit) *in hortum eia, abi.* Ipse timore affectus, in hortum fugit. Ibi spatiabatur aliquando, cum exclamare auditus est: *quando veniet fortunatus dies, Domine, quo, solutis vinculis corporis, tibi coniungar?*

21. Parum equidem profuit breviores illi ardentis charitatis cancellos circumscribi: siquidem Deus, quando et ubi videbatur, eum ad se rapiebat, ita ut Dominicus a praesentia eius, cogitatione et amore, ne per vim quidem, aberrari atque avocari non posset. Quid? Sic inarsit aliquando caelesti flamma ut vitae periculum adiverit. Itaque qui confessiones eius excipiebat omnesque pectoris sinus exploratos habuit, iussit Dominicum vim sibi inferre nec amplius animum Deo appellere. At ipse = *Quid faciam?* = inquiebat: = *quid faciam? etenim Deus ita me ad se rapit, mihique se ita infundit, ut amovendi, retardandique coelestis impulsum aut igneam illius vim inhibendi, potestas nulla mihi sit.* — Recens a sumpto angelorum pane, diu saporem ac delicias coelestis cibi retinebat, easdemque sancto fletu et oris amoena suavitate referebat. Orabat interdum ante augustissimum Sacramentum effusa charitate. Iussus exinde abire, subito discedebat, sed ab imo suspirans. Ex humo erectus, caput et corpus acclinabat; deinde se extollens, iterum ad genua procumbebat: quod tertio et amplius facere consueverat, donec tandem aliquando abiens, retro respiciebat atque paulum stans, oculis, in quibus cor eminebat, obtentu suavi in tabernaculum defixis, praesentem Deum alloquebatur perinde ac si animus corporeis vinculis divelleretur.

22. At exasperato morbo, magis in dies terebantur vires. Verum cruciatus vehementiores facti neque suavem habitum oris unquam immutarunt, neque ullum questum extorquere potuerunt. Interrogatus numne valeret, semper *bene valeo*, inquiebat, premens alto corde dolorem. De valetudine sua

nonnisi illud petiit ut aequo animo dolores ferret: atque ad miraculum patientia eius illuxit. Praescriptis medicorum et operarii fratris, valetudinario praefecti, libenter acquiescebat: et earum rerum, quae genio suo indulgerent, ne desiderium quidem ostendit. Interrogantibus numne vivere aut mori vellet, respondebat se neutram in partem moveri: sed totum ad Dei voluntatem, nutumque esse conversum. Omnes, vel ipse S. Alphonsus, in tantae virtutis admirationem erant abrepti. Atque indignos se reputantes qui tam angelicum iuvenem possiderent, timebant ne cito eum amitterent. Verum coelo maturus erat. Itaque IV Nonas Novembris anno MDCCLII fortunatus dies illuxit, quo angelorum choris, unde venerat, evolavit in eam beatam regionem, ubi felices animae, charitate concrematae, illo igne purissimo aluntur, non consumuntur.

Die 16 Iunii 1900.

Tiberius Fonti, Adv.
Achilles Martini.

Revisa: Alexander Adv. Verde
S. R. C. Assessor et S. Fidei Subpromotor.

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

Indulg. plen. conceditur iis qui die festo SS. Trinitatis adstiterint piaec aeremoniae quotannis celebrandae, pro renovandis promissionibus in susceptione baptismatis emissas.

URBIS ET ORBIS

DECRETUM.

SS.mus D.nus Noster Pius PP. X, humillimas preces R. P. Francisci Xaverii ab Immaculata Conceptione, Provincialis Provinciae S. Ioseph Ordinis SS.mae Trinitatis, clementer excipiens, quo magis Christifideles ad servandas promissiones in susceptione Baptismatis ab ipsis emissas excitentur, Plenariam Indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit ab omnibus lucrandam, qui, die festo Augustissimae Trinitatis alicui piae caeremoniae in parochialibus aliisque Ecclesiis, de Ordinariorum licentia et iuxta eorumdem normas, peragendae, in qua solemniter praetatae promissiones denuo nuncupentur, devote adstiterint, simulque sacramentali confessione expiati et S. Synaxi refecti ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Cong.nis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, Kalendis Iunii an. 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

Modificantur conditiones pro duabus Indulg. in Monasteriis Monialium lucrandis; — indulg. 7 annorum etc. conceditur invocantibus S. Familiam.

Beatissime Pater,

Cardinalis Episcopus Barcinonen. S. V. humiliter quae sequuntur exponit:

1. Apud Monialium Monasteria haud lucrantur Indulgentiae invocationi « Cor Iesu Sacratissimum, miserere nobis » concessae, eo quod post Missam Conventualem dictae preces minime recitantur. Optaret igitur Cardinalis Orator, ut Sanctimoniales indulgentias praedictae invocationi adnexas lucrarentur eam recitantes post Antiphonam « Angelus Domini » quae ter in die exorari solet.

2. Non ita pridem S. V. benigne concessit nonnullas indulgentias pie recitantibus « Domina nostra Sanctissimi Sacramenti, ora pro nobis », coram SS.mo Sacramento solemniter exposito; sed plura extant Monialium Monasteria in quibus nonnisi raro Augustissimum Sacramentum solemniter exponitur. Optandum ergo esset ut illud in Tabernaculo asservatum, pro iis Indulgentiis sufficiens conditio habeatur.

3. Ad devotionem in Iesum, Mariam et Ioseph magis magisque fovendam, implorat orator, ut fidelibus Eorum nomina coniunctim invccantibus, prouti frequentissimum in Hispania, concedatur toties quoties Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum; nec non Plenaria semel in mense lucranda, pro rite confessis ac Communione refectis, qui dictam invocationem quotidie recitare consueverint.

Iuxta preces in Domino quoad omnia.

Die 8 Iunii 1906.

PIUS PP. X.

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. Cong.ni Indulg. Sacrisque Rel. praepositae.

In quorum fidem, etc.

Datum Romae e Sec.ria eiusdem S. Cong.nis, die 16 Iunii 1906.

L. ✠ S.

D. Panici, Arch. Laodicen., *Secret.*

III.

Indulg. 50 d. conceditur toties quoties recitantibus invocationem ad S. Familiam.

Beatissimo Padre,

Nicola Giuseppe Camilli, Arcivescovo-Vescovo di Jassi, prostrato al bacio del Sacro Piede, supplica la Santità Vostra a degnarsi di accordare qualche indulgenza a tutti i fedeli ogni qual volta reciteranno devotamente la seguente invocazione:

ORATIO.

Nos, Iesu, Maria et Ioseph bone,
Benedicite nunc, et in mortis agone.

Ex audientia SS. diei 9 Iunii 1906 SS.mus D. N. Pius PP. X universis Christifidelibus quoties praefatam invoca-

tionem corde saltem contrito ac devote recitaverint, indulgentiam quinquaginta dierum, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, e Secretaria S. C. Indulg. Sacrisque Rel. praepositae, die 9 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

D. PANICI, Arch. Laodicen., *Sec.rius.*

IV.

Privilegium Sacerdotibus Congr. Missionis conceditur quoad impositionem Scapularium B. M. V. de Monte Carmelo.

Beatissime Pater,

Augustinus Veneziani, Procurator Generalis Congregationis Missionis, ad pedes S. V. humiliter provolutus, enixe petit indultum, cuius vigore Sacerdotes dictae Congregationis, qui facultate gaudent benedicendi ac imponendi Scapularia B. M. V. de Monte Carmelo, *occasione tantummodo magni concursus* illa benedicere valeant, quin teneantur eadem singulis christifidelibus imponere, omissa etiam nominum inscriptione in album confraternitatis.

Et Deus etc.

SS. D. N. Pius PP. X, in Audientia habita die 13 Iunii 1906 ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 13 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

162. Florentina. — Ordinationis.

Datis ad Sacram Congregationem litteris, Vicarius Florentiae ita exponit:

In Sabbato quatuor temporum Decembris de proximo praeteriti, dum in hac civitate Florentiae generalem ordinum promotionem habebat E.mus D. Meus Card. Archiepiscopus Florentinus, ausus est modernus Episcopus Fesulanus suffraganeus in eadem civitate residens tanquam par ordinationem habens, non sine scientia contradictionis eiusdem E.mi Archiepiscopi, ordines tum minores, tum sacros, respective, nedum aliquibus regularibus Florentiae civitatis ac dioecesis conferre, verum etiam nonnullis aliis regularibus, et saecularibus clericis Pistorien. et Piscien. ab ipsomet E.mo D. Meo Archiepiscopo tamquam viciniore, in occurrenti tunc vacantia Episcopalis sedis Pistorien., ni fallor, ordinandis, inter quos etiam illos admisit, et promovit, qui coram Eminentia sua comparentes, et examini expositi, ut comperti non idonei, reiecti fuerunt. Sic autem promoti fuerunt quatuordecim regulares Florentiae civitatis vel dioecesis, clerici saeculares viciniores Pistorien. et Piscien. quatuor, regulares viciniores pariter quatuor, ac demum reiecti ab E.mo Archiepiscopo in examine, D. Michaël Pauli de Cappellis de Pistorio, fr. Franciscus a Senis et fr. Dominicus de Montibus ambo Ordinis S. Francisci de Observantia et habiti tamquam Dioecesani.

Cum vero dictus Episcopus Fesulanus hoc sibi licuisse praesumpserit, e contra vero huius Archiepiscopalis Curiae fiscalis ordinationem praedictam praetendat illicitam, supplicat declarari:

1° An dicti regulares florentinae dioecesis potuerint licite ad ordines promoveri ab Episcopo non dioecesano, isto ordinationes habente?

2° An itidem regulares, et clerici saeculares Episcopatus Pistorien. et Piscien. iurisdictionis ut supra viciniorum?

3° An demum reiecti ab E.mo Archiepiscopo?

Appendix. Appulit novissime responsum Episcopi Fesulani cuius excusationum summa talis est:

Regulares exhibuerunt dimissoriales suorum superiorum, partim directas Episcopo Fesulano specialiter, partim cuicumque antistiti, absque ulla declaratione, in qua dioecesi domicilium haberent, ad quem effectum transmittit extractum litterarum; verum in iis omissa est intitulatio superioris ex qua forsan locus pateret prout forte etiam ex integro litterarum tenore.

Idem Episcopus inquit non reperiri saltem quod viderit a Sacris Canonibus et Sacro Concilio statutum, regulares teneri ordines suscipere a Dioecesano.

Quoad Clericos Pistorienses, ecclesiam Fesulanam esse viciniorem vel saltem aeque vicinam, ac Florentina.

Quoad Piscienses, dum vacabat Pistoriensis ecclesia vicinior Ordinarius dimisit ad quemcumque et tali pacto Fesulanus ordinavit.

Demum, quod promoverit reiectos, E.mo Archiepiscopo repugnante, expresse negat, nec probari a vicario, imo profitetur se d. E.mo obedientissimum.

R. *Ad primum, Negative; ad secundum et tertium, Dilata.*

163. Dubium. — Concursus.

Si facto concursu factaque per examinatores renunciatione idoneorum, Episcopus, coram quo concursus fuit celebratus antequam idoneiorem eligeret, praemoriretur, Sacra Congregatio prima Iulii proximi praeteriti censuit non esse instituendum novum concursum, sed ex iam approbatis eligendum

idoneiorem a Vicario capitulari. Cum autem in casu occurrente Vicentiae pro parrochiali vacante in mense reservato, Vicarius processerit ad novum concursum, et unum ex hoc secundo concursu praeelegerit, deinde vero transactis quatuor mensibus variando praeelegerit unum ex approbatis in primo concursu defuncti Episcopi, proinde dubitatur, an huic novae perfectioni deferendum; ideo utraque parte instante, quaeritur:

1° An stante lapsu quatuor mensium, Vicarius potuerit amplius uti iure eligendi approbatum in concursu Episcopi.

2° An vero factus sit locus devolutioni, iuxta Constitutionem B. Pii V de providendis.

R. *Ad primum, Negative; ad secundum, Affirmative.*

164. Pisauren. — Decimarum.

Tempore Cardinalis Ubaldini emanavit in causa hac sequens Decretum:

« Sacra Congregatio Concilii censuit bona, ac praedia « huiusmodi decimarum solutioni obnoxia ad monasteria « fratrum, ac monialium transire cum suo onere, ac proinde « fratres, ac moniales teneri illas solvere parochialium ec- « clesiarum rectoribus, quemadmodum tenebantur laici prius- « quam bona ipsa in monasterii proprietate transtulissent ».

Rursus sub die 8 Februarii 1676, reperitur ut infra.

Pisauren. Decimarum. Pro parte parochorum citatis interesse habentibus coram Episcopo iuxta litteras Sacrae Congregationis, probatum fuit per plures testes quod ibi decima solvitur ad rationem unius pro quolibet viginti, quodque si parochianus mutet habitationem, solvit medietatem decimae parocho in cuius parochia bona sunt sita, et alteram medietatem parocho sub cuius parochia degit, contingit saepe bona huiusmodi ex contractu, vel alio titulo transire ad regulares, vel alia loca pia, quae tunc praetendunt solvere tantum medietatem decimae parocho bonorum; sed quoniam non habent privilegia cum derogatione Cap. nuper de decimis supplicant parochi per Sacram Congregationem decerni: An dicti regulares et loca pia pro bonis acquisitis de manu laicorum teneantur solvere integram decimarum, uti prius de dd. bonis solvebatur a laicis.

At S. Congregatio respondit: — Ad Iudices. —

Iterum tamen 11 Decembris 1677 datae fuerunt litterae ad Episcopum, ut praeinsertum decretum exequi procuraret. Sed in modo exequendi reexorta est praenarrata difficultas solutionis integrae vel medietatis decimae; Episcopus instantes ad eamdem S. Congregationem remisit, proinde citata parte quaeritur:

An regulares et loca pia teneantur solvere decimam integram vel medietatem.

R. *Teneri pro medietate.*

165. Dubium. — Legitimationis.

Coram iudice laico in regno Neapolis pendet controversia super quadam successione, seu fidecommisso, pro cuius terminatione, praedecidenda sunt duo infrascripta dubia, proinde per libellum a Sanctissimo remissum sequens facti species proponitur:

Anno 1617 F. C. publico instrumento contraxit sponsalia cum L. C. consanguinea in secundo gradu ex latere paterno, constituta dote ducator. septem millium in tot censibus et pecuniis facta et donatione propter nuptias ipsi F. C. Sponso ab eius patre in summa ducator. decem millium, ac insuper per obligationem solvendi quantum fuisset necessarium ad obtinendam apostolicam dispensationem.

Postmodum, ipsi sponsi filios incestuoso concubitu genuerunt et anno 1632 dispensationem cum prolis legitimatione a Sede Apostolica obtinuerunt in forma pauperum, imo allegata paupertate pro causa dispensationis; cum hac dispensatione matrimonium fuit contractum, firma eadem dote ac etiam dotatione propter nuptias realiter habitis, ac potius excessivis, quam modicis pro qualitate personarum, et loci.

Defunctis iam coniugibus, et exorta lite supradicta, Didacus Cavalli supplicat declarari:

1° An in casu expresso apostolica dispensatio, et prolis legitimatio fuerit valida, ut in forma pauperum, et ex causa paupertatis falso narrata.

2° An sub eadem hypothesi allegabilis sit bona fides matrimonii recte contracti ut proles praecedenter suscepta censenda sit legitimata.

R. *Dispensationem fuisse validam, et ideo prolem esse legitimam.*

XLVI. Die Sabbati 23 Septembris 1679.

MANTUANA. — Iurisdictionis. — R. *Dilata ad Kalendas.*

RUTHENEN. — Absolutionis. — R. *Affirmative cum poenitentiis salutaribus, arbitrio Episcopi.*

DUBIUM. — Absolutionis. — R. *Ad mentem, mens est quod non potest praescribi aliqua regula generalis, sed dabitur resolutio in casu particulari.*

TARENTINA. — Matrimonii. — R. *Negative.*

CAESAROPOLITANA. — Indulti. — R. *D. Secret. ad mentem.*

NULLIUS PROVINCIAE MOGUNTINAE. — Consecrationis. — R. *Affirmative de licentia Ordinarii.*

DUBIUM. — Professionis fidei. — R. *Negative.*

MEDIOLANEN. — Residentiae. — R. *Recedendum a decisis, et Affirmative.*

URGELLEN., seu NULLIUS AGGEREN. — Iurisdictionis. — R. *Ad iudices suos.*

ROMANA. — Legati. — R. *Affirmative.*

166. Dubium. — Absolutionis.

In dispensationibus super irregularitate contracta ex homicidio apponi solet restrictiva: dummodo in loco commissi delicti non celebret. Restrictivae huius praxis non satis perspicua est ob casuum diversitatem. Siquidem si quis delinquat intra oppidum, vel civitatem, in DD. oppido, vel civitate celebrare non poterit, sed an extra locum in territorio tamen eiusdem loci possit celebrare; rursus si oppidum, vel civitas ampla sit v. g. Roma, Parisii, Matritum, etc., ita ut si quis delinquat in urbis regione seu Parochia, an possit in alia regione, seu Parochia celebrare? Ac demum, quid si delinquat in Campanea? Motivum huiusmodi restrictivae est scandalum, quod generaretur in populo, si quem cognoverit proximi sanguine maculatum, Sacra videat ubi delinquit pertractantem: proinde tanto loci spatio ab altari arcendus delinquens videtur, quanto huiusmodi scandalum excludatur. Ut vero praxis sapientissima ipsorum restrictivam apponentium menti conformis sit, non graventur E.mi PP. eamdem aperire.

R. *Ad mentem, mens est quod non potest praescribi aliqua regula generalis, sed dabitur resolutio in casu particulari.*

167. **Tarentina. — Matrimonii.**

Francisca Antonia Pastorelli supplicat declarari licere sibi libere matrimonium contrahere, quoniam turca baptizatus, cum quo prius contraxerat, declaravit se baptismum ficte suscepisse, etiam a sexennio rediit ad turcas, inter quos maumethismum profitetur, ut habetur ex sequenti relatione Archiepiscopi:

Presa da me del tutto diligente informazione, ho trovato che detto turco, dopo ricevuto il santo Battesimo, et ottenuta la libertà dal suo padrone, si casò con la predetta oratrice, con la quale visse pochi mesi, ed intanto con suoi convicini, dichiarò più volte che aveva volontà di ritornar da suoi parenti in Turchia e che il santo Battesimo l'aveva ricevuto solo per ottenere la libertà dal suo padrone, e replicatogli da questi, che non dovesse abbandonare sua moglie, egli rispondeva, ch'essa avrebbe potuto casarsi con altri. Ed in effetto non avendo mai più comparso detto Gio. Giuseppe sin da sei anni in circa, l'anno passato da alcuni Turchi corsari furono catturati e portati schiavi in Santa Maura, fra gli altri, circa sette persone di questa città, alcuni de' quali esaminati da me hanno deposto che il pred. Gio. Giuseppe, da loro ben conosciuto, era stato uno de' predetti corsari, e che ivi stava attualmente facendo la legge turca e casato con altra di quella setta. Quaeritur itaque:

An oratrici liceat matrimonium cum alio contrahere?

R. *Negative.*

168. **Dubium. — Professionis fidei.**

Provisi de Canonicatibus debent emittere professionem fidei intra duos menses a die possessionis, alioquin fructus non faciunt suos, donec illam emittant.

In Cathedrali Placentina in Hispaniis, in qua qui vult lucrari fructus, debet uni saltem horae quotidie inservire per octo menses, inchoandos vel a prima Novembris vel a prima Martii, ita ut qui non inceperit prima Novembris, non possit incipere, nisi ad primam Martii, et interim non lucratur nisi distributiones, canonicus, qui possessionem coepit octava Novembris, et professionem emisit 12 Ianuarii transacto iam bimestri, deberet fructus emittere, sed quia usque ad primam Martii fructus lucrari incipere non potuit vigore statuti, et consuetudinis praefatae, tunc autem professionem fidei iam emiserat, adeoque nec per Concilium inhabilis ad lucrandum, nec per Statutum, e contra vero si lucraretur, dispositio Concilii de duobus mensibus eluderetur, supplicatur per Sacram Congregationem declarari:

An dictus Canonicus ob non emissam in tempore fidei professionem debeat amittere fructus massae inchoatae prima Martii et pro qua rata.

R. *Negative.*

XLVII. **Die sabbati 7 Octobris 1679.**

Romana. — Legati. — R. *Spectare ad fratres, ad secundum haeredes non teneri supplere.*

Tarentina. — Procurationis. — R. *In decisis, die 28 Ianuarii 1679.*

Maceraten. — Collectarum. — R. *Ad primum, non licere; in reliquis, ad Sacram Congregationem Immunitatis.*

Signina. — Residentiae. — R. *Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative.*

Maioricen. — Clausurae. — R. *Affirmative.*

Papien. — De illegitimis. — R. *Dilata.*

Tirasonen. — Residentiae Dignitatum. — R. *Audiantur interesse habentes.*

XLVIII. **Die sabbati 18 Novembris 1679.**

Romana. — Funerum. — R. *Ad Sacram Congregationem Rituum.*

Lusitaniae. — Professionis 1ª. — R. *Negative.*

Lusitaniae. — Professionis 2ª. — R. *Dilata.*

Dubia. — Subsidiorum Dotalium. — R. *Ad primum, Affirmative. Ad secundum: Deberi intra summam legati, iuxta morem Monasterii. Ad tertium Affirmative. Ad quartum, Negative. Ad quintum, Negative. Ad sextum, Recurrant in casibus particularibus.*

Bisinianen. — Ritus Graeci. — R. *Negative.*

Firmana. — Cappellaniae. — R. *Ad Rotam.*

Imolen. — Ordinationis. — R. *Aboleatur Decretum Episcopi qui servet constitut. Apostolicam S. Can. Con. et Ep. Sacrae Congregationis.*

169. **Dubia. — Subsidiorum Dotalium.**

Testator reliquit suis neptibus dotem scutorum mille et pro omnibus descendentibus in infinitum scuta sexcenta, vel 800 in casu deficientiae bonorum, ut cum dotibus huiusmodi decenter nuberent. Tunc temporis in patria testatoris, et vocatarum, nullum extabat sanctimonialium Monasterium; nunc vero extat. Ideo per libellum a SS.mo remissum quaeritur:

1. An puellis vocatis, si velint ingredi Monasterium, dos pro matrimonio relicta debeatur?

2. An supposita deficientia bonorum, debeatur monachandae summa scutor. 800 an vero dumtaxat quantitas dotis monachalis? et quatenus haec,

3. An amplius pro expensis necessariis, tam ante, quam post professionem, dummodo non excedatur summa testamentaria?

4. An debeatur summa testamentaria ex ea consideratione quod redditus pro dotibus assignatis sunt difficilis exactionis, et bona litigiosa?

5. An debeatur a tempore, quo puellae erant aptae ad collocationem?

6. An et quae in concursu praeferendae monachandae, an maritandae?

R. *Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Deberi intra summam legati, iuxta morem Monasterii. Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, Negative. Ad quintum, Negative. Ad sextum, Recurrant in casibus particularibus.*

170. **Bisinianen. — Ritus Graeci.**

Usque ab anno 1634 Albanenses Casalis S. Iacobi, qui ritu graeco vivebant, ad ritum latinum omnibus votis Ordinario praestitis transiverunt, excepta familia Sarra, et familia Stamilk, quae solae ex 34 familiis usque ad hanc diem in avito ritu, illoque quod peius est ignorato persistunt, non sine reliquorum scandalo, dum graeco-latinum, latino-graecum confundunt, siquidem Sacramenta a Presbytero latino recipiunt, latinorum autem ieiunia, festosque dies non observant, imo nec graecos, dum carent Presbytero, qui eos instruat, vel festa annunciet. Quare Dominus in

temporalibus ritus uniformitatem desiderans, per libellum a Sanctissimo remissum pro voto, supplicat mandari ut hae duae etiam familiae latinum ritum in omnibus observent.

Episcopus Bisinianen. pro informatione requisitus, in Baronem invehit, quod ita instet non quidem ex zelo, sed ad exuendas dictas duas familias Ecclesiae immunitate; quod graecus Cappellanus non degit propter eiusdem versutias; quodque adeo erga graecos infensus est, ut etiam convertendo in profanos usus oleum, quod a lampade ante imaginem S. Athanasii miraculose scatebat, illi cessandi causam praebuerit. Caeterum, quod illae familiae ritum graecum devote custodiunt, et si latinorum ieiunia non observant, observant tamen quatuor alias graecorum quadragesimas.

Verum ex informatione Episcopi S. Marci habetur qualiter septem testes ex senioribus testantur de praedicto transitu, permittente etiam S. Sede, ac de inobservantia festivitatum latinarum et graecarum. Nonnulli etiam Presbyteri latini, qui curam exercuere in dicta Casali testantur, quod dictae familiae Sacramenta suscepere ritu latino. Et ulterius dantur partitae baptismatis, quod personae dictarum familiarum baptizatae fuere a Presbytero latino Ritu latino. Quare vel quia suscepto baptismate ritu latino, utpote ianua omnium Sacramentorum, latinus ritus receptus videtur, et regredi non licet; vel quia latinus ritus fuit a Communitate susceptus, vel stante carentia Presbyteri graeci, et ad evitanda scandala, et ne relicto hoc semine, tota haec Communitas paulatim relabatur ad ritum graecum, iterum instatur dictas familias cogi ad observantiam integram latini ritus. Quibus positis quaeritur:

An dictae familiae ad hoc possint cogi, et quibus mediis?

R. *Negative.*

ANALECTA VARIA

DE ERECTIONE CONFRATERNITATUM IN MONIALIUM MONASTERIIS.

Doctores qui loquuntur de loco, quo erigi possunt Confraternitates, notant prohibitionem erigendi Confraternitates in monialium monasteriis, ad quod probandum, afferunt nonnulla Decreta Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, et potissimum sequentia (ex *Regestis S. Cong. EE. et RR.* transcripta):

" *Tirasonen. - Episcopo.* — Non placet Sacrae Congregationi Regularium negotiis praefectae, ut in Monasteriis monialium, sub quovis titulo instituantur Confraternitates laicorum, ad tollenda quam plurima, quae ex huiusmodi institutionibus suboriri possunt incommoda. Quocirca cum oppido de Alfano istius dioecesis in quodam Monasterio monialium Sancti Dominici societatem Nominis Dei erectam esse resciverit, decrevit eadem Congregatio ut dominationi tuae rescriberetur, quod ego his litteris praesto, ne in posterum sive supradictam Confraternitatem, sive alias similes quovis nomine in Monasteriis monialium, aut institui, aut institutas exerceri permittat. Reliquum est ut D. T. certior facta de mente Ill.m. Cardinalium, eiusdem executioni, ut aequum est, operam praestet, quod utique de singulari tua vigilantia ac pietate licet polliceri, 6 Nov. 1595 ".

" *Tirasonen.* — Capitulo de Alfano. Sacrae Congregationi videtur posse decerni quod in hoc Monasterio monialium non erigantur Confraternitates et erectae tollantur aut transferantur, sicque in posterum servari debere committendo exsecutionem Brevis Ordinario, 15 Mar. 1599 ".

Apud Ferraris (*Bibliotheca*, sub vocabulo *Confraternitas, art. 1, n. 38*) citatur etiam (praeter *Tirasonen.*, 6 Nov. 1595; Martii 1599 et 6 Maii 1645) Decretum S. C. EE. et RR. *Baren.*, 6 Aprilis 1595. Quin imo apud nonnullos Auctores citatur tantummodo Decretum *Baren.*, 6 Aprilis 1595. Sic Frances (*Tractatus de Ecclesiis Cathedralibus, cap. 25, n. 247 et seq.*) scribit: " potest (Confraternitas) ubique congregari... monialium Monasteriis exceptis, ex declaratione S. Congregationis Episcoporum Vicario Barensi, 6 Aprilis 1595 ". Sic etiam Barbosa (*Summa Apostolicarum decisionum, Venetiis 1712*, sub voc. *Confraternitas, n. 8*): " Confraternitates in Ecclesia monialium institui non debent. S. C. EE. et RR. in *Baren.*, 6 Aprilis 1595, cuius meminere Coccin, decis. 472, nn. 3 et 4; Gavanto, in *Man. Episcop.* verbo *Monialium Ecclesiae*, num. 15; Lezana, tom. 2, c. 15, n. 22, in fine; novissime D. Ricciul, *Ecclesiast. lucubrat.*, lib. 4, c. 3, n. 4 "; similiter Theodorus a Spiritu Sancto (*Tractatus dogmatico-moralis de Indulgentiis, Romae 1743, part. II, cap. 11*): " Erigi autem possunt Confraternitates saecularium in Ecclesiis sive regularibus, sive saecularibus, servatis tamen quibusdam statutis..... *exceptis monialium Ecclesiis*... ut observat Ricciullus, ... Rota coram Coccino... et ante *eam, S. C. Episcoporum respondens Vicario Barensi* ". Nullus, tamen, Auctor, quod sciam, per integrum refert Decretum hoc *Barense;* neque ipse Nicolius (*Flosculi sive Notabilia practica*) qui satis exacte plura refert Decreta SS. CC. ac potissimum S. C. EE. et RR.; neque in Archivio S. Cong. EE. et RR. illud invenire mihi datum est.

Haec sunt Decreta *Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium*, quae passim ab Auctoribus

citantur; nunc de eorumdem interpretatione.

Prima quaestio, quae solvendam sese offert, respicit valorem horum decretorum; an sc. haec *Decreta* habenda sint uti *generalia* vel non.

Tachy (*Traité des Confréries*, Amiens 1890) ad quaestionem: " Peut-on établir une confrérie dans une église de religieuses? „, Respondit: " Aucune loi positive n'interdit d'une manière formelle l'établissement des Confréries dans les Eglises de religieuses. Toutefois, la S. Congrégation des Evêques et Réguliers désapprouve ces fondations à cause des nombreux inconvénients qu'elles entraînent, et elle ordonne de transférer ailleurs les confréries ainsi érigées „ (*Chapitre III*, n. 56).

Revera nullum ex citatis *Decretis* est *formale Decretum generale* S. Congregationis EE. et RR. quae prohibeat erectionem Confraternitatum laicorum in monialium Monasteriis. Et sane Decretum *Tirasonen.*, 6 Nov. 1595, quod ab Auctoribus citatur tamquam documentum praecipuum in hac materia, est Decretum *particulare* pro particulari dioecesi datum.

Mirum tamen non est si ab Auctoribus uti *generale* habeatur; in eodem enim Decreto *motivum prohibitionis*, quod adducitur, est *motivum generale* quod omnia monialium monasteria respicit; et, quod magis est, in eodem affirmatur etiam *generalis mens* S. Congregationis contraria huiusmodi erectionibus: " *Non placet* „; seu, ut scribit Crispino (*La visita pastorale. Roma, 1695, parte II, § 41, n. 17*): " non si permettono nelle Chiese delle monache (erectiones confraternitatum) essendo ciò *di mente* della S. C. de VV. e RR., come fu risposto in *Tirasonen.* 9 Novem. 1595 „.

Et haec *generalis mens* S. Congregationis evidentius apparet ex explicita applicatione, quam fecit haec eadem S. Congregatio, Decreti *Tirasonen.* ad casum particularem; sic enim legitur in epistola ab hac S. C. ad Episcopum Fulginatensem: " Al dubbio proposto da V. S. nel foglio 15 agosto corrente, se cioè sia lecito alle Monache Clarisse di Foligno ricevere nella loro Chiesa l'immagine della Madonna di Tivoli pertinente alla pia Associazione omonima, quando questa volesse traslocarvela, togliendola dalla Chiesa della Confraternita della Morte, ove si venera da oltre trent'anni; la S. C. ha ordinato che si comunicasse a V. S. la risoluzione riportata dal Lucidi nella sua opera *de Visitatione SS. LL.* in una *Tiras.* 9 Novem. 1595, cioè: Non placet S. Cong.ni ut in Monasteriis monialium sub quovis titulo instituantur confraternitates laicorum, ad tollenda quam plurima quae exinde oriri possunt incommoda, imo praecipit ut erectae tollantur, secus transferantur. 26 agosto 1891 „. (*Ex Regestis S. C. EE. et RR.:* quoad citationem ex *opere* Lucidi decreti *Tirasonen.*, cfr. supra Decreta per extensum relata).

Sive ergo spectetur *doctrinalis* interpretatio sive etiam *authentica*, Decreta S. C. EE. et RR. ac potissimum Decretum *Tirasonen. 6 Nov. 1595* vim habet Decreti generalis, et iure concludendum est generalem esse prohibitionem S. Congregationis EE. et RR., ne in monialium Monasteriis laicorum confraternitates erigantur.

Sic declarato *valore* Decretorum S. Congregationis EE. et RR.; nunc inquirendum est de extensione prohibitionis, quid sc. veniat sub vocabulis " *laicorum confraternitates* „ et " *monialium Monasteria* „.

Porro vocabulum *Confraternitas* non satis determinatam habet significationem in ipso iure, promiscue enim aliquando sumuntur vocabula *Confraternitas, pia unio, congregatio, pium opus* (*Rescripta authentica S. Congregationis Indulgentiis, sacrisque Reliquiis praepositae... Pustet 1885, p. 707 in nota*); quae quidem ambiguitas notatur etiam in Decreto S. Indulg. Congregationis quod refertur in authentica collectione cui titulus: *Decreta authentica Sacrae Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae...* sub numero 453, ubi legitur: " aequum est distinguere inter sodalitia, quae strictiori sensu collegia dici possunt et esse solent pleraeque *proprii nominis confraternitates* ad modum organici corporis constitutae, et sodalitia, quae laxiori modo sociali vinculo colliguntur, ut esse solent plures etiam *confraternitates* et pleraeque piae associationes, congregationes, aggregationes, uniones ac pia opera, ut vocant „.

Itaque vocabulum *confraternitas* sumi potest vel latissima significatione, vel minus lata ac *propria*. Fr. Theodorus a Spiritu Sancto (*Tractatus dogmatico-moralis de Indulgentiis...* p. II, c. II, § 1) definit: " *confraternitates* quae coniunctionem in fraternitate sonant, sicut consanguinitas in sanguine..., fidelium congregationes in unum quandoque convenientium ad quaedam pietatis officia obeunda, ecclesiastica auctoritate instituta „, et Bassus (*Tractatus de sodalitiis*, quaest. I, n. 7) scribit: " cumque confraternitas significat *adunantiam* personarum piarum in ordine ad divinum servitium et opera pietatis... et ad hoc ut confratres in misericordiae et charitatis operibus se exerceant „.

Sub his tamen definitionibus, ut patet, non comprehenduntur eae piae uniones, in quibus nec requiritur ut aliquando membra in unum conveniant, quamvis et hae aliquando etiam confraternitates appellantur. Quare confraternitates in sensu latissimo definiri possunt, fidelium associationes ad pietatis et charitatis opera exercenda institutae.

Inter autem has associationes, ut vidimus in citato Decreto S. Congr. Indulg. (*Decreta authentica* sub num. 453) distinguenda sunt " sodalitia quae strictiori sensu collegia dici possunt, ut esse solent *pleraeque proprii nominis confraternitates* ad modum organici corporis constitutae, et *sodalitia* quae *laxiori modo sociali vinculo colliguntur* „.

Atque inter Confraternitates ipsas *proprii nominis*, iterum distingui debent illae, quae adhuc strictiori sensu Confraternitates appellantur, ab aliis, quae sensu latiori, licet *proprio*, sub Confraternitatis nomine comprehenduntur. Unde istae omnes associationes ad triplicem speciem reduci posse videntur, sc.: 1° ad Confraternitates stricte sumptas; 2° ad Confraternitates latiori sensu sumptas; 3° tandem ad pias Uniones (Cfr. Melata, *Manuale de Indulgentiis, pars II, sect. II, cap. 2, art. 1)*.

Differentia inter *duas* primas species et *tertiam* in eo est, quod illae ad modum organici corporis institutae sunt, non vero haec postrema (1); differentia vero inter *primam* et *secundam* dependet ex eo quod prima destinata est etiam ad publicum cultum. Sic Ursaya differentiam describit inter Confraternitates et Congregationes (sive Confraternitates latiori sensu sumptas): " Confraternitates sunt illae quarum confratres habent specialia vexilla et propria insignia, tenentur induere se saccis et intervenire in processionibus ac aliis sacris functionibus propriae Confraternitatis; Congregationes, seu confraternitates latiori sensu sumptae, e contra sunt privatae quaedam hominum adunantiae, qui privatim, de licentia tamen Ordinarii, in aliquo particulari et determinato loco, qui non sit Ecclesia publica, ibique certis temporibus sua peccata diffiteri et Eucharistico Sacramento refici solent nec non audire exhortationes et admonitiones alicuius patris spiritualis, qui eos in rebus spiritualitatem concernentibus instruit, nunquam vero hi figuram faciunt in processionibus publicis, nec saccis, seu specialibus indumentis induuntur ".

Haec differentia innuitur etiam in Decreto Urbis et Orbis *S. Indulgentiarum Congregationis die 25 Augusti 1897*, ubi, ad dubium II: " An ad erectionem confraternitatum puta SS. Trinitatis, SS. Rosarii, B. M. V. de Monte Carmelo vel a Virgine perdolente, aliarumque huiusmodi, quae a Religiosis Ordinibus in suis respectivis Ecclesiis eriguntur, necessarius sit Ordinarii consensus "? responsum fuit: " Si agatur de *Confraternitatibus proprie dictis, idest ad modum organici corporis et cum sacco* constitutis, *affirmative*; si de Confraternitatibus late acceptis, satis provisum per consensum praestitum ab Ordinario pro erectione Conventus Ordinis in dioecesi ".

Atque generatim antiquiores scriptores quando loquuntur simpliciter de *Confraternitatibus*, loquuntur de Confraternitatibus, quae praecipue ad divinum servitium, ut ait Bassus (l. c.), institutae sunt; loquuntur enim de Confraternitatibus, in Ecclesiis institutis, quae suos habent Cappellanos, quae processiones instituere possunt, saccos induunt etc.; quae quidem proprie *laicorum Confraternitates* appellantur, non ex eo quod clerici nequeant esse membra harum Confraternitatum, sed ad distinctionem Collegiorum Cleri saecularis ac regularis. Cum enim hae Confraternitates partem habeant in cultu publico, ad distinctionem associationum quae ex clero sive saeculari sive regulari componuntur, *laicorum Confraternitates* appellantur.

His praemissis, prohibitio S. Congregationis EE. et RR. certo cadit super Confraternitates *prioris speciei*, quae proprie *laicorum Confraternitates appellantur*.

Quoad vero *duas alias species; triplex* fieri potest hypothesis: sc. 1° quod associatio componatur ex personis utriusque sexus vel etiam ex solis feminis ex toto vel ex parte saltem Monasterio extraneis; 2° quod associatio componatur ex solis monialibus; et 3° tandem quod componatur ex puellis, quae sub monialium custodia educantur. Ojetti S. I. (*Synopsis Rerum Moralium et Iuris Pontificii, editio altera.... Prati 1904*, sub vocabulo *Educandae)* refert clausulas sub quibus S. C. EE. et RR. concedit facultatem admittendi *educandas* in monasteriis.

Porro si agatur de *prima* hypothesi, idem dicendum est quod de *laicorum Confraternitatibus*. Et sane incommoda ad quae evitanda lata sunt Decreta S. Congr. EE. et RR. in hac quoque hypothesi verificantur.

Theodorus a Spiritu Sancto (*l. c., part. II, cap. II*) ita exponit incommoda, de quibus generice loquuntur *Decreta S. C.*: " cum populi frequentia nec non functiones Confraternitatum sacrarum virginum Deo dicatarum tranquillitati non leve detrimentum possint afferrre et quia Monialibus interdicta est conversatio ". Atqui haec incommoda verificantur etiam in praesenti hypothesi.

Relate ad *alteram* hypothesim, quaestio fit a DD.: an sc. moniales adscribi possunt Confraternitatibus.

Sic ephemerides *Monitore Ecclesiastico* (*vol. IX, p. II, pag 91*), quaestionem instituunt: " Possono le monache ascriversi alle varie Confraternite laicali del luogo? " et respondit: " Nel generale ciò non è da approvare. Ma intervenendo giuste ragioni può tollerarsi dal Vescovo. Ecco quanto su tale oggetto scrisse la S. C. de' VV. e RR. al Vescovo

(1) Haec est differentia fundamentalis, satis indicata in Decreto S. I. Congr., 26 Nov. 1880 (Decreta Authentica *sub num. 453)*; sed praeter hanc et aliae assignari possunt ab ea dependentes. Sic Wernz (*Ius Decretalium*, tom. III, tit. XXV, *num. 704*): « Erectio canonica est nota quam maxime essentialis Confraternitatis Ecclesiasticae, praesertim si ad modum organici corporis fuerit constituta. Inde autem sequitur gravissima differentia ab aliis simplicibus unionibus piis ». Certe erectio canonica necessaria est pro Confraternitatibus stricte sumptis, nam: « personae privatae sodalium Collegium vel universitatem erigere et constituere non possunt, nisi eis hoc a Superiore concedatur, ut notat Barbosa in cap. Dilectio, n. 1 et 2. De Exc. prael.... » Lucidi, *de Visitatione SS. Liminum*, vol. II, c. VII, n. 125. Sed etiam piae uniones, quamvis pro ipsis sufficiat Episcopi approbatio, *erigi* possunt, quin imo debent erigi, si aggregari velint alicui Archiconfraternitati vel primariae Associationi. Quamvis autem huiusmodi piae Uniones per erectionem acquirant personalitatem iuridicam, non ideo tamen mutant naturam et constituuntur ad modum organici corporis. Quid autem importat constitutio in organicum corpus satis indicatur in citato Decreto S. Indulg. Congr. sub n. III, et IV.

di Albenga il 1° marzo 1882: " Questi E.mi mi hanno comandato di scriverle che, quantunque la S. C. non approvi che le monache si facciano ascrivere alle Confraternite, nulladimeno per evitare i maggiori sconcerti da Lei preveduti, hanno stimato l'EE. LL. potersene tollerare l'uso introdotto in detto Monastero, nella maniera da Lei divisata e col consenso della Superiora ".

Et Pascucci (*Compendium et Index ad Consultationes Canonicas D. Iacobi Pignatelli, Romae, 1699, pars II, de Monialibus, pag. 94*), refert epistolam S. C. EE. et RR.: " All'Arcivescovo di Zara, 27 ottobre 1593. Non permetta che le monache si facciano scrivere Consuore della Compagnia del Rosario, del Cordone o d'altro ". Cuius epistolae integer textus sequens est: " Reg. Ep. Reg., 27 ottobre 1593, p. 318. All'Arciv. di Zara. E' stata cosa nuova a questi miei signori illustrissimi che le monache di cotesto Monastero si faccino scrivere tra le Suore del Rosario e del Cordone pretendendo poi dover esser assolute dai casi reservati in virtù dei privilegi di dette Compagnie, essendo chiaro che ciò non possono fare e meritano buona correttione quei frati che le mantengono in questa lor credentia, ed acciò si remedii d'ordine dei S. Illustr. proibisca alle monache ed ai frati che per l'avvenire quelle non si faccino scrivere e questi che non le assolvino dichiarando che dai casi riservati a lei non può assolvere altri che lei medesima o ch'ella deputerà, eccettuato se per virtù dei giubilei si concedesse da Nostro Signore l'autorità espressa sopra i casi riservati agli Ordinarii prevalendosi del remedio delle censure contra chi farà in contrario. — 27 ottobre 1593 ".

Acta S. Sedis... *pro societate SS.mi Rosarii... Lugduni 1890, vol. 1, cap. 1, num. 10*, generatim affirmant: " Moniales et etiam mulieres quasi Regiosae collegialiter viventes, bene possunt impetrare a Reverendissimo Magistro Generali ut piae Communitatis cappellanus pro tempore facultatem habeat adscribendi eas Confraternitati (SS. Rosarii) benedicendique coronas: et tunc praedictae mulieres si regulariter in matriculario alicuius Confraternitatis canonice erectae sua nomina inscripta habeant, lucrari possunt omnes indulgentias Confraternitatis SS. Rosarii, visitando propriam capellam eodem modo ac si in praedicta capella Confraternitas erecta fuisset... In hoc casu facultas capellani se extendit ad omnes personas quocumque titulo piae Communitati addictas, sicut, verbi gratia, puellas educandas, famulas et ceteras huiusmodi " (1).

Afferri praetera potest Breve Pii IX, die 11 Augusti 1871, quod supponit Moniales adscribi posse Confraternitatibus SS. Rosarii, cuius tenor

(1) Acta S. Sedis... *pro Societate SS. Rosarii...* Vol. II, p. I, p. 229 referunt Breve Pauli V Archiepiscopo Remensi, cuius occasione in *Nota* paulo fusius loquuntur de erectione Confraternitatis SS. Rosarii in Ecclesiis Monialium. En tenor *Brevis et Notae:* « Exponi Nobis nuper fecit dilecta in Christo filia Hyppolita de Montmorancy, Principissa de Espinois, quod ipsa in ecclesia fundati ab ea monasterii Monialium Ordinis Fratrum Praedicatorum loci Abbavillae, Ambianensis Dioecesis, unam utriusque sexus Christifidelium confraternitatem Rosarii nuncupatam, quae tunc temporis in nulla dicti loci ecclesia instituta reperiebatur, per dicti Ordinis Fratrem Provincialem erigi, ac ab Ordinario approbari, necnon per Fratrem Generalem eiusdem Ordinis in Capitulo ultimo loco celebrato confirmari curavit. Subinde vero quidam Presbyteri Saeculares ecclesiae Sancti Vefrani dicti loci dictam confraternitatem ad praedictam ecclesiam Sancti Vefrani transferre tentarunt et sub praetextu, quod in eadem ecclesia Sancti Vefrani Rosarii confraternitas canonice erecta existit, illi a felicis recordationis Clemente Papa VIII, praedecessore Nostro, certas Indulgentias concedi obtinuerunt, praetendentes per Indulgentiarum huiusmodi concessionem, eo ipso fuisse erectionem confraternitatis huiusmodi confirmatam, unde orta desuper controversia, et coram dilecto filio Curiae Causarum Camerae Apostolicae Generali Auditore lite introducta, eaque pendente de partium consensu causa huiusmodi tibi commissa fuit. Verum cum praedicti Presbyteri nulla facta mentione commissionis, et litis pendentiae huiusmodi ad dilectos filios Nostros Sanctae Romanae Ecclesia Cardinales super Indulgentias deputatos recursum habuerint, ab eis decerni obtinuerint, confraternitates non posse erigi in ecclesiis Monasteriorum Monialium: quare dicta de Montmorancy se inde gravatam sentiens, Nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere de benignitate Apostolica dignaremur.

« Nos igitur de eorumdem Cardinalium consilio, Fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut causam praedictam reassumas, ac iuxta prioris commissionis tibi factae tenorem, non obstante praedicto eorumdem Cardinalium decreto, prout iuris fuerit, procedas, eamque decidas, ac fine debito termines, non obstante decreto praedicto, ac constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XIV Aprilis MDCVIII Pontificatus Nostri anno tertio. S. Cobellutius ».

« Haec disceptatio de confraternitate SS. Rosarii in ecclesia Monialium Ordinis S. Dominici Abbavillensi quaestioni huiusmodi sodalitatum in ecclesiis Monialium erigendarum, contrariis sententiis tam diu agitatae, non parum lucis attulit ».

« Quum anno 1553 Carolus V civitatem Taruennam, (*Thérouanne*), in Flandria, a fundamentis prorueret, Moniales Tertii Ordinis S. Dominici aliae alio passim dilapsae sunt, quarum decem in Abbavillam, (*Abbeville*), Picardiae oppidum, confugerunt. Postquam ibi per annos quadraginta et amplius aegrotantibus in domibus incolarum mirabili zelo inserviissent, anno 1597 ex Abbavillensium eleemosynis, ob earum virtutes et officia gratorum, tandem monasterio donatae sunt. Paulo post ecclesia, anno 1603 de liberalitate Dominae Hippolytae de Montmorancy inchoata, mox 29 iunii 1608 ab Episcopo Ambianensi (*Amiens*), consecrata extabat. Quia vero Abbavillae tunc nulla confraternitas SS. Rosarii instituta reperiebatur, praedictae Moniales a Priore Provinciali Franciae Ord. Praed. impetrarunt, ut, de consensu R^mi Magistri Generalis Ordinis, Societatem SS. Rosarii in earum ecclesia erigeret. Interea Saeculares ecclesiae S. Vulfrani Presbyteri pro alia sodalitate, pariter sub titulo SS. Rosarii ab ipsis creata, Apostolicas Clementis VIII Litteras in forma Brevis obtinebant, quibus Romana Curia nonnullas tribuere solet Indulgentias confraternitati cuilibet id petenti, ea tamen conditione semper supposita, quod sodalitas oratrix iam sit canonice erecta. Presbyteri confraternitatem virtute huius Brevis in sua S. Vulfrani ecclesia erectam asserebant. Reclamitabant vero Moniales. Inde iurgium, cum alii tenerent ex iure prohibitum, ne piae feminarum Communitates in suis ecclesiis confraternitates Saecularium possiderent, aliae vero erectionem confraternitatis auctoritate Ordinis Peaedicatorum canonice datam, ac, proinde sodalitium S. Vulfrani nullum esse affirmarent. Imo, ut in radicibus omnis facultas habendi confraternitatem ecclesiae Saeculari tolleretur, Moniales seipsas de iurisdictione Episcopi ad iurisdictionem Ordinis transferri iteratis precibus impetrarunt, nam, ecclesia monasterii sub auctoritate Ordinis posita, ipsae credebant per existentiam alterius Rosarianae Societatis ius Ordinis violari. Causa

sequens: " Expositum Nobis nuper fuit Sanctimoniales intra claustra sui monasterii degentes, quae Confraternitati sub titulo B. M. Virginis de Rosario canonice institutae adscriptae sunt, ob clausuram impediri, quominus eiusdem Confraternitatis ecclesiam seu capellam vel oratorium pro consequendis indulgentiis, tam plenariis quam partialibus praedictae Confraternitatis visitare queant. Quapropter supplices Nobis admotae preces fuerunt, ut in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Igitur ad augendam fidelium religionem... intenti, *omnibus et singulis monialibus* intra monasterii claustra degentibus et Confraternitati B. M. Virgini de Rosario adscriptis vel in posterum adscribendis, ut loco ecclesiae seu capellae vel oratorii supradictae Confraternitatis, ecclesiam seu capellam proprii monasterii, pro dictis indulgentiis consequendis visitare licite ac valide possint et valeant, dummodo cetera pietatis opera, quae iniuncta sunt praestiterint, Apostolica Nostra Auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus ". (ACTA S. SEDIS... *pro Societate Rosarii... vol. II, pag. 495*).

Quoad vero *erectionem* Confraternitatum in monialium monasteriis et quidem pro solis monialibus, ACTA... *pro societate Rosarii (vol. I, n. 8)* haec habent: " Confraternitas SS.mi Rosarii erigi nequit in ecclesiis monialium, etiam Ordinis S. Dominici, licet publicis *et etiamsi pro solis monialibus omnibus aliis exclusis*, instituta fuisset. Ita ex iure communi pro Confraternitatibus quibuscumque, (S. C. Epis. et Regul. 6 Aprilis 1595; 6 Novemb. 1595; 15 Martii 1599; 5 Maii 1645) et signanter pro Confraternitatibus SS.mi Rosarii (S. C. Epis. et Regul. 26 Augusti 1616; 24 Novembris 1617 (1)): Capitulum generale Ord. Praed., ad S. Congregationem Indulg. a S. Vulfrani Presbyteris delata, confraternitates Saecularium in ecclesiis Monialium erigi non debere fuit responsum, iuxta quidem iuridicam praxim ab eadem S. Congregatione iam pluries servatam, ut constat ex decretis sub diebus 6 aprilis 1595, 6 novembris eiusdem anni, et 15 martii 1599 datis. Antea vero Sorores S. Dominici in iudicium Generalis Causarum Camerae Apostolicae Auditoris litem adduxerant, qui, sententialiter pronuncians, totam rem ad arbitrium Rhemensis Archiepiscopi, in hoc casu Apostolici Delegati, remiserat. Ille autem, cum propter decretum S. C. Episcoporum et Regularium suam sententiam afferre non auderet, hocce Breve, Comitissa Hyppolita de Montmorancy apud Summum Pontificem instante, recepit, atque ut a S. Sede, per speciale privilegium, Abbavillaeis Monialibus confraternitas concessa fuerit, definitive proposuit. Cui tandem petitioni obsecundans Summus Pontifex assensum praebere dignatus est ».

« Abhinc tamen, quoniam S. Congregatio Episcoporum et Regularium confraternitates ad usum personarum Saecularium in ecclesiis Monialium non erigendas iterum atque iterum declaraverat, (de quo signanter pro confraternitatibus SS. Rosarii decreta eiusdem S. Congregationis data sub diebus 26 Augusti 1816, et 24 Novembris 1617, et infra suo loco relata lector inveniet), tunc ipse Praedicatorum Ordo, huic iurisprudentiae obtemperare volens, in Capitulo Generali Romae anno 1629 habito ita sancivit: « Ordinamus et omnino prohibemus, ne Societas SS. Rosarii in monasteriis Monialium, aut oratoriis, quibus utriusque sexus Fideles libere interesse nequeunt, instituatur ». *(Romae 1629, ordinat. 6ª)* ».

« Postquam Fratres Ord. Praed. in civitate Abbavillensi Conventum fundassent, Moniales ex Auctoritate Apostolica confraternitatem SS. Rosarii habentes, illam, etiam pro personis Saecularibus, retinere voluerunt. Quamobrem a Capitulo Generali eo modo fuit provisum: « Declaramus quod in civitatibus, ubi sunt Conventus « Fratrum et simul Monasteria Monialium, confraternitas SS. Rosarii ad solos Fratres publice administranda atque exercenda « spectabit; Moniales vero pro se tantum habere valeant, ut pridem « Apostolico decreto fuit sancitum ».

« Ex his colliges:

a) Confraternitas SS. Rosarii, prout Saeculares personas admittens, erigi nequit in ecclesiis Monialium quibuscumque, etiam Ordinis S. Dominici, et sub iurisdictione Ordinis degentium, et licet publicis. Quod enim non solum ex iure communi a S. Sede, sed etiam ex iure Ordinis a Capitulis nostris Generalibus omnino prohibetur.

b) Attamen, si specialis S. Sedis dispensatio intervenerit, vel particulare pro tali Monasterio privilegium ab Apostolica Potestate concessum, tunc potest erigi confraternitas SS. Rosarii, sive pro solis Monialibus aliisque personis intra clausuram viventibus, sive etiam pro personis Saecularibus utriusque sexus, prout terminis Apostolicae concessionis exprimitur, quibus stricte standum est. (De quo vide Apostolica privilegia a Pio VIII die 20 Augusti 1830 pro Monialibus Ord. S. Dominici de *Neufchateau* in Gallia et a Pio IX 1 Martii 1861, pro Sororibus a S. Maria Parisiensibus concessa et infra suo loco relata).

c) Si quidem a S. Sede permittatur erectio confraternitatis etiam pro personis Saecularibus utriusque sexus, tunc ipso facto permittuntur processiones publicae dictae confraternitatis, quae prima Dominica mensis aliisque Festis Solemnibus B. Mariae Virginis duci solent, non obstantibus decretis Apostolicis de iure communi in contrarium latis. Si vero pro solis Monialibus erigatur confraternitas, processiones intra clausuram fiant, nullatenus in ecclesia pro personis Saecularibus, ut expresse declaravit S. C. Episcop. et Regular. 26 Augusti 1616.

d) Si Ordo Praedicatorum Conventum fundet in loco, ubi sit confraternitas, erecta in ecclesia Monialium ad usum personarum Saecularium, ipso facto huiusmodi confraternitas transfertur ad ecclesiam praedicti Conventus, etiamsi prius Auctoritate Apostolica instituta fuerit. De quo adeas volum. 1, n. 330.

e) Erectiones confraternitatum SS. Rosarii in ecclesiis Monialium sive pro personis saecularibus, sive pro solis Monialibus, quidquid sit de praeterito, hodie vero nullam praestant utilitatem, ac proinde omnino in posterum sunt vitandae cum Moniales, et etiam mulieres quasi Religiosae collegialiter viventes, bene possint a Reverendissimo Magistro Generali Ord. Praed. impetrare, ut piae Communitatis Capellanus pro tempore facultatem habeat recipiendi eas ad confraternitatem, benedicendique coronas, et tunc praedictae mulieres, collegialiter viventes, si regulariter in libro matriculario alicuius confraternitatis canonice erectae, etiam per litteras (S. C. Indulg. 26 Novembr. 1880), sua nomina inscripta habeant, lucrari possunt omnes Indulgentias confraternitatis SS. Rosarii, visitando propriam capellam eodem modo ac si in praedicta capella confraternitatis erecta fuisset. (PIUS IX. *Expositum Nobis*, 11 August. 1871, et rescripto 8 Februar. 1874).

f) Bene possunt etiam Moniales, quamvis confraternitatem non habentes, ducere processionem SS. Rosarii per claustra pro personis intra Monasterii septa degentibus, ut patet ex decreto iam laudato S. C. Episcop. et Regular. 26 Augusti 1616, eoque modo Indulgentias processionibus SS. Rosarii adnexas, lucrari ad mentem concessionis praedictae Pii PP. IX pro Monialibus. Si vero non habeatur processio SS. Rosarii, Moniales intra clausuram viventes, vel iuxta instituta suae regulae legitime impeditae, quin processioni adfuerint, lucrari possunt Indulgentiam Plenariam adnexam assistentiae processioni SS. Rosarii, recitando tertiam Rosarii partem. (INNOCENTIUS XI. *Nuper pro parte*, cap. XI, PIUS IX in *Summario* S. C. Indulg. 18 Septembr. 1862, X, 1) ».

(1) En tenor horum decretorum 1. « BURGENSIS. Cum ad Sacram hanc Congregationem delatum fuisset Moniales Sancti Ildephonsi civitatis Burgensis, Ordinis Canonicorum Regularium, processionem

Romae 1656, declaratione 4ª pro provincia Franciae), nisi tamen sit specialis S. Sedis dispensatio vel particulare pro toto Monasterio privilegium ab Apostolica potestate concessum „.

Haec tamen DECRETA *S. C. EE. et RR.*, quae citantur, haud videntur continere prohibitionem erigendi Confraternitates pro solis monialibus.

Et sane quoad *Tirasonen.*, eo ipso quod praescribitur, ut Confraternitas transferatur, facile patet hic agi de Confraternitate erecta praesertim pro extraneis, et non pro solis monialibus, quoad vero duo Decreta EE. et RR. pro SS. Rosario, haec prohibent tantummodo ne processiones quae fiunt a regularibus S. Dominici ducantur in Ecclesiis Monialium eiusdem Ordinis, quin imo Decretum 26 Augusti 1606 supponit erigi posse Confraternitatem SS. Rosarii pro solis Monialibus; legitur enim in hoc Decreto: " Illasque (Moniales) dumtaxat quae intra eiusdem Monasterii septa commorantur, processionem huiusmodi ducere posse „.

Potius quoad erectionem Confraternitatum pro Monialibus, TACHY (l. c. n. 59 in nota) refert sequens *monitum* inter *Monita ad Directores Confraternitatum aggregatarum Archisodalitati in Ecclesia S. Mariae in Monterone Congregationis SS. Redemptoris in Urbe constitutae sub titulo B. M. V. in Coelum Asssumptae ad iuvandas animas purgatorii igne detentas:* " Piae Uniones seu Confraternitates erigi et aggregari nostrae Primariae possunt de consensu Ordinarii pro omnibus fidelibus in quibuscumque Ecclesiis vel oratoriis publicis; in Ecclesiis vero, vel oratoriis religiosarum, pariter de consensu Ordinarii, *pro ipsis Monialibus,* suis novitiis, mulieribus apud eam commorantibus, suis alumnis aliisque puellis sub illarum directione et educatione, quae postea semper adscriptae remanent. Addit autem idem TACHY: " Ces statuts ont été insérés dans les *Rescripta* et ils ont reçu ainsi une consécration quasi-officielle „. Et revera haec *Monita* referuntur in Opere, cui titulus *Rescripta authentica Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae nec non Summaria Indulgentiarum quae collegit et cum originalibus in Archivio Sacrae Congregationis Indulgentiarum asservatis contulit Iosephus Schneider Societatis Iesu Sacerdos, Sacrae Congregationis Indulgent. et SS. Reliquiarum Consultor.* Ratisbonae, Pustet, 1885, pag. 543, in nota, quod Opus licet magni faciendum ob documentorum genuinitatem, dici tamen nequit Opus *officiale,* sicut sunt *Decreta Authentica* et *Raccolta* di Orazioni e Pie opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenze: (cfr. MELATA, *Manuale de Indulgentiis*, Romae, 1892, pag. IX).

Quid nunc concludendum quoad hanc *alteram* hypothesim?

Quamvis nullum afferatur Decretum quod prohibeat ne Moniales adscribantur Confraternitatibus, neque erigantur in sacellis Monialium pro solis Monialibus et una cum ipsis commorantibus, non ideo tamen sequitur eo ipso facile admitti debere huiusmodi adscriptiones et erectiones.

Quinimo tamquam norma generalis haberi debet quod scribunt ephemerides *Monitore ecclesiastico* (v. s.): " Nel generale ciò non è d'approvare „, quae quidem norma innititur iis quae S. C. EE. et RR. scribi mandavit al *Vescovo di Albenga:* " Questi E.mi mi hanno comandato di scriverle che quantunque la *S. C. non approvi* che le Monache si facciano ascrivere alla Confraternita... „ (v. s.).

Et sane ex his adscriptionibus et erectionibus facile oriri possunt gravia inconvenientia contra regularem observantiam, ac potissimum abusus contra legem clausurae.

Quod si nullum ex his inconvenientibus et abusibus timeatur, nihil prohibet quod huiusmodi adscriptiones et etiam, de consensu tamen Ordinarii, erectiones permittantur.

Relate ad *tertiam* hypothesim, ex dictis facile patet responsio. Quin imo quoad hanc hypothesim, contraria potius tenenda est norma, ut sc. foveantur adscriptiones et etiam erectiones piarum associationum, dummodo non obstet Regularis observantia Monasterii; expedit enim ut educandae assuescant iis operibus quae inserviunt ad pie vivendum in mundo, atqui adscriptio piis associationibus quam maxime iuvat ad fovendam pietatem et charitatem.

Restat dicendum quid veniat sub vocabulis *in monialium Monasteriis.* Nomine *monialium* veniunt sensu proprio tantummodo feminae quae vota solemnia emittunt in aliquo approbato ordine; et *Monasteria* seu conventus dicuntur loca quae ipsae habitant et generatim ubi habitant Regulares. (NORMAE *secundum quas S. Cong. EE. et RR. procedere solet in approbandis novis Institutis, votorum simplicium, sect. 1, § 11, n. 32*).

Cum ergo in Decretis S. Cong. EE. et RR. sermo sit de *monialium Monasteriis,* huiusmodi Decreta per se respiciunt tantummodo moniales stricte sumptas eorumque Monasteria. Facile autem in-

Sanctissimi Rosarii a particularibus personis, necnon a quampluribus Regularibus et Saecularibus Clericis eiusdem civitatis, circa earumdem monasterium faciendam, itemque Festi solemnis in earum ecclesia exteriori celebrationem introduxisse, id sibi a Generali Ordinis Sancti Dominici indultum fuisse praetextantes, Illustrissimi eiusdem Sacrae Congregationis Patres Burgensi Archiepiscopo litteras dari mandarunt, ut praedictis Monialibus introductam ab eis processionem circa ipsarum monasterium prohibeat, illasque dumtaxat quae intra eiusdem monasterii septa commorantur processionem huiusmodi instituere posse, et eo modo concessione a Generali Sancti Dominici facta gaudere decernat ». Die 26 Augusti 1616. - 2. « PISAURENSIS. — Cum Sacrae Congregationi innotuisset nonnullos Ordinis Sancti Dominici Regulares occasione processionum per eosdem diebus Dominicis et post vesperas celebrari solitarum, processionaliter in Monialium eorum regimini subiectarum ecclesiis ingredi consuevisse, Illustrissimi eiusdem Sacrae Congregationis Patres Episcopo Pisaurensi litteras dari mandarunt, ut praedictum abusum omnino tollat, provideatque ut praenominati Regulares quovis praetextu processionum per ipsos fieri solitarum in dictis Monialium ecclesiis in posterum nullatenus ingrediantur. Die 24 novembris 1617 ». (ACTA S. SEDIS... *pro Societate SS. Rosarii...* Vol. 2, p. III, pag. 632).

telligitur quod per Monasteria intelligi debent etiam Cappellae et Ecclesiae publicae sc. extra clausuram sitae, eo vel magis quod in Cappellis internis, ratione clausurae qua moniales tenentur, neque concipi potest regularis erectio confraternitatum laicorum.

Nunc aliquid dicendum de *Institutis votorum simplicium?* An prohibitiones factae pro monialibus votorum solemnium eorumque Monasteriis valeant etiam pro sororibus votorum simplicium, eorumque domibus?

Apud Auctores nullum citatur *Decretum S. Cong. EE. et RR.* relate ad hunc casum et tantummodo apud ANALECTA IURIS PONTIFICII, *tom. VII, pag. 637*, inter *Animadversiones in Constitutionibus Sororum B. M. V. expeditas 10 Martii 1863* sub num. 17, habetur sequens animadversio: " Res plena periculis est ut sorores recipiant in suis ecclesiis pias confraternitates ".

Et sane, si agatur de *laicorum confraternitatibus* stricte sumptis, non solum incommoda de quibus Decreta S. C. EE. et RR. sed etiam gravia inconvenientia timenda sunt ab huiusmodi erectionibus, cum sorores votorum simplicium generatim non teneantur lege clausurae papalis.

Quamvis, ergo, nullum adsit Decretum S. Congregationis EE. et RR. quae prohibeat erectionem laicorum confraternitatum in Ecclesiis vel Cappellis Institutorum votorum simplicium, tamen a fortiori huiusmodi Institutis applicanda essent Decreta S. Congregationis EE. et RR. pro *monialibus* lata. Ceterum generatim a Doctoribus legislatio pro monialibus applicatur, etiam, data proportione, sororibus votorum simplicium iuxta notam Regulam Iuris: ubi eadem est ratio, ibi eadem debet esse dispositio legis.

Sic AVANZINI quoad hunc casum (*Acta S. Sedis*, tom. 1, pag. 628 in nota): " in ecclesiis monialium confraternitates laicorum erigi et institui nullimode possunt. FERRARIS, *Bibliotheca Canonica* verbo *confraternitas*, in quo refert plures SS. Cong. resolutiones. Verum licet in casu non ageretur de monialibus proprie dictis tamen eadem prohibitionis ratio vigere videtur ".

Cum tamen hae sorores non teneantur generatim lege papalis clausurae, facilius admitti potest in earundem Ecclesiis et sacellis erectio Confraternitatum pro solis feminis.

Quod si nullum Decretum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium affertur pro erectione laicorum confraternitatum in Ecclesiis vel Cappellis sororum votorum simplicium, adest tamen Decretum S. Congregationis Indulgentiarum quod communiter a DD. citatur in praesenti quaestione, cuius tenor sequens est: " Dubium III:.. In Galliis cum minime existant religiosae a S. Sede approbatae, et aliunde plures adsint communitates quasi-religiosarum, quae scholas dirigunt et congregationes habent puellarum tam externarum quam alumnarum, valde utile esset confraternitates erigere in earum Ecclesiis; quaeritur, an possint erigi? et Sacra Congregatio respondit; non expedire die 29 Februarii 1869 ". (DECRETA AUTHENTICA, *num. 403*) (1).

Verba huius Decreti, universalia sunt et respiciunt quascumque Confraternitates, etiam si favore puellarum quae in huiusmodi domibus educantur, erectas; decretum tamen haud videtur continere strictam prohibitionem, verba enim, *non expedire* respiciunt, potius *opportunitatem* quam praeceptum stricte sumptum.

Quare DD. facile admittunt exceptiones. Sic WERNZ (*Ius Decretalium*, tom. III, n. 708) scribit: " in Ecclesiis vel Oratoriis Monialium (ubi sub nomine Monialium comprehendit etiam moniales votorum simplicium, (cfr. *notam 30*) qualescumque Confraternitates laicorum non sunt erigendae; nisi indulto generali vel speciali Sedis Apostolicae id fuerit permissum, *aut agatur de Congregationibus puellarum, sub generali prohibitione non comprehensis* ".

Sic etiam in ACTA ET DECRETA CONCILII PLENARII AMERICAE LATINAE IN URBE CELEBRATI *anno 1899*, tit. IX, cap. IV, *de Piis Sodalitiis*, statuitur: " Ad tollenda quam plurima quae exinde oriri possunt incommoda, neque in Monasteriis Monialium, neque in communitatibus piarum feminarum quae scholas dirigunt erigi possunt Confraternitates laicorum (S. C. Indul., 29 Feb. 1864, n. 403). *Haec tamen prohibitio non comprehendit puellas quae sub Monialium aut religiosarum tutela precibus et christianis operibus, magna cum laude incumbunt, uti sunt prae caeteris Filiae Mariae* ".

Quin imo in domo Sororum, quae ab Adora-

(1) Hoc Decretum aliquantisper mutatum in precibus refertur ab ACTA S. SEDIS (*vol. 1, pag. 628*) scilicet: « Cum in Gallia habeantur plures Communitates piarum mulierum, quae scholas habent, et puellarum aggregationes tenent etiam convictricum; perquam utilis existimaretur erectio confraternitatum in earumdem religiosarum mulierum ecclesiis; quaeritur an erigi possint », cui dubio responsum fuit: « non expedire ».

Revera preces genuinae sunt eae, quae leguntur in Decreto S. I. C. prouti refertur a collectione DECRETA AUTHENTICA.

Causa mutationis in ACTA S. SEDIS fuit forsan quod in precibus nonnullae expressiones minus exactae videntur. Et sane in Gallia licet ex declaratione S. Sedis, vota quae a monialibus emittuntur non sint solemnia, tamen hae moniales pertinent ad Ordines ab Ecclesia approbatos. Praeterea: « excipiendae sunt moniales congregationum Sabaudiae et Comitatus Niciensis, in quibus vota emittebantur solemnia ante harum regionum aggregationem imperio Galliae. Iussu enim Summi Sontificis, Sacra Congregatio EE. et RR. die 31 Iulii 1861 rescripsit, quoad praefata monasteria nihil innovatum esse et sanctimoniales iisdem omnibus obligationibus et ecclesiasticis legibus subiectas esse quibus antea tenebantur » (PIAT, *Praelectiones Iuris Regularis... Tornaci, 1888, p. I, cap. I, qr. 9*).

Sacra tamen Congregatio non censuit mutare preces, cum facile intelligatur quid intendat orator, et praeterea Religiosae in sensu strictiori, praesertim tempore quo latum est Decretum, dicebantur solum religiosae quae emittunt vota solemnia, modo enim post Const. Leonis XIII, *Conditae*, sexto idus Decembris 1900, et publicationem Operis cui titulus NORMAE *secundum quas S. Congr. EE. et RR. procedere solet in approbandis novis Institutis votorum simplicium*, sub hoc nomine veniunt etiam sorores votorum simplicium (BASTIEN, O. S. B., *Directoire Canonique à l'usage des Congrégations à vœux simples... 1904, liv. I, chap. I, num. 2*).

tione perpetua SS. Sacramenti et ad pauperiores Ecclesias sacra suppellectili instruendas nomen habet, erecta est *Archisodalitas Societatis adorationis perpetuae et ad pauperiores Ecclesias sacra suppellectili instruendas* (Rescripta authentica S. C. Indulgentiis... praepositae, Romae 1885, pag. 236, sub. num. 410), cui Societati adscribi possunt personae utriusque sexus, uti legitur in eiusdem statutis (Beringer, *Les Indulgences*, troisième édition, tom. 2, pag. 135).

Cum Congregationes Tertiariorum Saecularium similitudinem aliquam habeant cum Confraternitatibus, quaeri nunc potest, an quod dictum est de Confraternitatibus valeat etiam de Congregationibus Tertiariorum.

" Tertius Ordo Saecularis S. P. Francisci (idem dicatur de aliis tertiis ordinibus), scribit Mocchegiani Ord. Minorum (*Collectio Indulgentiarum Theologice, Canonice et historice digesta ...... 1897, Pars III, Cap. III, art. IV, num. 1529*) est verus et proprius Ordo. Habet enim ea omnia quae verum Ordinem constituunt nempe Regulam a S. Sede approbatan, Novitiatum, Professionem et Habitum, prout caeteri Ordines Regulares. Unde Summus Pontifex Benedictus XIII ut detractorum calumniis adversus hunc Ordinem occurrerit sequentia docet et declarat: Antecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, qui hunc vivendi modum et formam approbarunt vel confirmarunt, aut etiam summis laudibus extulerunt, Nos eumdem sanctum, meritorium et christianae perfectioni conformem, nec non verum et proprium Ordinem .... a quacumque Confraternitate ex comprehensis in Bulla recol. mem. Clementis PP. VIII omnimode distinctum, utpote qui sub propria regula, ab hac Romana Sede approbata cum novitiatu, professione et habitu sub certis modo et forma, prout caeteri Ordines tum Regulares, tum Militares, et alii huiusmodi consueverunt dispositus reperitur, fuisse semper et esse decernimus et declaramus (Const. *Paterna Sedis Apostolicae,* 10 decembris 1725) ".

Cum tamen etiam Confraternitates habere possunt statuta ab Apostolica Sede confirmata, novitiatum, habitum, forsan ratio praecipua differentiae inter Confraternitates et Tertios Ordines desumenda est ex fine quem sibi proponit Tertius Ordo, nimirum perfectionem christianam membrorum, quem eumdem finem sibi proponunt Ordines Regulares cum hoc tamen discrimine, quod in his perfectio obtinenda est per professionem trium votorum substantialium religionis, dum in tertiis Ordinibus praecipue per exactam observantiam praeceptorum evangelicorum et per sequelam consiliorum iuxta proprium statum: finis vero Confraternitatum saltem proximus ac directus est servitium divini cultus et exercitium operum charitatis (Melata, *Manuale de Indulgentiis, p. II, sect. II, cap. I, art. II*).

Sic exposita natura tertiorum Ordinum, quaeritur nunc an erigi possint in monialium monasteriis, vel etiam in Ecclesiis et oratoriis sororum votorum simplicium Congregationes tertiorum Ordinum.

Uti patet hic sermo esse nequit de erectione tertii Ordinis favore ipsarum Monialium vel sororum votorum simplicium. Ex Decreto enim S. Indulgentiarum Congregationis 16 Iulii 1887: " Omnes utriusque sexus qui sunt membra alicuius religiosi Instituti vel Congregationis, aut a Summo Pontifice aut ab Episcopo approbatae, in qua vota emittuntur sive perpetua, sive ad tempus, non possunt adscribi in Tertium Ordinem S. Francisci Assisiensis ". Quod Decretum etsi latum sit pro Tertio Ordine S. Francisci, tamen ob rationis paritatem extenditur etiam ad omnes alios Tertios Ordines.

Quoad vero extraneos, idem dicendum quod de Confraternitatibus, scilicet pro puellis educandis erigi possunt Congregationes Tertii Ordinis tam in monialium Monasteriis quam in domibus sororum votorum simplicium, pro aliis extraneis haud videtur erigi posse in Ecclesiis monialium quae papali clausurae obstrictae sunt, non item in Ecclesiis vel oratoriis sororum votorum simplicium, dummodo agatur de solis feminis.

Benedictus Melata.

ROMANAE INSTITUTIONES

Casus Conscientiae propositi et soluti Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli, A. 1905-906.

II.

De usu activo Sacramentorum et de usu divinorum officiorum excommunicatis interdicto.

Die 11 Decembris 1905, hora 15 (3 pom.)

Dum Ecclesiae Collegiatae Capitulum horam praestolatur ingrediendi chorum, ut missae solemni adsistentiam praestet, pro qua pinguis distributio assignatur, inter praesentes lucranda, nescio qua de causa, inter Titium poenitentiarium et alium canonicum gravis contentio orta est. Licet caeteri sodales eam compescere satagerent, ambo nihilominus ita animis exarsere, ut primus in alterum violentas manus iniecerit. Canonici omnes tantum facinus detestati, ad maius vitandum scandalum inter se convenerunt de arctissimo silentio circa rem servando. Stata hora omnes chorum ingrediuntur, eodemque tempore poenitentiarius ad excipiendas confessiones requisitus ad poenitentiae tribunal accedit, et unum vel alterum absolvit. Quo peracto, et ipse chorum ingreditur, missaeque celebrationi una cum aliis adsistit.

Cum deinde omnes in aulam capitularem rediissent, capituli camerarius abstinere non potuit, quin se indignatum in Titium ostenderet, tum quia missae solemnis celebrationi adfuerit, tum et praesertim quia confessiones exceperit, deficiente in eo post contractam excommunicationem iurisdictione. Ratus insuper distributionem dari propter missae rite praestitam adsistentiam, quae tamen Titio erat inter-

dicta, eidem distributionem denegavit. Nova hinc lis inter canonicos. Ad has controversias definiendas canonicus theologus consultus secum quaerit:

1° *An et qua diversa ratione excommunicatus sive vitandus, sive toleratus privetur usu activo sacramentorum?*

2° *An et qua diversa ratione uterque privetur usu divinorum officiorum?*

3° *An Titius valide et licite absolverit, an potuerit missae celebrationi interesse, et an ei ius sit distributionem inter praesentes suam facere?*

Resp. ad Ium. Inter varios effectus excommunicationis recensetur privatio iuris sacramenta administrandi, seu *privatio usus activi eorumdem sacramentorum.* Magnum tamen intercedit hac in re discrimen inter excommunicatum vitandum et toleratum.

1) *Vitandus* regulariter illicite confert sacramenta et Missam celebrat, etiamsi a fidelibus sit requisitus; valide tamen eadem administrat, excepto sacramento poenitentiae, cum iurisdictio ei subtrahatur. Imo huiusmodi in casu irregularitatem ob violatam censuram incurrit; fideles autem sacramenta ab eo recipiendo graviter peccant, et iure antiquo minorem excommunicationem incurrebant.

Excipe tamen *a)* casum extremae necessitatis, ut si quis fidelis in articulo mortis versetur, et nullus alius adsit sacerdos, qui sacramenta administret, quo in casu Ecclesia in utilitatem fidelium iurisdictionem supplet, quam iurisdictionem Ecclesia supplere quoque dicitur si contingat vitandum haberi ex errore communi non excommunicatum.

Excipe *b)* casum gravis incommodi, ut si vitandus, sacramenta non conferens, periculum mortis, mutilationis, infamiae, gravis iacturae bonorum etc. incurreret. Tunc enim, nisi in contemptum censurae haec comminatio fiat, potest sacramenta ministrare licite, quae potest valide; quia scilicet non praesumitur Ecclesia, pia mater, velle suis legibus cum tanto incommodo obligare.

Si nunc quaeratur, quae sacramenta, causa necessitatis, vitandus administrare possit, censent Doctores, illum non modo posse baptismum periclitanti conferre, sed etiam Eucharistiam vel Extremam Unctionem, quando moribundus sacramentum Poenitentiae non potest suscipere; quia cum sacramentum quodlibet ex attrito possit facere contritum, continget aliquando, ob receptionem Eucharistiae vel Extremae Unctionis obtineri salutem, quae non obtineretur, hisce sacramentis non receptis. Ita *Schmalzgr. lib. 5, tit. 39, n. 145; S. Alphons., lib. VII, n. 170.* Imo addunt graves DD. Eucharistiam vel Extremam Unctionem a vitando dari licite posse aegroto, etiamsi sacramentum Poenitentiae hic susceperit; ratio quia maxime necessarium est, ut adiuvetur aegrotus, viresque inde recipiat ad suggestiones daemonis in eo articulo superandas. *Schmalzgr., l. c., n. 146.*

2) Si nunc sermo sit de *tolerato*, iste graviter peccat, si sponte se ingerat sacramentis administrandis, et ob S. Ordinis exercitium irregularitatem incurrit, quamvis valide etiam Poenitentiam conferat, siquidem iurisdictione non privatur, cum hoc ad utilitatem fidelium expediat. Quod si a fidelibus rogatus sacramenta administrat, nullatenus peccat, dummodo alioquin ille sit in statu gratiae, et absolutionem a censuris prius obtinere non possit. Ut autem fideles id licite possint, licet quidam requirant magnae saltem utilitatis causam, alii tamen ne hoc quidem necessarium putant, quorum sententiam etiam S. Alphonsus, *lib. VII, n. 165,* ut probabilem putat. Etenim, si tantum ratio habeatur oeconomiae inductae a Martino V, patet, fideles sacramenta a toleratis petere posse, nulla quoque necessitate aut utilitate cogente; nulla enim restrictio huic permissioni factae fidelibus apposita est a lege. Quod potest toleratus, si rogetur, potest etiam, si merito praesumitur, fideles illum esse rogaturos, ut si dies festus occurrat, nec alius sit sacerdos qui Missam celebret. *S. Alphon., loc. cit., n. 169.*

Resp. ad IIum. Excommunicatio privat etiam *usu divinorum officiorum.* Officia divina autem ea intelligenda sunt, quae a clericis tamquam Ecclesiae ministris sive ex divina, sive ex ecclesiastica institutione peraguntur; qualia sunt celebratio Missae, recitatio divini officii in choro, publicae orationes et processiones, Vesperae solemniter decantatae, defunctorum exequiae, consecratio chrismatis, benedictio olei, candelarum, palmarum, cantus epistolae et evangelii in Missa solemni etc.; minime vero, quae privata devotione a fidelibus fiunt.

Iamvero, per se loquendo, eadem ex iure canonico est lex pro vitandis et toleratis; adeo ut quilibet excommunicatus non tantum careat fructu divinorum officiorum, sed etiam sub mortali ea nequeat celebrare, iisque interesse parte notabili, ita ut moraliter censeatur *cum aliis communicare;* nisi excuset ignorantia, vel necessitas vitandi scandali, aut alterius gravis incommodi.

Et haec quidem valent, si agatur de divinis officiis proprie dictis, non vero si sermo sit de iis quae privatim fieri solent. Non prohibetur scil. excommunicatus horas canonicas privatim recitare, ac proinde ab earum obligatione non solvitur, sicut nec prohibetur interesse concioni et publicae lectioni sive Theologiae, sive Canonum. Item non interdicitur excommunicatus ab usu sacrarum imaginum et reliquiarum, item aquae benedictae, aliorumque sacramentalium, quae sita sunt in rebus sacratis aut benedictis: neque in eorum usu privatur merito, quod est ex opere operantis, sed eo fructu privatur, qui promanat ex benedictione Ecclesiae et est velut ex opere operato. Neque excommunicatus prohibetur ecclesiam ingredi eo tempore, quo functiones sacrae non celebrantur, ac ibi privatim orare, etsi ibidem sint alii fideles; dummodo enim aliorum orationi non se immisceat, privatim orare dicitur. Nec, cum celebrantur divina officia, prohibetur ecclesiam ingredi ex gravi causa, puta ut inimicum evitet, vel se subtrahat a satellitibus eum quaerentibus, aut noxiam saluti inclementiam aëris effugiat etc., qua in hypothesi, etsi privatim oret, non censebitur divinis officiis communicare. Neque in privata oratione prohibetur, aliqua existente necessitate vel utilitate, socium adhibere, puta in recitatione rosarii, vel divini officii; praesertim si ille sit ei subditus, ut Episcopo cappellanus, servus hero; nam servus non privatur communione domini sui, in quibus inservire ipsi tenebatur.

Licet autem vi legis per se spectatae prohibitio divinorum officiorum aequali modo afficiat toleratos et vitandos, tamen est probabilis sententia, quam plures recentiores tuentur e. g. *D'Annibale, Vol. I, num. 362, nota 19: Ballerini Palmieri, n. 397; Lehmk., Vol. II, num. 891;* ex hodierna consuetudine, assistentiam divinis officiis non esse tam rigorose prohibitam toleratis. Sic Ecclesia heterodoxos potius allicit ad officia sua frequentanda, quam eos ab iisdem removet, cum hac frequentatione crebro ad conversionem adducantur; neque ullus episcopus increpat catholicos excommunicatos e. g. franco-muratores, qui sacro interesse solent. Audiatur prae aliis *D'Annibale, loc. cit.* « Toleratus vero (timidus dico et forte omnium primus) aut nullatenus, aut leviter peccat, si intersit divinis officiis, licet usque ad finem intersit. Etenim cum vix reperies confessarium, qui hodie excommunicatum his prohibeat, vel excommunicatum, qui sibi his abstinendum ducat, rigor iuris hac in re obsolevisse videtur ».

Attamen non est permittendum heterodoxis, ut partem in

ipsis sacris caeremoniis sumant, cum, saltem exteriori professione haeresis, ab Ecclesia separati vivant ac proinde tractari nequeant tamquam fideles huius Matris filii. Ita S. Inquisitio (20 Novemb. 1850 et 8 Iun. 1859) declaravit, non licere heterodoxos in funeribus admittere ad participandum precibus, vel eis distribuere candelas benedictas, cineres, palmas etc., neque permitti posse, ut parentum schismaticorum pueri officium ministri in sacris caeremoniis exerceant.

Prohibitio igitur divinorum officiorum prius explicata certe servanda est ab excommunicato vitando; et quidem sub gravi ex genere suo; ex parvitate tamen vel levitate materiae potest esse venialis ut ex. gr. si exiguam Missae partem, puta usque ad Evangelium, vitandus audiat cum fidelibus. Ita vicissim fideles peccant communicantes in divinis officiis cum vitando, eodemque pacto vel a gravi vel ab omni etiam peccato excusari possunt.

Si vitandus, tempore divinorum officiorum superveniat, monendus est ut recedat et, si nolit, vi extrudendus est, quatenus id sine maiore incommodo fieri potest. Si expelli nequit, fideles tenentur, saltem sub levi, ad recedendum; celebrans vero, nondum inchoato canone, debet abrumpere Missam; si canonem inchoavit, potest sacrum vel prosequi vel abrumpere, ob sententiae utriusque probabilitatem. Si iam consecravit, debet, solo ministro manente, pergere usque ad communionem inclusive et reliqua perficere in sacristia vel alio decenti loco.

Resp. ad III^{um}. Supponimus Titium canonicum poenitentiarium, licet ira motus egerit, violentas tamen manus iniecisse in alium canonicum per actum perfecte humanum, adeoque graviter peccasse et excommunicationem canonis incurrisse. Et quoniam tum circa usum activum sacramentorum, tum circa divinorum officiorum usum dispar est conditio vitandi et tolerati, oportet in antecessum definire, utrum Titius habendus sit tamquam notorius clericorum percussor et proinde, hodierna disciplina vitandus, vel tantum ut toleratus.

Titius, ut patet, habendus est ut excommunicatus toleratus. Recolantur, quae fusius disputata sunt in praecedentis casus resolutione. Sane, ut percussio inducens censuram sit notoria, requiritur tam notorietas facti, quam iuris. Iam vero notorietas etiam facti videtur in casu deficere. Nam omnes canonici ad maius vitandum scandalum convenerunt de arctissimo silentio circa rem servando. Crimen igitur mansit paucis et prudentibus notum, quod proinde poterat adhuc celari et occultum remanere. Sed quod certe deficit est notorietas iuris.

His praemissis, iam ad singula quaesita canonicus theologus consultus facile poterit respondere.

In primis Titius *valide* absolvit unum vel alterum poenitentem (qui caeteroquin bene dispositus supponitur) ad poenitentiae tribunal accedentem. Agebatur enim de tolerato, qui iurisdictione acquisita non privatur. Imo etiam *licite* absolvit. Non enim excommunicatio, qua Titius erat irretitus, eidem impediebat iurisdictionis exercitium: siquidem ille ad confessiones excipiendas fuerat a fidelibus requisitus; non ergo sponte se ingesserat ad sacramenta ministranda, sed ut morem aliis gereret. Dispiciendum dumtaxat est, utrum ipse antequam absolveret sibi procuraverit per contritionem statum gratiae, ne indigne sacramentum ministraret.

Item videtur licite potuisse solemnis Missae celebrationi interesse. Nam, ut paulo ante notavimus, ex hodierna consuetudine, adsistentia divinis officiis non videtur, ut antea, esse toleratis rigorose prohibita.

Tandem si licuit Titio Missae solemni adsistere, et de facto adstitit, fas illi consequenter fuit pinguem distributionem inter praesentes pro Missae adsistentia praecise adsignatam suam facere.

Hinc patet, capituli camerarium per errorem Titium tamquam excommunicatum vitandum iudicasse et inutiliter novae inter canonicos liti occasionem praebuisse.

Petrus Checchi,
Epitomator ex officio.

Casus Liturgici propositi et soluti Romae, in Academia Liturgica.

VI.

De Missa privata Episcopi in solemnibus festis.

Die 31 Ianuarii 1906, hora 3 $^3/_4$ a meridie.

Alicubi Titius magister caeremoniarum, quem Episcopus pro se elegit, quoties Missam privatam Episcopus, sive in Cathedrali, sive in aliis suae iurisdictionis Ecclesiis, aliquo occurrente festo peculiari, celebrat, ex eiusdem Episcopi voluntate haec servare adigitur. Duos eligit Seminarii alumnos ut Missae inserviant, et Episcopo celebranti respondeant. Duos alios simplices clericos ut cappellanorum officium impleant, qui Celebrantem semper comitantur, unus a dextris, alter a sinistris, folia vertunt, calicem abstergunt, tegunt, detegunt etc. Alium pariter qui caudam, quam Episcopus explicat, suo tempore sustentet, et alium qui Mitram deferat; ea enim uti solet Episcopus, seu ad *Lavabo* post Offertorium, seu ad Benedictionem in fine Missae. Denique ipse Titius Caeremoniarum magistri munere fungi debet, sive pro clericis dirigendis, sive pro ipsomet Episcopo adiuvando. Quaeritur:

1. *In quibus Missa privata Episcopi a privata Sacerdotis differre potest, in quibus differre non potest, iuxta liturgicas leges?*

2. *Quid de tot clericorum servitio, ac de ipsomet magistro caeremoniarum in eadem Missa privata Episcopi?*

3. *Quid iudicandum peculiariter de clericis cappellanis quod calicis attinet purificationem, de eoque cooperiendo et detegendo, ac de mitrifero?*

4. *Quomodo Episcopo Missam privatam celebrare liceat, maxime quadam attenta loci solemnitate?*

Ad I^{um}. Caeremoniale Episcoporum (lib. I, cap. XXIX) satis abunde tradit quid sit servandum Episcopo private (i. e. non solemniter) sacrum facienti. Nonnulla quidem, prout eruitur ex dicto Caeremoniali, ex convenientia sunt servanda, hinc stricte non praecipiuntur, verum inconveniens haberem, attenta universali consuetudine, ab eis recedere, nisi Episcopus private stricto sensu celebraret, et nullis indutus vestibus praelatitiis.

Itaque cum Episcopus Missam privatam celebrare contigerit, duo Capellani cottis mundis induti, paramenta, calicem, missale, Canonem, palmatoriam, urceum cum pelvi ex argento, aliove argentato metallo, lancem cum manutergio, omniaque necessaria ad rubricarum tramitem, diligentissime suis locis parabunt. Hora statuta, ac omnibus, uti dictum est, paratis, Episcopus ad altare accedit praelatitia veste indutus, ante altare in quo celebrare debet, sive in genu-

flexorio (1), sive ante Faldistorium praeparationem facit. Qua peracta, mantellettum exuit, et ante altare manus lavat, ministrantibus familiari aquam, mantile vero Capellano. Induit deinde paramenta, quae in Rubricis Missalis (parte I, tit. I) exprimuntur, retentis cruce pectorali et annulo. Manipulum tamen induit post Confessionem, praeterquam in Missis pro Defunctis, prolatis verbis *Indulgentiam*, etc. Crux pectoralis, secum fert stolae non decussatae delationem. Tempore Missae candelae quatuor et etiam sex ad solemnitatem accendi possunt, et super Altare secretarum tabellae minime esse debent.

« Duo Capellani servient ei in Missa, in respondendo, in transferendo librum ab uno latere altaris ad aliud, cooperiendo, et discooperiendo calicem cum opus fuerit, in porrigendo mantili cum lavat manus (ad *Lavabo* et post Communionem), in ministrando ampullas, et in caeteris omnibus faciendis usque ad finem Missae necessariis » (*Caerem. Ep.*, loc. cit., n. 5). Pileolum retinere potest, praeterquam a Praefatione ad Communionem. Post hymnum *Gloria in excelsis*, loco *Dominus vobiscum*, dicere debet *Pax vobis;* et in Canone pro verbis *Et Antistite nostro N.* profert, etiam in Urbe, *Et me indigno servo tuo.*

« Si erunt tres Capellani (*Episcopo assistentes*), poterunt duo ex his, dum elevatur SS. Sacramentum, post Episcopum celebrantem, genuflexi a lateribus sustinere duos cereos maiores accensos, tertius vero Episcopo assistere..... Si vero non adsint tres Capellani, poterunt ad cereos supplere duo scutiferi, aut alii familiares, arbitrio Episcopi, decenter vestiti; sed et si copia non esset eorum, qui sustinerent dictos cereos, poterunt iidem positi super duobus candelabris magnis accendi, dum elevatur Corpus, et Sanguis Domini, et post Communionem extingui ».

« Si forte intersit aliquis Praelatus, Cardinalis, aut Princeps huiusmodi Missae, primus ex dictis Capellanis, postquam Episcopus celebrans dixerit *Agnus Dei*, etc., accepto instrumento Pacis argenteo, cum velo appenso, genuflexus a dextero latere Episcopo offert osculandum, cui Episcopus dicit *Pax tecum*, et ille respondet *Et cum spiritu tuo*, deinde idem instrumentum cum Pace portat osculandum Praelato uni, vel pluribus, aut Principibus praesentibus, dicens unicuique *Pax tecum*, qui respondet *Et cum spiritu tuo* » (Caerem. Ep. cap. cit.).

Liber vero Evangelii quo utitur Episcopus praedictis magnis viris nullo modo deferatur osculandus, Evangelio lecto, sed alius liber consimilis illis porrigatur.

Si sacram Communionem Episcopus distribuere debeat, communicaturis singulis manum, vel annulum osculandum praebeat.

Post Communionem lavat manus uti dictum est, et in fine Missae dabit benedictionem Episcopali ritu.

Missa expleta deponit paramenta, et primo manipulum, et gratiarum actiones peragit, ritu quo praeparationem egit.

In huiusmodi Missis inhibetur usus pastoralis baculi ac Mitrae, nec non Crucis hastatae ad benedictionem si celebrans Archiepiscopus fuerit.

« Caetera omnia » concludit Caeremoniale, « Episcopus celebrans servat, prout alii Sacerdotes observare consueverunt, nempe iuxta rubricas Missalis ». Ad omnia haec Episcopus tenetur quotiescumque celebrat cum aliqua solemnitate, et indutus, uti innui, praelatitiis vestibus, non vero si privatim stricto sensu sacrum litat.

Et ex dictis, primo quaesito satis factum esse undequaque censeo.

(1) Genuflexorium in casu coopertum esse debet panno viridi aut violaceo, prout tempus requirit; si autem celebret Episcopus extraneus vel Titularis, nudum esse debet, solis pulvinaribus instructum (Cfr. Decr. n. 2011).

Ad II^um et III^um. Ad plenam perfectamque solutionem praebendam inquiri potest:

a) *Capellani de quibus Caeremoniale Episcoporum cap. XXIX, possuntne esse simplices clerici?* Catalanus (Comment. in h. l.), cum Caeremoniale de Capellanorum gradu hierarchico sileat, omnino eos Presbyteros supponit; attamen eorum defectum a clericis simplicibus suppleri posse sentit, iuxta Paridis de Grassis sententiam (lib. II, cap. XX). Verum ego libentius probarem, si in sacris constituti essent, etenim eorum munera, (calicem abstergere, eumque infra actionem tangere, cooperire, discooperire, etc.) cum ex parte subdiacono conveniant, per simplices clericos expleri minime possunt, prout expresse declaravit, ac districte servari mandavit S. R. C. Decreto ad rem edito die 14 Martii 1906 (Cfr. *Anal. Eccl, in hoc volumine*, p. 166); ex quo necessario consequitur ut saltem unus ex praedictis Capellanis debeat esse constitutus in sacris, secus munera a Caeremoniali praescripta expleri unquam poterunt. Praedictum sane Decretum Clericis (in minoribus Ordinibus constitutis, vel saltem tonsuratis) Capellanorum in Missa privata Episcopi vices gerentibus, prohibet 1°, Calicem ante Offertorium abstergere; 2°, Vinum et aquam in eo infundere; 3°, Patenam cum hostia, et Calicem Celebranti tradere; 4°, Calicem infra actionem tangere, ab eoque pallam removere, et super eum reponere; 5, Post ablutionem Calicem abstergere.

b) *Locum-ne habere potest Caeremoniarum magister?* Resp. Affirmative, nulla enim lex extat praesentiam Caeremoniarum magistri in casu prohibens. Imo dicendum, quod, attenta solemnitate, quamvis non magna, qua Episcopus Missam celebrat, valde opportunum erit haberi in casu Caeremoniarum magister, qui actionem sacram moderetur, et curet ut singuli inservientes, officium suum congrue adimpleant: quod valet praesertim in Missis lectis ab Episcopo in sacris visitationibus.

c) *Inservientes minores admitti-ne possunt in casu?* Resp. *Affirmative*, videlicet, adhiberi valent alii duo sive veri clerici, sive laici veste et cotta induti, qui Episcopo in Missa respondeant, aliaque munia minoris momenti (v. g. Missale transferre, ampullas parare, intortitia sustinere, etc.) expleant;

d) *Quid in casu de caudatario ac mitrifero?* Resp. Primus adhiberi potest, non vero alter. Explicatio enim caudae in Missa privata Episcopi cum quadam solemnitate celebrata admittitur a politioribus Sacrae liturgiae cultoribus, eo magis quod Caeremoniale dictam caudae explicationem minime prohibeat. Non item dicendum de Mitra; hac enim Episcopus in Missa privata uti nullo modo potest, prout adhiberi non valet Pastorale baculum, nam ex Caeremoniali (I, XVII, 8) « Mitra et Baculus in Episcopis sunt correlativa » et eorum usus, ut ad I^um vidimus, expresse a Caeremoniali (lib. I, cap. XXIX, n. 11) interdicitur. Confer etiam S. R. C. decretum novissimum d. d. 20 Iunii 1899 ad 3, n. 4055.

Ad IV^um, Quomodo, videlicet, *Episcopo Missam privatam celebrare liceat, maxime quadam attenta loci solemnitate*, per hucusque dicta, ni fallor, satis responsum patet.

P. Elias M. Coccia, Ord. Carm.
S. R. C. Consultor,
Censor Pontif. Academiae Liturgicae.

BIBLIOGRAPHIA

Ecclesiae Maioricensis generalis recensio, secundo prodiit die 15 Ian. 1906. Palmae.

Libenter tradimus *epilogum* huius accuratissimae recensionis, quam nuper ad nos Curia Episcopalis transmisit. *Ecclesia Cathedralis Maioricensis*, a primaevis temporibus existens, Calaritanae consors, saeculo V persecutionis causa commemorata, postquam anno 1230 restituta est, habuit iam Episcopos quinquaginta duos, primum ab Apostolica Sede immediate dependens, ab anno 1492 Valentinae Ecclesiae suffraganea. — Temporum progressu uniones et dismembrationes experta, nunc de facto solum Maioricam cum propinquioribus insulis Capraria et Colubraria complectitur, quamvis ipsi dioecesis et insula Ebusensis de iure unita sit per Apostolicas litteras « Ad Vicariam ».

Palmae Sedem habet Episcopus cum Capitulo, ac erectum existit Seminarium Conciliare ab anno 1700. Distribuitur Dioecesis in octo Archipresbyteratus, in quibus sunt paroeciae triginta novem cum quadraginta quinque filialibus; presbyteri numerantur septingenti decem et sex, quorum triginta septem in S. Theologia, quindecim in iure canonico, tres in philosophia scholastica sunt graduati, atque fideles, tot fere quot incolae, pertingunt circiter ad ducenta sexaginta duo millia. — Adlaborant Familiae religiosae virorum duodecim ac mulierum viginti quinque, in domibus centum quadraginta novem per diversa loca existentes. — Praeter amplissimum Cathedrale templum, quod anno 1905 titulo Basilicae Minoris decoratum est, sunt in insula tercentum decem et septem ecclesiae et oratoria.

Octavum iam annum Dioecesim administrat, R.mus Dr. D. Petrus Ioannes Campins Barceló, a cuius pontificatus initio obdormierunt in Domino presbyteri centum viginti duo et in aliam iurisdictionem unus est egressus, novi autem creati centum sexaginta duo: his, Deo vocante, addentur centum quadraginta quinque alumni qui adhuc in sacra ministeria, apud maioricense Seminarium, adolescunt.

Novum Testamentum Graece et Latine. Textum graecum recensuit, latinum ex vulgata versione Clementina adiunxit, breves capitulorum inscriptiones et locos parallelos uberiores addidit *Fridericus Brandscheid*, Gymnasii Hadamariensis olim conrector.

Opus completum, 2 partes. In 12° Pretium: Fr. 6.25; linteo religatum, utraque parte separata, Fr. 8.75; a dorso corio religatum, in unum concinnatum Fr. 8.25.

Pars Prior: *Evangelia* Tertia editio critica recognita. (XXV et 652 p.) Fr. 3.–; linteo religata Fr. 4.25. — Pars Altera: *Apostolicum*. Editio critica altera emendatior. (VI et 804 p.) Fr. 3.25; linteo religata Fr. 4.50. — Sumptibus ac typis B. Herder, typographi editoris pontificii, Friburgi Brisgoviae (Germaniae), prodiit, 1906.

Commendatur huius tertiae editionis praestantia, tam ex parte Auctoris, quam ex parte Editoris. Dum enim elucet elegans Editoris industria circa peropportunam materialem operis molitionem, clarior effulget Auctoris eruditio. In hac enim editione talis continetur egregiarum adnotationum criticarum copia quae, dum eis omnino aptissima est qui sacris incumbunt studiis, congruam insimul affert doctioribus criticae eruditionis copiam. Neminem enim latet quantum adiumentum afferat textus graeci cum versione latina accurata collatio. Hinc clarior sensus, hinc penitior rei narratae comprehensio. Optandum igitur quod utrumque textum, graecum simul ac latinum, et praecipue graecum, prae oculis haberent non solum quotquot S. Scripturae studia fovent, sed etiam illi qui in simplici lectione spiritualem alimoniam delectabiliter quaerunt.

Lexicon scholasticum philosophico-theologicum, in quo termini, definitiones, distinctiones et effata seu axiomaticae propositiones philosophiam ac theologiam spectantes a B. Ioanne Duns Scoto doct. Subtili atque Mariano O. F. M. exponuntur declarantur, opera et studio *R. P. Mariani Fernandez Garcia O. F. M.* in S. Theologia lectoris iubilati prov. S. Iacobi in Hispania. 1906.

Eiusdem Auctoris — *Devocionario* de San Antonio de Padua. Sexta edición corregida y aumentada. 1906.

— *Conspectus* omnium Missionum Ordinis Fratrum Minorum an. 1904-1905.

Praefatum *Lexicon* tribus constat partibus, in quarum:

I. Exhibetur *Grammatica Speculativa* seu philosophica Doctoris subtilis, studentium utilitati apte disposita et opportunis annotationibus illustrata.

II. Ordine alphabetico proponuntur Scholasticorum termini, distinctiones, definitiones et ipsismet Doctoris Subtilis verbis ex universis ipsius operibus desumptis copiosissime explicantur.

III. Scholasticorum *Effata* sive axiomaticae propositiones pariter exponuntur et enucleantur.

Opus non minus quam *1500 paginis in 4.°* absolvetur.

Quod ut facilius ecclesiastici iuvenes iam valeant acquirere, iuxta morem hodie sat receptum, singulis sex mensibus distributiones, ut aiunt, folia 12 seu paginas 192 complectentes proponentur, pretio lib. 2,50 additis pro transmissionibus extra Italiam relativis expensis.

Sciant omnes, quod opere absoluto, pretium assignatum augebitur ita, ut totum opus vendatur lib. 35.

Prima distributio iam absoluta est et in Collegio *ad Claras Aquas* prostat.

A. Vermeersch S. J. prof. de Théologie. — *Pratique et doctrine* de la dévotion au Sacré-Cœur de Jésus, à l'usage du clergé et des fidèles. Tournai 1906.

Utilitati lectorum potius quam logicae tractatus ordinationi consulens, cl. Auctor anteponit ea quae ad praxim pertinent, circa veram et solidam devotionem erga SS. Cor Iesu, utpote quae usui quotidiano valde consona, omnibusque fidelibus perapta.

In hac priori Operis parte, praeter notiones circa Actus Consecrationis, tres recensentur series meditationum, necnon et perplures preces selectae, perpluraque pietatis exercitia.

Pars altera, quae doctrinalis audit, speciatim destinatur Clericis aliisve personis piis, quae pleniores circa hanc devotionem notiones haurire cupiunt. Trifariam dividitur: 1° evolvitur theologica disquisitio circa finem et obiectum huius devotionis; 2° traditur commentarium circa Litanias SS. Cordis Iesu; 3° proponuntur explicationes circa celebres maiores promissiones. Grates sint docto pioque Auctori, qui lectorum eruditioni pietatique tam egregie prospexerit.

C. F.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente*.

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS QUARTUS

FASCICULI NONUS ET DECIMUS - SEPTEMBER ET OCTOBER 1906

SUMMARIUM

Analecta Nova.

Analecta Vetera.

Analecta Varia.

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Ecclesia Cathed. Maioricensis erigitur in Basilicam Minorem.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Templa Dei antiquitate veneranda, ac monumentis conspicua de more Romanorum Pontificum decessorum Nostrorum peculiaribus pro re ac tempore titulis augere libenti quidem animo solemus. Horum in numerum iure adscribi potest Cathedralis Ecclesia Maioricensis iam inde a saeculo quinto celebrata utpote quae ab apostolicis temporibus originem duceret. Saeculo autem decimo tertio, diuturna Maurorum tyrannide exturbata, templum illud a Iacobo I pio Aragonum Rege rursus a fundamentis erectum ac non minus amplitudine quam gothicae artis operibus munifice ditatum fuit. Sequentibus inde temporibus Maioricarum, Aragonum Hispaniarumque Regum votis obsecundantes Romani Pontifices, praedictam Cathedralem Ecclesiam eiusque Capitulum quod viris ingenio pariter ac virtute spectatis omni aetate semper floruit, novis honoribus ac privilegiis exornarunt. Quibus argumentis permoti, cum Venerabilis Frater Petrus Ioannes Campins et Barceló, Antistes Maioricensis et Husensis, ac praeclarus eiusdem Cathedralis Ordo Canonicorum supplices ad Nos preces admoverint ut nobilissimum huiusmodi templum Basilicae Minoris titulo cohonestare velimus,

Nos prae oculis habentes tam vetustae Cathedralis dignitatem, hisce precibus benigne obsecundandum censuimus. Quare omnes et singulos, quibus hae litterae Nostrae favent, a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, de Apostolica Nostra auctoritate praesentium vi Cathedralem Ecclesiam Maioricensem Basilicae Minoris titulo perpetuum in modum augemus, illique omnia et singula conferimus iura, privilegia, honores, praerogativas, indulta, quae minoribus almae huius Urbis Nostrae Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectat et in futurum spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 9 Septembris 1905, Pontificatus Nostri anno tertio.
L. ✠ S.

ALOIS. Card. MACCHI.

II.

Pius X erigit canonice in Patriarchali Seminario Venetiarum Facultatem Iuris Canonici, cum potestate academicos gradus conferendi.

PIUS PP. X.

Summo sane afficimur gaudio quod in Patriarchali Seminario Venetiarum Iuris canonici Schola, cuius Nos ultro primi fundamenta iecimus, eos processus effecit, ut, Deo praesente, omnes omnino numeros continere videatur. Cum igitur ex iis quae ad amplificandam eius dignitatem, auctoritatem, gratiam valerent, nihil amplius desideraretur, illud nimirum reliquum est, ut huic operi, in cuius Nos inceptionem omnem curam studiumque Nostra sponte et voluntate contulimus, extremam manum imponamus, illam videlicet altissimo quo digna est, honoris gradu, quod Nobis iampridem in maximis optatis est, cumulando. Quam ob rem, quo magis in Veneta regione, quam in primis amamus caramque habemus, Iuris canonici Institutum vigeat ac floreat ad adolescentes, praesertim clericos, diffusius interiusque in iis studiis instituendos atque imbuendos, quibus non solum ad sancta Ecclesiae Summique Pontificis iura tuenda et contra obtrectatores propugnanda quam optime utantur, verum etiam perfecte planeque sentiant ac videant quae via ac ratio tenenda in variis gravibusque sacerdotii muneribus sustinendis, ubi primum singulari Dei beneficio ad Summum Pontificatum elati sumus, nihil antiquius habuimus, quam ut ipsam Iuris canonici Disciplinam sive Facultatem privilegio gradus academicos deferendi augeremus. Itaque et aventes Nos quidem summam ac singularem amoris testificationem ipsi Disciplinae, quae quasi filia Nobis sit, praebere, atque ita ut quam maxima amplitudo splendorque eidem accedat, et confisi fore, ut hoc beneficium vehementissimum sit incitamentum cum magistris in tradendo, tum discipulis in discendo, hoc Nostro Motu proprio certaque scientia, audito S. Concilio studiis regulandis, Disciplinam sive Facultatem Iuris canonici apud Patriarchale Seminarium Venetiarum canonice fundamus atque extruimus. Iidemque volumus et decernimus ut posthac eadem Disciplina uti et frui valeat potestate tres academicos gradus, Baccalaureatum, Licentiam ipsamque Doctoris Lauream ad nutum Apostolicae Sedis iis deferendi qui eius curriculum rite peregerint cum omnibus et singulis iuribus ac privilegiis quae insunt in academicis gradibus, qui ab Archigymnasiis sive Studiorum Universitatibus deferuntur. Cum vero Nostra permagni intersit et ad eius salutem incolumitatemque firmandam et ad exoptatissimos fructus capiendos, ut bene constituta sit, auctoritate Nostra Apostolica praescribimus ut hisce legibus sive constitutionibus quam religiosissime servandis ipsa Disciplina communiatur (1). Ita volumus atque iubemus. Contrariis quibuscumque minime obstantibus, licet mentione dignis.

Datum Romae apud S. Petrum XIV Kal. Dec. a. MCMV, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X.

III.

Sodalitas Missae Reparatricis de civitate Argentinensi, in Archisodalitatem erigitur pro Germania.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pias fidelium Societates quae bonorum operum assidua exercitatione florentes optime de re catholica merentur, tum pietatis studia excitantes, tum christianae religionis praecepta asserentes, de Romanorum Pontificum more institutoque peculiaribus titulis privilegiisque decorare satagimus. Has inter minime Nos latet iure ac merito accensendam esse Sodalitatem sub titulo Missae Reparatricis, canonice erectam in Conventu Monialium Societatis Mariae Reparatricis, civitatis Argentinensis, praecipuum ad finem Dei honorem a christianis omissione Missae festivis diebus laesum, per alterius Missae auditionem piandi; cumque ipsius Sodalitatis hodiernus Moderator enixis Nos precibus flagitaverit, ut illam ad Archisodalitatis gradum evehere de Apostolica benignitate velimus, Nos votis hisce annuendum libenti quidem animo existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus Nostrae hae Literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica auctoritate Nostra, praesentium vi, perpetuumque in modum Sodalitatem Missae Reparatricis in Conventu memorato Societatis Mariae Reparatricis civitatis Argentinensis erectam, in Archisodalitatem cum solitis privilegiis instituimus, evehimus. Archisodalitatis autem sic per Nos erectae Officialibus et Sodalibus praesentibus et futuris, ut ipsi alias eiusdem nominis atque instituti Sodalitates in universo Imperio

(1) Sequuntur 27 articuli regimen studiorum et Facultatis respicientes. *N. D.*

Germanico existentes, servatis forma Constitutionis Clementis Papae VIII Praedecessoris Nostri rec. mem. aliisque Apostolicis Ordinationibus desuper editis, sibi aggregare illisque omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ipsi Archisodalitati ab hac S. Sede Apostolica concessas et aliis communicabiles communicare licite possint ac valeant, eadem Nostra auctoritate Apostolica praesentium tenore, atque item perpetuo concedimus et largimur. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios atque integros effectus sortiri et obtinere sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 20 Februarii 1906, Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro D.no Card. MACCHI

L. ✠ S.

NICOLAUS MARINI, *Substitutus.*

IV.

Pius X gratulatione prosequitur et voto Opus Theologiae Moralis a P. I. Aertnys exaratum (1).

DILECTO FILIO IOSEPH AERTNYS SACERDOTI E SODALITATE SS. REDEMPTORIS — WITTEM.

PIUS PP. X.

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem,

Tuos de morali theologia libros quemadmodum iucundo animo, oblatos muneri, accepimus, ita libenti et grata voluntate dilaudamus. Equidem magister disciplinae tam gravis, qui quinquennia esset quinque in tradenda theologia morum emensus, nullum poterat uberiorem sive scientiae sive usus rerum proferre fructum, quam qui editus a te est. In quo non perspicuitas sententiarum placet sola, sed gravitas etiam rerum, optimis suffulta non tam auctorum quam rationum fundamentis; quamquam, si doctorum velimus praestantiam spectare et pondus, eum tibi reperimus delectum habitumque constanter ducem, quem huius studiosus quisque doctrinae inoffenso semper decurrat pede. Quamobrem meritum te praeclare quum de clericis in studia incumbentibus, tum de sacrarum confessionum administris, gratulatione prosequimur et voto; tali nempe voto, ut non modo perficiendae sacerdotum scientiae prosis abunde, sed etiam parandae facilius fidelibus multis saluti. Testem benevolentiae Nostrae auspicemque coelestium gratiarum Apostolicam tibi benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 2 Maii anno 1906, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

(1) De septima editione agitur, in pluribus aucta et emendata. *N. D.*

V.

Pius X magnopere gratulatur de Conventu generali Adiutorum Sodalitatis Salesianae mox Mediolani celebrando.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quotquot ex universis terrarum oris illustri censentur nomine Adiutorum rei Salesianae, valde equidem grate novimus Conventum Mediolani esse acturos, de provehenda tum piae Sodalitatis tum sacri civilisque cultus opera sollicitos. Quam multis et quam libenter eiusmodi congressiones complectamur votis, admonet sane vos superiorum coetuum memoria (1) perspicueque declarat sive Nostra in Salesianos non intermissa unquam voluntas, sive earum enarratio rerum, de quibus conferre in coetu consilia praescripsistis. Etenim significata Nobis argumenta Conventus gravitate praestare omnia et communi commendari gratia reperimus; ut ecce conferendas in iuventutis commodum curas, sive litteris addicta illa sit, sive incumbat labori; impertienda populo, tum ad corpus tum ad animum sublevandum, auxilia; comparanda iis, qui e patria migrarint, omne genus adiumenta; suppeditandum demum ethnicis fidei catholicae atque adeo humanitatis lumen. Quod coetus studia in hisce collocare constitutum sit, magnopere gratulamur, laudemque auctoribus damus quum quia utilia Sodalitio parant, tum quia opportuna et congruentia tempori spectant. Quamobrem summo eventus uberrimi desiderio congressionem prosequimur, nihilque interea dubitamus, quin frequentia sodalium et alacritas expectationi Nostrae respondeant. Quae autem consulenda vobis aut providenda in congressu erunt, iis benignitas Dei propitia et volens adspiret, donetque abunde munera coelestia. Horum vero auspex Nostrique animi testis Apostolica Benedictio sit, quam tibi atque e coetu singulis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 22 Maii 1906, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X.

Dilecto Filio Praesidi Conventus Generalis Adiutorum Sodalitatis Salesianae Mediolanum.

VI.

Pius X Sodalitatem Bonifacianam laude dignam proclamat.

DILECTO FILIO URBANO SCHACHLEITER O. S. B. PRAESIDI SODALITATIS BONIFACIANAE — PRAGAM.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Illustria atque explorata Sodalitatis Bonifacianae promerita, cuius fructus, tum ad religionem tum ad civilen cultum et patriae amorem abunde latos, plus semel dignos duximus laude, tuo esse nomini actionique coniuncta libenti animo novimus. Etenim moderatoris munere perfungentem Sodalitatis a Sancto Bonifacio ac menstrui commentarii, cui item

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. III, p. 195.

a Sancto Bonifacio nomen, plurimum te utilitatis catholicis Austriae creare compertum habemus; eos quippe et in avita tuenda fide confirmas et a praeiudicatis dissentientium opinionibus immunes reddis ac liberos. Id autem scribendi regendique commentarii opus, aetati tam congruum nostrae, actuosis etiam, crebris, fecundisque auges laboribus expeditionum sacrarum, illuc nimirum assidue prompteque te sistens, quo gravior ab hostibus feratur impetus. Itaque grate Nobis contingit, quae ipse multiplici studio atque industria perficis ad populorum sincera ac mansura provehenda bona, laude et commendatione prosequi, eam etiam in rem ut animos inde capias novos pro sollertia exaugenda tua. Nec minus gratum est hoc uti loco posse Benedicti Sauter, Abbatis, dilaudandi, e quo quum exemplum profectum esse scimus prohibendi arcendique inimici conatus, tum potissima derivata fuisse operi praesidia cognovimus; te quippe is legit tribuitque rei ducem, comitemque adiunxit, propositi studiosissimum, Augustinum Galen. Mens vero Nobis est neque ullum non Nostra complecti voluntate, quem clara apud vos merita decorent, neque ullum debere in vobis esse reliquum, quem non ardor inflammet eiusmodi promerendae laudis. Quapropter et Episcopos, et clerum et populum Austriae universum vehementer adhortamur, ut, coniunctis in unum viribus, iussaque aut consilia hinc dando, inde exequendo, audax funestissimumque facinus eorum propulsent, qui, cum Ecclesiae patriaeque calamitate, animos nituntur a Romana Fide segregare. Vota demum pro communis contentionis exitu nuncupantes, illudque etiam expetentes, ut quos labores pro re catholica fertis, et mente fideles percipiant et actione generose adiuvent, testem Nostrae benevolentiae auspicemque coelestium gratiarum Apostolicam benedictionem tibi ac caeteris, qui una tecum operam navant, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 8 Iunii 1906, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X.

VII.

Archisodalitas Missae Reparatricis de civitate Argentinensi, indulgentiis ditatur.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Per similes Nostras Litteras die 20 Februarii mensis vertente anno (1) Sodalitatem sub titulo Missae Reparatricis canonice erectam in Conventu Sororum Societatis Mariae Reparatricis civitatis Argentinensis in Archisodalitatem pro universo Imperio Germanico ereximus, nunc autem spirituali bono fidelium consulere volentes, qui nunc et in posterum Sodalitati eidem nomen dabunt suum, coelestes Ecclesiae thesauros quorum Nobis Altissimus tribuit dispensationem reserare idcirco censuimus, nimirum ut Archisodalitas tot tantisque nominibus optime de re christiana merita potiora iugiter capiat favente Domino incrementa. Quae cum ita sint de Omnipotentis Dei misericordia ac SS. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, et singulis fidelibus ex utroque sexu, qui dictam Sodalitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi SS.mum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Plenariam: ac tam descriptis quam pro tempore describendis in dicta Archisodalitate Confratribus et Consororibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint, etiam Plenariam: denique iisdem nunc et in posterum similiter eamdem in Archisodalitatem adlectis Sodalibus qui item sacramentali admissorum confessione expiati ac coelestibus epulis refecti die quo Dolorosae Virginis festum agitur, die festo S. Annae Matris Deiparae Virginis, Dominica post Octavam SS.mi Corporis Christi, et feria quinta in Coena Domini a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi propriam Sodalitii ecclesiam si extet, secus cuiusque curialem singulis annis devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo ex hisce die id egerint, pariter Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea dictis nunc et in posterum existentibus Societatis eiusdem Confratribus et Consororibus quodvis corde saltem contriti iuxta Archisodalitatis tabulas pietatis seu charitatis opus exercuerint, in forma Ecclesiae solita de poenalium numero sexaginta expungimus. Tandem largimur liceat Sodalibus ipsis, si malint, plenariis hisce ac partialibus indulgentiis vita functorum labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 25 Iunii 1906, Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro D.no Card. MACCHI

L. ✠ S.

NICOLAUS MARINI, *Substitutus.*

(1) Vide supra p. 366.

VIII.

Pia Associatio precum ad Virginem Perdolentem pro reditu Ecclesiarum dissidentium, erecta in Ecclesia S. Marcelli de Urbe, indulgentiis ditatur et Primaria declaratur, cum facultate aggregandi caeteras eiusdem nominis et instituti ubique existentes sodalitates.

PIUS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dilectus filius Iosephus Angelucci, Sacerdos Ordinis Servorum B. M. V. et parochus ad S. Marcelli de Urbe, retulit ad Nos in suo templo curiali piam Associationem precum ad Virginem Perdolentem canonice erectam nonnullis abhinc annis extare (1), ad finem provehendi unionem omnium Ecclesiarum Christianarum in Orbe Ecclesiae Catholicae Romanae; eamque pluribus indulgentiis ac spiritualibus gratiis a Decessore Nostro Leone XIII ven. me. fuisse auctam (2). Nunc

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. V, pag. 431.
(2) *Item*, vol. X, p. 489.

autem cum idem Sacerdos parochus enixas Nobis preces humiliter adhibuerit, ut eidem Societati nova addere privilegia de Ap.lica benignitate dignaremur: Nos ut tam frugifera Societas potiora capiat, Deo favente, incrementa, votis hisce annuendum libenti quidem animo existimavimus. Quae cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Ap.lorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus dictam in Societatem collectis vel in posterum inscribendis, qui per solidum mensem quotidie precem piae Associationis propriam contrito saltem corde recitent, unoque mensis ipsius die ad cuiusque lubitum eligendo vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti propriam societatis Ecclesiam supradictam curialem visitent, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenariam: praeterea cum singulis annis ipsa in Ecclesia S. Marcelli de Urbe Dominica in Albis ac tribus diebus continuis immediate praecedentibus piae ad impetrandam coelestem opem haberi soleant supplicationes, sodalibus Consociationis ipsius nunc et in posterum pariter existentibus, qui hisce supplicibus precibus singulis tribus diebus intersint, et vel Dominica in Albis, vel uno e tribus dictis diebus ad cuiusque lubitum eligendo admissorum pariter confessione expiati ac coelestibus epulis refecti Ecclesiam ipsam, ut superius dictum est, orantes visitent, quo ex hinc die id agant, etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in D.no concedimus. Tandem iisdem Sociis quo die memoratis supplicationibus contrito saltem corde intersint, de numero poenalium in forma Ecclesiae consueta septem annos totidemque quadragenas expungimus. Porro largimur Sodalibus iisdem, si malint, liceat plenariis hisce ac partialibus indulgentiis functorum vitae labes poenasque expiare. Praeterea cum sicut memoratus Sacerdos Parochus curavit exponendum Nobis, plures tum in Italia cum in externis regionibus eiusdem nominis atque instituti Consociationes canonice erigantur, quarum Moderatores huic ad S. Marcelli de Urbe institutae aggregationem efflagitant; Nos de Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi perpetuumque in modum concedimus, ut Moderator pro tempore existens piae Associationis precum Deiparae Perdolenti in Ecclesia parochiali S. Marcelli de Urbe canonice erectae, Societates alias omnes canonice institutas, sive in posterum in universo terrarum orbe instituendas, tum eiusdem tituli, cum quae ad finem eumdem intendant, servatis forma Constitutionis Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri ven. me. aliisque Apostolicis Ordinibus desuper editis, aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ipsi urbanae Societati a Nobis et a Sede Ap.lica concessas et aliis communicabiles communicare licite possit ac valeat. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XI Iulii MCMVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro D.no Card. MACCHI

N. MARINI, *Subst.*

IX.

Tribuitur Magistro gen. O. P. facultas delegandi sacerdotes ad recipiendos Christifideles in Societatem SS. Rosarii.

Beatissime Pater,

Fr. Hyacinthus Maria Cormier, Magister Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, ad pedes S. V. provolutus, ab Ea humiliter petit sibi suisque Successoribus fieri facultatem delegandi ubique locorum Sacerdotes, sive Regulares sive Saeculares, ad hoc ut Christifideles utriusque sexus in Societatem SS. Rosarii recipere, eorumque Rosaria, Rosas et candelas benedicere valeant, cum applicatione Indulgentiarum a Summis Pontificibus eidem Rosarii Confraternitati concessarum, firmo remanente onere mittendi, data opportunitate, adscriptorum nomina ad aliquam Confraternitatem canonice erectam.

Et Deus.

Iuxta preces, die 31 Iulii anno 1906.

PIUS PP. X.

X.

Iam abrogata centum annorum totidemque quadragenarum indulgentia fratribus ac sororibus societatis a SS. Rosario, ipsius Rosarii signa devote deferentibus, semel in die lucranda, rursus conceditur.

Beatissime Pater,

Fr. Hyacinthus Maria Cormier, Magister Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, ad pedes S. V. provolutus exponit quod Innocentius VIII, in Bulla « *Splendor paternae gloriae* », diei 26 Febr. 1491, ita edixerat:

« Nos cupientes ut ipsi Confratres et Consorores sedulius « Rosarium praedictum ob Virginis Mariae reverentiam de- « ferant... quo ex hoc dono caelestis gratiae uberius con- « spexerint se fore refectos, de Omnipotentis Dei misericordia « ac Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate « confisi, volumus et Auctoritate Apostolica ordinamus et « concedimus, ac omnibus et singulis confratribus et conso- « roribus conscriptis, vere poenitentibus, nunc et pro tem- « pore existentibus, Rosarium deferentibus centum annos et « totidem quadragenas Indulgentiarum de iniunctis sibi poe- « nitentiis, misericorditer in Domino indulgemus.

« Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis ».

Cum autem huius Indulgentiae mentio non reperiatur in Catalogo Indulgentiarum, die 29 Aug. 1899, a fel. rec. Leone XIII approbato, quo edicitur « quascumque alias Indulgentias Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii tributas,

abrogatas, seu revocatas esse censendas », praedictus Magister Generalis, suo et omnium SS. Rosarii Confratrum et Consororum nomine, humiliter et enixe Sanctitatem Vestram rogat ut praedictam centum annorum et totidem quadragenarum Indulgentiam, semel in die lucrandam ab iis qui Rosarium apud se, ob Beatae Virginis reverentiam, devote gestaverint, renovare, renovatamque declarare dignetur.

Et Deus.

Iuxta preces in Domino, die 31 Iulii anno 1906.

PIUS PP. X.

XI.

Pius X expectationem fovet de mox cogendo conventu catholicorum Germaniae in urbe Essendiensi.

DILECTO FILIO FRANCISCO LAAERMAN, DOCTORI, PRAESIDI COETUS CONVENTUI CATHOLICORUM GERMANIAE ESSENDIENSI IN URBE APPARANDO. — ESSEDIAM.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Legimus laeto cum animo, quibus ipse et collegae tui cum voluntatum sensibus instatis Congressui catholicorum Germaniae, Essendiensi in urbe, apparando. Et quoniam de rerum exitu coniicere fere licet e primordiis, spem minime levem e tua collegarumque fide et sollertia concipimus, futurum ut memorandis caeteris catholicorum Germaniae congressionibus, quum gravitate, dignitate numeroque sodalium, tum consiliorum efficacitate ac vi, iste etiam, qui proxime est habendus, Essendiensis conventus par exsistat. Filios e Germania Nostros ad eam scimus constantiam fortitudinemque fidei esse informatos, progrediens bonum debere per eos Religioni gigni non ambigimus. Progressionem enim indicant perpetuam celebrati per vos adhuc coetus, annos amplius quinquaginta; quo quidem satis longo tempore docuit Germania nationes, oportere catholicos non tam verbis, quam actione decertare, strenueque pro Ecclesia qui contendant, summa etiam comparare rei publicae bona. Itaque sive vestrorum recordatione patrum, sive ipsa cuiusque vestrum virtute, splendidam de vobis ac de cogendo coetu fovere expectationem iubemur, exemplumque idcirco debere a vobis in universas proficisci gentes confidimus, unde christiana fides, sicuti languescat in orbe aut iaceat, quod quidem dolentissime conspicimus, excitata reviviscat. Placet autem delectam congressui sedem urbem Essendiam fuisse, quae nomen prae se fert duplici clarum incremento, id est vitae quum in religioso, tum in civili genere actuosae. Ea porro civitas, si tantum ad fluxas caducasque res valuit, quas tamen ominamur ei sine intervallo laetabiles, aeque certo multum ad animorum tuenda et amplificanda non caduca bona valebit, quod quidem propositum congressioni est. Quamobrem fervida pro concordi utilique conventus disceptatione vota nuncupamus, illudque conventuris edicimus, sic iis esse pro ubertate eventus enitendum, quasi novam Essedia gloriam ex eorum studio desideret. — Auspicem caelestium gratiarum, Nostraeque benevolentiae pignus, tibi Collegisque tuis, iisque universis, qui ad participandos congressus labores confluent, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die II Augusti MCMVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X.

XII.

Decanatus ac Collegiata S. Michaëlis in Foro adnexumque Seminarium ordinariae iurisdictioni Archiepi Lucani iterum subiiciuntur.

PIUS PP. X.

Propositum urgentes, quod in suscipiendo Pontificatu maximo inivimus, instaurandi omnia in Christo, animadvertimus in Lucana ecclesia rem esse, de qua diligenter per Nos provideri oporteat, ut ipsius utilitati ecclesiae consulatur. Decanatum dicimus Sancti Michaëlis in Foro, decessorum Nostrorum auctoritate, de Archiepiscopi iurisdictione exemptum, proprioque iure administratum, cuius Decano, tamquam Ordinario, illud canonicorum Collegium et adiunctum Seminarium clericorum paret. Huiusmodi quidem exemptio quare induceretur olim, idoneas fuisse causas certo scimus: sed cogitatio Nos incommodorum movet, quae nec pauca nec exigua inde sunt anteacto tempore profecta; quaeque si in praesens, divino beneficio, sunt nulla, sane tamen est periculum, ne vel graviora in posterum, quam antehac, exsistant. Multo igitur satius esse videtur tamquam in possessionem suam ius commune restitui; nam redintegrata gubernationis unitate totius dioecesis, multa sunt salutaria secutura, hoc nominatim, ut eisdem praeceptis institutisque conformati administri sacrorum, facilius inter se retineant eam, quae opus est ad sancti muneris officia rite utiliterque obeunda, concordiam. Quare, nihil equidem detrahentes de Collegiatae ecclesiae dignitate, nihil de honorum insignibus et privilegiis canonicorum, Nos Motu proprio autonomiam, qua Decanatus Sancti Michaëlis in Foro usque adhuc utebatur, abolemus; eamque Collegiatam ecclesiam, Capitulum, Decanum, adiectamque Decanatui Scholam seu Seminarium ordinariae iurisdictioni Archiepiscopi Lucani subiicimus. Praeterea, quod totius dioecesis utilitas vehementer exigit, eamdem Scholam seu Seminarium Seminario archiepiscopali in omnibus iuris et oeconomiae rationibus, quae ad gubernationem administrationemque spectant, perpetuo coniungimus. Quotquot igitur sunt, qui cuiusvis generis bona eidem Scholae sive Seminario Sancti Michaëlis legata assignatave, fiduciae titulo, possident, universos et singulos, sub poenis in iure canonico statutis, admonitos volumus, ea omnia bona tradant Archiepiscopo; cui Nos eisdem bonis utendi in commodum singularis Seminarii dioecesani potestatem facimus: remota quavis exceptione aut praetextu, abrogatis etiam deletisque consuetudinibus contrariis, nec obstantibus concessionibus aut decretis decessorum Nostrorum, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die V Augusti, anno MCMVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. X.

XIII.

Pius X omnino prohibet ne catholici constituant in Gallia consociationes vulgo *cultuales;* decernitque nullum aliud quidpiam consociationum genus experiri posse, nisi legitime certoque constiterit iura Ecclesiae tuta semper fore.

Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae X Epistola Encyclica ad Archiepiscopos et Episcopos Galliae.

VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS GALLIAE

PIVS PP. X.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Gravissimo officii munere defungimur, eoque iamdudum vobis debito, quibus post latam legem de Gallicae Reipublicae Ecclesiaeque discidio edicturos Nos tempori significavimus, quid ad tuendam conservandamque istic religionem facto opus esse arbitraremur. Equidem expectationem desiderii vestri ut produceremus usque adhuc, non modo magnitudo et gravitas huius causae fecit, sed illa etiam singularis charitas, qua vos vestraque omnia, pro immortalibus nationis in Ecclesiam meritis, prosequimur. — Damnata igitur, ut debuimus, improba lege, id considerare diligentissime coepimus, ullamne demum eiusdem praescripta legis relinquerent Nobis facultatem ita ordinandae in Gallia religiosae rei, ut sacrosancta principia quibus Ecclesia nititur, nihil detrimenti caperent. In quo visum Nobis est, vos etiam Galliae Episcopos adhibere in consilium universos; indictoque vestro omnium conventu, hoc ipsum vobis maxime, de quo consultaretis, mandavimus. Nunc autem, cognitis consultis vestris, exquisitis complurium Cardinalium sententiis, re diu et multum Nobiscum meditata, magnisque precibus implorato *Patre luminum*, omnino videmus faciendum, ut quod ipsi fere ad unum omnes censuistis, idem Nos Apostolica auctoritate confirmemus. Itaque de consociationibus civium, quales, divini cultus exercendi causa, lex constitui iubet, sic decernimus, nullo eas pacto conflari posse, quin sanctissima iura, quae ad vitam ipsam Ecclesiae pertinent, violentur. — Dimissis vero consociationibus istis, quas probare Nos quidem conscientia officii prohibemur, opportunum videri potest experiri, an liceat, earum loco, aliquod aliud institui consociationum genus, quod simul legitimum sit et canonicum, atque ita laboriosissima, quae imminent tempora, catholicis Gallis defendere. Profecto tam sollicitos atque anxios ista Nos tenent, ut nihil magis; atque utinam spes affulgeat, si non bona, at aliqua tamen, posse Nos, divino salvo iure, id inire experimenti ut dilectos filios tantorum malorum metu liberemus. At quoniam, hac manente lege, spes istiusmodi nulla ostenditur, istud alterum consociationum tentare genus, negamus fas esse, usque dum legitime certoque non constiterit, divinam Ecclesiae constitutionem, atque immutabilia Romani Pontificis et Episcoporum iura, eorumque in bona necessaria Ecclesiae, praecipue templa, potestatem, incolumia per consociationes easdem et tuta semper fore: contrarium velle Nos, nisi religionem officii deserendo, atque interitum Ecclesiae Gallicae conficiendo, non possumus.

Restat, Venerabiles Fratres, ut vos, omni utentes ope, quacumque vos iura civitatis uti siverint, disponendo instruendoque religioso cultui operam detis. Nec vero hac tanta in re tamque ardua passuri sumus Nostras desiderari partes. Utique licet absentes corpore, cogitatione tamen atque animo vobiscum erimus, vosque consilio atque auctoritate opportune iuvabimus. Quapropter animose suscipite, quod, suadente Ecclesiae patriaeque vestrae amore, imponimus vobis onus: caeterum conquiescite in bonitate providentis Dei, cuius tempestivum auxilium non defuturum Galliae, omnino confidimus.

Iamvero quibus criminationibus religionis hostes decreta haec mandataque Nostra sint excepturi, non difficile est prospicere. Contendent persuadere populo: nequaquam Nos Ecclesiae Gallicae salutem spectasse tantum; aliud etiam, alienum religione, habuisse propositum: invisam Nobis esse in Gallia formam Reipublicae, eiusque evertendae Nos gratia velificari studiis partium: ea Nos abnuisse Gallis, quae non invite Apostolica Sedes aliis concessisset. Ista Nos et similia, quae, ut licet e certis quibusdam indiciis cernere, late ad irritandos animos spargentur in vulgus, iam nunc indignando denuntiamus esse falsissima, vestrumque, Venerabiles Fratres, et bonorum omnium erit redarguere, ne scilicet imperitos ignarosque decipiant. — Nominatim vero quod ad illud attinet, faciliorem se alibi Ecclesiam impertivisse in causa simili, monstretis oportet, hoc eam fecisse, quum diversa prorsus verterentur momenta rerum, quumque praesertim divinis Hierarchiae rationibus aliquo saltem modo consultum esset. Quod si quaepiam civitas ita ab se segregavit Ecclesiam, ut plenam ei communis libertatis copiam fecerit, liberumque in propria bona arbitrium reliquerit, non uno quidem nomine iniuste se gessit, sed tamen in conditione Ecclesiam collocasse dicenda est non omnino intolerabili. Verum multo secus agitur hodie res in Gallia: ubi iniustae huius legis conditores instrumentum sibi comparasse non tam ad separandam a Republica Ecclesiam, quam ad opprimendam videntur. — Ita, studia pacis professi, concordiamque polliciti, inferunt religioni patriae bellum atrox iniectisque acerrimarum contentionum facibus, cives cum civibus committunt, quanta cum pernicie ipsius reipublicae, nemo non videt. Studebunt profecto certaminis huius et eorum quae secutura sunt, malorum in Nos transferre culpam. Sed quisquis facta sincero iudicio aestimaverit, quae Ipsi etiam in Litteris Encyclicis « *Vehementer Nos* » (1) attigimus, diiudicabit, utrum Nos reprehendendi simus qui, alias ex aliis perpessi iniurias toleranter, dilectae nationis causa, ad ultimum coacti sanctissimos Apostolici officii transire terminos, negavimus posse; an potius tota in eis culpa resideat, qui catholici nominis invidia ad haec usque extrema provecti sunt.

At enim catholici ex Gallia homines, si vere suum Nobis obsequium studiumque praestare volent, ita pro Ecclesia contendent, quemadmodum eos monuimus, constanter nimirum ac fortiter, nihil tamen seditiose violenterque faciendo. Non vi, sed constantia, tamquam in arce iustitiae collocati, frangent aliquando inimicorum contumaciam: intelligant vero, quod diximus iam iterumque est dicendum, ad hanc se victoriam nisuros frustra, nisi summa inter se coniunctione in tutelam religionis conspirarint. Nostram habent de nefastae legis usu sententiam: sequantur, ut oportet, volentibus animis; et, quidquid quisque de hac ipsa re adhuc disputando tenuit, caveant, obsecramus, ne quis

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. XIV, p. 53.

quem propterea offendat, quod melius viderit. Quid consentientium voluntatum connexarumque virium contentio possit, mature capiant ex adversariis documentum; et quo pacto his licuit nequissimam civitati imponere atque inurere legem, eodem nostris tollere eam licebit et extinguere. — In tanto Galliae discrimine, si quidem universi omnes, quotquot maximum patriae bonum summa sibi ope tuendum putant, Nobiscum et cum Episcopis suis et inter se coniuncti, pro religione, quo modo opus est, elaborabunt, non solum non desperanda Ecclesiae Gallicae salus est, sed sperandum brevi fore, ut ad dignitatem prosperitatemque pristinam resurgat. Nos, quin Nostris satisfacturi sint praescriptionibus et votis, minime dubitamus: interea divinam benignitatem conciliare vobis omnibus, patrocinio confisi Mariae Immaculatae, impense studebimus.

Auspicem caelestium munerum ac testem paternae benevolentiae Nostrae Vobis, Venerabiles Fratres, universaeque Gallorum genti Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die X Augusti, in festo Sancti Laurentii Martyris, anno MCMVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X.

XIV.

Associatio quae sub titulo «*Sacerdotalis Eucharistici Foederis*» pro quotidiana SS. Eucharistiae sumptione canonice erecta est in ecclesia S. Claudii de Urbe, indulg. ac privilegiis ditatur, et in Primariam erigitur (1).

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, pias societates ad pietatis et charitatis opera exercenda institutas, peculiaribus honoribus ac privilegiis cohonestare satagimus, ut iis auctae uberiores in Dominico agro excolendo fructus nanciscantur. Harum in numerum minime Nos latet iure ac merito esse accensendam piam sacerdotum associationem, quae sub titulo « Sacerdotalis Eucharistici Foederis » in hac Alma Urbe Nostra ad S. Claudii canonice instituta existit, ideoque dilecti filii Edmundi Tenaillon Procuratoris Generalis Instituti Sacerdotum SS.mi Sacramenti votis ultro libenterque annuentes, associationem ipsam tam frugiferam, quae hisce potissimum tam gravibus temporibus, iuxta tenorem Decreti a Congregatione Sacrae Tridentinae Synodi interpretationi praeposita, die XX Decembris mensis anno superiori editi, exauspicato intendit ad Communionis frequentis et quotidianae usum inter fideles provehendum, singularibus gratiis atque indulgentiis decorandam existimavimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis nunc et in posterum in dictum Eucharisticum Foedus adlectis sacerdotibus, quatenus simili privilegio non gaudeant, altaris privilegiati personalis indultum ter in hebdomada, servatis servandis, concedimus; nec non ut una ante auroram, atque una post meridiem hora Sacris operari, et similiter a prima ante auroram hora ad occasum solis, Sacram Synaxim diribere, atque iniunctis de more peractis, praecipuorum fidei mysteriorum et Mariae Virg. et SS. Apostolorum festivitatibus per annum singulis, plenariam indulgentiam vel defunctis applicabilem lucrari; et intra celebrationem triduanae supplicationis iuxta pii Foederis tabulas habendae, post peractam Communionem Generalem, Christiano adstanti populo, plenaria adiecta indulgentia, cum Crucifixo ac sub Crucis unico signo, servatis ritu formulaque praescriptis, benedicere licite possint ac valeant. Insuper quoties iuxta fines Foederis sacerdotalis, pietatis quodvis sive charitatis opus adimpleant, de numero poenalium dierum in forma Ecclesiae solita iisdem adlectis in ipsum Foedus, nunc et in posterum sacerdotibus trecentos expungimus. Tandem confessariis rite probatis eodem in Sacerdotali Eucharistico Foedere nunc et in posterum inscriptis, facultatem concedimus communicandi semel in hebdomada plenariam indulgentiam poenitentibus, qui quotidie vel quasi quotidie ad Sacram Synaxim accedere consueverunt. Praeterea Ap. Nostra Auctoritate p.tium vi, perpetuumque in modum, Associationem memoratam sub titulo « Sacerdotalis Eucharistici Foederis » in Urbe ad S. Claudii canonice institutam in Archiassociationem, sive primariam cum solitis privilegiis erigimus. Archisodalitii autem eiusdem Moderatori et officialibus praesentibus et futuris, ut ipsi alias eiusdem nominis atque instituti societates in universo terrarum orbe, canonice erectas sive in posterum erigendas, servatis Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri r. m. aliisque Apostolicis Ordinat. desuper editis, sibi aggregare illisque omnes et singulas indulgentias peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ipsi Archisodalitio a S. Sede concessas et aliis communicabiles, communicare licite possint ac valeant, Apostolica item Nostra Auctoritate p.tium vi facultatem perpetuo concedimus et largimur. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. Constitutionibus et Ordinat. Apostolicis caeterisque contrariis quib.que.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris die X Augusti MCMVI, Pontificatus Nostri Quarto.

Pro D.no Card. MACCHI

NICOLAUS MARINI, *Subst.*

L. ✠ S.

---

(1) Vide infra p. 419 Decretum erectionis, Statutum et Instructiones. *N. D.*

XV.

Pius X gratulatur Archiep. Gnesnensi et Posnaniensi de singulari studio quo dioeceses in exemplum moderatur.

Venerabili Fratri Floriano Archiepo Gnesnensi et Posnaniensi.

PIUS PP. X.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quod Te ac fideles Tibi creditos angustiae Nostrae moveant, id profecto amoris est argumentum, quo Beati Petri Cathedram prosequimini. Quam ob rem si grato animo excepimus petrianam stipem, quam large submisisti, at longe gratiori testimonium charitatis, quod illa exhibebat. Vobis autem, ut gratia pro merito habeamus, Deum in omnibus exoptamus propitium, qui pios in patrem filios nunquam esse sine premio patitur. Libet autem, Venerabilis Frater, hac uti opportunitate, ut Tibi impensissime gratulemur de singulari studio quo dioeceses istas in exemplum moderaris. Fortunet Deus amplissime labores tuos detque Tibi fidei constantiam sanctitatemque morum in grege tuo semper magis provehere. Non dubitamus equidem, quod semper accidit, quominus in episcopali munere exercendo difficultatibus premaris. Ad studium tuum nihil inde minuatur, illud prae oculis constanter habens, quod sibi Apostolus proponebat: Omnia possum in eo, qui me confortat. Soletur te etiam et confirmet Vicarii Christi charitas, cuius pignus, simulque caelestium munerum sit Apostolica Benedictio, quam Tibi et gregi tuo amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIII Augusti anno MCMVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. X.

XVI.

Canonicis Ecclesiae Cathedr. Maioricensis insignia quoad vestes civiles conceduntur in perpetuum.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

De more Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum ecclesiasticos viros qui in templis maxime conspicuis divinis laudibus concinendis operam navant, ad divini cultus decorem et sacrarum caeremoniarum maiestatem augendam peculiaribus insignibus decorare satagimus. Hoc consilio cum Venerabilis Frater Petrus Ioannes Campins et Barceló Episcopus Maioricensis et Husensis Nos enixis precibus flagitaverit ut Cathedralis Ecclesiae suae Capituli Canonicis insignia largiri de Nostra benignitate dignaremur, Nos animo repetentes praenobilis illius templi vetustatem amplitudinem et mirifica quibus enitet artis opera, votis hisce annuendum propensa quidem voluntate existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus hae litterae Nostrae favent a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica Nostra auctoritate praesentium vi, perpetuum in modum concedimus, ut omnes et singuli nunc et in posterum existentes Cathedralis Ecclesiae Maioricensis Capituli Canonici veste talari nigra cum fimbriis, ocellis et globulis sericis violacei coloris induti incedere, nec non focale, zonam et caligas violaceas et sericum pilei flocculum pariter violacei coloris gestare queant. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, illisque ad quos spectat et spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter aut ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 30 Augusti 1906, Pontificatus Nostri anno quarto.

L. ✠ S.

ALOIS. Card. MACCHI.

XVII.

Pius X gratulatur de nuper celebrato Prov. Concilio Mediolanensi.

PIUS PP. X.

Dilecte fili Noster et venerabiles Fratres,
salutem et Apostolicam benedictionem.

Provinciale Antistitum Mediolanense Concilium nuper fuisse persolutum ex litteris officii plenis, quas tu conlegaeque tui communiter dedistis, libenter accepimus. Cum iam pridem ab exordiis Deum enixe precati simus (1) ut quod coeperatis opus, quam erat utile, tam etiam esset auspicatum, nunc fastigio rebus imposito, iucundissime laetamur vobis quod ex animi vestri sententia atque unanimi adstantium plausu et consensione omnia inita consilia processerint. Mercedem amplissimam, quae apostolicos labores pro divina gloria aeternaque animarum salute obitos manet ac merito consequitur, Deus iustus iudex vobis large persolvat ac simul quae in communi Concilio deliberastis, ea in dioecesium vestrarum utilitatem secundo faventeque numine Ipse vertat. Interea, effusae benevolentiae Nostrae pignus, Tibi, dilecte Fili Noster, caeterisque Venerabilibus Fratribus, Benedictionem Apostolicam peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 17 Septembris 1906, Pontificatus Nostri anno quarto.

PIUS PP. X.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIV, p. 276.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

AMALPHITANA.

Parochis civitatis « Maiori » indulgetur facultas utendi rocheto et penula serica violacei coloris.

Apostolicae Sedi, litteris die 7 Aprilis hoc anno datis, parochi Ecclesiarum paroecialium civitatis, cui nomen *Maiori*, Amalphitanae Archidioecesis, retulerunt in eadem civitate, ob cleri defectum, ad parochiale munus gerendum fere semper eligi Presbyteros, qui iam canonicali aliqua praebenda potiuntur in Capitulo Ecclesiae Collegiatae Sanctae Mariae ad Mare civitatis eiusdem, quique proinde secundum Capituli ipsius constitutiones certis quibusdam cohonestantur ecclesiasticis insignibus, dum parochi quolibet ex ipsis sunt destituti. Ne igitur parochiale munus populi existimatione vilescat; neve qui ad illud gerendum in eadem civitate *Maiori* assumuntur, imminutionem quamdam in privilegiis, quibus antequam parochi designati sint ut canonici fruuntur, pati videantur, oratores, commendatione suffulti R. P. D. Henrici de Dominicis Archiepiscopi Amalphitani, humiles SS.mo D.no Nostro Pio PP. X preces obtulerunt, ut sibi suisque successoribus facultatem utendi in sacris functionibus rocheto et penula serica violacei coloris, oris ex pelle albi coloris vulgo *armellino* ornata, benigne concedere dignaretur.

Re ad SS.mum D.num Nostrum per me infrascriptum Sacrae Congregationis consistorialibus rebus expediendis praepositae substitutum delata, Sanctitas Sua cunctis quae consideranda erant matura deliberatione perpensis, attentis expositis atque Archiepiscopi Amalphitani commendatione, quo splendor divini cultus magis ac magis augeatur, ac parochi civitatis *Maiori* dictae spirituale fidelium bonum alacriori in dies sollertia fovere studeant, oblatis precibus benigne adnuendum censuit, ac de Apostolicae potestatis plenitudine omnes et singulos parochos Ecclesiarum parochialium civitatis *Maiori* nomine, Archidioecesis Amalphitanae actu existentes a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis poenis a iure vel ab homine, quovis modo vel quavis de causa latis, si quibus innodati fortasse existant, huius tantum rei gratia absolvens et absolutos fore censens, iisdem eorumque legitimis successoribus in perpetuum indulsit ut intra limites Amalphitanae Archidioecesis in sacris peragendis rocheto et penula serica coloris violacei cum oris ex pelle albi coloris vulgo *armellino* licite ac valide uti possint et valeant, servatis de iure servandis, ritualibus praesertim dispositionibus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Hisce autem super rebus Beatitudo Sua praesens edi iussit Decretum consistoriale, perinde valiturum ac si super praemissis Litterae Apostolicae in forma Brevis expeditae fuissent, cuius exsecutionem cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quamcumque aliam personam ecclesiastica dignitate insignitam, commisit Archiepiscopo Amalphitano et Decretum ipsum inter acta Sacrae huius Congr. Consistorialis referri mandavit.

L. ✠ S. Pro R. P. D. Secretario

IULIUS GRAZIOLI, S. C. Consis. et S. Collegii *Substit.*

Die 24 Maii 1905.

E S. R. UNIV. INQUISITIONE

DECRETUM

Supremae S. Congr. S. Officii, de ieiunii et abstinentiae lege in Italia reformanda.

Feria IV, die 5 Septembris 1906.

Frequentes pluribus abhinc annis preces Italiae praesules ad Sedem Apostolicam dirigere consueverunt, quibus ecclesiasticae legis ieiunii et abstinentiae mitigationem temporum conditioni congruam pro dioecesi quisque sua petierunt. In quo temperamento efflagitando illud etiam intenderunt ut uniformi vicinarum saltem regionum disciplina constituta, non levibus incommodis, quae ex varia legis observantia sponte sua consequuntur, remedium afferretur.

Re penes Supremam hanc S. Officii Congregationem discussa, E.mi ac R.mi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, omnibus mature perpensis, in plenario conventu habito feria IV, die 5 currentis mensis Septembris, haec statuenda decreverunt:

1. In omnibus et singulis Italiae regionibus, dioecesibus quoque Melitensi et Gaudisiensi comprehensis, quae dispositionibus hac in re pro Italia latis uti solent, ieiunium, seu lex unicae per diem refectionis, servandum erit:

Toto tempore Quadragesimae, Dominicis tantum diebus exceptis;

Feriis sextis et sabbatis Adventus;

Feriis quartis, sextis et sabbatis Quatuor anni Temporum;

Vigiliis: Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, B. M. V. in Coelum Assumptae, Omnium Sanctorum et Nativitatis D. N. I. C.

Quibus vero diebus ieiunium praecipitur, vetatur insimul semper et absolute, in Quadragesima ne diebus quidem Dominicis exceptis, carnium pisciumque in eadem comestione permixtio.

2. Praeter ieiunium, in cunctis (ut supra) Italiae regionibus, servanda etiam erit lex abstinentiae a carnibus ab iisque omnibus quae ex carne trahunt originem, lacte scilicet, butyro, caseo, ovis et ex quocumque animali adipe condimentis:

Feria sexta Quatuor temporum in Quadragesima;

Feria sexta in Parasceve;

Vigiliis Assumptionis B. M. V. et Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi.

3. Prima vero die quadragesimalis ieiunii;

Feriis sextis et sabbatis Quadragesimae;

Feriis sextis et sabbatis Adventus;

Feriis quartis, sextis et sabbatis Quatuor Temporum;

Vigiliis: S. Ioseph Sponsi B. M. V.; Annunciationis eiusdem B. M. V., ubi haec festa sub praecepto recoluntur et, ad vigiliam Annunciationis quod spectat, dummodo ea intra Quadragesimam incidat; Pentecostes; SS. Apostolorum Petri et Pauli et Omnium Sanctorum abstinentia a carnibus tantum et a iure a carnibus quomodocumque expresso servanda erit: ita ut liceat pro lubitu in principali refectione vesci ovis et lacticiniis, et tum in eadem

principali refectione tum in refectiuncula uti ex quovis adipe, butyro, margarina (quam vocant) et similibus condimentis.

4. Haec eadem abstinentia a carnibus tantum et a iure carnis servanda pariter erit omnibus et singulis aliis sextis per annum feriis, absque tamen obligatione ieiunii et, consequenter, nulla refectionum facta distinctione quoad ovorum, lacticiniorum et condimentorum liberum usum.

5. Quoties autem in aliquem ex supradictis diebus, ieiunio aut abstinentiae aut utrique consecratis, inciderit vel festum aliquod ex solemnioribus in Ecclesia, vel festum Titularis aut Patroni principalis alicuius loci vel dioecesis, vel extraordinaria aliqua religiosa solemnitas (uti centenaria, piae peregrinationes et similia), vel publicae annuales nundinae quae inusitato populi concursu celebrantur, conceditur locorum Ordinariis, excepto tempore Quadragesimae et Adventus, ut tum ieiunium tum abstinentiam vel pro tota dioecesi vel, iuxta diversos casus, pro determinatis aliquibus locis in alium liberum diem sibi benevisum anticipare aut etiam, gravissimis tamen ex causis, super iis dispensare valeant.

6. Ieiunia et abstinentias in aliquibus locis ex peculiari voto servandas hoc decretum non respicit. Quod autem attinet ad Regulares utriusque sexus Familias speciali abstinentiae aut ieiunii voto non adstrictas, eas eadem ac simplices fideles lege uti posse decernitur.

7. Praesenti decreto revocantur, abrogantur ac penitus abolentur quaevis in contrarium localia indulta, concessiones, privilegia, consuetudines etiam immemorabiles, ne *Bulla* quidem *Cruciata* (ubi et quavis sub forma nunc in Italia viget) excepta. Vehementer vero fideles sibi subditos hortentur Ordinarii ut Apostolicam indulgentiam aliis bonis operibus compensare studeant.

Et sequenti feria V, die 6 huius eiusdem mensis SS.mus D. N. Pius divina providentia PP. X in solita audientia R. P. D. Adsessori huius Sacrae Supremae Congregationis impertita haec omnia et singula Sibi relata Suprema Sua auctoritate adprobare et confirmare dignatus est, mandans ad quos spectat, ut eadem, ad fidelium notitiam opportune deducta, inde a Dominica I Adventus currentis anni 1906 ad unguem servent atque ab omnibus servari satagant.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus S. O. die 7 Septembris 1906.

PETRUS PALOMBELLI, *S. R. U. I. Notarius.*

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 18 Augusti 1906, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda:

In folio.

I. BRIXIEN.-BONONIEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative ad cautelam et ad mentem.* (Sub-secreto).

II. COLONIEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

III. MAGNO-VARADINEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.*

IV. NULLIUS SUBLACEN. — Nullitatis matrimonii. — R. *Dilata et compleantur acta iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio.*

V. PARISIEN. — Nullitatis matrimonii. — R. *Sententiam esse confirmandam.*

VI. ROTTEMBURGEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Dilata et compleantur acta iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio.*

VII. VIENNEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

Die 15 Septembris 1906.

A. — Per Summaria Precum.

I. BERGOMEN. — Iurisdictionis paroecialis. — R. *Ad mentem iuxta votum Episcopi.*

II. ROMANA ET ALIARUM. — Excardinationis et S. Ordinationis. — R. *In prima quaestione: ad 1um affirmative; ad 2um negative. In secunda quaestione: ad 1um et 2um providebitur in tertio; ad 3um affirmative iuxta normas per decretum evulgandas, facto verbo cum SSmo. In tertia quaestione: provisum in praecedenti.*

III. ROMANA. — Communionis Eucharisticae. — R. *Ad 1um Sacrae Communionis frequentiam commendari iuxta articulum primum decreti etiam pueris, qui ad sacram mensam iuxta normas in Catechismo Romano cap. 4, n. 63, semel admissi ab eius frequenti participatione prohiberi non debent, sed potius eos ad id hortari, reprobata praxi contraria alicubi vigente. Ad 2um Iuxta mentem, facto verbo cum SSmo.*

B. — In folio.

I. NAMURCEN. — Nullitatis seu Dispensationis matrimonii. — R. *Ad 1um providebitur in secundo. Ad 2um Affirmative ad cautelam, et scribatur Episcopo iuxta mentem.* (Sub-secreto).

II. PARISIEN.-LAUSANNEN.-GENEVIEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Consilium praestandum SS.mo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato.*

III. PARISIEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Dilata, et roborentur probationes iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio.*

IV. VARSAVIEN.-MOHILOVIEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

V. ACHERUNTINA ET ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI. — Paroecialis. — R. *Paroeciam habendam esse uti regularem, facto verbo cum SSmo.*

VI. CLAVAREN. — Adiudicationis redditcuum. — R. *Episcopo iuxta mentem.* (Reservata).

VII. LARINEN. — Privationis paroeciae. — R. *Iuxta mentem.* (Reservata).

A. — Per Summaria precum.

1941/5 I.

Bergomen. — Iurisdictionis Paroecialis.

Ecclesia par. N. possidet oratorium publicum in praediis propriis quae iacent in territorio alterius conterminae ecclesiae par. P.; sed ex facto proprietatis, non arguitur privativa iurisdictio, quae e contra tribuitur parocho territoriali, iuxta votum Episcopi, propter rationes tum iuridicas tum administrativas.

In dioecesi Bergomensi duae adsunt conterminae paroeciae, quarum uni inest nomen *Almenno S. Bartolomeo*, et alteri nomen *Almenno SS. Salvatore;* harumque fines torrens signat interfluens, nuncupatus Tornago.

Nonnulla praedia, pertinentia ad dotem parochialis beneficii SS. Salvatoris, iacent trans torrentem, in territorio scilicet S. Bartholomaei.

In his praediis vero est ecclesia, quae dicata est Sancto Thomae Apostolo, quaeque vulgo dicitur: « *San Tomé* », et passim etiam vocatur « *La rotonda di San Tomé* », vel « *S Tommaso in agris* ». Haec ecclesia sive ob veteris basilicae formam, sive ob figuras affabre muro pictas, magni dicitur a peritis in arte, et censetur inter monumenta nationalia.

In praesens inter duos titulares harum paroeciarum, quaestio est, cuinam ex ipsis iurisdictio super praefata cappella sit tribuenda, scilicet an oratorium publicum S. Thomae sit sub dependentia praepositi parochi S. Bartholomaei, vel potius sub iurisdictione praepositi parochi SS.mi Salvatoris. Interea quoad historiam haec recolenda veniunt.

Super enunciata praedia, una simul cum ecclesia, antiquitus pertinebant ad quamdam Monialium communitatem. Hac vero extincta, bona monasterii transierunt ad efformandam dotem beneficii SS. Salvatoris; horum bonorum pertinentia, una cum ecclesia, recognita fuit instrumento rogato per Notarium publicum mense Maii anno 1729, et insimul confirmata fuit tum ab auctoritate ecclesiastica et civili, tum etiam a syndicis ecclesiae S. Bartholomaei, uti ex documentis constat.

Insuper cum praefata aedes non semel ictu fulminis esset deformata, et vetustate fatiscens, Praepositi SS.mi Salvatoris an. 1709 et 1753, nempe Andreas Quarenzo et Ioannes Baptista Agliardi eam restaurarunt, ornaverunt, pristino restituentes decori et firmitati. Quarum rerum memoria legere est super fronte ipsius ecclesiae Sancti Thomae duobus lapidibus consignata.

Expensae pariter pro dictae ecclesiae manutentione erogatae semper fuerunt a Praepositis SS. Salvatoris, qui claves retinuerunt, vel retinere faciebant a colonis praediorum, quae ecclesiae circumstabant.

Circa usum et exercitium ss. functionum in dicta ecclesia usque ab antiquis temporibus, lites efferbuere inter duos parochos. Etenim S. Bartholomaei Praepositi conati sunt hoc templum habere uti subsidiarium pro officiis et functionibus paroecialibus pro ruricolis circumstantibus, qui 300 nunc numerantur, et distant a paroeciali dimidium horae et amplius itineris.

E contra Praepositi SS.mi Salvatoris, cum aedes aedificata esset in fundo sui beneficii, eam uti propriam spectabant, et hinc vindicabant sibi ius exclusivum in ea missas, processiones, et alia ecclesiastica officia celebrandi.

De hisce quaestionibus, in quibus etiam populus utriusque paroeciae aliquando partem sumere consueverat, in actis nonnulla documenta habentur. Ita anno 1709 Praepositus parochus SS.mi Salvatoris litteris diei 22 Iulii protestationem emisit coram Curia Episcopali « perchè lui inscio e « senza il suo consenso il Prevosto di S. Bartolomeo si era « recato a celebrare officio solenne da morto con messa can« tata nelle chiesa di San Tomé ».

Sed, e contra, anno 1735 Praepositus S. Bartholomaei suas querelas movit contra Praepositum SS. Salvatoris, quia – ab immemorabili – ut ait, « in detto Oratorio di San Tomé « i RR. Parrochi di S. Bartolomeo per la lontananza dalla « Veneranda Chiesa Parrocchiale si portavano per le co« munioni agli infermi circonvicini e per l'amministrazione « di altri sacramenti, il che in presente più volte è stato « impedito dal presente Rev.do Prevosto con aver traspor« tato le chiavi delle porte dell'anzidetto Oratorio ».

Haec quaestio ultimis temporibus paulisper conquiescere visa est, eo quia parochi S. Bartholomaei ad succurrendum spiritualibus necessitatibus incolentium prope oratorium S. Thomae, usi sunt alia viciniori ecclesia de proprietate familiae Locatelli. Verum cum haec aedes ob vetustatem indecens et ruinosa evasisset, et aliunde patrona familia eam restaurare renuisset, parochus S. Bartholomaei iterum coactus fuit confugere ad ecclesiam seu oratorium S. Thomae, et sic vetus quaestio excitata iterum fuit.

Interim Curia dioecesana dispositione provisoria cavit, ut parochus S. Bartholomaei uteretur praefato Oratorio pro explendis officiis parochialibus aliisque ss. functionibus in favorem circumstantis populi, quoadusque dicta controversia a superiori auctoritate esset resoluta.

Modernus vero Episcopus in actis causae ad H. S. Congregationem transmittendis haec refert: « Fu per provve« dere a questo bisogno che il mio Antecessore trovò neces« sario di disporre che fino a vertenza risoluta il parroco « di Almenno San Bartolomeo possa usare della chiesa di « San Tomè, salvi i diritti che su di essa possano spettare « al parroco di Almenno SS. Salvatore ». Et addit:

« Mi parrebbe:

1° « Essere pacifico tra le parti che al beneficio di Al« menno SS. Salvatore appartiene la chiesa di S. Tomè.

2° « Essere certo che la Parrocchia di S. Bartolomeo ha « bisogno per il bene dei fedeli dell'uso di tale Chiesa; e che « però ad essa appartengano le spese per il culto e l'uso « della Chiesa; come è ammesso anche dall'autorità civile, « sia pure destituita di canonico diritto.

3° « Essere conveniente che, qualora nell'uso della Chiesa « si verifichino danni al monumento, concorra alle ripara« zioni necessarie la Fabbriceria di Almenno S. Bartolomeo; « al che, non solo detta Fabbriceria, ma anche il Comune « sarebbero disposti e si obbligherebbero: quantunque in « diritto sembrami che tali riparazioni costituiscano una ser« vitù del beneficio di Almenno SS. Salvatore.

4° « Quindi, essere da accogliere le conclusioni del par« roco di Almenno S. Bartolomeo; salvo determinare il modo « di alleviare in tutto od in parte la responsabilità econo« mica del parroco di Almenno SS. Salvatore, anche di « fronte all'autorità civile.

« Tale il mio umile parere che avviserei più conforme « al diritto e alla condizione di fatto; benchè naturalmente « io rimetta ogni cosa alle sapienti decisioni di codesta Sacra « Congregazione ».

Modo breviatim subnectam rationes ab utraque parte allatas, nonnullis etiam pro re nata in iure animadversis.

Primum argumentum parochus S. Bartholomaei deducit ex facto quod oratorium S. Thomae intra fines suae paroeciae continetur. Iam vero pervulgati iuris est omnes eccle-

sias intra territorium alicuius paroeciae existentes, praesumi spectare ad istius paroeciae titularem, eiusque iurisdictioni subiici, quoadusque contrarium non probetur, uti constat ex decreto Gratiani *can. 1, caus. 13, q. 1*, – ibi – *ecclesias singulas singulis presbyteris dedimus: paroecias et coemeteria eis divisimus et unicuique ius proprium habere statuimus, ita videlicet, ut nullus alterius paroeciae terminos aut ius invadat, sed ut unusquisque sit suis terminis contentus et taliter ecclesiam et plebem sibi commissam custodiat.* Huic doctrinae consonum est *cap. fin. de Constitut. in 6°*, et id quod tradit H. S. C. in causa *Apuana Iurisdictionis paroecialis* diei 19 Ian. 1883 § *Decretoria.*

Quae iuris intentio vel praesumptio onus probandi in adversam partem transfert, ut passim auctores tradunt cum Sancti *Praelect. can.* in *tit. de praesumption.*

Hinc sicuti parochus S. Bartholomaei libere exercere valet ministerium paroeciale in ecclesiis vicorum seu fractionum Longa, Barlino et Canova, utpote in suo territorio existentibus, ita a pari dicendum est de ecclesia S. Thomae in vico seu fractione *Le Cascine* extante; neque parochus contradictor SS.mi Salvatoris ullum decretum sive episcopale sive Pontificium allegare valet ad probandum ecclesiam S. Thomae a iurisdictione parochi S. Bartholomaei fuisse subductam.

Praeterea subiectionem Oratorii S. Thomae paroeciae S. Bartholomaei desumi ait ex elencho officiali ecclesiarum sub an. 1667-68 peracta a cancellario Episcopali Bergomensi Marenzi: notat quod tunc temporis res erat adhuc integra, cum praesens controversia serius fuerit excitata. In citata vero elencho dum praefatum oratorium describitur inter ecclesias subsidiarias paroeciae S. Bartholomaei, de eo prorsus siletur in enumeratione ecclesiarum sub dependentia paroeciae SS.mi Salvatoris. Nec minorem lucem in themate suffundunt acta S. Visitationis dioecesanae ad rem compulsata. Ex horum examine resultat relationem super praefato oratorio non a parocho SS.mi Salvatoris fuisse peractam sed a parochis S. Bartholomaei, et huic non illi directa fuisse decreta emissa in s. visitatione, et insuper dictum oratorium fuisse spectatum uti succursale ecclesiae S. Bartholomaei.

Age vero, quod acta S. Visitationis vim habeant probativam super concernentibus statum ecclesiarum, nedum evincitur ex eo, quod Ordinarius praesumitur bene informatus de negotiis suae dioecesis, sed etiam traditur a Card. de Luca in *dis. 57 de iurepatr. num. 15* cum aliis inibi citatis. In themate vero id argui etiam potest ex silentio et acquiescentia parochorum SS.mi Salvatoris, qui nunquam reclamarunt circa talem agendi rationem visitatorum.

Aliud factum quo innititur parochus S. Bartholomaei, est antiqua et immemorabilis possessio qua sui antecessores fruiti sunt relative ad nunc contestatam iurisdictionem super pluries memorato oratorio. Re sane vera usque ad annum 1709 nulla unquam super hoc exorta erat controversia. Tunc primum parochus SSmi Salvatoris suum iurisdictionale ius in oratorium iactare et sibi tribuere coepit. At eius assertio et iactantia reiecta fuit a parocho illius temporis S. Bartholomaei, invocata in sui praesidium immemoriali possessione, uti constat ex documento in actis: quin imo, praeposito SS. Salvatoris in suis praetensionibus insistente, eo res processerunt, ut filiani S. Bartholomaei nimium de hoc pertaesi petierint et obtinuerint an. 1736 a Curia Bergomensi se subtrahi a iurisdictione Vicariali dicti Praepositi et aggregari alteri Vicariatui Foraneo loci Mapello, uti pariter ex documentis in actis liquet.

An. 1855 eadem quaestio iterum orta est super iurisdictione Oratorii S. Thomae, at parochus S. Bartholomaei parochum opponentem SS.mi Salvatoris repulit ratione praecipue innixus immemorabilis possessionis. Quod si novissimis temporibus haec possessio apparuit aliquantisper suspensa, eo quia pro ministerio paroeciali erga filianos fractionis loci *Cascine* parochus S. Bartholomaei adhibuit vicinam cappellam familiae Locatelli, id ipse evenisse ait, quia Oratorium S. Thomae ob non factas necessarias reparationes evaserat fere collabens et pro divino cultu incongruum.

Ex hisce in facto praemissis, nemo profecto est qui non videat, ait parochus, quanta sit vis longae possessionis ad determinanda iura in materia iurisdictionis paroecialis: si enim iuxta communem doctorum sententiam sufficit quadragenaria possessio ad praescribendum inter ecclesiam et ecclesiam, id magis valere debet pro possessione immemoriali, quae dici solet constituere meliorem titulum de mundo.

Neque haec possessio dici potest arbitraria; ea enim originem ducit ex facto, quod inspecta nimia distantia incolarum fractionis Cascine a propria ecclesia paroeciali, pro his omnino necessarium evadit, ut in praefato Oratorio missam diebus festivis et dominicis audiant, et inibi accedant ad suscipienda sacramenta; unde semper illud habitum fuit uti subsidiarium paroeciae S. Bartholomaei; e contra cum ipsum maxime distet ab ecclesia SS.mi Salvatoris, pro huius filianis nullam utilitatem affert.

Profecto necessitas adhibendi oratorium ad publicum cultum favore incolarum loci Cascine recognita fuit ab ipsa curia Bergomensi, uti scatet ex citato ab initio decreto eius provisorio, eamdemque admisit ipsa civilis auctoritas, uti ex sequenti facto eruitur. Cum enim suboeconomus beneficiorum vacantium idem oratorium ex Praefecti Provinciae Bergomensis iussu invisisset pro necessariis in eo reparationibus determinandis, de itineris et perlustrationis expensis onerata mansit Fabriceria paroecialis ecclesiae S. Bartholomaei, quia uti legitur in eiusdem praefecti decreto « il « provvedimento riuscì a vantaggio dei parrocchiani della « frazione delle Cascine, pei quali potè essere adibito al « culto detto tempio ». In sequelam autem huius decreti factum est, ut Fabriceria praefata una cum proprio parocho, aedituum nominaverit pro custodia Oratorii, congrua ei assignata mercede: neque praetermittendum censet animadvertere, quod municipium et Fabriceria S. Bartholomaei in promptu etiam sunt ad supportandas expensas pro oratorii manutentione, et ad tribuendum aliquod compendium parocho SS.mi Salvatoris, uti civiliter investito super dicto Oratorio, dummodo hoc libere inservire possit pro spiritualibus necessitatibus populi fractionis Le Cascine.

Hisce enucleatis, parochus S. Bartholomaei gradum facit ad refutandas difficultates quae forte ex adverso moveri possunt, et quarum prima est sequens, nempe quod parochus SS.mi Salvatoris sicuti ab immemorabili est in possessione bonorum beneficii, ita dici debet in possessione Oratorii super ipsis bonis existentis, indeque ipsi et non aliis iurisdictionem super dicto S. Thomae Oratorio iurisdictionem competere. Huic difficultati parochus S. Bartholomaei ita occurrit: praenotat hanc proprietatem vel possessionem non secumferre iurisdictionem, quae longe alia res est; secus enim etiam laici possidentes oratoria publica, dici deberent habere in ipsis ecclesiasticam iurisdictionem, quod doctrinae canonicae non est consonum. Rem illustrat exemplo Oratorii S. Mariae a Consolatione existentis in territorio paroeciali SS.mi Salvatoris, quod prius ad religiosos S. Augustini spectabat et nunc a familia Lurani possidetur: nemo profecto ambigit quod super eo iurisdictionem exercet parochus SS.mi Salvatoris.

Nec meliori omine ex adverso obiiceretur quod parocho

SS.mi Salvatoris saltem recognoscendum foret iuspatronatus, cum onus Oratorium manutenendi eidem incumbat: nam tituli iuridici ad patronatum vindicandum non sunt beneficii vel ecclesiae manutentio, sed eius dotatio vel fundatio, quos titulos idem parochus nunquam proferre valet, cum bona beneficii cum extante Oratorio sibi adiudicata fuerint ex extinctione suppressae communitatis Monialium, uti initio fuit enarratum.

Quoad argumentum desumptum ex facto quod an. 1729 in definitione finium praediorum beneficii paroecialis SS.mi Salvatoris, pro parte existente in territorio paroeciae S. Bartholomaei, iuxta publicum instrumentum eodem anno rogatum, etiam comprehensum in ipsis fuerit Oratorium et consensus syndicorum huius paroeciae intercesserit, parochus reponit nihil ex hoc concludi posse, cum proprietas et possessio bonorum beneficii una cum cappella superextante S. Thomae connexa non includant necessario in cappella iurisdictionem. Item ex adverso opponitur lapidea inscriptio de an. 1784 in ecclesia SS. Salvatoris posita et adhuc existens, iuxta quam Oratorium S. Thomae recensetur inter Ecclesias filiales paroeciae SS. Salvatoris. Verum ex parte parochi S. Bartholomaei observatur, quod haec inscriptio privata tantum auctoritate fuit affixa; aliunde in elencho ecclesiarum exhibita a parochis occasione S. Visitationis an. 1779, cappella S. Thomae recensetur inter ecclesias filiales paroeciae S. Bartholomaei.

Nec maioris ponderis habenda est alia ratio in eo consistens, quod parochi praepositi SS. Salvatoris claves Oratorii retinuerint, in eo functiones sacras peregerint, manutentionis expensas etiam sustinentes. Quoad retentionem clavium, omisso quod haec ad summum indicat civilem proprietatem, parochus recolit quod initio extincta Monialium communitate, claves retentae fuerunt a quodam oratorii custode eremita nuncupato, idque ex mandato parochianorum eidem Oratorio circumstantium, uti innuitur in actis S. Visitationis an. 1550. Inibi edicitur « haberi ecclesiam campestrem S. Thomae, quam regunt vicini parochiani loci S. Bartholomaei. Adest eremita habitans in domibus ipsius ecclesiae ». Addictis deinde bonis communitatis extinctae una cum Oratorio beneficio parochiali SS.mi Salvatoris, Oratorii claves plerumque a colonis vicinis retentae sunt, qui praefata bona culturae habebant; at hi dum erant coloni praepositi Sanctissimi Salvatoris, non desinebant esse etiam filiani paroeciae S. Bartholomaei.

Quoad sacras functiones in Oratorio S. Thomae peractas, advertit quod usque ad ann. 1735 hae semper a parochis S. Bartholomaei celebrari consueverunt. Eo tempore parochus SS.mi Salvatoris prima vice adnisus est in eo missam solemnem litare; sed non defuere protestationes ex parte tum parochi tum filianorum S. Bartholomaei: hae protestationes serius repetitae fuerunt occasione aliarum ss. functionum, quas dictus parochus usurpare tentavit; quod si demum praesertim post annum 1855, aliqua adfuit acquiescentia vel potius tolerantia, id profecto evenit, tum quia huius controversiae decisio iam auctoritati ordinariae erat remissa, tum quia secus dissidia et scandala imminere poterant.

Relate vero ad expensas sive pro restauratione fabricae, sive pro manutentione, iure merito ait ad ipsas adstringi parochum SS.mi Salvatoris: ipsi enim adiudicata sunt bona, quae in origine ad templi conservationem erant destinata.

Demum parochus subiicit, nihil conferre ad praesentem quaestionem, si dictum Oratorium nationale monumentum a gubernio sit declaratum, de eiusque custodia et manutentione oneratus manet parochus SS. Salvatoris. Nam gubernium non apparet per dictam declarationem voluisse praeiudicium inferre iuribus quaesitis filianorum S. Bartholomaei; quin imo potius contrarium asseri potest. Regius siquidem provinciae praeses ideo pro Oratorii instauratione sollicitus fuit, quo facilius adhiberi illud posset pro cultu et pro sacris ministeriis in favorem circumstantium parochianorum S. Bartholomaei, uti ex eius epistola ad suboeconomum beneficiorum vacantium deprehendi potest.

Inane item esse ait aliud perfugium a parocho SS.mi Salvatoris productum, de onere scilicet sibi facto a Gubernio monumentum servandi, manutenendi, de eoque respondendi coram civili auctoritate. Hoc enim est naturale consectarium possessionis bonorum olim ad dictum oratorium pertinentium, uti nuper fuit praemonitum.

Verum si impositum onus nimis grave evadit, parochus S. Bartholomaei declarat tum se tum ecclesiae fabriceriam, tum Municipium paratos esse ultro ad eiusmodi onus suscipiendum; idque ex eo praecipue motivo quia usus praedicti oratorii ad ss. functiones et paroecialia officia pro vicinis incolis et suis filianis est absolute necessarius.

Ex adverso parochus Teanini Praepositus SS. Salvatoris suam intentionem ita probare satagit. In primis ipse adnotat se in pacifica Oratorii possessione reperiri plus quam a 30 annis. Ex quatuor praepositis, qui per id temporis paroeciam S. Bartholomaei successive obtinuerunt, nullus ausus fuit parare sibi legale impedimentum in exercitio ss. functionum in dicto oratorio, aut controversam super ipso asserere iurisdictionem.

Factum autem pacificae possessionis in themate contendit roborari ex duabus sequentibus circumstantiis, quas ita describit: « 1° Quando venne fatto parroco di Almenno « San Salvalore il Reverendo Prevosto Baizini, era *sub-eco-* « *nomo* dei Benefici vacanti di San Bartolomeo Paggi « Prev. di Almenno San Bartolomeo, il quale aveva tutto « l'interesse e aveva buono in mano per l'Ufficio che eser- « citava, se avesse avuto diritti su detta Chiesa, di farli « valere anche presso l'autorità civile. Ora il suddetto sub- « economo non è a dire che fosse un uomo, che andasse « là, come si dice, *alla carlona*, poichè questione fu costì « e mille cose riguardo al Beneficio, tantochè il Baizini « placitato dal Governo fin dal 28 ottobre 1828 non fu « immesso nel possesso della casa parrocchiale che l'11 set- « tembre 1829 e in possesso del beneficio solo ai 21 lu- « glio 1830,

« Ebbene quel sub-economo ed insieme Parroco di Al- « menno S. Bartolomeo, quali diritti vanta nella Chiesa di « S. Tomè? Nessuno del tutto.

« 2° Si noti in secondo luogo che entrando io in possesso « del beneficio il 1873, era sub-economo dei Benefici vacanti « un altro Sacerdote di S. Bartolomeo D. Giuseppe Roligni « legalitario, stato vari anni ufficiale della nostra Curia « vescovile, il quale era tanto sottile e sofistico, che, come « si dice, si arrampicava sul vetro. Ora egli, che ebbe a « questionare col sottoscritto perchè durante la vacanza « aveva indebitamente affittato una bella parte di Beneficio, « motivo pel quale dopo pochi mesi fu destituito da sub- « economo, costui, che aveva tanto interesse e doveva essere « tanto tentato di spuntarne qualcuna contro il parroco di « Almenno S. Salvatore, se avesse avuto il minimo appiglio « riguardo la detta Chiesa, non lo avrebbe accennato e « fatto valere? Eppure nulla di nulla. E si che non poteva « cadergli fuor di mente, poichè in quel tempo (1873-74) « si trattava appunto di staccare un portico di detta chiesa « per isolarla, ed egli vi concorreva, offrendo *marte pro-* « *prio* i livelli del beneficio per 2 anni.

« Egli parla dello stato della chiesa, dei mobili che vi « sono, dello stato in cui si trovano, ma non accenna a

« dritti di sorta che vi avesse, nè il parroco di S. Barto-
« lomeo nè altri ».

Verum parochus Teanini suum ius probari dicit nedum facto tricenariae pacificae possessionis, sed etiam documentis. Sane si ad examen revocentur omnia instrumenta quibus parochi SS. Salvatoris paroeciae investituram consecuti sunt, comperitur eamdem fuisse adhibitam formam pro traditione ecclesiae paroecialis et pro traditione Oratorii S. Thomae: ita e. g. in investitura civili a sub-aeconomo claves utriusque ecclesiae novo parocho eodem modo traduntur, nec notare praetermittit, quod eaedem claves ab immemorabili a parochis pro tempore SS.mi Salvatoris retentae sunt. Age vero, si investitura in utramque ecclesiam pariformiter fit, eadem iurisdictio, consequens est, ut competat: idque ex eo etiam elucescit, quod Oratorii claves semper apud eumdem parochum servatae fuerunt, quod maximi momenti argumentum esse solet ad indicandam iurisdictionem in hac re, ad tradita per S. Rotam in *Fanen. - Ecclesiae et clavium* 5 Iulii 1680, § *Firmato;* in *Augustana - Iurispatronatus super negotio principali* 30 Ianuarii 1692 § *Hisque.... coram Ursaia*, et firmat Card. De Luca *de servit., disc. 90, n. 4.*

Sed documentum princeps, iuxta parochum Teanini, in themate est publicum instrumentum diei 14 Maii 1729. Inibi referuntur confinia trium fundorum una cum adnexa et superextante ecclesia S. Thomae, efformantium dotem parochialis beneficii SS. Salvatoris; hique fundi una cum dicta ecclesia parocho perpetuo assignati declarantur, accedente consensu syndicorum ecclesiae S. Bartholomaei, qui actus stipulationi adsunt. Ad tramites itaque dicti instrumenti parochus Teanini contendit, super oratorium idem ius sibi competere ac in praedia beneficiaria.

Deinde parochus in sui favorem invocat inscriptionem lapideam, ex qua apparet inter ecclesias filiales paroeciae SS.mi Salvatoris etiam recenseri controversum Oratorium S. Thomae ad agros, et duos alios memorat literatos lapides, referentes ecclesiam S. Thomae vetustate fere collabentem et fulguris ictu deformatam, a duobus Praepositis SS.mi Salvatoris an. 1704 et 1752 fuisse instauratam. Ex hisce concludit sibi spectare iurisdictionem super oratorium, vel sin minus iuspatronatus ex refectione s. aedis acquisitum.

Quin ex adverso oggerantur antiqua acta S. Visitationis, ex quibus scatet Oratorium pertinuisse ad ecclesiam paroecialem S. Bartholomaei, seu fuisse sub eius dependentia et iurisdictione; reponit enim parochus Teanini, quod ipsa ad summum constituerent indicium adminiculativum, sed veram et absolutam probationem efficere nequeunt. Id roborat auctoritate Piasec. in *Praxi episc. p. 2, cap. 5* — ibi — « Libri visitationum licet probent quoad visitationem personarum et sacramentorum, tamen non sufficerent ad probandum iuspatronatus et iurisdictionem, cum fiant absque causae cognitione ».

Ulterius parochus Teanini, praenotato quod parochus contradictor Pezzoli an. 1903 a se expostulavit licentiam missam celebrandi diebus festis in Oratorio pro commoditate circumstantis populi, cum publica cappella Locatelli iam diruta esset, ad confirmanda allata iura, sequentia facta urget, nempe: « 1° L'andarvi (in detto Oratorio) ogni anno detto « Parroco di S. Salvatore, o mandarvi un suo sacerdote a « celebrarvi la Messa il giorno di S. Tommaso, Messa che « ai tempi del Parroco Rota si cantava e nella quale anche « si predicava.

« 2° Il celebrarvi ogni mattina nei tempi dell'uccellanda, « che eravi nel quadro di S. Tomè, dal parroco Baizini e « suoi nepoti.

« 3° L'andarvi ogni anno processionalmente in un dì delle « Rogazioni, quantunque *si vada fuori* di parrocchia etc... « sono tutte prove o conferme, che la Chiesa di S. Tomè fu « ed è del Prevosto di Almenno S. Salvatore, il quale può « andarvi quando vuole, celebrarvi quando gli piace, o farvi « tutte le funzioni, che gli aggrada, quando non offenda i « diritti altrui ». Ex hisce deducit suum ius satis superque firmari.

Non omittit demum notare, quod refert scriptor Maironi in suo lexico odeporico, seu itinerario provinciae Bergomensis, relate ad controversum Oratorium: « Questo prezioso « avanzo di antichità sacra si mantenne sempre soggetto ai « dritti parrocchiali del Capo Pieve di Almenno, sebbene il « termine all'intorno sia stato smembrato nella creazione « della parrochia di S. Bartolomeo ».

Hisce praestitutis in sua prima memorialis parte, contendit in secunda oratorium a sua dependentia et iurisdictione eximi non posse, utpote nuper declaratum nationale monumentum, cuius officialis custos et vigil parochus SS.mi Salvatoris est designatus. Utique ab immemorabili parochi SS.mi Salvatoris iurisdictionem et potestatem super illud exercuerunt; verum novissimis temporibus ex tradita officiali custodia ab auctoritate civili, eorum sollicitudo et diligentia circa eius manutentionem arctior esse debet. Hinc maior et potentior ratio urget ut oratorium ab ipsis exclusive dependeat et reguletur.

Narrat deinde tractatus qui intercesserunt super hanc rem inter gubernium et suum praedecessorem Baizini, et haec addit:

« Nel 1873 al parroco Baizini succede il sottoscritto.

« L'Economato Generale dei Benefici Vacanti promette al « sottoscritto di cedere tosto e prima che finisca l'anno la « Amministrazione del beneficio parrocchiale, purchè con- « corra nella spesa dei restauri a S. Tomé (1874, 25 aprile).

« Mi viene ordinato di fare i preparativi perchè sono « imminenti le prove di restauro (1874, 9 giugno).

« Sono invitato a recarmi in Prefettura onde appianare « la vertenza circa i lavori di restauro a S. Tomé (1874, « 4 agosto).

« Mi vien mandato da firmare il verbale di seduta della « Commissione delle Belle Arti tenuta in mio concorso per « appianare dette differenze (1874, 4 detto).

« Sono invitato dall'Economato Generale a concorrere nella « spesa dei restauri a S. Tomé (8 agosto-16 settembre 1892).

« E difatto il sottoscritto vi concorre coll'offerta di L. 200 « (*duecento*) (11 ottobre detto).

« E per non essere noioso verrò agli ultimi:

« Il Prefetto prende atto del formale impegno assunto dal « parroco di Almenno S. Salvatore circa la manutenzione « del tempio di S. Tomé (23 settembre 1903).

« Il Prefetto (insistendo sulla calunnia che detta Chiesa « sia fatta deposito di stramaglie) desidera che sia officiata « e abbia un custode, intimando che (17 gennaio 1904) al- « trimenti *affiderà ad altri* la custodia della stessa. Il Pre- « fetto dichiara la necessità e l'urgenza che S. Tomé sia « tolto dalle dipendenze del Prevosto di Almenno S. Salva- « tore e dato in consegna al Comune di Almenno S. Barto- « lomeo, il quale è pronto accettarla ed assumere la manu- « tenzione e la responsabilità della custodia. (Dunque la ma- « nutenzione e la responsabilità della custodia adesso è del « Prevosto di Almenno S. Salvatore).

« Però è invitato (il Prevosto di S. Salvatore) a manife- « stare in proposito i suoi intendimenti (2 marzo 1904).

« Infine il Prefetto, dopo un sopraluogo del Subeconomo « è persuaso che il Parroco di Almenno S. Salvatore, non « solo si è impegnato a provvedere, ma provvede alla ma- « nutenzione di S. Tomé. Revoca i provvedimenti minacciati,

« egli ordina (25 aprile 1904) la riparazione dei parafulmini « (che costava al sottoscritto L. 80).

« Dopo questi documenti non so chi possa dubitare, che « esclusivamente al Parroco di Almenno S. Salvatore spetta « non solo la manutenzione ordinaria di quel *Monumento Na- « zionale*, ma anche la responsabilità della custodia, poichè « nessun altro mai viene chiamato da nessuna autorità re- « sponsabile dei guasti veri o suppositizi avvenuti a quel « tempio ».

Hisce utrinque delibatis, modo placeat EE. VV. pro ea qua pollent iuris peritia, declarare cuinam ex duobus contendentibus iurisdictio competat super praefato Oratorio.

Quare etc.

Responsum fuit: *Ad mentem, iuxta votum Episcopi.*

3019/5 II.

Romana et aliarum. — Excardinationis et S. Ordinationis.

Declaratur: 1° dispositionem Concilii Baltimorensis, quae admisit incardinationem praesumptam, abrogatam fuisse ex Decreto *A primis* 20 Julii 1898; abrogationem vero non esse retrotrahendam: — 2° extendendam esse ad laicos normam pro clericis introductam, ad Episcopum ordinatorem facilius acquirendum, juxta normas per decretum evulgandas, facto verbo cum SSmo.

Iam a die 8 Februarii 1899 Sacra Congregatio de Propaganda Fide ad hunc Sacrum Ordinem has litteras dederat: « Cotesta S. C. del Concilio con Decreto 20 luglio 1898 (1) ha « stabilito che, circa l'ordinazione dei laici o dei chierici « provenienti da altre diocesi, che non possono usufruire del « beneficio dell'escardinazione, *standum sit dispositionibus « Const.* " *Speculatores* „; giusta le quali disposizioni il « Vescovo non può ordinare se non che i propri sudditi *vel « ratione originis, vel ratione domicilii.* Affinchè poi uno « possa dirsi suddito *ratione domicilii relate ad ordines « suscipiendos*, è necessario che almeno per un tempo no- « tevole abbia dimorato sul luogo, e che con giuramento « affermi di volervi rimanere in perpetuo.

« Ora accadendo assai spesso nei luoghi di Missioni sog- « getti alla *Propaganda* che gli Ordinari accettino giovani « specialmente laici provenienti da altre diocesi, *purchè « muniti delle testimoniali e del consenso del rispettivo « Ordinario*, inviandoli poi per gli studi e per le ordina- « zioni in Collegi esteri, *senza prima farli recare nel « proprio territorio*, onde evitare le ingenti spese dei viaggi; « (quod fit ut domicilium in territorio Episcopi ordinantis non acquirant, deficiente uno ex elementis necessariis ad domicilium acquirendum, nempe facto commorationis) « fu « umiliata istanza a Sua Santità, per ottenere che con ispe- « ciale Indulto gli Ordinari dei luoghi di Missione possano « accettare giovani laici provenienti da altre diocesi, col « solo giuramento di volere servire in perpetuo alla rispet- « tiva diocesi o Missione, prima che di presenza ne acqui- « stino il domicilio, come appunto per particolar privilegio « si usa cogli alunni del Collegio Urbano: — ed a questa « istanza il Santo Padre, nell'udienza del 24 gennaio scorso, « si degnò rispondere ordinando che si domandasse in pro- « posito il parere di cotesta S. Congregazione ».

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. VI, p. 351.

Die vero 22 mensis Februarii 1899 Episcopus Ratisbonensis alteram praecedenti intime connexam quaestionem ad hanc S. C. resolvendam movit:

« In Germania adhuc in usu erat ut sicuti clericis, ita « etiam laicis concederentur litterae dimissoriales, quibus « ab una dioecesi dimittebantur, ut statim in aliam dioe- « cesim in perpetuum reciperentur, absque conditionibus in « Constitutione *Speculatores* praescriptis. Nunc quaeritur: « *1)* utrum eiusmodi litterae dimissoriales, laicis concessae « ante Decretum S. C. C. diei 20 Iulii 1898 validae fuerint « necne; — et quatenus affirmative: *2)* utrum etiam post « citatum Decretum eiusmodi litterae dimissoriales laicis « valide concedi possint ».

Porro dicta dubia pro opportuna solutione proposita fuerunt in generalibus comitiis EE. PP. die 17 Iunii anni 1899 sub hisce dubitationis formulis:

I. *An attenta consuetudine, vir laicus qui cum litteris testimonialibus et de licentia proprii Episcopi apud alienum Episcopum eligit domicilium, statim vi electionis domicilii iuramento confirmatae ad Ordines promoveri possit in casu.*

II. *An et quomodo providendum sit in casu.*

At tunc temporis E.mi Patres ab edenda sententia sese abstinuerunt, mandantes hac in re exquiri votum unius ex Consultoribus, quem ipsi E.mi Patres designare voluerunt. Hic autem quamvis instanter saepiusque compulsus esset, consultationem tamen suam semper edere distulit, usque dum ad ultimum declinavit officium et positionem restituit, aestimans provisum iri per novam legum ecclesiasticarum ordinationem, quam SS.mus D. N. faciendam decrevit.

Sed nuperrime ex parte S. C. christiano nomini propagando praepositae, novae instantiae factae sunt ut res examini subiiceretur. Haec enim E.mus illius S. C. Praefectus scribebat:

« Questa S. Congregazione di Propaganda con ufficio « degli 8 Febbraio dell'anno 1899, per ordine dato dal « Sommo Pontefice Leone XIII di fel. me. nell'udienza del « 24 Gennaio del medesimo anno, si rivolgeva a cotesta « S. Congregazione del Concilio perchè volesse esprimere il « suo parere sulla domanda fatta da alcuni Ordinari di « luoghi soggetti alla Propaganda sul modo di accettare ed « ordinare per le proprie Diocesi o Missioni i giovani laici « forastieri, che senza essere mai stati nel territorio a cui « sono destinati, compiono in Collegi esteri la loro educa- « zione, ed ivi sono promossi alla sacra tonsura ed agli « ordini.

« Non essendosi però finora ricevuta risposta, e perve- « nendo alla Propaganda nuova domanda per provvedere a « casi che occorrono frequentemente, il sottoscritto Cardinal « Prefetto della S. C. di Propaganda, riferendosi al più par- « ticolareggiato esposto fatto con l'ufficio del giorno 8 Feb- « braio 1899, torna a pregare l'Eminenza Vostra R.ma, acciò « voglia compiacersi di dare in proposito quell'autorevole « parere, che fu richiesto alla S. Congregazione del Concilio « per volontà del Sommo Pontefice ».

Simul vero Delegatus Apostolicus in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis a S. C. de Propaganda dubium definiri poscebat, quod ad eamdem materiam pertinet. Litterae eius ab illa ad hanc S. C. pro opportuna provisione transmissae, hae sunt:

« La S. C. del Concilio a dì 20 Luglio 1898 emanava un « decreto sull'incardinazione e scardinazione dei chierici, « nel quale (n. 2°) viene stabilito: *Incardinationem facien- « dam esse ab Episcopo, non oretenus, sed in scriptis, « absolute et in perpetuum.* Nel III Conc. di Baltimora « (A. D. 1884) nel n. 66 si legge: *Praesumptam incar-*

« *dinationem haberi declaramus, si Episcopus, elapso* « *triennio vel respectivo quinquennio probationis, actum* « *adscriptionis formalem omiserit.*

« Si domanda se in forza del detto decreto del Concilio, « il quale richiede l'incardinazione *in scriptis*, sia restato « annullato il citato decreto del Conc. di Baltimora, che « ammette *l'incardinazione presunta;* ed in caso afferma- « tivo, se detta legge abbia vigore retroattivo riguardo a « casi quando il triennio o quinquennio di prova, secondo « il detto Conc. di Baltimora (n. 62, 63), sia già spirato « prima dell'emanazione del citato decreto della S. C. del « Concilio ».

Instat autem Emus S. C. de Propaganda Praefectus, ut etiam haec quaestio definiatur.

Cum itaque, postulante S. illo Ordine, et urgente necessitate, propositorum dubiorum solutio differri ulterius non possit, quamvis Consultoris votum obtineri nequiverim, rem tamen Em. Patrum iudicio subiiciendam duxi nonnulis ex officio de more adnotatis.

Atque in primis quaestiones ipsae enucleate atque in terminis statuendae videntur. Et incipiendo a faciliori, quam Rmus Delegatus Apostolicus Washingtoniae instituit, quaeri posset:

1° An dispositio Concilii Baltimorensis, quae admisit incardinationem praesumptam, abrogata fuerit ex decreto *A primis* 20 Iulii 1898, quo statutum fuit ut incardinatio in scriptis fiat. — *Et quatenus affirmative;*

2° An haec abrogatio retrotrahenda sit ad casum quo aliquis clericus admissus in non propria dioecesi, ibi expleverit triennium vel quinquennium commorationis (quo praesumitur incardinatio) ante diem 20 Iulii 1898, scilicet ante decretum *A primis*, quo vetus disciplina mutata est.

Et haec est primi ordinis quaestio. Alia vero est relate ad usum in Germania atque alibi inolitum concedendi excardinatorias litteras (seu, uti vocant, dimissoriales) ipsis laicis, ad effectum ut hi possint ordinari ab Episcopo benevolo receptore, tamquam proprio, non servatis regulis Constitutionis *Speculatores*, eodem modo ac cum clericis fieri coeptum erat. Et quoad hoc punctum quaeri posset:

1° An haec consuetudo vim legis obtinere potuerit, seu praescribere contra ius commune, adeo ut Episcopi legitime inolitam praxim servare potuerint.

2° An decretum *A primis*, vi clausulae finalis superius citatae, has particulares consuetudines abrogaverit.

3° In quocumque casu (et haec est quaestio practica) utrum haec ratio obtinendi proprium Ordinarium ad effectum S. Ordinationis probanda sit, et quibusnam cautelis: uno verbo, utrum extendenda sit ad laicos norma pro clericis introducta, ad Episcopum ordinatorem facilius acquirendum.

Tertio loco est quaestio specialissima, quam S. C. de Propaganda iam pridem diluenda postulaverat, et nunc denuo instat ut definiatur. Porro ut punctum clare lucescat, casum practicum confingam. Titius iuvenis laicus dioecesis Westmonasteriensis in Anglia acceptatur ab Ordinario Sydneyensi in Australia subsequenter ad conventiones quae per epistolas intercesserunt, exhibito consensu cum dimissorialibus litteris Archiepiscopi Westmonasteriensis. Ast Titius non proficiscitur ad dioecesim adoptionis, sed convenit cum Archiepiscopo Sydneyensi, ut studia peragat in Lovaniensi Universitate: ibique durante studiorum curriculo, cum dimissoriis litteris Archiepiscopi Sydneyensis (qui illum retinet qua proprium subditum) ad sacros ordines gradatim promovetur, ac demum Sydneium pergit sacerdos iam factus. Ut patet, haec quaestio non parum differt a praecedenti. In praecedenti supponitur, laicum hominem, qui discessoriales obtinuit et Episcopum benevolum receptorem invenit, in eius dioecesim migrasse, et in ea domicilium canonicum incoepisse: heic vero non ita. Illic igitur minor iuris communis offensio, minor legis derogatio; heic maior. Illic supponitur Episcopum personaliter cognoscere et experiri hominem quem recepit; heic autem excluditur. Itaque casus ille ab hoc differt, et species facti ac quaestio diversae sunt.

Hisce positis, et quaestionibus variis maiori qua valui perspicuitate distinctis et enucleatis, modo ad singulas nonnulla animadvertam.

Et ad primum quod attinet, nempe circa dispositionem Synodi Baltimorensis, quae incardinationem praesumptam admisit et probavit, quaeri debet utrum dispositio haec abrogata fuerit ex contraria dispositione decreti generalis *A primis.*

Et pro responsione negativa stare videtur principium illud, quod nova lex generalis non censetur tollere aut revocare rationabiles consuetudines et particularia statuta locorum, nisi id exprimatur. En verba capitis I, *de Constit. in 6*: « Quia tamen locorum specialium et personarum singularum « consuetudines et statuta (cum sint facti et in facto consi- « stant) potest Romanus Pontifex probabiliter ignorare; « ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a « se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non in- « telligitur in aliquo derogare ». Concinunt et doctores, uti videre est penes Reiffenstuel *(Ius. can., lib. 1, tit. 1, n. 498)*.

Accedit quod, priusquam dictum decretum evulgaretur, fortasse, praeter incardinationem scriptam, viguit etiam incardinatio oralis vel aequipollens, quae parum vel nihil differunt a praesumpta, post expletum commorationis triennium vel quinquennium admissa. Hoc generatim innuit Lega (*de iudiciis eccl., vol. 2, pag. 363 in nota*), qui ut probet potestatem legiferam S. C. Concilii, in exemplum profert decretum *A primis*, quippe quod « complura statuat quae « hactenus iure communi non continebantur ». Et explicitius *Acta S. Sedis (vol. 39, pag. 21)* tradunt « quod veteri iure « *(seu ante citati decreti promulgationem)* praeter scriptam « incardinationem, etiam oralis, imo et aequipollens seu « implicita incardinatio in usu erat, dummodo certo con- « staret de voluntate utriusque Episcopi clericum perpetuo « et absolute dimittendi, eumque item perpetuo et absolute « recipiendi ».

Quapropter non immerito concluditur sufficientem non adesse rationem cur incardinatio praesumpta, de qua sermo est in Synodo Baltimorensi, dummodo debitis conditionibus sit vallata, debeat improbari.

At ex adverso observandum est extra controversiam minime esse quod ante decretum *A primis* incardinatio fieri valide posset absque scripto instrumento. Excardinatio enim et incardinatio veram important alienationem clerici de una ad aliam dioecesim, cuius effectus iuridici certo certius probari debent; quod quidem nonnisi per documentum scriptum obtinetur. Nil mirum proinde si etiam veteres auctores, uti Fagnanus *(lib. 3, tit. de paroeciis, cap.* Significasti, *n. 2 et 4)*, Reiffenstuel *(lib. 3, tit. 29, num. 11)*, Ferraris *(v.* Testimoniales, *n. 16)* loquantur de excardinatione clerici scriptis facienda. Hinc probata ephemeris *Il Monitore ecclesiastico (vol. 8, part. 2, p. 275 in nota* d) multo ante evulgatum decretum *A primis*, haec docebat: « Questo « decreto d'incardinazione *(nempe documentum scriptum)* « deve notificarsi così al sacerdote che s'incardina, come al « clero o al Capitolo a cui s'incardina ».

Nolim tamen huic doctrinae innixus sustinere nullius valoris esse decretum Baltimorensis Concilii de incardinatione praesumpta. Nam etsi veriorem et opportuniorem aestimem sententiam, requirentem scriptum documentum ad incardi-

nationis effectum; nihilominus in re haud undequaque perspicua non dicam Baltimorensibus Patribus prohibitum fuisse, quominus normam quamdam contrariam hac de re statuerent et in usum deducerent.

Quo posito videndum superest, utrum generale decretum *A primis* particularem dispositionem contrariam Synodi Baltimorensis abrogaverit. Et ratio id affirmandi utique non deest. Siquidem verba decreti *A primis*, si in se inspiciantur, absoluta sunt, et cuiuslibet alterius modi incardinationis peragendae abrogatoria.

Quod fortius tenendum videtur si legis finis inspiciatur. Ideo namque decretum illud datum fuit et certae normae statutae ad incardinationem et excardinationem peragendam, ut contentiones, difficultates et abusus quae circa hanc rem obtinebant, de medio tollerentur.

Contraria itaque praxis hoc ipso irrationalis evadere videtur et implicite ex ipso legis fine abrogata censenda est.

Nec aliquid valere videtur difficultas, quod legislator incardinationem aliter quam scripto factam expresse non irritaverit, hoc enim necessario non requiritur, quum profluat ex ipsa natura rei.

Et ipse Iustinianus *(Cod. tit. 14, 5)* nos docet: « Ut legislatori, quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat, « caeteraque quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere, « hoc est ut ea, quae legi fieri prohibentur, si fuerint facta, « non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet « legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, « inutile esse debere quod factum est ». Congruit et ius canonicum in *cap. 1, de Constit. in 6*, ubi decernitur: « Romanus Pontifex (qui iura omnia in scrinio pectoris sui « censetur habere) constitutionem condendo posteriorem, « priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare « noscitur ».

Caeterum in fine ipsius decreti apposita adest specialis quoque clausula derogatoria, nimirum « contrariis quibuscumque minime obstantibus », per quam contraria omnia censentur abrogata ac si essent in specie expressa. Cfr. Laymann *(lib. 1, tit. 2, cap. 1, n. 12, in 6)*.

Relate vero ad dubium subordinatum, nimirum utrum dispositio decreti *A primis*, retrotrahenda sit in detrimentum eorum, qui ex triennio aut quinquennio commorationis in aliqua dioecesi, incardinationem praesumptam obtinuerint ante dicti decreti evulgationem, vix locus disputationis esse videtur.

Lex enim non agit retro, nisi aperte id caveat, sed quae futura sunt opportune disponit. Decretum autem *A primis* minime improbavit incardinationes praesumptas aut oretenus praecedenter factas; ergo eae stare debere videntur.

Gradum deinde faciens ad alteram quaestionem quam primum Ratisbonensis Episcopus, et deinde alii quoque Ordinarii fecerunt, observo hoc quaestionis genus in tria dubia posse dispesci, ceu superius innui, nempe quaeri posse *1)* an ex consuetudine Constitutioni *Speculatores* contraria, introduci potuerit novum ius, quo liceret Episcopis ordinare laicum hominem, qui litteras excardinationis seu dimissoriales a suo Episcopo obtinuerit, non servato spatio temporis quod ad acquirendum utile domicilium Constitutio *Speculatores* praescribit; *2)* utrum particulare hoc ius adhuc vigeat, an potius abrogatum fuerit a decreto *A primis; 3)* (quidquid sit de duobus prioribus dubiis) an et quibusnam cautelis novum hoc ius ratum haberi, seu introduci possit.

Iamvero de primo et altero dubio pauca dicam. Nam quod alicubi novum ius Constitutioni *Speculatores* contrarium introduci potuerit, ex valore et aestimatione consuetudinis pendet. Examinari enim in primis oporteret, an in hac illave dioecesi seu regione consuetudo iis de facto induta fuerit requisitis, quae ad praescribendum contra communem legem necessaria sunt. Deinde vero in linea iuris discutiendum esset, utrum contra dispositionem Const. *Speculatores* de qua agitur, praescribi potuerit. Et quisque intelligit haec omnia haud facilis solutionis futura.

Posito autem quod primo huic dubio responsio affirmativa data esset, quaestio altera subordinata tunc nasceretur, an scilicet particulare hoc ius abrogatum fuerit per decretum *A primis*. In articulo enim VI haec statuuntur: « Denique « quoad laicos aut etiam quoad clericos, qui excardinationis « beneficio uti nequeunt vel nolunt, standum esse disposi- « tionibus Constitutionis *Speculatores*, quae, nihil obstante « praefato decreto, ratae ac firmae semper manere debent ». In fine autem decreti additur SS.mum resolutionem S. C. approbare et confirmare dignatum esse « contrariis quibu- « scumque minime obstantibus ». Unde quaeri posset, an articulus VI ita coniungatur cum clausula finali abrogatoria ut abrogatae censeri debeant consuetudines, quae forte invaluerint, Constitutioni *Speculatores* contrariae.

Plura hac de re hinc inde disputari certe possent. Sed si id, quod verius primo intuitu apparet, mihi liceat exponere, fatear clausulam abrogatoriam (saltem eo modo conceptam ut in decreto *A primis* invenitur) afficere non posse nisi id quod constituit ius novum: de eo enim obvie et naturaliter decerni potest, ut valeat utique « contrariis quibuscumque minime obstantibus ». Sed in eo in quo ius vetus manere debere declaratur, clausula abrogatoria non intelligitur. Declaravit itaque decretum *A primis* quod relate ad laicos, itemque quoad clericos, qui uti nolunt vel nequeunt excardinationis beneficio, standum sit dispositioni Constitutionis *Speculatores*. Porro hoc valet pro iis omnibus locis ubi dispositio praefata viget: si vero alicubi alia dispositio vel per consuetudinem vel per aliud speciale ius introducta fuerit, haec stare debet, utpote dispositioni *Speculatores* subrogata; et clausula finalis « contrariis etc. » ad hoc respicere non potest, neque ad hoc eam extendere licet.

Quidquid tamen sit de his omnibus, quaestio gravior, quae peculiarem considerationem meretur, et de qua E.mi Patres alia vice potissimum quaesierunt, tertia est, utrum scilicet nova disciplina pro clericis introducta ad Ordinarium proprium facilius obtinendum pro sacra ordinatione ope excardinationis, extendenda quoque sit — analogo saltem modo — etiam ad laicos.

Hic usus certe vigebat in Germania, in Gallia, et, ceu audivi, etiam in Hispania, et certissime imo vel ampliori modo in locis Missionum recipiebatur, ut apparet ex postulatione S. C. de Propaganda.

Iamvero observari in primis posset quod litteras excardinationis laicis concedere absurdum per se sit. Nam cum laici incardinati non sint (nam incardinatio in aliqua dioecesi efficitur et obtinetur per ordinationem), et cum incardinati sint et esse possint dumtaxat clerici; iam liquet ne cogitari quidem posse de laicorum excardinatione: et ideo excardinatorias litteras iis concedere contradictionem involvit, et impossibile videtur.

Verum ex altera parte magis factis quam verbis videtur attendendum. Utique litteras excardinationis laicis concedere locutio impropria et absurda est: quod quidem et intellexerunt plurimi Ordinarii, qui idcirco has litteras laicis concessas, potiusquam excardinationis, vocare maluerunt *excorporationis*, vel etiam *dimissoriales*. Sed quidquid sit de nomine, si res in se inspiciatur, nulla videtur esse valida ratio qua Episcopus prohibeatur, quominus ius suum nativum quod habet in laicos suae dioecesis alteri Episcopo cedat.

Imo si concessum est ut Ordinarii dimittere et excardinare clericos sibi subditos possint, a fortiori hoc ipsis concedendum videtur pro laicis. Hi enim minus devincti dioecesi, minusque paroeciae et ecclesiae mancipati dicendi sunt; ideoque naturaliter dimitti facilius debent. Qua in re citasse sufficiat ex recentioribus Many *(de S. Ordin. n. 71)*, qui signanter haec habet: « Caeterum usus est immemorialis in « Gallia et praesertim hic Parisiis, ut etiam laici excorpo- « rentur. Porro decretum *(A primis)* non tollit expresse con- « suetudines contrarias; ergo hae consuetudines, caeteroquin « rationales et legitime praescriptae, dici debent vi *cap. 1*, « *de Constit. in* 6, adhuc vigere ».

Videtur itaque, congrua congruis aptando, ac debitis cum cautelis permitti posse ut Episcopi ius suum nativum, quod in laicos suae dioecesis habent, cedere possint alii Ordinario; et hic laicum hominem quem hac ratione sibi subditum effecit, postquam rite cognoverit et probaverit, ad Ordines promovere possit iisdem sub modis et conditionibus ac pro clericis excardinatis statutum est, firma utique semper dispositione nuperrime (1) data de alumnis a seminario dimissis.

Denique quod ad tertiam et ultimam quaestionem pertinet, lex quae viget certe contraria est postulationi et desiderio plurium, qui vellent faciliorem modum inveniri ad proprios faciendos laicos extradioecesanos. Siquidem iuxta praescriptum decreti *A primis*, necesse omnino est ut candidatus iuret: « se vere et realiter animum perpetuo permanendi in « dioecesi habere »; quod peragi nequit, nisi, praeter animum, etiam domicilium verificetur. Quod confirmatum invenitur ab H. S. C., quae in una *Manizalen. — Dubiorum quoad sacram ordinationem* diei 21 Ian. 1905 (2) nonnisi ex gratia concessit Episcopo Manizalensi facultatem ordinandi, absque proprii Ordinarii dimissoriis, extraneos laicos, licet ipsi in illo Seminario iam per triennium commorati fuerint.

Tota quaestio igitur est utrum expediat hanc disciplinam immutare. Speciales enim conditiones, in quibus versantur catholicae Missiones, id exigere videntur; quum ipsis fere impossibile sit tot tantosque iuvenes e dissitis locis in loca Missionum transferre, ut inibi proprium acquirant domicilium et Ordines suscipiant. Suffragatur quoque exemplum privilegii concessi collegio S. C. de Propaganda aliisque piis aeducationis institutis. Unde videtur commorationis factum suppleri posse per alias cautelas, quae ab EE. PP. decerni poterunt.

Quin ex adverso obiiciatur, quod hoc modo Episcopus incardinans cognoscere non valeret suos clericos; quum ipse bene possit necessarias atque opportunas eorum informationes a Seminariorum moderatoribus aliisque haurire, ceu praecise evenit pro alumnis qui commorantur in collegio de Propaganda aliisque institutis, qui simili privilegio fruuntur.

Erit igitur prudentiae et sapientiae EE. PP. statuere quid in Domino magis expedire iudicaverint.

Quare etc.

Responsum fuit: *In prima quaestione: ad 1um affirmative; ad 2um negative. In secunda quaestione: ad 1um et 2um providebitur in tertio; ad 3um affirmative, iuxta normas per decretum evulgandas, facto verbo cum SSmo. In tertia quaestione: provisum in praecedenti.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIV, p. 62.
(2) *Item*, vol. XIII, p. 16.

3932 / 5 III.

Romana et aliarum. — Dubiorum circa Sacram Communionem.

S. Communionis frequentia commendanda est etiam pueris qui ad s. mensam semel admissi sunt iuxta normas Cathechismi Romani, cap. 4, n. 63. Quoad vero infirmos chronicos aliosque diuturno morbo laborantes, sed absque vitae discrimine, qui tamen ieiunium naturale servare non valent, supplicandum SSmo ut tanquam legem generalem pro universa Ecclesia extendat Indultum quod hodie per organum S. Officii sat facile concedere solet, vi cuius praedicti infirmi bis in hebdomada, si sint moniales et religiosi viri, vel saltem bis in mense, si sint laici, ad s. mensam accedere possint, licet aliquid prius sumpserint per modum potus.

Die 20 Decembris 1905, SS.mus D. N. Pius PP. X, ex S. H. C. consulto decretum edidit *De quotidiana SS. Eucharistiae sumptione*, (1) quo « omnibus Christifidelibus cuius- « vis ordinis aut conditionis » summopere commendatur « Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Do- « mino et a catholica Ecclesia optatissima; ita ut nemo, « qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad « S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit ».

Inibi praeterea sub n. 7 statuitur: « Communio fre- « quens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuius- « vis generis promoveatur..., quam maxime quoque pro- « moveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni al- « taris inhiant servitio, item in aliis christianis omne genus « ephebeis ».

Quin imo ut laudabilis ac valde Deo acceptus communionis quotidianae usus efficacius in dies ubicumque propagetur, atque uberiores fructus edat, Sanctitas Sua nedum die 30 Maii 1905 (2) omnibus Christifidelibus, qui devote recitaverint orationem pro pii usus quotidianae communionis propagatione, indulgentias tribuit, verum etiam per decretum *Urbis et Orbis* diei 14 Februarii 1906 (3) a Sacra Cong. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita datum, benigne elargitus est ut per quotidianam Communionem lucrari possint omnes indulgentiae, absque onere confessionis hebdomadariae.

Quanto cum obsequio universim, et quam laetanter apud plures exceptae sint benignae S. Sedis dispositiones et declarationes hac de re, probant litterae quamplures Episcoporum, ac Superiorum Ordinum religiosorum ad S. C. directae, nec non ephemerides non paucae quae de Decreto diei 20 Dec. 1905 egerunt.

At una simul dubia et postulationes ad S. C. exhiberi coeperunt, inter quae duo potissimum peculiarem considerationem merentur, quae nempe respiciunt iuvenes nuper ad S. Mensam admissos et infirmos chronico morbo laborantes.

En quae ad rem scribebat religiosus vir e Belgio:

« D'abord, les pauvres *malades* resteront-ils seuls exclus « des faveurs du Saint-Siège? Ceux qu'une infirmité chro- « nique ou prolongée empêche d'observer dans toute sa « rigueur le jeûne eucharistique n'obtiendront-ils pas quelque « adoucissement, de manière à n'être pas privés, durant de « longues semaines du Pain de Vie. Actuellement la plupart

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIV, p. 61.
(2) *Item*, vol. XIII, p. 259.
(3) *Item*, vol. XIV, p. 107.

« des prêtres ne croient pas pouvoir accorder la communion, « sauf à ceux qui ont reçu les sacrements des mourants, et « dans la période où le danger persiste.

« Un autre vœu concerne les *enfants*. Le Décret du Saint-« Père, quoique reçu avec la plus entière soumission, ne « détruit pas subitement l'effet de longs préjugés, puisés « dans l'étude et accrus par la pratique. Pour ce motif, des « prêtres sages et pieux redoutent qu'on ne se montre en-« core hésitant et sévère pour accorder la communion quo-« tidienne aux jeunes enfants. Leur crainte s'augmente de ce « que le mot « ephebei » du Décret, pourrait être restreint, « par des esprits prévenus, aux seuls adolescents. Il est « pourtant certain, et par la raison et par l'expérience, qu'il « importe *avant tout* de faire communier les plus jeunes « enfants, afin qu'ils s'imprègnent de la grâce de Notre-« Seigneur — *imbuantur Christo* — avant que les pas-« sions n'aient ravagé leurs cœurs. Hélas! trop souvent « maintenant c'est le contraire, et la difficulté grossit dou-« blement et de faire accepter un remède aussi nécessaire, « et de détruire les effets déjà si profonds, dans l'esprit, « dans le corps et dans la volonté, de passions mauvaises « auxquelles les enfants sont plus exposés que jamais. Les « prêtres qui pensent ainsi vous offrent leurs humbles et « instantes prières pour que Sa Sainteté daigne redire avec « autorité à tous les prêtres la parole de Jésus-Christ: *Si-« nite parvulos venire ad me!* Les vœux seraient com-« blés si en même temps l'exemple de Cottolengo, de don « Bosco, et d'autres apôtres si saints et si éclairés de l'en-« fance, était publiquement loué et proposé à l'imitation ».

Sciendum est enim in pluribus dioecesibus mos hucusque fuisse quod pueri et puellae ad primam Communionem semel admissi, prohibebantur de S. Synaxi cito iterum participare; imo alicubi nonnisi post annum ad novam eucharisticae mensae participationem accedere permittebantur, in nova nempe solemni functione primae Communionis.

Unde praeclarissimus vir rogavit SS.mum D. N. ut dignaretur duo haec dubia resolvere:

I. — *Quotidiana Eucharistiae sumptio in catholicis ephebeis suaderi ne debet etiam pueris quibuscumque post susceptam primam Communionem?*

II. — *Infirmis, qui diuturno morbo laborant, nec naturale ieiunium in sua integritate observare queant, nullum remedium suffragari potest, ne pane eucharistico tam longo tempore priventur?*

Cum autem Sanctitas Sua huius negotii examen ad S. V. O. remiserit, nonnulla de more hinc inde quoad utrumque dubium adnotabo.

Et quoad primum, rationes quae militant ad continendos pueros a frequenti S. Synaxis participatione ita plerumque exponuntur.

Ipsi enim non ea adhuc discretionis mente praediti apparent, quae requiritur ad hoc ut digne et efficaciter sumere frequenter valeant SS. Corpus Christi. Quum praeterea a rebus sensibilibus et extrinsecis facile abstrahantur, atque facilius a contemplatione mysteriorum Dei avertantur saepe saepius absque debita praeparatione et gratiarum actione ad S. Eucharistiam accedere solent, sacramentum periculo irreverentiae ita exponentes.

Iamvero, uti docet Card. Bellarminus (*De sacram Euchar., lib. 4, cap. 23*), « ex duobus malis semper est eligendum « minus malum: est autem minus malum ut homines aliqui « careant bono non necessario, quam ut sacramentum Dei « evidenter periculo irreverentiae exponatur ». In casu igitur cum pueri quotidiana Communione non necessario indigeant, nec sine irreverentia eis dari possit, consultius eisdem deneganda esse videtur.

Accedit quod per nimiam Communionis quotidianae commendationem maior in pueris foveri potest hypocrisis, qui proinde vi etiam metus reverentialis in maiora quoque sacrilegia prolabuntur. Unde Tarino (*Il libro del buon pastore*), quamvis moneat rectorem clericorum in Seminariis degentium, ut in genere frequentiam sacramentorum, praesertim vero Communionis, indigitet, addit tamen: « Ma ti guarda « assai dal dire a qualcheduno che si accosti più di frequente « alla Communione, perchè le tue parole potrebbero essere « causa di sacrilegio e d'ipocrisia ».

Quinimo Innocentius XI in Bulla *Cum aures* diei 12 Februarii 1679, normam tradens Communionis quotidianae concedendae, eam dimetiendam esse docet: « ex conscien-« tiarum puritate et frequentiae fructu, et ad pietatem « profectu ». Quae omnia difficulter verificantur in pueris, qui, utpote a vehementibus passionibus moti, conscientiae anxietatibus agitantur, in peccata saltem venialia prolabuntur, atque parum vel nihil pietatis augmenti ostendunt.

Demum in ipso decreto H. S. C. sub n. 7 edicitur ut haec Communio: « quam maxime promoveatur in clericorum Se-« minariis..., item in aliis christianis omne genus ephebeis ». Quapropter non satis patet Communionem in casu aliis pueris, qui extra dicta loca seu in medio saeculi versantur, suaderi. Insuper *ephebus* idem est ac pubes, qui, iuxta ius romanum et canonicum, iam ad annos 12 pro maribus et 14 pro foeminis pervenerit, et apud Graecos, teste Forcellini, qui decimum sextum aetatis annum attigerit. Ideoque pueri exclusi videntur.

At ex adverso, non minora stant pro frequenti puerorum Communione. Atque in primis suffragatur vetus plurium ecclesiarum disciplina, vi cuius sacramentum Eucharistiae parvulis quoque concessum fuit, ut late probat Card. Bona (*Rerum liturg., lib. 2, cap. 12, n. 2*). Tunc temporis in usu erat ut quicumque baptizabantur, sive adulti, sive infantes, una simul pane Eucharistico reficerentur. Quae quidem praxis, quamvis tractu temporis abolita fuerit, tamen minime reprobanda est, quum et ipsum Conc. Trid. (*Sess. 21, cap. 4, de Comm.*) dicat: « Neque ideo damnanda est antiquitas, « si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit ». Et merito; nam, ut habet Bellarminus (*loc. cit., lib. 1, c. 7*), « infantes in baptismate ius acquirunt ad Eucharistiam per-« cipiendam ».

Quocirca factum est ut primis Ecclesiae saeculis pueri ante mensam assisterent, atque primi post clericos communicarent; item si multae particulae Corporis Christi superessent, sacerdotes pueros incorruptos accerserent, qui eas comederent, quemadmodum idem Card. Bona (*loc. cit.*) ex pluribus testimoniis refert. Nulla igitur habetur ratio cur haec frequens, imo et quotidiana Communio hodierno tempore non sit pueris maxime consulenda.

Idque eo vel magis quia necesse omnino est ut pueri, antequam passionibus praeveniantur, Christo imbuantur, et ita maiori vi repellere possint conatus diaboli, carnis, aliorumque internorum et externorum hostium. Ad rem in aureo libro *De imitatione Christi* (*lib. 4, cap. 3*) haec leguntur: « Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia « sua; et nisi succurrat divina medicina, labitur homo mox « ad peiora... Retrahit ergo sancta Communio a malo et « confortat in bono ». Eucharistia enim sacramentis novae legis accensetur, quae gratiam tum sanctificantem tum sacramentalem conferunt *ex opere operato*, quandocumque obicem in suscipiente non reperiant. Nec plus aliquid obicis in pueris quam in adultis expectandum est *ex opere operantis*, quia, praeterquamquod ignorantia in pueris ab in-

nocentia compensaretur, inconsideratio eorum ac levitas nimis urgenda non est.

Unde De Ségur *(La SS. Comunione)* haec inter alia habet: « I giovanetti, al pari degli adulti, possono e debbono co- « municarsi spesso. Nostro Signore non richiede da loro, se « non quel che son capaci di dargli; ed egli conosce meglio « di noi questa leggerezza che ci spaventa; ma egli sa al- « tresì, e molto meglio di noi, che l'innocenza è il più pre- « zioso di tutti i tesori, che il demonio vuol rapirla ad essi « per tempo, e che la sola Comunione può difenderli dalle « astuzie del nemico... Per ben comunicarsi basta ricevere « il Salvatore con buona volontà. Ciò si avvera tanto nei « fanciulli che negli adulti; e l'esperienza fa conoscere che « nella buona volontà di un fanciullo, che ha fatta la sua « prima Comunione, si trova la sincerità più schietta. Egli « ama Gesù Cristo, egli lo desidera; e perchè non darglielo? « Bene spesso egli è degno di riceverlo più di noi altri, che « non apprezziamo la di lui pietà... La leggerezza non fa « ostacolo alla santa Comunione, se non quando è volontaria... « I ragazzi son leggeri. Sì, ma son buoni e affettuosi; e « perciò al bisogno che hanno di amare, fa d'uopo dare il « suo vero alimento. Bisogna far loro amare Gesù Cristo, e a « tal fine metterli spesso in intimo rapporto con lui. I loro « difetti, per quanto sieno reali, hanno poca consistenza; ed è « appunto la pietà quella che impedisce a questi difetti di di- « ventar vizi ».

Hoc dumtaxat modo verificari potest illud verbum Domini: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum coelorum.* Regnum autem coelorum in terris nonnisi Eucharistia est, quae instituta fuit ad vitam spiritualem conservandam ac nutriendam.

Quaenam praeterea sit hac de re mens Ecclesiae, hodiernis praesertim temporibus, luculenter apparet ex litteris, quibus Card. Antonelli, Secretarius Status S. S., de speciali Pii IX mandato, die 12 Martii 1866 plurium Episcoporum Galliae attentionem et sollicitudinem excitat, ut rectam sequantur normam, pueros ad sacramentorum frequentiam admittentes. Scribit enim: « ..... Que même après les avoir admis *(nempe « infantes)* pour la première fois à la table eucharistique, « on a coutume de les en tenir éloignés pendant longtemps, « leur défendant, dans certains endroits, de communier au « temps de Pàques, l'année qui suit leur première Commu- « nion. Qu'enfin il y a même des séminaires où règne l'usage « d'éloigner pour plusieurs mois les jeunes élèves du Sacre- « ment de l'autel, sous prétexte d'attendre une plus mûre « préparation. Sachant combien la fréquentation des sacre- « ments de pénitence et d'eucharistie importe à la garde et « à la conservation de l'innocence dans les enfants; sachant « que cet usage fréquent des sacrements contribue admira- « blement à alimenter et fortifier la piété naissante dans « les jeunes cœurs auxquels elle fait embrasser avec ardeur « les pratiques de notre sainte religion... le Saint-Père, dé- « sireux de voir modifier un système si mal entendu et si « préjudiciable aux intérêts spirituels des jeunes enfants, « m'a chargé d'appeler sur cet abus l'attention de V. S.... « afin de parvenir à réformer, dans un sens plus conforme à « l'esprit et à la discipline de l'Eglise, ce défectueux système « de soins spirituels à l'égard des enfants ».

Hoc idem eruitur ex decreto ab hac S. C. die 20 Decembris 1905 edito, in quo *omnibus Christifidelibus* commendatur frequens ac quotidiana Communio; necnon ex duobus aliis superius recensitis decretis S. C. Ind. et SS. Rel., quibus hac de causa speciales indulgentiae ac privilegia *omnibus* indiscriminatim *fidelibus* conceduntur. Inter quos proinde etiam pueros, qui usum rationis adepti sunt, quique primam perceperunt Communionem, non est dubium recensendos

esse. Haec S. C. mandavit quidem, ut in clericorum Seminariis aliisque christianis omne genus *ephebeis* quam maxime foveatur quotidiana Communio, sed praeterquamquod heic sermo est de peculiari commendatione Seminariis ac ephebeis facta, quin alii fideles excludantur, vox *ephebeorum* lato sensu accipienda esse videtur, ut nempe significet omnia pia instituta, in quibus etiam pueri instruantur atque educantur.

Ex quibus omnibus non immerito infertur quotidianam Eucharistiae sumptionem non solum adultis sed etiam pueris summopere suadendam esse.

Quoad alterum quaestionis punctum, notum E.mis Patribus est, S. C. S. Officii concedere solere nostro aevo largius ac benignius quam olim, ut senio aut chronica infirmitate laborantes, et naturale ieiunium servare non valentes, semel in hebdomada vel etiam pluries, si agatur de monialibus aut piis ac religiosis viris, ad S. Mensam accedere possint, aliquid prius per modum potus quamvis sumpserint.

Verum occasione arrepta decreti diei 20 Decembris 1905, aliquid amplius postulari videtur, et super hoc sententia EE. VV. requiritur, an scilicet et quaenam nova disciplina hac de re possit opportune induci.

Uti patet, heic sermo non est de infirmis graviter aegrotantibus atque in proximo mortis periculo versantibus, qui etsi non ieiuni, ad Eucharistiam per modum Viatici sumendam admitti possunt ac debent. Rituale enim Romanum *(tit. 4, cap. 4, nn. 3 et 4)* ad rem statuit: « Pro Viatico autem « ministrabit *(parochus)* cum probabile est, quod *(infirmus)* « eam amplius sumere non poterit... Poterit quidem Via- « ticum brevi morituris dare non ieiunis ». Consuetudo autem Ecclesiae, ut habet Reuter *(Neo-confessarius, part. 3, cap. 6, n. 3)*: « videtur absolute a praecepto ieiunii exi- « mere periculose infirmos, si commode non possit manere « ieiuni ».

Aliqua dumtaxat extat dissensio inter doctores in praefiniendo temporis spatio, quod intercedere deberet ad hoc ut infirmo periculoso, intra eamdem infirmitatem, iterum dari possit Viaticum. Sunt enim qui cum Navarro, putant multum temporis inter unam alteramve Communionem intercedere debere; alii unum mensem; alii decem, octo aut etiam tres dies: alii denique cum Laymann *(Summ., lib. 5, tract. 4, cap. 6, n. 20)* toties quoties devotio et dispositio poenitentis hoc suadeat, ac proinde singulis quoque diebus. Cfr. S. Alphonsus *(6, 2, 85, d. 1)*, Ferraris *(verb.* Infirmitas, *n. 21)*, De Lugo *(De Sacr. Euch., disp. 15, sect. 3, n. 64)*, etc. Practice autem quae vera, quae pia, quae iusta sit doctrina, tradit Benedictus XIV *(De Syn. Dioec., lib.* 7, *cap. 12, n. 4)*: « Ne parochi renuant sanctissimam Eucha- « ristiam iterato deferre ad aegrotos, qui etiam perseve- « rante eodem morbi periculo, illam saepius per modum Via- « tici, cum naturale ieiunium servare nequeunt, percipere « cupiunt ».

Sed missa quaestione de infirmis graviter decumbentibus, si discussio fiat de infirmis chronicis aliisque diuturno morbo absque discrimine laborantibus, ne vetus disciplina mutetur, stat in primis dispositio Ritualis Romani, quae ita sonat: « Caeteris infirmis qui ob devotionem in aegritudine « communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum « et potum ».

Accedit quod si a lege generali ieiunii cum infirmis extra mortis periculum dispensaretur, non pauci abusus obrepere possent.

Praetermisso enim parochorum incommodo, quod grave fieri posset si praesertim plures infirmi chronici in Paroecia haberentur; considerandum insuper est, iuxta Rituale Romanum *(loc. cit., n. 6, 7 et 8)*, SS.mum Sacramentum infirmis

deferendum esse manifeste atque honorifice. Et Sacra Rituum Congregatio in *Mantuana* diei 6 Februarii 1875, n. 3337, uti abusum eliminandum decrevit, consuetudinem ad infirmos Viaticum deferendi secreto, sine ullo exterioris cultus signo, nisi adsint gravia motiva sic agendi.

Ast si chronici ad Communionem admittantur non ieiuni, et excitentur ad S. Synaxim frequenter suscipiendam, delatio SS.mae Eucharistiae, vel paullo frequentius per vias et in infirmorum aedes deferri oporteret; et id vix aut ne vix quidem cum debita reverentia fieri posset.

Firma autem lege hucusque vigente, et devotioni ac pietati infirmorum succurrendo per opportuna indulta, incommodis hucusque expositis aditus maneret praelectus. Unde nil innovandum videretur.

Ex altera vero parte observari potest legem ecclesiasticam ieiunium naturale etiam aegrotis praescribentem, antequam S. Communionem ipsi sumant, datam esse tum ad praecavendos abusus quorumdam qui potu et escis repleti, ad S. Mensam accedere non verebantur, tum ad reverentiam excolendam erga augustissimum Sacramentum. Atqui cum infirmis chronicis praefati abusus contingere non possunt; nec reverentia erga Sacramentum ob ieiunii defectum in casu infirmitatis, detrahitur; nam causa excusans intercedit. Ergo videtur adesse ratio ad legis moderationem inducendam.

Aliunde, quum omnibus indiscriminatim Christifidelibus consulatur quotidiana, vel saltem frequens Communio, nulla adest ratio cur infirmis, qui ieiunium servare non possunt, hoc prohibitum sit. Idque eo vel magis, quod ipsi maiori detinentur necessitate vescendi Corpore Christi.

Observari insuper posset quod lex ieiunii naturalis sit ecclesiastica: et Concilium Constantiense *(Sess. 13)*, quamvis edicat quod « huiusmodi sacramentum non debet confici « post coenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis », addit tamen: « nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis ».

Lex itaque ieiunii utpote ecclesiastica, urgenda non nimium videtur; nec unquam ita, ut videatur pugnare cum iure fidelium recipiendi sacramenta. Si enim rigide, ut hucusque consuevit, accipiatur, non raro fidelem ab hoc divino subsidio impediret.

Quoad incommoda vero quae superius indicata sunt, forsan distinctio fieri potest inter eos qui degunt in Seminariis, in monasteriis utriusque sexus, in nosocomiis, aliisque piis institutis, a caeteris qui in privatis domibus versantur, nec privilegio oratorii domestici fruuntur.

Liquet autem incommoda superius recensita non posse contingere quoad infirmos prioris conditionis; eo vel magis quia Sacra RR. C. die 7 Februarii 1874, n. 3322, permisit ut in piis domibus nosocomiisque Eucharistia deferatur modo minus publico et solemni.

Quoad caeteros vero succurri posset, dando Ordinariis potestatem, ut saltem in maioribus anni festivitatibus, eisdem per opportunas dispensationes occurrant.

De caetero prudentia ac sapientia E.morum Patrum ut semper, ita etiam in praesenti causa quae iusta, quae aequa sint statuet.

Quare, etc.

Responsum fuit: *Ad 1um Sacrae Communionis frequentiam commendari iuxta articulum primum decreti etiam pueris, qui ad sacram mensam iuxta normas in Catechismo Romano cap. 4, n. 63, semel admissi ab eius frequenti participatione prohiberi non debent, sed potius eos ad id hortari, reprobata praxi contraria alicubi vigente. Ad 2um Iuxta mentem, facto verbo cum SSmo.*

B. — In folio.

1949
4

Acheruntina et Ordinis Minorum S. Francisci. Paroecialis.

Tertio redit quaestio circa naturam et pertinentiam paroeciae in casu, et decernitur paroeciam habendam esse uti regularem, facto verbo cum SSmo.

Tertio redit haec causa, quae semel et iterum agitata est inter Archiepiscopum Acheruntinum modo defunctum ex una parte et Fratres Franciscales Minoritas ex altera quoad naturam et pertinentiam paroeciae S. Mariae loci Banzi. Disceptata primum fuit in plenario conventu diei 26 Augusti superioris anni, et propositae tunc rogandi formulae « *an paroecia S. Mariae loci Banzi censenda sit regularis, ita ut religiosi Ordinis Minorum S. Francisci redintegrandi sint in eius possessionem in casu* », EE. VV. rescribere censuerunt « *Ad mentem* ».

Mens autem fuit, ut Archiepiscopus revocaret Regulares, eisque tribueret paroeciam loci Banzi. Hac cognita mente Archiepiscopus per suum constitutum procuratorem imploravit beneficium novae audientiae, obtinuitque. Instaurato itaque certamine sub die 20 Ianuarii currentis anni (1) sub dubitandi formula « *an sit standum vel recedendum a decisis in casu* » hac vice, litis sorte conversa, prodiit responsum: « *Ex noviter deductis non satis constare de natura regulari paroeciae* ». Cum vero instantiae procuratoris Franciscalium causae revisionem petentis ex novis documentis adducendis annuissem, hinc causa iterum diiudicanda proponitur.

Archiepiscopi defensor in duas partes novam allegationem suam dividit. In prima compendiatim refert argumenta quae alias in ultima causae propositione evolvit, directa ad probandum 1° quod antiquiori aevo seu tempore Abbatum nulla extitit paroecia, quia nullus erat pro ea redditus certus constitutus; 2° quod ab ultimo Abbate Cardinali Ursino usque ad an. 1790, delegatio pro exercitio curae animarum quae religiosis dabatur prius ab Abbatibus, reclamata est ab Archiepiscopo Acheruntino, et perseveravit usque ad an. 1816, quo primum constituta fuit paroecia saecularis, iuripatronatus regis Neapolitani obnoxia; 3° quod ab illo aevo usque ad praesens ob defectum sacerdotum saecularium, paroeciam quidem obtinuerunt fere semper Religiosi, sed non titulo parochorum et regulari ritu, seu in vim delectionis factae a Superiore regulari, sed uti oeconomi, et in ea constituti tantum Archiepiscopi auctoritate precario modo: hinc ab eis perperam invocari praescriptionem, cum huiusmodi possessio fuerit precaria, et non animo domini retenta. Verum dicta argumenta cum iam in praecedenti folio fuerint praeoccupata, ne acta agam, rogo EE. VV., ut in eo benigne perlegere dignemini.

In secunda suae orationis parte advocatus expendere aggreditur rationes, quas adversa pars ex novis adductis documentis colligit. Prae primis eorum nonnullis ita auctoritatem denegare satagit.

Profecto est res in foro pervulgata, quod litis instrumenta sunt in iudicio exhibenda vel in originali, vel saltem in exemplari authentico. Ut autem exemplar authenticum evadat, iuxta Reiffenstuel, *Ius can. lib. 2, tit. 22 de fide instrum. n. 60 et 61*, tres conditiones intercedere debent, idest necesse est « 1° Ut interveniat iusta causa. 2° Debet exemplatio fieri interveniente auctoritate iudicis ordinarii vel delegati. 3° Requiritur citatio eorum quorum interest...

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIV, p. 10.

praemissis non observatis, exemplar regulariter non probat non exhibito originali ». Certe, ait defensor, hae conditiones ex mutatis temporibus hodie non amplius ad rigorem iuris exigi solent; attamen requiritur ut exemplaria a publicis tabulariis extracta vel a notariis vel a tabularii moderatore sint recognita.

Atqui nonnulla documenta in copia extracta ab archivio Status Neapolis, et a Franciscanis H. S. C. oblata, hanc recognitionem non exhibent, sed tantum ad calcem habent declarationem « i sovrascritti 5 documenti sono stati fedel« mente estratti dall'Archivio di Stato di Napoli dal sotto« scritto (P. Vincentio Checchi Minorita): chi poi volesse « dubitare dell'autenticità dei medesimi e della fedeltà del « trascrittore, è padrone di andare a vedere gli originali, « dei quali sopra è notato il volume e la pagina, come è « stato fatto altre volte »: quae declaratio est repugnans forensi disciplinae iubenti legalitatem documenti, dari oportere ab iis, qui ea in sui favorem proferunt, non ab iis in quorum damnum ea cedunt.

Verum orator seposita hac exceptione, pergit ea singillatim excutere, ut deinde concludat, ipsa nil novi continere quare a data decisione sit recedendum.

Primum documentum ex adverso adductum est epistola quaedam, in qua praeses municipii Bantini testatur regem Neapolitanum assidue parocho pro remuneratione assignare consuevisse 400 ducata. Haec epistola, ait defensor, vel nihil probat, vel in adversarios retorquetur. Nil probat, quia quod refert hodiernus Bantini municipii praeses, historiae non congruit. Initio « dall'installazione degli ex-riformati nel « convento » haec assignatio non a rege Neapolitano sed ab abbatibus facta fuit, et non pro parochialibus ministeriis sed pro victu et vitae necessitatibus, et pro monasterii aedificatione, quod etiam ab adversariis admittitur. Clausa vero Abbatum serie, hanc assignationem eodem titulo continuarunt Neapolitani reges, quoadusque pro paroeciali beneficio certus fuit constitutus redditus. Vel retorquetur in adversarios, quia si haec assignatio erat ex mera liberalitate, et Bantina Ecclesia, ut Franciscani admittunt, nullum alium redditum habebat, consequitur quod nulla aderat paroecia, cum sine certa dote paroecia concipi nequeat.

Subest libellus eodem ferme tempore a quodam Franciscano coenobita, fisci administratoribus missus « al direttore « delle tasse e demanio », ut se parochum nominarent « chiede di essere tenuto presente nelle provviste del par« roco da effettuarsi per la chiesa del soppresso convento « dell'Ordine di Banzi ». At hoc documentum pariter vel nihil probat, vel retorquetur in adversarios.

Nil probat, quia nemo in propria causa testificari valet: vel in Franciscanos retorquetur, quia eatenus fisci administratoribus ius competeret parochum nominandi, quatenus admittitur an 1816 paroeciale beneficium fuisse fundatum cum reservatione regii patronatus. At hoc admisso, sponte sua fluit beneficium non regulare sed saeculare esse censendum, cum iuspatronatus in regularibus beneficiis sit in foro inauditum.

Tertium documentum est libellum cuiusdam Franciscani religiosi Rochi e Ferrandina, qui cum an. 1814 gereret curam spiritualem Bantinorum, apud gubernium conquestus est de nulla sibi mercede soluta, insimul petens ut assignarentur redditus trium canonicatuum, quos Neapolitanus rex suppresserat in Cathedrali ecclesia Acheruntina, ut Bantino parocho consuleretur. In hoc libello edicitur « da più secoli « addietro la cura di queste anime fu affidata ad un parroco religioso ». At haec expressio, ait advocatus, nullimode sibi nocere valet, quia non impugnatur religiosos gessisse curam animarum, sed tantum contenditur id eos fecisse precaria delegatione seu uti oeconomos, cum deessent sacerdotes saeculares quibus paroecia in titulum daretur.

Quin imo urget allatum documentum sibi aperte suffragari; nam patet ideo Rochum a Ferrandina trium canonicatuum redditum non obtinuisse, quia non parochus, sed vi precariae delegationis oeconomus habebatur.

Revera decreta an. 1814 suppressione trium canonicatuum, illico mandatum ut statueretur commissio administrativa dotis constitutae pro paroecia vacante, « Ho scritto all'In« tendente di cotesta provincia che prontamente stabilisca « la commissione amministrativa dei beni della vacante « Parrocchia di Banzi ». Insimul vero Episcopus rogatus fuit, ut per concursum vocaret presbyteros saeculares ad eam consequendam « la prego stimolare gli ecclesiastici « probi a concorrere alla detta Parrocchia vacante ».

Profecto evenit quod provinciae praeses errore ductus non putaret vacantem Paroeciam a Franciscano religioso obtentam, et hinc rescriberet non esse locum deputationi commissionis « in tale circostanza non mi sembra necessario « di stabilire la commissione amministrativa, la quale deve « aver luogo solo per la rendita della Parrocchia vacante ». Sed illico detectus fuit error, cum Franciscanus religiosus Paroeciam precario titulo, seu uti oeconomus obtineret, quoadusque verus Parochus crearetur: hinc creata fuit commissio, et in hanc fuit vocatus etiam Rochus a Fernandina, non uti Parochus sed utpote oeconomus « per la sol« lecita ed esatta esaudizione degli ordini di V. E. si è già « stabilita la commissione per l'amministrazione della Par« rocchia di Banzi, composta di quell'economo curato e dai « Sigg. Canio, Capretta e Pasquale Picciano ». Ex hac ratione factum est etiam ut Rochus a Ferrandina obtinere non potuerit in sui favorem adiudicationem petiti redditus canonicatuum extinctorum, quia non erat Parochus, sed simplex oeconomus; quare fuit eius petitioni rescriptum « esservi ordine dell'Intendente di Basilicata, che proibiva « di liberarsi della rendita a favore del supplicante ».

Alter persimilis libellus ex adverso producitur directus ab eodem Rocho a Ferrandina regis administro; sed, observat advocatus, cum hic contineat eadem ac praecedens, ex eo eadem conclusio derivari oportet.

Aliud documentum, quod quinto loco occurrit, est epistola quaedam Vicarii Generalis Episcopi. In ea Vicarius refert quod post pluries indictum concursum, nullus e clero saeculari nomen dedit pro Paroeciae consecutione « dopo re« plicato invito nessuno è comparso ancora ad esporsi all'e« same ». Hinc facta necessitas ut cura animarum pergeretur geri a Franciscanis: « la cura di quelle anime si continua « a portare secondo il solito da un religioso di quel convento « de' PP. Riformati di S. Francesco destinati da questa « Curia ». Quaerit proinde Vicarius, utrum redditus extinctorum canonicatuum assignari debeat Franciscanis « se « debba permettere l'esazione, se debba impiegarsi per la « riattivazione della chiesa che ne ha bisogno, oppure possa « quella comunità religiosa applicare la rendita per lo di « lei mantenimento ».

Ex hac epistola advocatus contendit mirifice confirmari iustitiam iam editae resolutionis in praesenti controversia. Sane ideo Franciscani animarum curam gerere perrexerunt, quia nullus e clero saeculari inventus fuit, cui ea esset committenda. Ergo, concludit, liquet Paroeciam hanc esse saecularem, et datam religiosis delegationem, si quis forte e clero saeculari comparuisset, desituram fuisse.

Item id confirmatur ex responso dato quaestioni a praefato Vicario propositae: edictum nempe fuit illum redditum Franciscanis non esse tribuendum, sed per commissionem administrativam esse impendendum in Paroeciae utilitatem.

In epistola praesidis provinciae diei 10 Dec. 1814 ad status ministrum, alias ab ipsis adversariis relata haec leguntur: « Ho loro (consiliariis Commissionis) inculcato di prender « conto degli arretrati e delle rendite parrocchiali e di « provvedere principalmente al mantenimento del culto e « del coadiutore ». Liquet igitur, arguit defensor, Paroeciam fuisse vacantem, et Franciscanos non fuisse retentos uti veros Parochos « hanno trovato resistenza per parte di « questi preti, i quali giustamente dicono di non doverli « pagare se non alla sola commissione amministrativa ».

Duo deinde, pergit advocatus, exhibentur ex adverso chirographa, quibus probari vellet in coenobio redintegratis Franciscanis, eisdem Paroeciam, stante renuentia cleri saecularis, fuisse traditam. Primum documentum est epistola diei 27 Iunii 1818, in qua Archiepiscopi sententia super tali negotio exquiritur « dice se possano rimettersi nel locale « di quel soppresso convento i PP. Riformati come vi erano, « e colla stessa assegnazione di ducati 340 che percepivano. « In seguito dice che S. M. risolverà il conveniente ».

Alterum documentum est regis decretum, quo res ad effectum perducta est « avendo l'Arcivescovo di Acerenza « e Matera rappresentato, che malgrado l'avere replicate « volte intimato il concorso per la provvista della Parroc- « chia, niuno abbia voluto esporvisi, per essere il clima di « Banzi malsano e tenue l'assegnamento al Parroco e coa- « diutore, e per mancarvi il commodo dell'abitazione, S. M. « nel consiglio del dì d'oggi ha dichiarato che quel locale « si riduca nuovamente a convento come prima, chiaman- « dovisi il numero opportuno dei PP. Riformati, e si continui « ai medesimi la stessa assegnazione di annui ducati 340 « con gli obblighi medesimi ».

Ex hisce profecto documentis hoc descendit, quod restituto coenobitis conventu, ipsi utique ad curam animarum gerendam vocati sunt, sed tantum interino modo, seu quoadusque aliquis de clero saeculari inveniretur sacerdos qui Paroeciam vellet acceptare. Id patere ait tum ex motivo impulsivo editi decreti, tum ex illis verbis « si continui ai « medesimi la stessa assegnazione di annui ducati 340 cogli « obblighi medesimi », nempe Paroeciam regendi. Sed antea Franciscani eam regebant titulo oeconomorum, seu quoad usque Parochus e clero saeculari haberetur, cum assignatione annua ducator. 340. Ergo, advocatus concludit, ex edito decreto nulla immutatio allata est in natura Paroeciae, quae saecularis mansit ut antea: seu Paroeciae administratio Franciscanis ea est lege concredita, ut si Parochus inveniretur, is regimen susciperet, et aedes cum consensu religiosorum illi assignatas usque ab anno 1811 occuparet « S. M. mi ha ordinato che il corridoio del convento dei « Riformati del comune di Banzi situato a mezzogiorno, sia « destinato per abitazione del Parroco e coadiutore curato « dello stesso comune ».

Hucusque tradita confirmari sustinet ex facto, quod Franciscani sequenti aetate non uti Parochi sed uti oeconomi semper habiti sunt, sicuti ipsi non suspecta confessione testati sunt.

Ita Aloysius a Muro se oeconomum asserebat usque ab an. 1847 « feci da economo curato in Banzi per 7 anni « fino al 1855 ». Non aliter senserunt Nicolaus a Tricarico, et Antonius a Cyntano: primus ait: « nel 1861 fui nominato « economo curato »; alter « nel gennaio 1867 fui destinato « economo curato di Banzi ». Eamdem rem expresserunt Archiepiscopi in litteris nominationis religiosorum ad dictam Paroeciam « abbiamo stimato destinare voi economo curato, « sempre a nostro beneplacito, e fino a che non sarà data « forma regolare canonica alla nomina del Parroco titolare », eodemque sensu nominationem religiosi acceptarunt.

Quin imó sive in indictione concursus pro collatione Paroeciae, sive quando in vacantem Paroeciam, uti oeconomus, deputatus fuit aliquis e clero saeculari, religiosi nedum querelas non moverunt, sed rem plene ratam habuerunt, vel testificando de affixione edicti facta in ecclesia Bantina, vel gratias egerunt pro nominatione presbyteri saecularis in oeconomum.

Postremo loco advocatus ad trutinam revocat tres iuratas attestationes emissas a tribus religiosis, nempe a P. Michaële a Potentia, a P. Antonio Montanaro, et a sacerdote Rocho d'Adamo ex-coenobita. Hi deponunt quod religiosi deputati ad regendam Bantinorum Paroeciam prius deligebantur a Superiore provinciali, et deinde Curiae Archiepiscopali pro approbatione praesentabantur. Ita P. Michaël a Potentia declarat et « attesta con giuramento che prima dell'infausta « soppressione del 1860, il Parroco di Banzi venne nominato « ed eletto in persona di un suddito dal ministro provinciale « della nostra provincia e dallo stesso poi presentato alla « Curia Arcivescovile di Acerenza per la debita approva- « zione ». Eadem alii duo referunt.

Has attestationes advocatus in nullo pretio habendas esse contendit, non solum quia a religiosis afferuntur in causa propria, sed potissimum quia in contradictione sunt cum documentis tum ab Archiepiscopo tum ab ipsismet religiosis exhibitis. Plura citat chirographa ex quibus apparet nominationem religiosorum ad paroeciam Bantinam factam semper fuisse ab Archiepiscopo: et appellat etiam ad declarationem Vic. Gen.lis an. 1814 emissam et relatam ab adversa parte in suo summario in qua idem asseritur. « La cura di « quelle anime si continua a portare secondo il solito da « un religioso di quel convento destinato da questa Curia ». Observat advocatus quod haec documenta omni suspicione carent, utpote data tempore, quo nulla extabat controversia super paroeciae Bantinae natura, et longam complectuntur aetatem, nempe ab an. 1801 fere usque ad ultima tempora: neque infringi queunt ab allatis testimoniis trium religiosorum, qui fortasse ita deposuerunt aequivocatione ducti. Ex facto enim quod Archiepiscopi ante designationem coenobitarum ad paroeciam, exquirere consueverint a regulari superiore notitias et informationes circa personam nominandam, coniectura exurgere potuit nominationem et delectionem factam fuisse ab ipso regulari superiore.

— Ex altera parte religiosorum patronus evincere nititur naturam paroeciae loci Bantii esse regularem non saecularem. Ad hoc probandum distinguit 4 temporis periodos - 1^{am} sub Abbatum imperio ab an. 1666 in Franciscanorum ingressu usque ad an. 1790: 2^{am} ab hoc aevo usque ad an. 1816 in gallica perturbatione: 3^{am} ab an. 1818 tempore concordati usque ad an. 1860; 4^{am} ab hoc tempore, quo in provinciis neapolitanis contigit occupatio gubernii italici, usque ad hodierna tempora: et in hisce epochis, demptis nonnullis quae temporum iniquitati sunt adscribenda, contendit praefatam paroeciam continuo habitam fuisse regularem.

Quoad primam epocham seu sub abbatum imperio, advocatus ait ex documentis ab ipso Archiepiscopo exhibitis demonstrari, quod cura animarum Franciscanis credita fuit, quin monasterio aliquod beneficium parochiale praeexistens ab initio esset unitum, seu cura animarum incorporata mansit originaliter ipsi monasterii mensae: et de hac duplici forma unionis curae animarum, scilicet per beneficii paroecialis incorporationem, vel directe et originarie absque beneficii incorporatione factae monasteriis sermo est in distinctis *capp. Conc. Trid.*, nempe quoad primam formam in *cap. 7, sess. 7. de Refor.*, quoad vero secundam in *cap. 11, sess. 25. de Regul.*

Posita vero hac secunda specie originariae traditionis

curae animarum, frustra inquiritur de existentia congruae dotis, vel de erectione beneficii paroecialis, cum animarum cura ipsi monasterio insideat, et cum ipsa unum quid solum efformet.

Adversarii ad hanc originariam curae animarum traditionem Franciscanis factam destruendam, nisi sunt probare, vel melius finxerunt, urget advocatus, eam curam initio fuisse apud Benedictinos et deinde apud Augustinianos, qui in coenobio minoritis seu Franciscanis praecesserunt. Sed haec assertio facile diluitur documento ab ipso Archiepiscopo in suo summario relato, ex quo patet curam animarum Franciscanis non illico initio eorum ingressus in coenobium an. 1666 fuisse commissam, sed postero tempore an. 1683 « la somma di ducati 25 al mese non li venne « assegnata (fratribus) per la cura delle anime, poichè quando « si edificò il monastero la gente non era che di poco nu- « mero; ma cresciuta la gente ed avanzata la difficoltà di « portarsi altrove a ricevere i sacramenti, da detto anno « 1683 li fu addossata la cura di anime che hanno portato « continuamente ».

Neque item prodesse ait alterum effugium quo ex adverso praetenditur Franciscanos rexisse paroeciam uti oeconomos, seu delegatos ipsius Abbatis et ad ipsius arbitrium removendos qui cum per se animarum curam gerere nequiret, utpote Romae degens, eam Franciscanis precarie committebat; proindeque deducitur curam animarum non in conventu et monasterio, sed potius in Abbate residere collegit.

Hoc argumentum advocatus evertere studet, adducta auctoritate Fagnan. *lib. 3. Decret. pag. 508*, qui ad determinandum utrum cura animarum resideat penes Abbates commendatarios, vel potius apud monasterium dicit esse inspiciendam illorum residentiam « cum cura animarum monasterio vel commendatario incumbens est sacramentalis et in foro poenitentiali, hoc casu regula constituitur contra Commendatarios, ut scilicet teneantur initiari sacris et personaliter residere ». Deinde vero addit: « Verum haec regula declaratur procedere si cura animarum incumbat personae ipsius Commendatarii, secus vero si incumbat monasterio vel conventui, quia tunc nec ad ordines suscipiendos nec ad residentiam tenetur:... monasteria passim commendatur Cardinalibus et praelatis, qui non resident, nec curam exercent per seipsos: quod arguit curam eis non incumbere. Nam illi quibus huiusmodi cura incumbit, tenentur deservire per se ipsos, cum sit electa industria personae ».

Ex facto igitur quod commendatarii in territorio Bantino non resederunt, nec per se animarum curam gesserunt, procul dubio concludere licet eamdem curam fuisse non apud Commendatarios sed potius penes monasterium et religiosos.

Nec aliquid ponderis tribuendum esse ait aliis duabus difficultatibus ab Archiepiscopo allatis, quarum prima praetenditur ecclesiam non esse regularem sed simpliciter Abbatialem, cum in quadam relatione visitationis factae a ministro provinciali legatur, supellectilia altarium dictae ecclesiae fuisse provisa ab Abbatibus. Hoc argumentum facile dissolvi reponit ex facto ipso relato visitationis factae a ministro provinciali: cum enim ecclesia visitata fuerit a superiore regulari, ea procul dubio retinenda est regularis, quia praelati regulares in ecclesiis saecularibus ob iurisdictionis defectum, cum sint Ordinariis locorum subiectae, nihil possunt.

Deinde ex inscriptione in eadem ecclesia extante apparet ipsam an. 1089, seu undecimo saeculo ab Urbano II fuisse consecratam. Atqui tunc ecclesia a Benedictinis obtinebatur, et Abbates commendatarii nonnisi saeculo 17 inibi institui coeperunt, quando nempe ecclesia iam erat regularis. Neque dici potest ex facto commendationis monasterii et ecclesiae datae alicui praelato saeculari, eamdem ecclesiam factam fuisse saecularem, uti aperte tradit Gagliardi *de benef. t. 2, p. 113* – ibi – « Per commendam monasteriorum et abbatiarum regularium auctoritate Pontificia Praelatis et clericis saecularibus concessam, ipsa regularis qualitas et natura nil mutatur, sed in eodem statu perinde permanet, ac si commendatarius esset Abbas vel Prior vota regularia professus, et quovis lapsu temporis non praescribitur. Exinde facile intelligitur, beneficia monasterio commendato adnexa, non quidem perpetua sed temporanea atque ad nutum mobilia esse, ob insitam regularibus beneficiis mobilem naturam.

Nec negotium facessit, quod ecclesia fuerit ornamento et sacra supellectili provisa ab ipsis Abbatibus, nam commendatarii vi ipsius commendae ad id stricte tenentur, uti decrevit Leo X in sua constitutione *Superne* de an. 1514.

Alia difficultas ab Archiepiscopo proposita in eo vertitur, quod vicarii seu parochi in themate non fuerunt praelecti seu praesentati a superiore regulari, sed tantum pro ipsis accessit destinatio et nominatio prius Abbatum et deinde Archiepiscopi: unde deducitur ecclesiam seu paroeciam esse saecularem.

Advocatus observat has Archiepiscopi assertiones esse mere gratuitas, quae contrariis documentis penitus eliduntur. Ita ex actis visitationis conventus et adnexae ecclesiae de anno 1723 haec habentur: « in detto convento vi dimorano « 20 frati, che vivono come di sopra. Il superiore del con- « vento o altro destinato dal provinciale ha la cura di « anime di molti secolari, che dimorano in un convento an- « tico dei Benedettini, che ascenderanno al numero di 300, « amministrando tutti i sacramenti alla dipendenza del Car- « dinale o di chi sostituisce il Cardinale ». Notat heic advocatus quod cum regulares quoad curam animarum sint subiecti locorum Ordinariis, in themate religiosi quoad eamdem curam erant obnoxii Cardinali Commendatario vel eius Vicario, quia Abbatia Bantina fruebatur exemptione a locali Ordinario.

Insuper quod nominatio seu praesentatio Parochi facta fuerit a superiore regulari, probatur ex quadam epistola ab Archiepiscopo Acheruntino data ad regem, an. 1793, in qua haec leguntur: « l'altra irregolarità che vi è in quella Ab- « badia è appunto che il Parroco di colà si destina dal « Provinciale, quando questo dovrebbe essere esaminato da « me con ricevervi anche la bolla, con restare sottoposto « alla Curia e non già al Provinciale ».

Quamvis hic mos deputandi Parochum ab Archiepiscopo appelletur irregularitas, tamen, notat patronus, in controversia praesenti sat est quod constet de nudo facto nominationis ex parte superioris. Iniuria vero ait hunc eligendi morem traduci uti irregularitatem ab Archiepiscopo, quandoque in iure compertum est has nominationes fieri ad tramites ss. canonum in Paroeciis pleno iure monasteriis virorum regularium unitis uti tradit Wernz *Ius. Decret. v. 2, p. 1056* — ibi. — « Superiores regulares ex suis subditis regularibus possunt ad exercendam ibidem curam animarum nominare vicarios. Qui vicarii regulares ab Ordinario sunt approbandi et necessario ad nutum suorum superiorum manent revocabiles, ita ut tam ab Episcopo, quam a Superiore regulari aequo iure, non requisito alterius consensu ab animarum cura removeri possint, nec unus alteri causas iudicii sui aperire multoque minus probare debeat ».

Perperam vero ex defectu dotis statutae taxative pro Paroecia Bantina, ex adverso arguitur ad inexistentiam Paroeciae, nam respondet advocatus, id applicari nequire quando cura animarum originaliter alicui monasterio vel collegio fuit commissa. Hoc firmat exemplo plurium eccle-

siarum sive Cathedralium sive Collegiatarum, sive receptitiarum, a quibus cura animarum geritur, quin beneficium parochiale sit distinctum a beneficio canonicali, vel, ubi non sunt distincta, a simplici massa communi. Hoc adeo verum esse ait ut ipsum gubernium italicum in usurpandis bonis collegiatarum, ecclesiarum receptitiarum vel aliarum communitatum, in illis collegiis in quibus nulla dos erat statuta pro cura animarum, sed tantum redditus ex communi massa chorali, quotam ex bonis massae communis apprehensis subtraxerit pro congrua Parochi dote, uti ex lege 15 Augusti 1867 apparet. « Non sono riconosciuti più come « enti morali, i Capitoli delle Chiese collegiate, le Chiese « ricettizie, le Comunie e le Cappellanie laicali corali, salvo « per quelle tra esse che abbiano cure di anime, un solo « beneficio curato, od una quota curata di massa per con« grua parrocchiale ».

Haec in genere: in themate vero specialis adest ratio cur congrua dos in Paroecia non requiratur: et haec ratio in eo est, observat patronus, quod cura animarum Bantinorum adnexa est monasterio Minorum, qui cum mendicantes sint, unica mendicitate vivere debent. Notum quippe est ipsos neque collective neque uti singulos iure Tridentino immobilia quaecumque possidere posse. Inter bona vero immobilia recensentur etiam annui redditus, qui aliquo perpetuitatis charactere donantur, ut in casu esset congrua Paroeciae dos. Ita docet Fagnan. *lib. 3.* Decretal., referens casum in *Clement. Exivi de paradiso*... ubi sic legitur « cumque annui redditus inter immobilia censeantur a iure, ac huiusmodi redditus obtinere paupertati et mendicitati repugnet, nulla dubitatio est, quod praedictis Fratribus redditus quoscumque sicut et possessiones vel earum etiam usum, cum eis non reperiatur concessus, recipere vel habere, conditione considerata ipsorum, non licet ».

Immobilibus accensentur etiam annui redditus pro missis celebrandis vel ex aliis legatis pro cultus augmento, dummodo tamen a Fratribus Minoribus non recipiantur per viam purae et simplicis eleemosynae, quia tunc ipsi iure carent ad eos vindicandos. Hoc patere ait ex resolutione S. Congr. EE. et RR. de die 26 Martii 1677, in qua declaratum fuit: « Fratres Minores de observantia S. Francisci, quamvis sint incapaces obtinendi census perpetuos ac bona stabilia, posse tamen per viam purae et simplicis eleemosynae recipere quidquid ab executoribus ultimarum voluntatum eis traditur pro celebratione missarum, pro ornamento Ecclesiae aliisque necessariis procurandis iuxta doctrinam divi Bonaventurae ». Hinc si Fratres Minores acceptare valent annuos redditus ex missis vel aliis legatis per viam simplicis eleemosynae, neque item vetantur eodem titulo, nempe mendicitatis, acceptare redditum annuum pro congrua sustentatione ratione curae animarum monasterio adnexae. Quare annua assignatio 300 ducatorum repensa ab Abbatibus commendatariis ex liberalitate, seu tamquam eleemosyna Fratribus Minoribus pro curae animarum exercitio, non reddebat precariam Paroeciae conditionem, sicut vitae incertitudo non flectit ordinem a sua stabilitate, sed id potius congruebat peculiari eiusdem conditioni; secus omnes Paroeciae Ordini Minoritico creditae dicendae essent precariae et non verae Paroeciae.

Ex hucusque relatis constat quod Bantina Paroecia a religiosis usque ab an. 1666, seu ab initio eorum ingressus habita et retenta sub Abbatum imperio usque ad an. 1790, erat vere regularis Paroecia sive ob praesentationem religiosorum in Parochos factam a Superiore Regulari, sive ob incertitudinem victus pro Parocho ex mensa communi monasterii; hinc colligit advocatus, favore religiosorum quoad naturam regularis Paroeciae habetur possessio 130 annorum, vel saltem 107 annorum si placeat sequi adversariorum hypothesim qui ex quodam documento arguunt Paroeciam religiosis traditam fuisse an. 1683. Posita vero institutione regularis Paroeciae, quae usque ad an. 1790, seu per 130 annos perseveravit, in posterum si aliqua circa eius naturam immutatio facta est, id ait advocatus, ab adversa parte esset probandum, cum favore religiosorum militet praesumptio: quae tamen probatio usque huc praestita non fuit.

Deveniens deinde advocatus ad secundam epocham, recolit, quod anno 1790 demortuo ultimo Abbate, Bantinum territorium ex regis Neapolitani concessione obnoxium mansit Archiepiscopo Acheruntino, qui inibi suam iurisdictionem per Vicarium constitutum explicabat. Minores quoad curam animarum incoeperunt pendere ab Archiepiscopo, sicuti prius subiiciebantur Abbati: hinc ab eo tamquam loci Ordinario praevia praesentatione superioris regularis approbationem quoad eamdem curam reportabant. Adversa pars ad probandum quod regulares praecarie curam hoc aevo exercebant, adduxit nonnulla documenta, in quibus Franciscani appellantur Vicarii ad nutum Archiepiscopi revocabiles. Sed non recte haec conclusio adstruitur, urget advocatus. Quandoquidem omnes illi qui praeficiuntur curae animarum alicui collegio adnexae, licet veri sint Parochi, tamen nuncupantur Vicariorum nomine uti clare patet ex *cap. 7, sess. 7. Conc. Trid. de Ref.*

Neque aliquid obstat quod hi dicantur ad nutum Archiepiscopi revocabiles; haec enim revocabilitas proprie afficit Vicarios seu Parochos regulares, ut diserte tradit Wernz *l. c.* « Vicarii Regulares ab Ordinario sunt approbandi et necessario ad nutum suorum superiorum manent revocabiles, ita ut tam ab Episcopo quam a Superiore regulari aequo iure, non requisito alterius consensu, ab animarum cura removeri possunt ».

Pergens advocatus ad disserendum de his quae sub perturbatione gallica evenere, adnotat omnia acta ad naturam regularis Paroeciae destruendam, originem traxisse ex decreta, regia auctoritate, suppressione conventus Bantini: hinc primum cogitatum de Paroecia clero saeculari tradenda, uti ex sequenti documento ab Archiepiscopo producto liquet: « Umilio a V. M. (ita Archiepiscopus ad Regem an. 1812) « che dovendo col tempo estinguersi i frati per essere vie« tata la vestizione, sarebbe necessario di formare in detto « Comune un piccolo clero composto di un Parroco, di un « coadiutore ordinario e di due straordinarî affinchè cessando « la esistenza dei frati, si possa la cura addossare ai chie« rici incardinati e naturali del luogo ». Hic evenisse ait, quod sub tali iniqua lege, concursus fuerunt indicti, et tandem anno 1816 fuit Paroecia Bantina, regia auctoritate constituta, et regio patronatui subiecta.

Verum rebus in pristinum revocatis, et inita anno 1818 conventione inter S. Sedem et Neapolitanum regem, Bantinus conventus restitutus est; et hoc, ait advocatus, resultat ex documento alias producto. Ex hoc factum esse contendit ut etiam paroecia regularis revixerit, cum desierit ratio unica ob quam paroecia saecularis fuit instituta, nempe religiosorum extinctio.

Verum quia adversa pars unum tantum admittit, nempe conventus redintegrationem, et alterum negat, quia aliud est conventum restituere, et aliud conventui restituto paroeciam credere, advocatus expendit hanc distinctionem in casu nullo niti fundamento. Paroecia enim Bantina non est quid distinctum a conventu, sed potius eius pars integralis, et cum sit fundata in regulari ecclesia, semper praesumitur regularis quoad usque contrarium non demonstretur.

Sed quidquid sit in iure, ex documento nuper in Archivio

status reperto constare ait, quod rex Neapolitanus nedum voluit conventum restituere, sed etiam quod religiosis restitutis iterum crederetur cura animarum Bantinorum an. 1816 distracta. Hoc documentum ita integre exscribitur. « Sulle « rendite della Badia di Banzi erano assegnati ai PP. Ri« formati colà stabiliti annui ducati 340 per esercitare la « cura spirituale di quegli abitanti e celebrare nei dì fe« stivi una Messa in quella cappella rurale. Per la soppres« sione del Convento di detti religiosi, ordinata sotto l'oc« cupazione militare, la cura delle anime rimase affidata « ad un religioso provvisoriamente, finchè non gli sarebbe « destinato un Parroco con un Coadiutore. Siccome poi il « religioso per mancanza di assegnamento intendeva di ab« bandonare la cura, così S. M. dopo intesi l'Ordinario Arc« di Acerenza e Matera, e la passata Comunicazione, con « determinazione del 3 gennaio 1816 stabilì che si desti« nasse in Banzi un Parroco titolare di R. Patronato con « due coadiutori, e sulle rendite della sopradetta Badia si « assegnassero al Parroco annui ducati 200, alla chiesa annui « ducati 40, ed a ciascuno dei due coadiutori annui ducati 80 « senza l'obbligo della Messa. Avendo ora rapprosentato « l'Arcivescovo di Acerenza e Matera che malgrado l'avere « replicate volte intimato il concorso per la provvista della « Parrocchia niuno abbia voluto esporvisi... S. M. nel Con« siglio del dì d'oggi ha determinato, che quel locale si ri« duca nuovamente a convento come era prima, chiamandovi « il numero opportuno di PP. Riformati, e si continui ai « medesimi la stessa assegnazione di annui ducati 340 cogli « obblighi medesimi, il che nel regio nome partecipo ».

Hoc documento posito, corruere ait omne fundamentum argumentationis adversae partis, cum Neapolitanus rex, quae iniuria an. 1816 circa paroeciam saecularem statuerat, biennio post nempe an. 1818 destruxerit, rem in pristinum revocando. Ex eo tempore Franciscani pacifice paroeciae possessionem obtinuerunt usque ad an. 1861, quo contigit status Neapolitani occupatio ex parte Italici gubernii. Unde ait advocatus, sepositis aliis argumentis, Franciscani ad proprium ius vindicandum allegare etiam possent praescriptionem plusquam qnadragenariam.

Ad infringendam hanc praescriptionem Archiepiscopus opponit, quod durante hac periodo plures indicti sunt concursus, quibus presbyteri saeculares vocabantur ad paroeciae consecutionem, qui tamen effectu caruerunt ob nullius sacerdotis adscriptionem concursui. Sed advocatus observat id veritati non congruere, quandoquidem perquisitis Archiepiscopi documentis apparet, tres tantum indictos fuisse concursus, nempe duos an. 1816 ante religiosorum restitutionem et alterum an. 1876 durante religiosorum expulsione.

Aliud Archiepiscopi obiectum in eo est quod Franciscani paroeciam regentes, sese passim nuncuparunt oeconomos paroeciae vacantis. Advocatus admittit quod religiosi sese subscripserint uti oeconomi; sed verba *vacantis paroeciae*, vel *paroecia vacante*, ex genio Archiepiscopi adiuncta esse ait. Caeterum quod regulares animarum curae praepositi vocentur oeconomi vel Vicarii aut administratores, id plene respondet conceptui paroeciae regularis. Tandem ad observationem quod religiosi gavisi sint, cum primum ab onere curae animarum relevati sunt, reponit id sese referre ad iniquissima suppressionis tempora, non vero ad periodum ab an. 1818 usque ad an. 1861.

Relate vero ad ultimam epocham Franciscani in paroeciae possessione eo se gesserunt modo, qui cum eversivis legibus componi poterat.

Attamen certum esse ait, quod a suis superioribus Vicarii in paroecia Bantina fuerint Archiepiscopo praesentati pro approbatione, secundum quod iure praescribitur pro paroeciis regularibus. Quod si acta praesentationis a religiosis exhiberi nequeunt, id non eorum desidiae est tribuendum, sed potius facto, quod ea Ordinariis tradita, in archivo dioecesano adservantur. Religiosi tantum subiicere valent catalogum parochorum seu Vicariorum, qui ad normam iuris nominati et approbati censendi sunt, quoadusque contrarium ab adversa parte non demonstretur.

Caeterum, ait advocatus, quamvis praesentationis acta allegari non possunt, non deficiunt tamen aequipollentia documenta, ex quibus constare potest Vicarios in themate a Superiore regulari fuisse nominatos et ab Archiepiscopo institutos. Ipse in summario refert tria testimonia a tribus religiosis sub iuramento emissa, quibus comprobatur tale ius nominationis in paroecia Bantina a superiore regulari fuisse exercitum.

Neque contra hos testes moveri posset exceptio, quod hi sunt suspecti, utpote testes de familia, Nam in themate non agitur de re singulorum, sed de causa monasterii, et tunc tradit Formosin. *c. 5, loc. 3, de Probat.*: « Singulos de communitate in testes admittendos esse, veluti religiosos in causa sui monasterii, canonici in causa sui Capituli... Ratio testificationis ea nempe est, quia quoties universitatis causa agitur, tunc non agitur de re singulorum, sed universitatis tantum: nam ea quae universitatis sunt, non sunt singulorum, et quae universitati debentur, singulis non debentur ».

Insuper exercitium huius iuris in Superiore Provinciali quoad praesentationem Vicariorum, probari ait ex nonnullis documentis ab ipso Archiepiscopo productis. Ita in uno ex his habetur, quod enata quaestione super persona Vicarii in paroecia Bantina an. 1861, Gubernator provinciae Acheruntinae haec scribebat: « Il Sindaco di Genzano riferisce « che il P. Francesco non avrebbe più diritto di essere re« stituito nel possesso del beneficio, perchè vi è già stato « provveduto dal superiore legittimo, destinandovi un altro « parroco. Per altra parte il ministro provinciale dei Minori « riformati, che sarebbe il superiore legittimo del P. Fran« cesco, egli pure domanda che al medesimo venga resti« tuito il possesso della parrocchia di S. M. di Banzi ». Igitur, arguit advocatus, in paroecia Bantina Vicarius designabatur non ab Archiepiscopo sed ab ipso superiore regulari, seu a ministro provinciali. Idem etiam confirmatur a responso tradito ab ipsa Curia: « allorquando partiva da « detto villaggio il P. Francecco da Rionero... destinava in « sua vece il P. N. da Tricarico, che mi veniva commen« dato dal proprio provinciale, trasfondendo in lui le facoltà « necessarie all'esercizio di detta cura ».

Ex hoc documento item ab Archiepiscopo allegato, clare constat quod prius Vicarius a Superiore nominabatur, eumque postea Archiepiscopus approbabat « trasfondendo in lui « le facoltà necessarie all'esercizio di detta cura ».

Cum itaque ex ipsis documentis ab adversariis propositis eorum praetensiones refutentur, advocatus instat ut revocata ultima decisione, prior confirmetur, idest declaretur regularis paroecia Bantina, in eamque, prout de iure Minoritae restituantur.

Hisce ex allegationibus utriusque partis collectis, modo submitto sequens

DUBIUM.

An sit standum primo vel secundo loco decisis in casu.

Emi Patres rescripserunt: *Paroeciam habendam esse uti regularem, facto verbo cum SSmo.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

PISCIEN.

Canonici honorarii aequiparandi sunt canonicis titularibus quoad usum insignium.

Postulato hodierni Praepositi et Canonicorum insignis Ecclesiae Collegiatae S. Apostolorum Petri et Andreae in loco « *Montecarlo* » nuncupato, Dioeceseos Piscien.: « An Canonici honorarii aequiparandi sint Canonicis titularibus quoad usum insignium »;

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto specialis Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

« *Affirmative, iuxta Decretum* Num. 3393, *Patavina*, 16 Martii 1876, et *Motu Proprio* Inter Multiplices, 21 Februarii 1905 (1).

Atque ita rescripsit, die 21 Iulii 1906.

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

ORDINIS FRATRUM MINORUM PROVINCIAE SERAPHICAE.

Conceditur ut in Sanctuario Portiunculae a Rosis nuncupato, dici possit Missa votiva S. Francisci Ass.

Quo cultus et pietas erga Portiunculae Sanctuarium Assisiense magis magisque foveatur, Reverendissimus Pater Frater Bonaventura Marrani, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum, votis quoque Religiosorum Seraphicae illius Provinciae satisfacturus, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X humillimis precibus rogavit, ut Sacerdotibus divinae rei operantibus in pervetusto Sacello *a Rosis* nuncupato, Sancti Patris Francisci miris virtutum exemplis gestisque clarissimo, Missam votivam de eodem Sancto Confessore liceat celebrare, etsi Officium ritus duplicis occurrat, prouti eiusmodi privilegio ditata sunt Sacellum Portiunculae, et alterum olim Cubiculum, in quo Sanctus Patriarcha ad coelestia regna transivit.

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributarum, petitum Missae votivae privilegium ad Sacellum de Rosis ita benigne extendit, ut cuilibet Sacerdoti ibidem Sacrum facturo, Missam votivam de Sancto Francisco, uti in die quarta Octobris, fas sit celebrare: dummodo non occurrat Duplex primae vel secundae classis, aut Festum de praecepto servandum, necnon Feria, Vigilia vel Octava, quae sit ex privilegiatis: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 27 Iulii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIII, pag. 53.

III.

AVERSANA.

In processionibus tum Sanctorum, tum Poenitentialibus, laici aliquo tantum signo catholico exornati, incedere possunt vel ante sodales confr. et Clerum, vel post sacras imagines.

Hodiernus R.mus Pro-Vicarius Generalis Aversanae dioeceseos Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum:

I. An in Sanctorum Processionibus liceat laicis sive adultis sive pueris sine sacco, aliquo tamen catholico signo exornatis, et intorticia manu ferentibus, sodales confraternitatum sacco indutos et clerum praecedere, an debeant ipsi, in hisce Processionibus B. M. V. vel Sanctorum statuam sequi?

II. An quod in casu disponitur de Sanctorum Processionibus debeat intelligi etiam de Processionibus Poenitentialibus, quando nempe clerus cum populo adeunt Dei templum ad implorandam divinam misericordiam?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Possunt procedere vel ante sodales confraternitatum sacco indutos vel post sacras imagines.

Ad II. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 8 Augusti 1906.

L. ✠ S.

† D. Panici, Arch. Laodicen., *Sec.rius.*

IV.

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Quaedam ritus elevationes ac variationes inducuntur in Kalendario Cisterciensium Ant. Obs.

Ad maiorem uniformitatem habendam cum Kalendario Ecclesiae Universalis, R.mus D. Amedeus de Bie, Abbas Generalis Ordinis Cisterciensis, nomine quoque Capituli Generalis nuper coacti, a SS.mo Domino Nostro Pio Papa X insequentes ritus elevationes ac variationes in Kalendarium ipsiusmet Ordinis inducendas, humillimis precibus expetivit, nimirum:

1° Ut festum Sacratissimi Cordis Iesu ad ritum duplicem primae classis absque Octava elevetur, extendendo integrum Decretum diei 28 Iunii 1889 ad Breviarium Cisterciense.

2° Ut festum Annuntiationis B. M. V. evehatur ad duplex primae classis sine Octava, recolendum una eademque die cum Ecclesia Universali, iuxta Decretum diei 23 Aprilis 1895.

3° Ut festum Exaltationis S. Crucis ad ritum duplicis maioris elevetur, sicut obtinet in Ecclesia universali.

4° Ut extendatur ad Breviarium Cisterciense Decretum diei 13 Augusti 1892, quo festum S. Ioseph Conf. Sponsi B. M. V. quoties impeditum occurrat Dominica Passionis

aut quindena paschali, adsignetur diei fixae, tamquam propriae sedi.

Demum 5° ut normae quoad Orationes in Missis Defunctorum praescriptae per Decretum generale diei 30 Iunii 1896 extendantur ad Breviarium Cisterciense, firmis manentibus Rubricis de solemni Ordinis Tricenario.

Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto, benigne precibus annuere dignata est: servatis caeterum peculiaribus Ordinis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 8 Novembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

V.

LINCIEN. — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Francisci Iosephi Rudigier Episcopi Linciensis.

Inter apostolicos sacerdotes pro Christo legatione fungentes, Dei miseratione et Sanctae Sedis auctoritate Episcopos constitutos qui postremis hisce temporibus sacri ministerii operibus cum fama sanctitatis vitae inclaruerunt, merito recensetur Franciscus Iosephus Rudigier Episcopus Linciensis. In oppido Parthenen., Dioeceseos Brixinensis, ortum duxit die 6 Aprilis anno 1811, eaque ipsa die in sacro fonte regeneratus est. Minor ex octo filiis piorum parentum Ioannis Christiani et Iosephae Tschofen, Francisculus honestate et pietate omnium optimus existimabatur. Aetate succrescens, ipsorum parentum cura, studiorum elementa in scholis didicit, specimina ingenii ac diligentiae satis praeclara ostendens. Humanioribus litteris apud fratrem natu maiorem, in pago Schruns, biennio navavit operam. Oeniponte tertium gymnasii cursum prosecutus est, ibique transitu facto ad ulteriora studia in Universitate ita profecit, ut principem obtinuerit locum et praemium cum annuo subsidio. Vigesimum aetatis annum agens, absolutis disciplinis philosophicis et, divino lumine implorato, se in sortem Domini vocatum sentiens, statim Brixinam se contulit, ut in seminario episcopali theologicis studiis incumberet. Scientia et pietate dignus et idoneus repertus, per gradus inferiores ad sacerdotalem dignitatem evectus est die 12 Aprilis anno 1835. Tunc illuxit Servus Dei haud amplius sub modio sed super candelabrum in domo Dei, charitate, prudentia, zelo et doctrina. Ad parochum oppidi Vandars missus, inibi Vicarii munus diligenter exercuit. Ad pagum Bürs translatus et in adiutorem parocho senio confecto datus, cum impensiore studio et incolarum admiratione atque utilitate spiritualis moderatoris officium peregit. Parocho e vivis erepto, Servus Dei Vindobonense Collegium ad presbyteros ampliori scientia sacra excolendos ingressus est: in quo summa cum laude de theologia dogmatica periculum fecit. In Brixinense seminarium arcessitus per triennium historiam ecclesiasticam et ius canonicum et postea per quatriennium theologiam tradidit, doctrina, eloquio et perspicuitate praestans. Quaedam etiam conscripsit opera inter quae illud praecipuum de Ecclesia catholica a doctis viris commendatum. Anno 1845 in memorati Vindobonensis instituti moderator spiritualis deputatus, obtenta venia a suo Episcopo, Brixinam reliquit, et Vindobonae novum officium alacriter suscepit. Vertente autem anno 1848, Inticam traductus et collegiali illi Ecclesiae praepositus sacrum ministerium praedicatione aliisque dotibus illustravit. Interea Brixinensis Praesul de recta cleri educatione, a qua bonum populi praecipue pendet, valde sollicitus, Franciscum Iosephum inter canonicos suae Cathedralis Ecclesiae cooptavit et maiori seminario regendo praefecit cum maxima capituli et seminarii gratulatione et laetitia. Quibus muneribus dignissimus canonicus et rector ita functus est, ut etsi in confessionibus, concionibus aliisque ministerii laboribus esset occupatus, tamen statuta et regulas pro Seminarii regimine exaraverit eidemque Seminario illustre nomen prae caeteris acquisierit. Episcopatum Linciensem ex obedientia suscepit et die 5 Iunii anno 1853 Viennae consecratus, post quinque dies ad sedem Linciensem se transtulit. Bonus pastor non sua sed quae Dei sunt quaerens, ad gregis sibi commissi bonum sollicitudinem omnem impendebat, *in omnibus seipsum praebens exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate;* sicut Titum monebat Apostolus. Alumnorum utriusque seminarii studia, pietatem atque ecclesiasticam disciplinam singulari industria provehebat. Sacerdotes pro uniuscuiusque indole, viribus et ingenio ad varia officia obeunda destinabat et per sacros recessus ad maiora virtutum incrementa dirigebat. Pia et religiosa sodalitia tam virorum quam mulierum peculiari affectu prosequebatur, probe sciens per huiusmodi coetus et virium coniunctionem, verum societatis bonum promoveri. Religionis studio incensus, semper et praesertim in pastorali visitatione gregem suum salutariter pascebat, et ab haeretica lue praeservabat. Ecclesiae libertatis et iurium strenuus vindex et assertor extitit. Aetate iam gravis laboribusque fractus Dei Famulus dum civitatem Ried visitat, infirmitate correptus, exitum suum properare sentiens, Lincium redire vult. Morbo ingravescente, extrema morientium sacramenta enixe postulat devoteque recipit, coram capitulo et clero prius professione fidei emissa operibusque a se incoeptis ipsi capitulo commendatis. Iesu et Mariae imagines frequenter osculatur et sanctissima nomina repetit, illa quoque verba ingeminans: « Christe cum sit hinc exire, da per matrem me venire, ad palmam victoriae ». Demum postremo vitae momento iam urgente, Famulus Dei cum caelum suspexerit caelestiaque contemplatus fuerit, placidissime de hac vita migravit, collacrymantibus omnibus qui aderant quique testabantur sanctam vitam beatamque mortem amatissimi defuncti Episcopi Rudigier. Evulgato huius transitus nuncio, innumera hominum cuiusvis ordinis multitudo ad Servi Dei cadaver invisendum et venerandum convenit, oblatis etiam liberalibus largitionibus pro Ecclesia Cathedrali in honorem Immaculatae Conceptionis B. M. V. ab ipso defuncto Episcopo aedificata. Postquam vero die 3 Decembris, eius die onomastica, funus triumpho simile solemni pompa et cum magna fidelium frequentia et devotione persolutum fuerit, venerabile corpus in arca metallica inclusum, in crypta Ecclesiae Cathedralis tumulatum est; apposita lapide cum inscriptione « † *Franciscus Iosephus Rudigier, Episcopus Linciensis, natus 6 Aprilis 1811, presb. ord. 12 Aprilis 1835, Episcopus consecr. 5 Iunii 1853, defunctus 29 Novembris 1884, R. I. P.* ». Opinio sanctitatis quam Servus Dei in vita et post mortem

adeptus fuerat, magis in dies diffusa et usque in praesens perseverans, viam aperuit Processui Ordinario Informativo in ecclesiastica curia Linciensi instituto aliisque Processibus Rogatorialibus Romano et Brixinensi. Quibus adornatis, penes Sacrorum Rituum Congregationem exhibitis riteque recognitis, instante R.mo D.no Georgio Jacquemin antistite urbano et huius Causae postulatore, quum petita et obtenta dispensatione Apostolica a lapsu decennii et ab interventu et voto Consultorum, omnia in promptu essent, attentis litteris postulatoriis quorumdam E.morum S. R. E. Cardinalium, plurium R.morum Sacrorum Antistitum ac praesertim R.mi D.ni Francisci Salesii Mariae Doppelbauer Episcopi Linciensis una cum Capitulo, Clero et populo illius dioecesis, necnon aliorum Capitulorum Cathedralium, ordinum religiosorum et facultatum theologicarum in Universitatibus Vindobonen., Salisburgen. et Oenipontana, cum quibus consociantur nobilissimi viri et mulieres ad imperiales vel regias familias pertinentes, E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Dominicus Ferrata, eiusdem Causae Ponens seu Relator in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* ». Porro E.mi et R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius E.mi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: « *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit* ». Die 5 Decembris 1905.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis ratam habuit et probavit; atque insuper Commissionem Introductionis Causae Venerabilis Servi Dei Francisci Iosephi Rudigier, Episcopi Linciensis, propria manu signare dignata est, die 6, iisdem mense et anno.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praefectus.*
L. ✠ S.
† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

INFORMATIO

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

Beatissime Pater,

1. Aeterni sapientia Patris, quo magis Ecclesiam suam ob crescentem impiorum audaciam in discrimine videt, eo saepius excitat viros, qui singulari morum innocentia non minus quam eximia praestantes doctrina, religionem pro viribus adserant et greges sibi commissos summa ope tueantur. Atque ita superiore saeculo factum est, ut, dum scelesti homines divina humanaque permiscere moliti sunt auctoritatesque omnes convellere, e contrario pientissimi heroes, tum verbis, tum scriptis, tum praesertim exemplo societatem in Christo instaurarent, ac divinitus afflati, ostenderent, in catholica fide dumtaxat veritatem pariter atque omnium niti salutem.

2. Hos inter Lincium merito accenset Franciscum Iosephum Rudigier Episcopum suum, cuius in vita meritis conspicua pastoris officium, post mortem validissimum ad Deum patrocinium eius experiri congaudet. Ille sane quomodo oportet ambulare et placere Deo, sic revera ambulavit, ut quampluribus ecclesiasticis muniis functis, in eo adlaboraverit ut christiana plebs, divinae sapientiae exculta praeceptis, melior in dies evaderet. Ad hoc semper consilia, labores, operam intendit, ut pueros christiana doctrina et moribus imbueret, ad bonam frugem peccatores revocaret, periclitantes adduceret in tutum salutis portum, universum vero gregem suis curis concreditum ad venerationem Romanae Ecclesiae institueret. Christiani sacerdotii plenitudine deinde auctus, omnes boni pastoris partes cupidus explevit, eiusque navitas in multis ac magnis se probavit operibus, apprime sane noscens fidei osores nec labori nec pecuniae parcere, totoque pectore ad labefactandum gregem incumbere. Sed ille, quem Christus iussit esse pastorem, nullo modo vacavit sed omnia pertentavit quae ad tutandas oves perducerent. Gratum vero ac suave est uberes saluberrimi eius apostolatus fructus spectare deditamque admirari religionis commodo aetatem non diuturnitate minus quam emolumenti copia praestantem.

3. Quot toleravit labores Franciscus noster! Quot impedimenta impigre superare aggressus est! quot pravas eradicavit consuetudines! quot animas vitiorum illecebris irretitas suavitate morum atque vi eloquii poenitentes ad Deum perduxit! Quas inter pastorales curas aequo semper constitit animo, quidquid molestiarum haud renuebat pati et experiri, non intermisse adlaborans, ut oves sibi commissae abundantius pascuis salutis nutrirentur. Talis evasit, qualem Paulus voluit se praebere Titum: « *in omnibus teipsum* « *praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in in-* « *tegritate, in gravitate* » (1). Habet vero in eo omnis hominum ordo et conditio vitae propositum exemplar sanctitatis, quod sequatur: habent in sortem Domini vocati, sive inter fluctus saeculi, sive in religiosae stationis portu vivant, habent in Francisco Iosepho formam sacerdotalis virtutis et animi nullos labores pro Christo et Ecclesia refugientis; habent fideles in saeculo degentes in Dei Servo nostro unde addiscant, beatos esse humiles et timentes Deum ac cupiditates.

4. En Vir, de quo dicturi sumus, qui strenuus in vinea Domini, si quis alius, operarius fuit, quique Christi vestigiis inhaerens pertransiit benefaciendo, atque animam suam posuit pro proximo suo. Vobis, EE. PP., quae ad huius viri vitam sanctitatisque famam spectant, accurate exhibemus, ac profecto non sine magna laetitia proponi hanc Causam necessum est, in qua non unius tantummodo ut meriti viri agitur honos, sed Dei, Ecclesiae, Episcopatus, Sacerdotii populique Voralbergensis proponitur decus. Modo quaedam de vita ipsius lineamenta praemittenda censemus.

VITAE SYNOPSIS.

§ I.

5. Austriaci Imperii, quae ad occiduam vergit plagam, iacet nobilissima Voralbergensis provincia: haec in bis mille et amplius chilometrorum quadratam superficiem protenditur, centum incolarum millibus frequens, tres distribuitur in urbes, in vicos autem et oppida ducenta. Brixinensi dioecesi subiacet, a Brixinensi administratur Praesule. Hic in pago Parthenen Franciscus Iosephus Rudigier vitales hausit auras die 7 Aprilis, ab ortu Christi anno 1811, eaque ipsa die in sacro baptismatis fonte regeneratus fuit. Parentes nactus est puer, qui octo inter liberos natu minor evasit, humiles, agriculturae deditos, honestate et virtute praestantes, Ioannem Christianum Rudigier et Iosepham Tschofen;

(1) Tit. II, 7.

dignus uterque cui Franciscus filius concederetur. Nam pientissimi ambo, sed mater praecipue, cum caeteros suos natos fidei et pietatis rudimenta optime edocerent, eorumque animos ad christianos sensus effingere satagerent, tum praecipue in Francisculum diligentissimum omnino studium christianae educationis contulerunt. Sic suaviter disponente Deo, ut quem ipse ad altissimum sanctitatis gradum praedestinaverat, iam tum vel a teneris unguiculis in animo suo omnium virtutum electissima semina reciperet.

6. Parentum curis et sollicitudini mire respondit puerulus, qui licet vividam a natura sortitus esset indolem, adeo tamen erga eos se praebuit docilem, obsequentem, dicto obedientem, ut nunquam ab eorum praeceptis deflectere visus sit. Efficiebant hae dotes, ut matri Franciscus praecarus esset, quae de eo diceret « *Francisculus vere omnium optimus est* » et carissima filio mater, officiis hic amore, reverentia genitricem prosecutus, consiliis, illa adhortationibus, laude. Tanto vero ad studium et pietatem incumbebat, tanta modestiae candidaeque verecundiae fama praestabat ac morum innocentia, ut desideratissimus cunctis evaderet. Vix nonum aetatis annum attigerat, sacro perunctus fuit Chrismatis oleo. Sic fortis Christi miles effectus vel a teneris, licet pro suo modulo, praeliari coepit praelia Domini. Nec mirum, siquidem, adspirante Dei gratia, quae nullo non tempore coadiuvare solet parentum curam et industriam in educatione prolis, puerulus tunc timere Deum visus est, ac pietatis operibus serio vacare, quo in exercitio primam omni cum laude transegit aetatulam, sub matris ductu, cui aetas illa magis est commendanda, quae illum etiam ad cultum Virginis Deiparae informare studuit. Sic iam inde a puero ea divinae dilectionis praebuit Franciscus argumenta, ut intelligi facile posset, ad altissimum virtutis gradum fore ut esset perventurus.

7. Ad pietatem igitur, ad virtutem adolescebat infans, sed piis parentibus aeque ac christiana, civilis quoque nati cultura fuit cordi. Inde impense curarunt ut scholas, ubi prima traduntur studiorum elementa, puer celebraret. Utpote praeclaro praeditus ac perspicaci ingenio, tales vero Franciscus in studiis progressus fecit, ut longe caeteros condiscipulos exuperaret, primum obtinens locum in scholae palaestra, ac propter morum suavitatem comitatemque praeceptorum animos in sui admirationem raperet. Prima deinde ad gymnasium institutione suscepta apud fratrem natu maiorem, qui tunc temporis Primissarii munere in oppido Schruns fungebatur, biennio inibi litterarum studio navavit operam, nil de pristina pietate ac fervore remittens. Exactis igitur primi curriculi stadiis, Oenipontem venit pius adolescens, tertio gymnasii cursui adscribitur, ac divinae gratiae Deiparaeque praesidiis imploratis, anno 1825, illum, etsi rei familiaris angustiis premeretur, frequentare coepit. Sed quo maiores Francisculo obiiciebantur difficultates, eo maiori alacritate studiis vacabat, ita ut profectus laude vitaeque sanctitate contubernales anteiret, eiusque progressum omnes mirarentur. Copioso divino auxilio egregie autem respondens, virtutibus vehementius intendit, uberioresque quotidie bonorum operum fructus edidit. Miram quamdam in adolescente conspicimus iudicii maturitatem et gravitatem morum, ut puerile nil saperet. Nulli enim solatio indulgebat: quod sibi a studiis et a pietatis operibus supererat tempus, totum in erudiendis iunioribus alumnis insumebat. Sic in iuvene, pietate item ac doctrina proficiente, quidquid veritati ac modestiae oppositum vitante, condiscipulorum minus honestate praeditorum societatem aufugiente, nulla prorsus desiderabatur virtus.

8. E cuius integritatis ratione nihil profecto immutavit transitus ad altiores disciplinas. In philosophicis enim studiis, ad quae, Oenipontanam celebrans universitatem, incubuit Famulus Dei mirum in modum profecit, adeo ut, aequalium coetum praecellens, primum locum obtinuerit ac annuum promeruerit subsidium, quo necessitatibus consuleret suis. Erectus hic convallium flos, illos germinare coepit bonorum operum fructus, quos mundi sectatores, quasi spinis obvoluti, producere non valent.

9. Crescentibus annis, vix vigesimum attingens Franciscus, quod vitae genus sibi potius duceret, ut benigne ei patefaceret, indesinenter Deum instanterque obsecrabat. Sed utpote incensa praeditus pietate, maturitate imbutus spiritus, in electam Domini sortem iam vocari persentiens, (plus vice simplici et in ipsa proditis divinae vocationis indiciis) serio cogitare coepit, utrum ecclesiasticum in saeculo statum amplecteretur, an religiosa iniret claustra. Clarior demum divina fit vox, neque amplius pius ambigit iuvenis, ac non sibi tamen ministerii arduitatem dissimulans, ecclesiasticam vitam ineundam duxit. Interea, absolutis philosophicis, theologicis deinceps operam dare oportebat studiis, ad quae eius ferebat ingenium. Quare Brixinam se contulit, ac maxima sedulitate ad divinam scientiam in seminario episcopali incubuit, nulli parcens industriae, ut alacriter in huiusmodi studio summa cum pietate proficeret, adeo ut sibi Episcopi existimationem devinciret eique in deliciis esset.

10. Tunc temporis Franciscus Iosephus tonsuram ac quatuor ordines minores suscepit, quorum munera sedulissime per biennium implevit. Annus erat P. C. N. 1835 et Dei Famulo quatuor ac vicesimus, cum, nondum peracto theologico stadio, licet ante praestitutum tempus, ob gravissimum genitoris morbum, ipso sacris esset initiandus. Interea, cum ad presbyteratum se promovendum nosceret, maiori semper animi contentione proficere nisus est in evangelica perfectione, propositisque sibi divini magistri exemplis, totam vitae rationem ad futuri ministerii sublimitatem componere. Illuxit tandem dies 12 Aprilis, qua Franciscus noster, per subdiaconi ac diaconi ordines, ad sacerdotalem dignitatem, quam tantopere anhelavit, fecit gradum. Exinde coepit veluti lucerna super candelabrum posita lucere in domo Dei, primum mysticum et incruentum sacrificium litans in oppido Schruns, tanto cordis fervore, mentis applicatione tanta, ut cunctis adstantibus neutiquam homo viator eo in actu adpareret, verum coelestis comprehensor. Quem quidem fervorem in mirabili illo Eucharistico sacrificio offerendo, ad extremum usque vitae suae spiritum, raro admodum exemplo, servavit, ne dicam auxit.

§ II.

11. Brixinam reversus Dei Famulus summa cum laude ac omnium admiratione theologicis completis studiis, facultatem primo excepit fidelium homologeses audiendi. Quod officium periculosae plenum aleae tali charitate, prudentia, zelo et doctrina obivit ut cunctis gratus evaderet ac peccatores magis in vitiis obfirmatos ad Deum leniter attraheret. Hinc exorditur apostolicum Dei Famuli ministerium sudoribus exercitum atque excultum, quod laetissimam dedit, divino rore fecundante, segetem, uberrimos deinde fructus. Evolvitur enim ea Dei Servi vitae pars, quae ipsum proximorum bono, animarumque saluti intendentem praebuit, nunc Parochi nunc Decani nunc Moderatoris et Magistri, nunc postremo Episcopi muniis sanctissime functum. Primus igitur qui Francisci Iosephi opera et zelo in via Domini excolenda usus est, parochus fuit oppidi Vandans. Episcopi enim mandato novus Presbyter illuc missus est, ut vicaria auctoritate eumdem parochum adiuvaret et simul apud illum in zelo domus Dei et conversatione sanctioris vitae proficeret. Quo in munere obeundo, brevi licet tempore, animarum Christo lucrandarum studio mirum in modum incensus, nihil de religionis provehendae curis remisit, imo omnibus

omnia factus, non sibi vivens sed Christo et gregi sibi commisso, adeo universae paroeciae existimationem sibi comparavit, ut discedens, sui desiderium, quantum dici vix potest, reliquerit, sancta apud incolas illos eius memoria perdurante.

12. Sedula, quam Franciscus Iosephus in oppido Vangrans navavit opera, doctrinae laus sanctitati vitae coniuncta ac virtutum lumen in eo ubique nitens, effecerunt ut, Primissario oppidi Bürs demortuo, communitas isthaec, cui ius eligendi spiritualis moderatoris pertinebat, Dei Servum enixe instanterque ut pastorem imploraret. Novam D. F. provinciam haud recusavit, ac vix per episcopale decretum eius electione confirmata, munus suscepit. Annus erat 1837, Maii mense, die septima ac vicesima. Inibi adiutricem manum parocho, senio confecto, praestans, sacri ministerii partes explevit, ac animarum zelo ductus, brevi incolarum deliciae evasit. Et merito: non intermissa enim lustratione paroeciam peragravit, singulorum subiens domus, charitatis nuncius, pietatis hortator, malorum medicus. Percellebat gentes effusa illa charitas, qua in pueris e populo docendis exarsit. Ludos enim pro iis aperuit christianae doctrinae cibo enutriendis et a miseria relevandis: ac tam paterna eos fovebat sollicitudine, tamque ab iis diligebatur ut in viam parvuli ad eum accurrerent. Percellebat quoque mira illa benignitas ac suavitas, qua aegrotantium lectulis praesto erat, dolores leniens, medicamina praebens, patientiam monens. Nunquam sane sibi otium largiens, sed omne suum tempus in sacris ministerii operibus impendens, incredibile dictu est quanta Bürs pago contulerit beneficia.

13. Probe vero noverat Dei Famulus pervulgatum illud, sic populus uti sacerdos, qui, ut suae vocationi fideliter respondeat, fieri debet forma gregis ex animo. Ad hoc vero assequendum quantum in sacerdote conferat scientia nemo est qui non intelligat, quod quidem Franciscus Iosephus utpote doctissimus non potuisset ignorare. Idcirco inter assidua curarum in theologica non omisit scientia magis se erudire periculum inde fecit pro beneficiis curatis, notam merens primae classis cum eminentia. Qua eius scientia ac pietate deinde factum est, ut oppidani Bürs, parocho, ut vidimus, aetate presso ac ad parochialia munera explenda minus valente in eius locum suffectum Dei Famulum optarent. Sed, divino consilio, aliter res postea cessit, ut modo dicemus.

14. Dimidio fere mense Augusti anno 1837, peracerba Francisco Iosepho nunciata fuit parentis carissimi mors, quam paullo post illa itidem excepit non minus acerba genitricis dilectissimae. Aequanimus tamen ille, Dei voluntati penitus submissus, acerbitatem doloris pertulit. Interea beneficium ei oblatum fuit in pago Aichhalden: at renuit Dei Famulus, alia mente et animo recogitans, Vindobonense Collegium nimirum pro clericis instituendis adire gestiens. Cum autem Bürs parochus vita functus esset, ad Franciscum nostrum incolarum oculi coniecti sunt, cuius perspecta erat scientia, perspecta pariter et pietas. Indignum ille tamen se reputavit, et munus a se avertere studuit. Rem inde, suo abdicans consilio, totam Episcopo detulit, qui eum ad parochiale Bürs beneficium assequendum aptum censuit. Morem obsequenter D. S. supremo suo Moderatori gessit examenque ad hoc subiit.

15. Sed alia erat divina voluntas, uti inquimus, aliud virtutis scientiaeque simul D. F. manebat theatrum, multo sane splendidius, nec minus tamen fructuosum. Etenim, cum inter postulantes Bürs beneficium postremo loco fere divinitus positus esset Franciscus, ac cum exinde nulla omnino spes ei affulgeret paroeciae adipiscendae, quaesivit ab eo Brixinense Consistorium, an ipse adhuc desiderio flagraret Vindobonae Institutum ad presbyteros excolendos ingredi. Suavi perfusus iucunditate Dei Famulus, e paroeciali ministerio, e latebris ignotae pene vallis ad clarissimae urbis lucem adductus, statim annuit: Bürs discessit, tota complorante civitate, ac Vindobonam undecima die Maii anno 1838 attigit. Ibique pietate, diligentia et ingenii celeritate enituit, sacerdotalis vitae et morum integritatis exemplar exhibens. Et quoniam ad sacerdotalia munia recte obeunda necessariam noverat amplam theologicae scientiae suppellectilem, tam sedulam navavit operam atque adeo in ea profecit, ut summa cum laude theologiae dogmaticae periculum fecerit. Quod quidem doctrinae decus sicut tunc etiam postea nunquam fuit in ipso a zelo in animarum cura seiunctum, vel in confessionibus excipiendis, etiam num in concionibus, quae splendidos gignebant effectus. Quare mirifice Instituti moderatorum benevolentiam ac existimationem adeo sibi comparavit, ut amplissimis commendari laudibus promeruerit. Pro hoc meritorum cumulo ad tradendam historiam Ecclesiasticam et ius canonicum in Brixinense Seminarium accersitus fuit anno 1839.

16. Brixinam igitur se contulit Christi Famulus, sibi commisso munere functurus. Erat in homine scientiarum, quas tradebat, peritia, erat studium acerrimum, erat humilitas. In docendo vero eum adhibebat modum, qui disciplinae explanandae quam maxime conveniret. Doctrina illustris, eloquium suave, ac facilis oratio discipulorum detinebant animos adeo ut ab eius ore cupidissime penderent. Triennio hoc in munere exacto, cum periculum quoque fecerit in paedagogia ac theologia morali, ad tradendam divinam quoque scientiam ipso in Seminario deputatus fuit. Per quadriennium igitur theologiam docuit ac tam naviter, tam sedulo, tam impense, tam fructuose munus obivit, ut inter praestantiores huiusmodi scientiae doctores recenseri meruerit. Optimi sane praeceptoris partes agens, in scientia docenda perspicuitate maxima enituit, ac in sacris his disciplinis alumnos imbuendos suavitate ita effulsit, ut eorum animos mirifice sibi devinxerit. Volventibus annis, pergratum iisdem erat tam suavis magistri memoriam mente et animo recolere.

17. Quod sibi tempus ab occupationibus reliquum erat, litteris Dei Servus colendis dedidit. Dissertationem ad opera Episcopi Galura exaravit, laudes promerens Cardinalis Lambruschini: alterum de Ecclesia catholica opus puritate doctrinae aeque ac solidissimis argumentis praeclarum conscripsit. Nec satis: animarum curas minime praetermisit, atque a labore docendi conquiescens sacras ad populum conciones habebat. Cum enim eximiam prudentiam ardenti oratoriae facultatis dicendique copiae studio coniungeret, ac ex corde loqueretur, frequens turba ad eius audiendas orationes conveniebat et magna oblectatione ac spirituali utilitate detinebatur. Incredibile dictu est quanta exinde Brixinae contulit beneficia! Nova tamen accessit virtutum materies, nova illustrandae sanctitatis occasio. Austriaci Caesaris nomine moderatoris spiritualis munus in memorato Vindobonensi Instituto obtulit Dei Famulo aulicus parochus Feigerle. Obtemperavit ille, ab Episcopo Brixinensi facultate facta, ac Brixina anno 1845 discessit. Praeclarissima discedenti magistro Sacrorum alumni, quorum sibi ille, paternam ac varia pro ingeniis utens industria, corda mirifice devinxerat, grati animi testimonia praebuere.

18. Ad officium moderatoris spiritualis illud praecipue spectabat inter caetera, sacra nempe presbyteris tradendi exercitia. Quo in munere, de spiritualibus sacerdotum necessitatibus ille sollicitus, tanta ea diligentia fuit, ut nunquam Famulus Dei concionaretur nisi antea se studio et commentatione ad id apparasset, veritus ne quid a divini verbi

dignitate absonum ex ore excideret. Quapropter dignae eius orationes censebantur, quae typis ederentur. Alterum vero ad moderatorem Instituti attinebat officium, illud scilicet sacerdotalia munia sive in aulico sacello S. Stanislao dicato praestandi, sive in aliis imperialibus sacellis tum Schönbrunn tum Hetzendorf. Ex quo affectus ille, quem incensum Dei Servus erga Caesaream Maiestatem in pectore fovebat, eo adauxit, ut flagrantior, magis in dies ac magis, evaderet. Tres iam transierant anni ex quibus Franciscus Iosephus tanta cum diligentia, tanto cum zelo collatis sibi muneribus fungebatur, quum Inticam traducitur ac Collegiali illi Ecclesiae praeponitur. Annus erat 1848. Splendido laudis praeconio Aulici Sacelli Rector Nostrum profecturum commendavit, eique, existimationis documento, Capellani Aulici titulum retinendi concessit.

19. Si Inticae quid Dei Famulus egerit, persequi oratione vellemus, fere omnia essent hic recolenda, quae iam diximus. Eadem quippe diligentia, idem zelus, animorum idem salutis studium, uno inquam verbo, splendidissimus virtutum comitatus. Si quid discriminis est notandum, auctus scilicet in apostolico ministerio fervor, auctum studium. Et sane sedulam navavit operam Franciscus, Dei verbum praedicando, confitentibus ad poenitentiae tribunal adeundo, consilia, auxilia imploraturis. Equidem validius sermone illius erat exemplum, cuius in vita christianae, ad quam excitabat, perfectionis vivam cernebant fideles imaginem. Decani honore interea per Brixinensis Episcopi rescriptum auctus est Rudigierius itemque, civile aeque ac ecclesiastica probante auctoritate, scholis praeficitur inspiciendis. Quod munus zelo ac diligentia, a prudentiae dotibus non seiunctis exercuit. Quid itaque mirum, si omnium bonorum civium amorem omniumque existimationem sibi conciliaverit, adeo ut, cum vox hinc illinc pervulgaretur, Franciscum inter Brixinensis Cathedralis Canonicos brevi cooptaturum, litteras illius Municipii Praeses ad Episcopum iterato miserit, ne tanto viro Inticensis Ecclesia orbaretur? — Debita caeterum ista praemia fuere Eius flagranti zelo, ac diligentiae in animarum cura, in charitate ardori, in vita modestiae, in fide constantiae. Ipse vero muneri optime incubuit, laboriosissimo licet ac difficillimo ob salebrosa temporum adiuncta, constanti studio, enixa contentione et inconcussa tenacitate difficultates evinciens. Ipse malevolorum hominum ludibria, irrisiones, convicia fortiter sprevit; quo magis exterius vexari, eo magis Deo coniunctus apparebat.

20. Quod tamen Inticensis civitas verebatur paullo post eventus comprobavit. Cum enim unus e clero esset eligendus, qui in spectabile Cathedralis Brixinensis Ecclesiae Capitulum adnumerandus foret, non sine divino, putamus, numine, oculi in Franciscum sunt coniecti. Conveniens erat et ad populi bonum accommodum virtutis tantae exemplar ob oculos in conspicua dignitate proponi. Quapropter Intica Brixinam vocatur honorificentissimis appellatus litteris, quae merito sanctitatis illius tributa testificatio censetur. Dei Servi discessus Inticae gregi peracerbus evasit, ac moeror luctusque universam subiit civitatem. Conquerebantur abripi sibi patrem, subsidium, ducem, lumen et publica quaestus aegritudinisque significatio erat. Inter cleri ac civium obsequii honorisque splendida indicia Inticam reliquit Septembri mense anno 1850 ac dignitatem canonici eodem mense Brixiniae capessit. Dignitas tamen vitae institutam rationem non mutavit. Qui enim ad sacerdotium accesserat non lucri nec commodioris vitae quaestu, sed ex divina vocatione ad Dei gloriam hominumque salutem, etiam in illo canonici gradu alienum a se non existimavit in Christi vinea colenda insudare. Verum aliam Dei Famulo gravior provincia destinabatur. Brixinensis praesulis, cuius tanta in gratia venerat, mens fuit, hominem, cuius ingenii noverat scientiaeque optimas facultates, cuius tam splendide in anteactis muniis periclitatus zelum ac studium fuerat, hominem, inquam, maiori seminario regendo praeponere.

21. Quam de D. F. Praesul egregius conceperat, spei respondit. In officio enim obeundo sic fortis itemque suavis se habuit, affabilitate sic excelluit, peritia ac doctrina, sic paternam erga alumnos sollicitudinem ostendit, ut omnium animos mirifice sibi devinxerit. Optime vero videns ex educatione cleri bonum populi praecipue pendere, curas omnes in id contulit, ut qui sacris se initiari exoptarent in ferventiori spiritu fidei educarentur. Ad id in primis disciplinae vigorem restituit, regularum observantiam ab illis exigens, abusus vix obortos emendavit, nec tempus inolescendi eis concessit. In corrigendo, quoties opus esset, prudens evasit, humilitatem inculcans, modestiam rerumque humanarum contemptum infundere satagens, honesta tamen solatia iisdem non denegans. Conciones ad clericos habebat ac probe sacerdotio initiatos et a Seminario egredientes de vitae pastoralis officiis erudiebat. Summopere curavit ne quis imparatus sacros ordines reciperet: verbis ac exemplo alumnos educebat, quid praeprimis in sacerdotio quaerere deberent. Nec temporales eorumdem necessitates neglexit quidem; morbo ingruente, paterna aegrotos charitate complexus est: regulas probe vivendi pro clericis conscripserat: iisdem normas tradidit pro servanda valetudine, pecuniam non modicam in Seminarii bonum impendit ac materialem quoque opem inopibus clericis praebuit: alios vero, queis res familiaris propitia cedebat, hortabatur, uti sibi aliquid subtraherent in pias causas erogandum. Eo moderante, adeo mirabili quadam industria ac studio officium exercuit, dignos Ecclesiae ministros instituendo, ut Brixinense Seminarium caeteris praecellere ab omnibus affirmaretur.

22. Licet tot ac tam gravibus curis et occupationibus detineretur Famulus Dei, non destitit alio, ut supra innuimus, zelum suum effundere. Ad tribunal itaque poenitentiae assiduus aderat, externorum confessiones excipiens. Illum, quod tempus eidem reliquum erat, in ministerii laboribus occupatum videbant: illum publice concionantem audiebant. Sed ad maiora in posterum praestitura Deus Omnipotens Franciscum nostrum vocavit. Cum enim de eligendo Linciensi Episcopo res esset, nemo aptior ac dignissimus, cui id credi munus posset, quam Dei Famulus indicatus est. Faustissimum caeteris nuncium, Rudigierio allatum molestissimum fuit. Minorem profecto se tanto oneri sentiebat, quod ei imponebatur, ac perterritus, conatus est illud detrectare, alio maiori sane peritia obtestatus quam sua, alio ferventiori opus esse zelo. Incassum tamen: tunc nonnisi ex obedientiae debito honorem excepit, utpote ille qui humanis omnibus valedixerat et unice aeternam gloriam suis votis advocaverat. Viennam inde proficiscitur, moestissima ad profectionem Brixinensi civitate, moestissimis et complorantibus Seminarii alumnis, quibus novus honor praestantissimum abducebat moderatorem. Solemni in Consistorio diei 10 Martii 1853 Dei Famulus elatus est, aetatis suae anno 43. Constituta subsequenti Iunii mense die quinta consecratione per manus Emi Cardinalis Pro-Nuntii Viennae, dici plane non potest, quo precum vigiliarumque apparatu, quibus lacrymis tantam ad dignitatem excipiendam sese paravit Dei Servus. Non amplius quinque a consecratione diebus Viennae commoratus, ad suam se contulit Sedem. Magno cuiusvis ordinis civium Comitatu Lincium ingressus est, continuo templum Cathedrale subiens. Ibidem primam ad populum habuit homiliam, qua omnes vehementer commoti sunt. Perspicue enim ex tunc ostendit bonus pastor, se unice ad gregis sui salutem intendentem, suavitatem constantiae iuncturum: nullis, quin pastorale impleret officium, impedimentis cohibiturum.

§ III.

23. Praecipuam Francisci Iosephi vitae aggredimur partem, Episcopali in dignitate actam et inter curarum cumulum laboresque insumptam. Pastoralis sollicitudinis nullum fuit munus, nullum officium in quo defecisse quandoque tantisper deprehendatur, verum sapienti regimine ostendit, quanto uberiorem ex latiore campo messem foret collecturus. Summopere imprimis ei cordi fuit Seminarii tam maioris quam puerorum sive minoris profectus et incrementum, in quorum culturam, studium omne, omnes labores, omnesque cogitationes D. F., extraordinaria iam praeditus peritia in adolescentis cleri animis educandis, contulit. Quippe in tanto bello contra catholicum ministerium undique inflato, curare ut clerici in sacris ephebeis, ad omnem optimam artem compositi, in spem Ecclesiae, veluti in viridario, succrescant, eo spectare, ut sacerdotes a se instituti se tales praebeant, qualem Paulus voluit se praebere Titum, « *in omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate* » (1), haec officia praestantissima Episcopi censuit Christi Famulus. Hinc utrumque Seminarium singulari prosequebatur charitate, uti oculi sui pupillam illud puerorum habens, et patris instar dilectionem copiosissimis monstrabat largitionibus, iura eorum defendendo, pauperibus subveniendo alumnis. Presbyterorum vero Seminarium crebro invisebat, ad clericos sermones et monita dabat; ob eius vero adspectum et adloquium in vocatione illi firmabantur. Mire autem sollicitus erat idoneos theologicis disciplinis tradendis viros comparare: ad id idoneos pariter praeceptores eligere studuit. Praecipuam vigilantiae partem ad disputationes impendit quae inter alumnos uti experimenta habebantur. Iis voluit, quemadmodum et examinibus, praeesse, suis ipse oculis, suoque iudicio, ut studiorum progressiones perciperet, coram ut singulos nosceret. Totum eiusdem studium in paranda dioecesi pari presbyterorum sobole erat, ut sacerdotum penuriae, per iniquas anni 1868 leges effectae, quantum in se esset, prospiceret.

24. Formatis ecclesiastica disciplina clericorum animis, nequaquam vero omnem abiecit curam Dei Famulus, omnem deposuit cogitationem. Quin nova Eidem ingruebat sollicitudo, eaque gravior, traducere scilicet e schola ad ministerium, tyrones, a praeceptis ad actionem. Ipse vero praecipuam habuit curam ad ipsorum indoles, vires, ingenia, accommodatas provincias addicere. Ecclesiasticae inde disciplinae custos vigilantissimus evasit, nec facile dictu est quot sibi imposuerit labores ad devios sacerdotes paterna sollicitudine convertendos, clericorum removenda scandala, corrigendos mores, dioecesim universam in bonam frugem restituendam. Ad sacerdotum emendationem et spiritualem profectum pertinet quoque sacrorum illa secessuum institutio, cui quotannis Episcopus una cum clero aderat, ut singuli veritatis documenta commentarentur, actaeque vitae exagitarent rationem, propria recolerent officia, purgarent animos, novasque ad ministerium sanctitatemque sumerent vires. Universum porro clerum agnoscere studuit, eumque tum regularem tum saecularem impense dilexit. Apud fideles conatus est Dei Famulus obsequium et existimationem animarum erga curatores servare et augere: fideles ipsos admonuit, ut clero subiicerentur: hunc pro viribus quacumque occasione tuendum suscepit. Huic studio alia sunt egregia facinora coniuncta ad dioceseos bonum invecta, illa scilicet, quae canonicas spectant visitationes. Linciensis dioecesis quam plurimis paroeciis constat quae ad octingentas circiter numerantur. Ipse vero omnes perlustravit, earum plures bis aut saepius invisit: nulla paroecia seu imis abdita vallibus, seu praeruptis sublimis arcibus fuit, quam bonus hic Pastor adeundo, coramque visendo non observaverit. Nec immiti coelo nec dissitis locis nec asperrimis viis ac intolerabilibus hospitiis unquam cessit, charitatis sublimis raptus impetu. Lustratione pastorali in una paroecia exacta ad aliam proficiscens, iterabat, idest a labore ad laborem advolabat a molestiis ad molestias. Quod si ad rationem, qua sanctissimo munere functus est D. F. oculos coniiciamus, nonnisi summis efferendam laudibus censemus industriam diligentemque eius operam, sive confirmationis sacramentum ministraret, sive praedicaret Dei verbum et curaret, ut a curionibus ministerium hoc omni cura impleretur, sive alia muneris officia perageret, sive praescriptis omnibus a Tridentina Synodo in visitationibus quam sedulo obtemperaret. Ita docendo ac benefaciendo, suam lustrabat Dioecesim, orthodoxae vindex doctrinae, bonorum tutor morum, pravorum censor, populum clerumque ad eam sanctitatis altitudinem, quae christianum decet hominem, invitans.

25. Zelum autem suum sacris exercebat concionibus, quas ad populum Dei Servus habebat. Mira sane illa oratoria facultate, quam a Deo acceperat, in animarum utilitatem sedulo utebatur, auditores simul oblectans et iuvans, eorumque animos singulari quadam ratione vehementer excitans ac movens. Sollicitudo eius eximia effulsit cum de rebus, temporibus aptis, loqueretur, conatus sive errores subtiliter contra fidem ingestos plane refellere, sive accurate ac penitus abusus tollere ac ad vitam christianam oves sibi creditas adducere. Concionibus etiam usus est, ut Ecclesiae puritatem et iura tueretur, supremum Romanae Cathedrae magisterium atque inerrans oraculum defendens. Gregem item a pravis ephemeridibus et libris legendis arcere studuit, catholica vero scripta omni ope adiuvans. Gaudio gestire visus est comperiens assidue fideles ad SS. Sacramenta accedere, Dei verbum devote audire, ex missionibus uberiorem fructum percipere. Non omisit etiam quotannis, quadragesimali recurrente tempore, pastorales litteras in lucem edere, apostolico admodum spiritu repletas. Item, quacumque nacta occasione, an ab aliqua societate vexilla consecrarentur, an aliae occurrerent saeculi festivitates, sermones producebat, vitam inculcans familiarem ad christianam conformatam disciplinam, mixta quae vocant coniugia dehortans, diei Domini sanctificationem exhortans, a socialistarum placitis et impuris doctrinis fideles removens. Maximo vero dolore percipiebatur, eo quod tot falsae imbuerentur religionis praeceptis: vehementer pro eorum ad Ecclesiae sinum reditu orabat, ac si quis sane rediisset, ingenti afficiebatur animi solatio. Item in Ecclesiis perlustrandis sacrisque muneribus obeundis diligentissimum se praebuit. Convisitatoris Apostolici munus religiose implevit, uberes colligens fructus, difficultates spernens, moderationi firmitudine coniuncta, quoties optatae disciplinae instauratio inferri posset.

26. Quid de ea dicemus sollicitudine, quid de industria, quam ipsum scimus adhibuisse, in christiana schola tuenda ac fovenda? Eas exprobravit, quas *extraconfessionales* vocant, viriliterque ipsas adversus pugnavit, ubique signa strenuitatis suae ad catholicam scholam defendendam inferens. Eodem zelo christiana sodalitia adiuvare sategit virorum aeque ac mulierum: religiosos ordines peculiari studio prosequutus est: eodem zelo uniones catholicorum virorum pro re politica fovenda provexit, atque enixe hortabatur ut omnes civilia a legibus iura concessa exercerent, probe noscens quod si christianae leges populos regere deberent, aut impiae deleri, necesse erat ut legislatores imprimis christiani fierent. Nec iniquae nostro Praesuli ob

(1) Tit. II, 7.

constantiam in munere obeundo persecutiones defuere, sive per quosdam e clero sui muneris immemores, sive a perfidis ephemeridibus contra eum ingestas. At ille fidenter in Deo ac aequanimiter exprobationes perferebat, offensores excusans. Nil temere egit, nil tamen remisse. Eius porro vita in pastorali officio singulare catholici invictique Episcopi exemplum fuit. Olim cum contra pravas de matrimonio et scholis leges aperte ille, loqueretur, qui Ecclesiae praesidium ac vindex erat, Ecclesiaeque iurium assertor gravissimus, displicuit idcirco iis qui ad gubernium in sua provincia sederent, eumque ad magistratum detulere, utpote qui civilia iura violarit, ac in iudicium vocarunt. Iussui obtemperare renuit Praesul illustris, pactis legibus innixus, soli que cessit vi ac iniuriae summo cum bonorum omnium dolore carceri damnatus fuit. Caeterum concordiam inter ecclesiasticam et civilem potestatem servare curavit, eodemque tempore et Ecclesiae iura imminuta non pertulit, nec quid Caesari, quod ei deberetur, detraxit. Propria haec eius fuit laus. Demum salutis animarum zelum, quo aestuabat, intra dioeceseos fines non continebat, sed etiam ad finitimas provehebat, sive, ut supra vidimus, monasteria perlustraret, sive viciniores Episcopos de quovis scandalo certiores redderet. Mira Francisci Iosephi in dioecesim suam sollicitudo ultra sepulchrum quoque se ostendit, austriacum nimirum Caesarem vivens exorans ut, ipso demortuo, dignissimus, qui sibi sufficeret, dioecesi pastor eligeretur.

27. Quid ad haec, PP. AA? — Si Episcopi sanctitatem collocamus in perpetua illa doctrina, qua creditum sibi gregem ducere ille pro sua dignitate debet, possedisse hanc Nostrum dubium non est. Docuit enim populum et verbis et exemplis. Docuit verbis cum e suggestu plebi pabulum concionando apposuerit; docuit exemplis cum unice in id intenderit, ut sua universa vita in episcopali cathedra conspicua virtutum intaminatum fulgidumque speculum esset. Ecclesiasticae libertatis defensor acerrimus, cum illius iurium tutela miram mansuetudinem charitatemque copulavit. Dioceseos visendae residendique officia sancte coluit, tempus in orationem ac laborem impendens: confirmationem ita administravit, ut nulli pepercerit labori, nulli periculo, nulli incommodo. Paucis ita boni pastoris partes iugiter et accuratissime implere studuit, ut nunquam flagrans eius zelus defatigaretur aut deficeret, dum de gloria Dei et aeterna animarum salute ageretur, omnibusque exemplum mirabile esset.

(Dein agitur de virtutibus).

De pretioso Servi Dei obitu et concursu ad funus, deque corporis humatione.

127. Quamquam ex his quae hucusque disputavimus maxima laus Francisco Iosepho tribuenda sit, attamen adhuc gravissimum aliquid nobis agendum superest, id scilicet omne quod ad vitae eius exitum supremumque certamen pertinet. « *Illud maxime et praecipue observandum, ut* « *videatur exitus vitae illius qui petitur canonizari; quo-* « *niam enim, ut dici solet, exitus acta probet, si finis* « *vitae illustris sit et sanctimonia plenus et publica prae-* « *sertim testificatione notatus, argumentum erit, quod* « *actiones anteactae poterunt esse sanctae* » (1). Sane Famuli Dei mors fuit vere pretiosa in conspectu Domini, uti patet ex universo Summarii n. XVIII.

128. Sed primo circumstantias investigabimus illius obitum praecedentes. Mensis erat November anni 1860, cum Dei Famulus, pastorali visitationi hinc illinc peracta, ad civitatem Ried venit, ubi morbo, quo deinde occubuit, laborare coepit. Advocati medici, statim advenerunt, aegrotumque invisere, morbum gravem declararunt, in vesica calculos reperientes. Morbo tamen, insequenti die, paullisper remittente, Lincium redire exoptavit Episcopus noster. Cum eo pervenerit, propriae fere valetudinis immemor, et sui tantummodo officii memor, sueta conatus est peragere munia, invicta nitens constantia dolorum statum occultare. Sed aetate iam gravis et ab laboribus exantlatis summopere fatigatus, vitam suam ad finem properare sentiebat. In lectulum tandem se coniecit, ac sensim morbo ingravescente, « medici, VIII narrat Testis, in periculosum morbum impli- « catum esse Ei denuntiantes, morientium Sacramentis mu- « niendum esse censuerunt. Eodem etiam vespere ex Ecclesia « Cathedrali nova SS. Viaticum delatum accepit... Postridie « valetudo haud melior facta erat, et per hoc temporis spa- « tium multis doloribus cruciabatur. Quare Vindobona Doctor « Dittel arcessitus est, qui in nocte, quae inter feriam ter- « tiam et quartam intercedit, cum duobus medicis adsisten- « tibus Lincium adfuit. Hi operationem, cuius supra sermo « fuit, perficere potuerunt, qua vesicae exoneratio adducta « est... » Quidquid levamen persensit Dei Servus, attamen « mox intellectum est, rem loco ut melior fieret lente in « deterius properare... ».

129. Cum porro Famulus Dei sentiret mortem sibi admodum imminere, Ecclesiae sacramenta enixe postulavit, quae summa pietate ac tranquillitate insequentibus diebus pluries excepit, ac spem suam in Dei misericordia ac in Virginis Immaculatae intercessione penitus collocavit. Quare mortem ullo absque timore expectabat, perfecte compos sui. Inde coram Capitulo et Clero iterum professionem fidei emisit iisdem gratias agens, veniam implorans. Opera autem ab ipso incoepta eidem Capitulo valde commendavit, eoque imperturbato animo extrema praesentibus dedit monita. Ingravescebat interim morbus in cangraenam deveniens, et illius pretiosam vitam brevi extinctum iri videbatur. Communi itaque consilio moriturum sacrosancto Viatico munire statuitur. Solemni pompa ad eum defertur ac, adstantibus omnibus complorantibus moerentibusque, summa tranquillitate Sacramentum ille excepit. Dein sacro oleo perunctus fuit. Sed verum de hisce novissimis Dei Servi vitae momentis audire lubeat Testem XX, qui relationem F. D. confessarii, utpote qui maximam sibi in re auctoritatem vindicat, in medium adducit: « Post meridiem ante horam me- « diam tertiam mihi nuntiatur, esse periculum in mora. Illico « me contuli ad aegrotum iam iam moribundum, qui paulo « ante acceperat S. Viaticum. Eius Secretarius R. D. Dr Dop- « pelbauer, Consistorii Consiliarius, iam inceperat recitare « commendationem animae, quam mihi continuandam tra- « didit. Circa lectum moribundi genibus prostrati erant Pl. « tit. Reverendissimi Domini Canonici; inter circumstantes « aderant Monsig. Scheibelbeger, porro Rev. nepos mori- « bundi, item alter nepos homo laicus, insuper Rev. Domini « professores Hiptmair et Hinterecker; Rev. Dom. Hauser « ephemeridum moderator et Tit. Dominus Gustavus de Pfügl. « Servorum familia erat genuflexa ad ianuam cubiculi. Ego « aspersi Eum interdum aqua benedicta, quod animam eius « recreare videbatur. Submissa voce me interrogabat: « Estne « mors iam prope? et processus mox finitus? » Respondi: « Id Deo optimo soli notum, sed momenta vitae decurrunt; « Domine fiat voluntas tua! » Quotiescumque ei, fere ter vel « quater sacram crucem vel miraculosam imaginem Matris « Dei « ab Alt-oetting », quam in pulvinari iacentem repe « reram, osculandam porrigebam, blande subridebat, Semel « submisse, ita tamen, ut percipere possem, illam protulit « precationem, quam iam die 19 Novembris, cum Sacra- « mentis morientium muniretur, recitaverat: « Christe, cum « sim hinc exire, da per matrem me venire ad palmam

(1) Urbanus VIII in suis decretis general.

« victoriae ». Addidit: « Ipsa est meum refugium ». Usque « ad extremum halitum erat mentis suae compos. Interdum « sanctissima nomina Iesu et Mariae, quae ei proloquebar, « vicissim tenui voce repetebat. Bis vel ter postulabat bi- « bere; ego voluntati satisfeci. Pro suae naturae firmitate « extremum vitae momentum nondum adesse mihi videbatur, « neque Plur. Tit. Monsign. Spanlang, cum quo meam sen- « tentiam communicaveram, aliter suspicabatur. Septem fere « minuta ante obitum oculos sursum sublevabat, in quo situ « permanebat, donec a Deo avocatus est. Praeter molestias « respirationis, quae copia salivae afferebantur, sine gravi « colluctatione expirasse videbatur. Per hanc horam saepius, « etiam brevi ante ipsum obitum, S. Absolutionem sub si- « lentio Ei impertitus sum. Obdormivit in Domino tran- « quille et placide ». Erat annus 1884, dies 29 Novembris, hora quarta post meridiem, aetatis suae 73. Collacrymantes qui aderant et moerentes ad osculum manuum defuncti, cuius oculi splendescere videbantur, certatim accessere, Sanctorum mortem Episcopum oppetiisse clamantes.

130. Iamvero quotquot sunt testes qui de felici Dei Famuli Francisci Iosephi Rudigier transitu loquuntur, omnes in eo conveniunt ut aperte illum appellent, pretiosam in conspectu Domini mortem obiisse, nec aliter profecto esse potuisset, quandoquidem mors aliud nonnisi est quam ultimus vitae humanae actus, atque, ut ita dicamus, vitae ipsius echo merito potest vocari. Eapropter si integra Dei Famuli vita nil aliud fuit, nisi constans omnium virtutum exercitium, mors pariter illius, ut vitae esset consentanea, in earumdem virtutum exercitio contingere debuit. Et sane Franciscus in extremo morbo prae caeteris virtutibus patientiam ostendit plane singularem. Nullum vero verbum protulit quod hanc virtutem tot in vitae actibus exercitam vel in minimum dubium revocaret.

Hinc serenus, divinae penitus voluntati conformatus, medicis omnino obtemperavit, chirurgica remedia ullo absque gemitu sustinuit. Mira haec patientia in perferendis morbi cruciatibus et morte absque ulla querela suscipienda vel minima animi perturbatione, quantopere ad demonstrandam Dei Famuli sanctitatem inserviat nemo poterit denegare et plures gravissimi auctores adnotarunt (1).

131. Quae de heroica illius patientia explorata sunt, exploratum itidem est virtutum caeterarum exercitium. Porro desiderium et frequentia sacramentorum maximi momenti circumstantia est, utpote quae Fidem Francisci ostendit. Compertum est Dei Servum ad mortem properantem, quo magis magisque contra passiones se roboraret sive exteriores sive interiores, nil habuisse dulcius et frequentius quam se ipsum Pane angelorum confortare et munire. Neque hic memorabimus adspirationes ad Deum, quas, Christum, Sacra Eucharistica specie velatum, recipiens, proferebat, non pietatem maximam et devotionem, quae undique spirabant. Caeterarum virtutum specimina eius novissima momenta perpendenti praesto sunt quam plurima. Morbi tempore res accidit inter alias, quae virgineae D. F. castimoniae confirmandae mirifice valuit. Eam testis VIII narrat: « Statim « in lectum se coniecit. Medici, qui supra dicti sunt consu- « luerant, ut ex aliquo ordine Sorores ad curandum acciret... « At Episcopus respondit malle se a famulatu suo curari. « Pro mali qualitate verisimile est, Eum mulieres circum ha- « bere noluisse ». Nihil dicemus de paucis et sanctissimis verbis quae ad adstantes iam iam moriturus habuit. Unum tantummodo commemorabimus, miram prorsus scilicet pacem et tranquillitatem, qua Franciscus noster moriens gavisus est.

(1) Raynaud, *De Martyr.*, part. I, cap. 2, oper. Tom. 18, pag. 374. — *Cornelius a Lapide Comment. in Proverb.*, cap. 23, ser. 1, § 5.

Profecto ille in proxima sua morte finem laborum considerabat et fortasse cum apostolo repetens: *cursum consummavi, fidem servavi,* laetabatur in iis quae ipsi dicebantur *in domum Domini ibimus.*

132. Breviter circumstantiis praecedentibus ac concomitantibus pretiosum Dei Servi obitum adnotatis, videamus modo quae fuerint illae quae ipsum sunt subsecutae. Vix ac tristissimum nuncium in vulgus manavit, statim moeror ac luctus generalis fuit, eo quod unusquique se patre orbatum putaret: pauperes praesertim in desolatione versabantur, sanctum sublatum omnes lamentabantur. Nedum vero mors Dei Famuli acerbo dolore universam Linciensem dioecesim affecit, sed finitimas etiam regiones, quibus insignis Apostoli zelus tantum spiritualis boni contulerat. Vere moeror universalis fuit. Austriacus Imperator dolorem suum Capitulo significavit, item ipsius Adiutor Generalis, item perplures Episcopi, item alii perinsignes viri tum ecclesiastici, tum laici, quorum longa series extat in Summario. Ipse Summus Pontifex fel. rec. Leo XIII moerorem suum manifestari iussit. Publici luctus signa omittimus recensenda, nec non doloris ubique manifestationes. Cardinalis Ganglbauer in quadam sua epistola loquitur « de adempto viro vere apo- « stolico et Sacerdote magno secundum cor Dei ». Alio non minus singulari laudis ac sanctitatis praeconio defunctum cohonestant in suis litteris tum S. Hippolyti Episcopus, tum ille dioecesis Diacovar, tum innumeri caeteri Praesules.

133. Haud minoris momenti adiunctum reponi debet in celebritate funeris seu in frequentia populi cuiusvis conditionis, aetatis, sexus ad Dei Famuli cadaver invisendum, ad eius funera et ad ipsius sepulcrum. Magna profecto fuit populi multitudo, quae accurrit ad eum mortuum adspiciendum, quem vivum tantopere demirata fuit.

Eius funus quod die 3 Decembris contigit triumpho simile visum esse, affirmant caeteri testes et praesertim VIII, XII nec non XVI. Humatum fuit denique corpus Servi Dei in Crypta Ecclesiae Cathedralis, in arca metallica occlusum, sepulchrali lapidi apposita inscriptione. Paullo post obitum de monumento eius memoriae erigendo cogitatum est. Queis positis, quis, ut ita dicamus, primo oculorum ictu non videt quam illustris fuerit exitus Francisci Iosephi Rudigier, quandoquidem ad illum tam singulari patientia et non interrupto virtutum exercitio ipse sese disposuit? Praeterea quanta sanctimonia plenus idem fuerit, siquidem mortem mente et corde in coelo defixus oppetiit, atque in omnibus divinae voluntati obsequentissimus? Ex narratis denique evidenter quoque constat, eumdem Dei Servi exitum publica fuisse testificatione notatum; populus enim turmatim ad cadaver visendum accurrens, nedum Eum sanctum declaravit, verum et alia publicae venerationis signa erga ipsum sponte manifestavit, atque etiam ad eius patrocinium confugit, quod certe inter alia argumentum suppeditat de Famuli Dei Sanctitate post obitum, atque praeclarum specimen universalis et constantis in Eum fiduciae, quae postea semper invaluit.

De Fama Sanctitatis in vita ac post obitum.

134. Merito affirmandum esse censemus, quod si virtutum demonstratio tam claris nititur coaevorum testium depositionibus, tam illustri roboratur supernorum donorum testimonio, iam non minus communi et unanimi hominum iudicio firmatur, iuxta iuris sententiam « *Consentiens fama con-* « *firmat rei, de qua quaeritur fidem* ». atque apte docet Mascardus « *Licet sola Fama, ut publica voce nullam* « *faciat probationem, tamen adminiculatur et adiuvat* « *probationem* » (1). Et re ipsa vera cum homines ita sint

(1) Lib. 3, ff. de Testibus Mascard., *De probat. Concl.*, 547, num. 13.

a natura comparati, ut virtutes singulares maximo prosequantur obsequio, atque insimul quotquot eas exercent ac possident plurimi semper faciant et venerationem quoque ac Sanctitatis opinionem in caeteros excitent, hinc profecto, cum Dei Servus ex hucusque adductis heroico in gradu virtutes exercuerit, cum supernis charismatibus consociatas, maximam quoque universalem ac perennem sanctitatis famam apud omnes, dum adhuc in vivis esset iure merito obtinuit et qualem maiorem sperare, maioremque effingere non valemus.

135. Sane iustos meriti aestimatores et virtutis mere coaevos omnes a praeclarissimis viris usque ad infimos nactus est Franciscus Iosephus, quippe omnes ad instar sancti et iusti viri summo in honore eum habuere ac passim ipsum hac compellatione exornarunt. Consona in id universorum testium vox. Item caeteri omnes testes, quos omittimus, ne longior quam par est oratio evadat. Unum tamen dicendum, quod ipsa integritatis eius fama singularis, et pastoralia merita causa fuerint, cur Servus Dei ad Linciensem Episcopatum provehendum dignus censeretur.

136. Hanc quidem sanctitatis opinionem fuisse perpetuam dicimus, apud universos viguisse, in exteras quoque plagas diffusam, ac Europam universam pervasisse, adhuc Dei Famulo vivente, ex virtutum aestimatione prognatam. Eadem opinio externis venerationis signis a viris sive ecclesiasticis sive laicis manifesta fiebat. Omnes vero sanctitatem illius sunt admirati ac palam testificati. Praestat hac de re Testem audiri Linciensem Episcopum, cuius verba haud praeteriri possunt sine detrimento: « Sicut ego, ut iam dixi, « Servum Dei semper ut specimen maximae perfectionis « christianae admiratus sum, ita testari quoque possum ex « scriptis a me perlectis, eum iam in vita sua optima et « prorsus egregia fama gavisum esse. Quae optima Fama « Episcopum iam praeivit, priusquam in dioecesim ingres- « sus est. « De te, bone amice, egregias res audio. Iam « cum agilitate laboras, qualis solummodo exquisitis viris « et senioribus viris doctis propria est » (ita anno 1843 ex « Olomucio professor Iosephus Mozocz, olim studiorum col- « lega, ad Servum Dei scripsit). Similiter Archidux Maxi- « milianus de Este 31 Martii 1853 ad eum scripsit: « Nomi- « natio tua in Episcopum Linciensem tanto maiori gaudio « me affecit, quam qualitates, quae secundum communem « famam vitam tuam priorem tam laudabiliter designant, « sollicitudinem pastoralem efficacem in dioecesi Linciensi « promittunt ». Capitulum Ecclesiae cathedralis Linciensis « Servum Dei in ingressu suo salutavit ut Episcopum, cuius « fama eum iam antecessisset; et 1858 Vincentius Gasser « Episcopus Brixinensis ad eum scripsit: « Occasionem hoc « anno habui, de Tua Lincii actione notitiam fidam acci- « pere, a quo omne datum bonum venit, me adimpleve- « runt. « Multum confido precibus Tuis et peto ut non « cesses mei in iisdem memorari », scripsit 1853 Cardinalis « Viale-Prelà; et infelix ille Doellinger 1861 scripsit, Servum « Dei iam « Communi voce ecclesiae inter excellentissimos « Praelatos Imperii (Austriaci) numerari ».

137. Quid iam dicendum de manifestationibus vere amplissimis, quibus Famulus Dei gavisus est cum pro Ecclesiae iuribus tuendis in iudicium adductus fuerit et carceri damnatus? Hac de occasione fama eius extra Linciensis Dioeceseos fines pervagavit ac universam fere, ut inquimus, Europam pervasit: memorandus heic inter caeteros Archiabbas Montis S. Martini in Hungaria, qui his verbis Servum Dei exornat « intrepidus propugnator pro iure et liber- « tate Ecclesiae Iesu et confessor admirandus fidei Catho- « licae ». Memorandus Episcopus Iauriensis qui Eum emolumentum Ecclesiae suae, salutem fidelium, solatium denique et exemplum Episcoporum proclamat. Memorandus pariter Episcopus Gurcensis, qui Franciscum Iosephum nunquam animo fractum appellat, pro re catholica propugnatorem. Nec omittendus P. Beck generalis Societatis Iesu Praepositus, qui haec habet: « Agendi ratio apostolica, « firma, quam huc usque praesetulit, dignitati vestrae Epi- « scopali venerationem et admirationem omnium fidelium « catholicorum nacta est ». Nec praetereundus Labacensis Praepositus, qui Eum, in regenda Dioecesi Linciensi, Summis Pontificibus Gregorio VII et Pio IX aequiparat. Memoranda item Cardinalis Iacobini verba: « Te inter sacros Pastores, quos agnoscere mihi contigit, virtute, zelo, prudentia nemini secundum esse existimem ». Quid quod vel ille Summus Pontifex Leo XIII fel. record. plurimi Famulum Dei fecerit eiusdemque rei testimonium illi pretiosum annulum dono misit? Caeteros enumerare, praesertim laicos etiam dignitate conspicuos, apud quos Franciscus Iosephus sanctitatis fama effulsit, prope esset infinitum. Hoc unum dixisse sufficiat, neminem fere fuisse qui postquam eum vel viderit vel alloquutus sit, eius Sanctitatis splendorem non praedicaverit.

138. Sed quod admiratione dignum arbitramur illud admodum est, quod vel perditi et nefarii homines nil contra Famulum Dei deprehensionis dignum notaverint, imo eum venerationis signis prosequi non dubitarint.

139. Nec praeclara haec virtutum Famuli Christi et Sanctitatis Fama, quam sive concives sive exteri quoque perillustres viri de Eo conceperant, unquam destitit, aut obumbrata vel paullulum est, verum ad ultimum usque vitae eiusdem spiritum constanter perduravit in suo splendore fulgidissima, in suo vigore integra. Nec secus esse poterat. Nam sanctitatis huiusce fundamentum iustum reperiemus, legitimum, validissimum. Nitebatur quippe in eximiis illis virtutibus, queis praeditus ducebatur Dei Servus, quaeque vero hominum sanctitatem efficiunt.

140. Ex quibus omnibus, quae hucusque disputavimus, evidens est in Dei Servo apprime comprobatum fuisse illud Davidis: « *Nimis honorati sunt amici tui, Deus* » (1), necnon illud Ecclesiastici: « *Adeptus est gloriam in conversione gentis* » (2), et in eo ammussim confirmatur promissio illa divina « *qui me honorificat glorificabo eum* ». Nemo exinde est qui non videat quantum eiusmodi fama conferat ad probandum illum Sanctitatis *odorem*, quem nos in hac disquisitione unice demonstrare intendimus.

141. Cum igitur prae oculis habeatis, PP. EE., tam indubia Sanctitatis indicia, sive inclytas eiusdem virtutes perpendatis, sive superna dona consideretis, non est cur admiremini si ea sanctitatis opinio, quam, ut vidimus, splendidiorem usque in vita sibi comparavit, quaeque Eum viventem, humilitatis et invidiae velamine remoto, ubique circumfuderat, a temporis lapsu non modo non obliterata non fuerit, sed maiore potius aucta fulgore et firmitate apud cuiusve generis homines in praesens adhuc perseveret. Dum enim perit impiorum memoria cum sonitu, iustorum nomen et recordatio apud posteros in benedictione perdurant, magis magisque in dies celebrantur, laudesque late diffusae vocibus famae propagantur. Id feliciter obtigit Servo Dei. Nam illico post mortem Francisci Iosephi Rudigier desiderium amissi viri, recordationem virtutum eius vividiorem effecit, ac, silente ad sepulcrum impiorum invidia, laudes eius ubique liberrime personarunt, ac erga eum veneratio undique omnes subiit. Homines enim in eam venerant suasionem mortem nimirum, quae sibi carissimum pastorem atque patrem e terris sustulerat, patronum ac vindicem po-

(1) Psalm. CLVII, 19.
(2) L. 5.

tentissimum in coelis donasse, Eum Virum Sanctum conclamarunt et conclamant adhuc in praesentiarum, Eumque Beatorum albo adscribi omnes exoptant. Huiusce rei testimonia extant in Summario.

142. Sanctitatis porro famam arguit invicte assidua Christifidelium vehemensque contentio in requirendis possidendisque tum imaginibus aere impressis, ut qui ipsum noverant, effigie saltem vultus iucundissimi desiderium lenirent, tum etiam iis quae ad Famulum Dei quomodocumque pertinuerant, eiusque corpus tetigerant, quae ut sacrae reliquiae censentur, maxima asservantur devotione et in necessitatibus validissimum extant auxilium.

143. Ad rei argumentum valeat quoque infinita populi in Famulum Dei fiducia. Hinc preces ad Eius sepulcrum funduntur. Hinc etiam peregrinationes ad eiusdem tumulum fiunt, nullo deinceps tempore intermissae, verum et adhuc in praesentiarum propagatae. Affluit omnis conditionis multitudo non e popello, non anulae, sed viri vel dignitate conspicui et ingenti numero. Hinc pro ea qua pollet Servus Dei Sanctitatis Fama, Eius patrocinium enixe in gravibus praesertim negotiis invocatur. Inde passim largitiones fiunt pro beneficiis Servi Dei intercessione acceptis vel recipiendis. Illustribus famae huiusmodi Sanctitatis argumentis, quae hucusque in medium protulimus, alia adiicite, PP. AA., nec minoris ponderis, quae populi venerationem erga Sanctum Episcopum summopere ostendunt, tum desiderium nimirum monumentum erigendi super eius tumulum ex marmore confectum « pro quo erigendo clerici et fideles libentissimo animo contulerunt » tum, venerationis indicium, compellatio, a Dei Servi cognomine deprompta, publicae Linciensis Urbis viae, a civitatis praesidibus statuta, licet liberalismi labe infectis.

144. Omittere plane non possumus, quod fama istaec nunquam oppugnata fuerit, nunquam vel irreverentiae nota illius nomen adspersum, nunquam iniquo laceratum morsu. Nec dissimilia caeterorum testimonia. Ipsae publicae ephemerides « quae Servum Dei viventem opprobriis et calumniis « prosequi non cessaverant, in Eius obitu conticuerunt, imo « eius characterem immaculatum agnoverunt... ».

145. Neque demum tanta erga Franciscum Iosephum Rudigier communis veneratio desiit unquam vel minimum conticuit, quin processu temporis magis magisque crescere visa est ac vires acquirere. Docet enim XII Testis: « .... post « obitum eadem (Fama) perdurabat et de anno ad annum « mirum in modum augebatur, minime vero excitata est « secretis quibusdam nutibus aut monitis ab Episcopo aliquo « aut clero dioeceseos datis, sed ex sola filiali pietate et « fiducia probi populi christiani profecta est, qui Servum « Dei adhuc vivum, ut iam commemoravi, summa veneratione prosequebantur; imo quum decem annis iam elapsis, « publicationes de precibus exauditis accrescerent, nihil, quod « sciam, ex parte superiorum ecclesiasticorum factum est « quod populum aut incitaret, aut retineret, quominus fiduciam suam publice testificaret ». Nec certe mirum quod huiusmodi Fama incrementum in dies coeperit, siquidem scriptum est in Ecclesiastico: « *Sapiens in populo haereditabit honorem et nomen illius erit vivens in aeternum.* « *Non recedet memoria eius et nomen Eius requiretur a* « *generatione in generationem. Sapientiam eius enarrabunt gentes et laudem eius enunciabit Ecclesia* » (1). Profecto « Apud fideles memoria Eius in benedictione et « sanctitate est ». Ex quibus non immerito possumus de Francisco Iosepho his verbis concludere: « *Immortalis est memoria illius quoniam apud Deum nota est et apud homines* » (1) et de illo praedicare quod de aliis sanctis dicitur: « *Dies mortis dies nativitatis. Namque in istis* « *viris*, ut optime animadvertit Cornelius a Lapide: *Diei* « *mortis praefertur dies nativitatis ob nomen et gloriam* « *aeternam, quam iusto conciliat in coelis aeque ac in* « *terra... Hinc Sanctorum gloria incipit in morte, sicut et* « *fletus et gemitus in nativitate* » (2).

(1) Eccles. cap. 37, v. 29; cap. 39, v. 33, 14.

De miraculis post obitum.

146. Ad augendam provehendamque Sanctitatis famam, de qua hactenus disseruimus, non modicum contulerunt miracula, sanationum praesertim, quae, intercedente Dei Famulo, divinitus patrata sunt. « *Quemadmodum enim*, ita Gregorius, « *vita animae in corpore existentis cognoscitur per motum* « *membrorum, ita quoque vita animae de corpore egredientis* (sanctitas nempe) *ex miraculis cognoscitur* » (3). Ita quoque concludunt Scacchus (4) et praesertim Benedictus XIV (5). Id autem Angelicus Doctor: « *Deus operatur miracula ad demonstrandam Sanctitatem alicuius* « *quem vult proponere in exemplum virtutis* » (6). Si singula vero numerarentur prodigia, Francisco Iosepho adprecante, patrata, angustus non sufficeret huius disquisitionis limes, sed copiosissimum volumen facile impleretur. Nos unum alterumve tantum, ipsis Testium verbis, in medium protulimus, ex Summarii actis excerptum, prouti iudicii istius fert indoles, suadetque ratio.

147. Narrat enim XVI Testis: « Mulier quaedam nomine « Maria Breitwieser, die 19 Iunii anno 1823 Grieskirchen « nata, inde ab anno 1878 Lincii consistens, ab anno 1879 « me confessario utens, quae, nisi morbo impediatur, octavis « quibusque diebus ad S. Sacramenta accedit, narrabat mihi « haec: « Die 26 Ianuarii anno 1889 graviter aegrotans « in nosocomium venerab. Sororum S. Elisabeth intravi, « ubi usque ad diem 16 Maii morata, hoc infra tempus, « gravibus morbis, qui sequuntur continenter afflicta sum: « 1. Typho; 2. Intestinorum catharro; 3. Denique vehementi « vesicae catharro, qui per aliquot dies tam acerbe me « cruciabat, ut venerab. Soror medicamentaria Soror Hedwigis omnem spem abiecerit. Ea mihi medicinam adhuc « attulit, quam tamen ob nauseam sumere non potui. Tum « ea dixit: « Secus, nil aliud proderit amplius. Deus optimus « solus opem ferre potest ». Ad quae id consilii ego cepi: « Novenam instituam ad P. M. defunctum Episcopum Franciscum Iosephum Rudigier. Dies erat Fer. VII. Quotidie « recitabam 3 Pater noster et Ave Maria hac cum additione: « PerS. Virginitatem Tuam et Immaculatam Conceptionem, « sic porro » et insuper 1 Pater noster cum additamento: « Sanncte Episcope, ora pro me ». Atque sexta inter novenm « die morbus recessit cito, nullo indicio relicto; postea nosocomium relinquere potui incessanter sancto meo intercessori gratias agens. Priorem invocationem: « Per tuam « S. Virginitatem etc. » ad Beatissimam Virginem adiiciebam propter eximium cultum, quem P. M. Episcopus « huic Beatissimae Virginis mysterio exhibebat. Haec narrabat praefata Maria Breitwieser, mulier privata, Lincii « consistens, Hafnerstrasse, credo, N. 20, et quod spectat « ad Eius fidem, testari possum, mulierem eam esse veritatis « studiosissimam, vere piam, simulque valde sobriam »

148. Quam Dei Famuli tutelam Maria Breitwieser experta est praesentem, sensit pariter D. Matildes Kriechbaumer.

(1) Sap. IV, 1.
(2) In Eccl. VII, 2.
(3) Lib. 3 Dial. cap. 6.
(4) De notis et signis Sanct. tract. sect. 8, cap. 4, pag. 363 § Sed ad vera.
(5) Lib. IV, pars 1, cap. 5, n. 4 et 5.
(6) S. Thom. 2. 2, quaest. 178, art. 2.

Eisdem sanatae verbis utimur, PP. EE., in Actis relatis: « Malum fuit cancri ad instar, quibus vehementibus doloribus cruciabar. Dominus Doctor Franciscus Ieschko, medicus domesticus Instituti parturientium Linciensis, plus « anni tempore me curavit. Singulis diebus bis ad me ventitabat, quippe quae prae dolore non amplius perdurare « possem. Vix poteram quidquam cibi sumere, cum palatum « meum in plagam sanie manantem versum esset. Initio in « palato ingens humor extiterat tumque ore prorsus impleto « nihil aliud quam lac et ius ex carnibus haurire dabatur. « Deinde tumore sua sponte aperto pus effundi coeptum est. « Die Dominica bene mane — diutius aegrotaveram — ad « S. Synaxim accessi. Primis post S. Communionem momentis « posse quemque omnia impetrare ab optimo Salvatore, « Eumque nihil recusare firmiter freta haec precata sum: « Optime divine Salvator, ut doctor mihi opem ferre non « possit, at tu mihi saltem eotenus subveni, ut edere mihi « absque dolore fas sit ». Animum subiit cogitatio, ut ad « alium medicum irem. Statim me contuli in commune Nosocomium et a praesente Doctore, Dr Georgio Feder inspecta: « Ulcera sunt ad instar cancri, inquit ille, insanabilia. Dei gratia, quaeso, quid est, cur tanto morbo « labores? » Noverat enim me obstetricem. Accitus medicus « princeps Professor Dirnhofer duobus assistentibus medicis « etiam inspexit, et de communi consensu omnes dixerunt « statim mihi ibi manendum fore, nam tali malo infectae « inter homines ire non licere. Quibus auditis parum adfuit, « quin de salute mea desperarem. Medici prohibuerunt etiam, « quominus in posterum artem meam exercerem. E Nosocomio domum rediens per campos concitato pede rui, « in Danubium flumen me praecipitatura. Attamen oravi « iterum semper et statui ad Doctorem Ieschko in domum « me recipere. Qui mihi scrupulum exemit, morbum haud « insanabilem esse: acrem esse raucium distillationem; medicos iuniores natu subito tantos morbos videre semper; « se me deinceps curaturum, acturum cum Professore, ut ego « domi curari possim, artem autem meam obire nullo pacto « mihi licitum fore. Consilium quoque meum desperationis « commiseram ei, quod ceperam, prope vitam mihi adimendi. « Usque ad diem 21 Iunii 1885 a Doctore Ieschko medicamentis uti perrexi, quoad postea properavit me Vindobonam « dimittere in Nosocomium Rudolphinum, ubi ipso adventus « die, qui dies 22 Iunii fuit, secta sum. Eo enim progressum « erat malum, ut ipso eo die aquam haustura deglutire non « potuerim, sed ea per nasum effluxerit. Ossum in naso vacillare sensi et nasum ad radicem demitti. Incunctanter « doctorem Ieschko acciveram, qui iter illico ad sectionem « subeundam praescripsit, qui quidem post discessum meum « meo viro commisit malum nimis crevisse, insanabile fore « et me non amplius redituram verisimile esse. In sectione « Vindobonae peracta quatuor mihi ossium particulae ex « palato et naso extractae sunt, quas ego servatas custodio « adhuc. Illique medici minati sunt, duos abinde post annos « me naso nullo usuram esse. Quocirca impensius ego precationes institui, preces adhibui novem dierum in honorem « Dei Matris, sanationem meam in folio, quod inscribitur « " Sendbote „ (messaggiero) vulgaturam esse spopondi. « At malum in peius conversum est, atque eo tempore foetens quid ex naso fluere incepit. Multis obsecrationibus et « promissis factis me Lincii in Nosocomium receptam curandam ibi me tradituram esse; die 5 Iulii haud sanata « dimissa sum. Ubi domum perveni, ibi aliquantisper mansi, « at meno poterat me proximus stare, tam foede putebat id « quod effluxerat e naso. Quin etiam factum est, ut matronae « cuidam quondam in Ecclesia in scamno prope sedenti nausea « moveretur, et vulgo me declinarent. Dolores autem patiebar « acerrimos. Saepe ad Deum precabar, ut me a tam horribili « morbo liberare vellet: dolores me libenter toleraturam « esse in poenitentiam delictorum meorum, sed alio in genere, « non ita ut mihi nasus amittendus esset. Mortem quoque « imploravi: at nil omnia profuerunt. Cum igitur in Nosocomium Monialium S. Elisabeth Lincii me conferrem et « primo die ab illic medico domestico nuper defuncto Doctore Pessl inspicerer, me morbo insanabili inquinatam « esse iudicavit ille potiusque fore, si peterem in domum « Misericordiae pro insanabilibus recipi. Tum altos ploratus « edens optimas Sorores vehementer exoravi, quae misericordia motae tres hebdomades hospitio retinentes maximo « tamen metu angebantur, ne mox mihi quid deterius acciderete: quare sacro Viatico etiam munita sum, desperata « iam a medico domestico salute mea. Eius iussu cibi mihi « in vasis propriis porrigebantur. Sororem quamdam nomine « Collectam, quae mihi curans ministrabat, adhuc vivere « credo. Desperata ab omnibus salute tantaque imbecillitate, « ut pedes vix ferrent, domum remeavi coepique eadem ipsa « die imaginem p. m. Episcopi, quem expositum vulgo videram atque emeram, venerari et colere lumine ex oleo « ante imaginem accenso, cum ibi orarem. Quotidie plures « Paternoster et Sanctorum litanias recitabam, illud semper « adiiciens: Piissimae memoriae Rev.dissime Episcope, si tu « pro me oraveris, ego sanata ero. Admonebamque etiam « singulis diebus me Eum iam tum opem petiisse et intercessionem, cum feretro impositus iaceret. Anno 1886 diebus « Pentecostes festis ad sepulchrum Eius ope implorata vitam « honestissimam me ducturam esse spopondi. At iisdem vehementibus doloribus cruciantibus nullam noctem dormire « dabatur foetore intollerabili e naso permanente. Iterum « atque iterum precibus meis p. m. Episcopum flagitabam « per dies diutius orans et saepius hac intentione ad S. Communionem accedens. Si mihi in die per cubiculum quid « erat agendum, Eius auxilium implorabam. Quoties eius « imaginem pulvere deterseram, saepe alta voce pronuntiabam: « Tu mihi opitulari possis, si verbum tantum Dei « Matri dixeris, ea tibi non renuerit ». Quam precem unaquaque die fere promebam. Tum vir meus primus animadvertit foedum odorem non amplius adesse. Tum demum « et ego sensi nihil amplius neque de naso fluere. Ut Vindobonae edocta eram, nasum mihi aqua, quam dicunt carbolineam, sparseram, initio quidem saepius in die, postea « autem non amplius tam frequenter, quia odor malus decesserat, nihilque mihi quisque amplius de eo querebatur. « Noctu iterum dormire licuit, doloribus acerbis amissis; ipsa « vix credere potui. De die in diem confortabar.

« Tum vero impensius orabam: « Episcope Rudigier piissimae memoriae, noli me derelinquere ». Neque amplius « laboravi doloribus vel foetore, vel nasi fluxu: sanam me « esse sensi, quamquam ad medicos Lincienses nondum audebam accedere: itaque an. 1887 vere in loco, ubi secantur « aegroti (clinica), a Professore Jarisch legitimo examini « subiecta me plene recuperata sanitate petere posse ut venia « muneris mei exercendi daretur, dixit ac declaravit. At rem « distuli usque ad diem primam decembris, inspicientibus me « eo tum tempore D.re Stockhammer, D.re Feder et urbis « medico D.re Francisco Müller. Qui quidem postquam cuncta « percontati sunt, facultatem mihi fecerunt obstetricem denuo profitendi.

« Aliquot abhinc ante annis in via Harrachstrasse obviam mihi Doctor Jeschko factus et a me salutatus: « Quid est », valde miratus clamavit, « tunc adhuc in vita « es? »

« Addendum mihi etiam est eo tempore, quo sana facta « sum, nulla me omnino medicorum remedia vel medica-

« menta adhibuisse. Corrosae palati et nasi partes cicatrices « iam duxerunt, et ex illo tempore nullo me dolore vexante « plena sanitate fruor.

« Atque in variis aliis necessitatibus vir meus et ego « semper ad Episcopum Rudigier opem imploraturi confugientes unaquaque vice auditi sumus.

« Die 5 Decembris 1894 ad Dominum D.rem Jeschko adiens « testimonium scriptum eum rogavi, me morbo durante a « se curatam et in praesenti sanam esse. D.nus Dr. valde « quidem laetatus est, quod ad se venissem — id enim fe« ceram Postulatore Secretario D.no Scherndl asseverante « in rem utique fore, si tale testimonium a Doctore Jeschko « exhiberetur. Quod contra frustra me instante testimonium « non conscripsit. Hoc tantum adiecit: « Nunquam ego pu« tavi te sanam fieri posse. Animo, age, sis laeta et optimo « Deo gratias agito ».

149. Ex ingenti miraculorum acervo quae in Summario prostant aliud colligimus prodigium, ad illustrandum Francisci Iosephi Rudigier nomen atque ad Sanctitatis eiusdem novum argumentum. Id prodigii tale fuit « Catharina Fach« berger, narrat Testis XXXVI, 24 annos circiter nata in Or« dinem nostrum Candidata ingressa — tardo anno 1894 au« tumno fuerit — statim post Natalem Domini haud commoda « valetudine utens tandem graviter aegrotavit, venitque mihi « in valetudinarium — nam meum est infirmis Sororibus mi« nistrare. Medicus curans Nosocomii ad Sanctam Annam, « Dr. Victor Klotz, evangelicae confessionis sectator, eam « (tifo) morbo teneri declaravit. Tres et quatuor hebdo« mades intercesserunt, quin aliquamtuncula melior aegro« tantis conditio prodierit. Remediis adhibitis cuiusque ge« neris, frigidis lotionibus similibus nihil proficientibus. Febris « adhuc tenebat aestusque magis magisque crescebat. Po« stremo quotidie a Doctore invisebatur, qui in fine decla« ravit: actum esse de ea; nihil amplius iuvare, tuberco« losin quam dicunt milliardem, qua toti pulmones tuber« culis impleantur, eam conficere. Mihi quoque eius salus « prorsus desperata videbatur. Cum aegrota multum san« guinis amisisset, foras cucurri quodam die, Doctorem, qui « modo in loco ubi aegroti secantur, versabatur, expetitura. « Qui « Dei gratia » respondit, sinas me abire; iam acta de « ea est alea, nihil amplius adest opis. Ad quae D.na Su« periorissa Soror Hildegardis, quae in praesenti provinciae « toti regendae Vindobonae praeest, dixit: « Oremus, oremus « ad R.mum Episcopum, precem novem dierum percolamus ». « Quam totum claustrum persolvit. Atque in valetudinario « nos semper ad preces vespertinas unam « Salve Regina » « et tres « Ave Maria » orando semper adiungebamus hac « mente. Novem diebus elapsis, nulla prope valetudinis « melior conditio nobis prospecta est. Nihilo tamen secius « in orando fuimus perseverantes, Doctore sententiae suae « inhaerente, aegrotae salutem desperatam esse et dicente: « contra tuberculosin milliarden nulla valet curatio ». Typho « morbo perdurante, Candidata Sacramenta morientium re« cepit, insuper semel atque iterum SS. Viatico delato, altera « vice statim post meridiem, ubi eam in momento decessuram « putabamus, altera vice vespere. Sudor mortis toto corpore « manabat, quod frigidum rigebat uti morientis. Vespere « eodem matrem eius iusseramus venire. Candidata autem « vix satis significabat, scire se matrem adesse, quae lamen« tabatur haec promens: « Si modo eo usque aegrota vi« veret, donec pater semel adhuc videre eam possit ». Qui « quidem postridie mane adfuit, antequam ad opus ivit et « filiam non tantum sui plene compotem offendit, sed etiam « adeo meliori statu, ut de uxore plorante miraretur et prope « indignabundus existeret. Doctor, qui aegrotam incessanter « ac quotidie inviserat et inspexerat, cuius tamen medica« menta ego, desperata ita quoque salute, nihil amplius ea « quoque profutura esse rata ea tantum mensura ministra« bam, quae mihi nullam vim habitura cogitanti par foret « excusandae a mendacio, si forte interrogarer, an praescripta « a medico tenuissem — doctor, inquam, veniebat ita quoque « nonnunquam ad aegrotam, cum ex improviso, inspectione « habita, ad lectum stupefactus sese erigens exclamavit: « Quid, quaeso, hic factum est? » Cui D.na Superiorissa: « Nihil nos fecimus, nisi quod ad R.mum Episcopum Ru« digier preces extulimus ». Ad quae doctor: « Quis est tandem « hic? » — « Episcopus noster fuit – respondit Superiorissa « – qui transiit, en pendet imago eius ». Suspenderamus « enim Candidatae eam muro prope caput et particulam « planetae p. m. Episcopi involucro clausam, quam sorores « Linciensestransmiserant, pulvino subieceramus. Doctor oculis « patefactis nihil neque pro, neque contra dixit, quieto animo « audiens et in cubiculum sectionum exiens, quo Soror Su« periorissa, ut mos est, eum secuta est. De die in diem « aegrotae valetudo melior fiebat, ita ut dominica in Albis « eam in hortum eduxerim. Nunc plene sana existit et au« tumno vota edet. Novitia vocatur credo soror Erica.

« Cunctae sorores sanationem Episcopo attribuunt, cunctae « laetitia impletae mihi gratulatae sunt, quippe cui in hoc « processu interrogari obtigerit et me contentam esse debere « aliquid eo conferre potuisse ».

150. Quantum vero eiusmodi miracula ad id quod intendimus demonstrandum conferant, praesertim vero ad roborandas illas probationes, quibus in praesenti dissertatione usi fuimus, exinde clare innotescit, quod haec nihil aliud revera sint quam totidem divina veluti testimonia, quibus Altissimus Servorum Suorum sanctitatem hominibus ostendit.

151. Itaque cum ex iis quae hucusque disputavimus luce clarius innotescat, sanctitatis Famam qua gavisus est et gaudet Franciscus Iosephus Rudigier non quidem vanis incumbere vocibus sed certissimis tum virtutum, tum miraculorum fundamentis inniti, eamque nedum constanter ad nostra usque tempora perdurasse sed in dies magis magisque per exteras etiam et dissitas provincias fuisse propagatam, uti praeter ea, quae exposuimus, abunde demonstrent plures et reiteratae supplices Epistolae, quas ad Beatissimum Patrem reverenter exhibuerunt tum E.mi S. R. E. Cardinales, perplures Archiepiscopi, Episcopi, Capitula, aliaeque ecclesiasticae dignitates, tum viri regulares ac theologicae facultates, tum denique viri laici sanguine et dignitate praestantes ad imperialem et realem Habsburgensem familiam pertinentes, quas omnes fere in calce Summarii referendas curavimus, satis iam superque constare putamus de illis omnibus quae ad favorabilem Dubii nostri resolutionem necessaria et opportuna sunt: proinde in eam erigimur spem, quamprimum fore ut pro petita gratia signaturae Commissionis Introductionis rescribatur, uti cum sollertissimo Causae Postulatore Rev.mo D. Georgio Jacquemin, Antistite Urbano, et nos etiam atque etiam humillime deprecamur.

Quare, etc.

Die 26 Novembris 1904.

ACHILLES MARTINI, *adv.*
IOSEPHUS BARLUZZI.

REVISA:

ANGELUS *adv.* MARIANI
S. R. C. Assessor et S. Fidei Subpromotor.

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

In festis Viae Dolorosae D. N. I. C. et Septem Gaudiorum B. M. V. conceduntur Absolutio et Indulg.

Beatissime Pater,

Frater Bonaventura Marrani, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime petit, ut eadem Sanctitas Vestra pro Festis: *a)* Mysteriorum Viae Dolorosae (Feria VI ante Dominicam Septuagesimae), et *b)* Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis (Dominica I post Octavam Assumptionis eiusdem Beatae Mariae Virginis), sequentes spirituales gratias benigne concedere dignetur, nempe:

I. Absolutionem generalem Fratribus ac Sororibus trium Ordinum Regularium impertiendam, prouti in aliis Festis Christi Domini eiusque Beatissimae Matris iam concessum est.

II. Plenariam indulgentiam ab omnibus ex utroque sexu Christifidelibus lucrandam, qui in praefatis duobus Festis confessi ac Sacra Synaxi refecti, aliquam ecclesiam vel aliquod publicum sacellum ipsorum Fratrum ac Sororum devote visitaverint, ibique ad mentem Sanctitatis Vestrae pie oraverint.

Et Deus, etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, in Audientia habita die 13 Iunii 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 13 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

Post Fratrum Praedic. adventum in urbem Quebecensem, iam ibi erectae tres SS. Rosarii Confraternitates valide permanere declarantur.

Beatissime Pater,

Vicarius Provincialis Fratrum Ordinis Praedicatorum in regione Canadensi degentium, ad pedes S. V. provolutus, exponit quod sequitur: Assentiente Reverendissimo Archiepiscopo Quebecensi, Fratres Praedicatores in ipsa urbe Quebecensi recenter advenerunt, Ecclesiam et Conventum ibidem fundaturi. Variae ergo SS. Rosarii Confraternitates, quae iam in tribus Ecclesiis eiusdem urbis, nempe B. V. Mariae, SS. Salvatoris, et S. Rochi, legitime erectae fuerant, ad ipsam Fr. Praedicatorum ecclesiam ipso facto redire debebent, ut cautum fuit in earumdem Confraternitatum erectione. Cum tamen huiusmodi Confraternitatum translatio absque notabili fidelium pietatis detrimento fieri non valeat, praedictus superior, ad ipsiusmet Reverendissimi Ordinarii petitionem, humiliter a S. V. necessariam implorat dispensationem, vi cuius, non obstante erectione Confraternitatis Sanctissimi Rosarii in Ecclesia Fratrum Praedicatorum, tres supradictae eiusdem nominis Confraternitates in eadem civitate Quebecensi existentes, in suo robore legitime existere et conservari valeant (1).

Et Deus, etc.

SS. D. N. Pius Pp. X, in audientia habita die 13 Iunii 1906 ab infrascr. Cardinali Praef. S. C. Indulgentiis sacrisque Reliq. praeposita, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C. die 13 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

Indulgentiarum, Privilegiorum et Indultorum Fratribus ac Sororibus tertii Ordinis S. P. Dominici concessorum

SUMMARIUM.

I. — *Indulgentiae Plenariae.*

A) Tertiariis ex utroque sexu confessis et S. Communione refectis:

1. Die ingressus in Tertium Ordinem, quo eiusdem habitus recipitur.
2. Die professionis.
3. Quoties potioris vitae studio per octo dies continuos spiritualibus exercitiis vacaverint.
4. Semel in mense die cuiusque arbitrio eligendo, si per integrum mensem singulis diebus per quartam horae partem, vel per mediam horam orationi mentali vacaverint.
5. Quo die, canonice ordinati et confessi celebraverint primam Missam vel primae Missae alicuius sodalis adstiterint confessi ac S. Communione refecti.

B) Iisdem Tertiariis si confessi et Sacra Communione refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint sequentibus diebus quibus absolutionem generalem seu benedictionem acceperint:

1. Nativitatis D. N. I. C.
2. Paschatis Resurrectionis.
3. Pentecostes.
4. SS.mi Corporis Christi.
5. Immaculatae Conceptionis.
6. Annuntiationis.
7. Assumptionis.
8. SS.mi Rosarii.
9. S. P. Dominici.
10. S. Catharinae Senensis.

C) Iisdem Tertiariis si confessi ac S. Communione refecti Ecclesiam Ordinis aut Sodalitii devote visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint diebus festis sequentibus:

(1) Similem concessionem, sub die 14 Februarii 1906, obtinuere fratres Leodiensis coenobii in Belgio. Cfr. *Analecta O. P.*, ser. II, vol. VII, pag. 468.

1. Nativitatis D. N. I. C.
2. Circumcisionis.
3. Epiphaniae.
4. Paschatis.
5. Adscensionis.
6. Pentecostes.
7. SS.mi Corporis Christi.
8. SS.mi Cordis Iesu.
9. Purificationis B. M. V.
10. Annuntiationis.
11. Visitationis.
12. Assumptionis.
13. Nativitatis.
14. SS.mi Rosarii.
15. Patrocinii B. M. V.
16. Praesentationis.
17. Immaculatae Conceptionis.
18. S. Raymundi de Pennafort C.
19. Translationis S. Thomae Aquin.
20. S. Catharinae de Riccis V.
21. Translationis S. Catharinae Senensis.
22. S. Thomae Aquinatis Doct. C.
23. S. Ioseph Sponsi B. M. V.
24. S. Vincentii Ferreri C.
25. S. Agnetis de Monte Politiano V.
26. S. Petri Mart. O. P.
27. S. Catharinae Senensis V.
28. S. Pii V Papae et C.
29. S. Antonini C.
30. Translationis S. P. Dominici.
31. S. Ioannis O. P. et Sociorum MM. Gorgom.
32. S. Mariae Magdalenae Protect. O. P.
33. S. P. Dominici.
34. S. Hyacinthi C. O. P.
35. S. Rosae Limanae V. O. P.
36. Commem. S. P. Dominici in Suriano.
37. S. P. Francisci Assis.
38. S. Ludovici Bertrandi C. O. P.
39. Omnium Sanctorum O. P.
40. S. Catharinae Virg. Mart. Protect. O. P.
41. Iis qui quatuor anniversariis vel officiis defunctorum in Ordine Praedicatorum praescriptis, uno scilicet pro animabus Fratrum, Sororum ac Tertiariorum ipsius Ord. (die 10 Novem.), altero pro animabus suorum consanguineorum et affinium (die 4 Febr.), tertio pro familiarum et benefactorum suorum animabus (die 5 Sept.), quarto pro sepultis in eorum Ecclesiis et Coemeteriis (die 12 Iul.) devote interfuerint ac confessi et SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint atque uti supra oraverint.

D) Iisdem Tertiariis morituris si uti supra dispositi vel saltem contriti SS. Iesu Nomen ore si potuerint sin minus corde devote invocaverint.

II. — *Indulgentiae Partiales.*

A) Septem annorum et totidem quadragenarum:

1. Tertiariis qui saltem corde contrito diebus in praecedenti capite I. C. enumeratis Ecclesiam Ordinis aut Sodalitii visitaverint ibique ad intentionem Summi Pontificis oraverint.

2. Qualibet vice per mediam horam orationis mentalis exercitio devote vacaverint.

B) Trecentorum dierum:

Quoties aliquod pium opus pietatis vel charitatis, corde saltem contrito, exercuerint.

III. — *Indulgentiae Stationales.*

Diebus Stationum in Missali Romano descriptis (1) iidem Tertiarii si Ecclesiam in qua sedes Sodalitii est constituta vel ea deficiente propriam Ecclesiam Parochialem visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, easdem Indulgentias consequuntur quas lucrarentur si Ecclesias Urbis in eodem Missali recensitas praefatis diebus personaliter visitarent, dummodo alia pia opera praescripta exercuerint.

IV. — *Indulgentiae pro recitatione nonnullarum precum.*

1. Pro Responsorio « *O spem miram* »:

Tertiarii quoties Responsorio « *O spem miram* » in honorem S. Dominici recitaverint, indulgentiam quingentorum dierum semel quolibet die lucrantur et si per totum annum quotidie illud recitaverint Indulgentiam Plenariam in festo: *a)* S. P. Dominici (4 Aug.); *b)* Translationis eiusdem S. P. (25 Maii) et *c)* Commemorationis eiusdem in Suriano (15 Septembris).

2. Pro orationibus S. Catharinae Senensis vel ad ipsam:

Tertiarii Indulgentiam centum dierum lucrantur semel in die pro recitatione singularum ex his orationibus:

a) Ad S. Catharinam Senens. « *O virgo* » cum versiculo et oratione;

b) Pro Summo Pontifice ab ipsa S. Catharina dictata « *O Dio Supremo ed ineffabile* »;

c) Pro Ecclesia pariter ab ipsa composita « *Ho ricorso a Voi* ».

Omnes et singulae Indulgentiae hucusque relatae, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, sunt etiam applicabiles animabus Defunctorum in Purgatorio detentis.

V. — *Privilegia.*

1. Sacerdotes Tertiarii ad quodlibet Altare Missam celebraverint gaudent indulto personali Altaris Privilegiati tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo pro alia die simile indultum non obtinuerint.

2. Missae omnes quae in suffragium sodalium defunctorum celebrantur sunt semper et ubique privilegiatae.

VI. — *Indulta.*

1. Tertiarii degentes in locis ubi nulla extat Ecclesia Ordinis Praedicatorum vel Sodalitii, lucrari valent eas omnes Indulgentias quas dictam Ecclesiam visitando lucrarentur, dummodo respectivam parochialem Ecclesiam visitent, caeteris conditionibus adimpletis.

2. Tertiarii si sint infirmi vel convalescentes nec commode possint e domo egredi, recitando quinquies *Pater* et *Ave* et orando ad mentem Summi Pontificis, lucrari possunt easdem Indulgentias ac si personaliter Ecclesiam Ordinis vel Sodalitii visitarent, caeteris tamen conditionibus adimpletis.

3. Tertiarii, qui in Collegiis, Seminariis aliisque communitatibus degunt, lucrari valent Indulgentias Sodalitati proprias privatum respectivae domus sacellum visitando, caeteris adimpletis conditionibus.

(1) Dies, quibus Missale Romanum stationes signat, indicant *Analecta O. P.*, ser. II., vol. VII, pag. 477.

4. Tertiarii recitantes Officium parvum B. M. V. secundum ritum FF. Praedicatorum, easdem Indulgentias lucrantur, quas lucrarentur si illud uti extat in Breviario Romano recitarent.

DECRETUM.

Quum, per Decretum huius S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 18 Iulii 1902 (1) undequaque abrogatis omnibus Indulgentiis, quibus Tertiarii saeculares cuiusvis Ordinis ob communicationem cum primo et secundo Ordine respectivo perfruebantur, Supremis Moderatoribus Religiosorum Ordinum proprium Tertium Ordinem habentium praescriptum fuerit ut novum Indulgentiarum indicem pro suis Tertiariis Saecularibus proponerent, Magister Generalis Ordinis Praedicatorum, tali mandato obtemperans, novum praedictum indicem elaboravit, illumque huic S. Congregationi humillime subiecit, quae, adhibita etiam quorumdam ex suis Consultoribus opera, illum ad examen revocavit.

SS.mus vero Dominus N. Pius Pp. X in audientia diei 13 Iunii 1906 audita de his omnibus relatione facta ab infrascripto Card. Praefecto, ex Indulgentiis in supra proposito elencho enumeratis, eas, quae olim Tertiariis directe tributae fuerunt benigne confirmavit, alias vero, loco earum quibus vi communicationis gaudebant clementer est elargitus; simulque mandavit ut in posterum praedicti Ordinis Sodales Tertiarii in saeculo viventes earum tantummodo participes evadant Indulgentiarum eisque potiantur Privilegiis et Indultis quae in praedicto elencho recensentur (2). Quam concessionem eadem Sanctitas Sua perpetuis quoque futuris temporibus valituram esse voluit absque ulla brevis expeditione.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 13 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodic, *Secret.*

IV.

Per concessionem 300 d. indulg. factam d. 5 Iunii 1906 iis qui recitant iacul. precem *Cœur Sacré de Jésus, j'ai confiance en vous,* non fuit abrogata indulg. plen. iam concessa 27 Maii 1905.

Très Saint-Père,

Xavier Hertzog, procureur général de St-Sulpice, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, La supplie de daigner déclarer que l'Indulgence de *300 jours, toties quoties,* accordée dans l'audience du 5 juin courant à ceux qui réciteraient dévotement l'oraison jaculatoire: « *Cœur de Jésus, j'ai confiance en Vous* », ne supprimait point l'Indulgence plénière, accordée auparavant par Votre Sainteté, pour ceux qui réciteraient dévotement durant le mois, chaque jour, cette même invocation.

Que Dieu etc.

SS. D. N. Pius PP. X in Audientia habita die 27 Iunii 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne declarare dignatus est, per concessionem die 5 huius mensis factam, abrogatam non fuisse plenariam Indulgentiam, quam idem SS.mus elargitus fuerat die 27 Maii 1905 (1): ita ut in posterum christifideles, quoties supra propositam invocationem, intimo cordis affectu, recitaverint, Indulgentiam trecentorum dierum lucrari valeant, plenariam vero semel in unoquoque mense, die eorum arbitrio eligenda, dummodo quotidianam eiusdem invocationis recitationem peregerint, simulque confessi ac S. Synaxi refecti, ad mentem Summi Pontificis oraverint. Quas Indulgentias Sanctitas Sua defunctis quoque applicabiles voluit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congr., die 27 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

V.

Indulg. conceduntur propagantibus pium exercitium *Mensis Cordi Jesu SSmo dicati.*

Beatissimo Padre,

Il convincimento, che il pio esercizio del Mese consacrato al Cuore Divino sia il mezzo migliore di estendere e di perfezionare la devozione a quel Cuore SS.mo, mosse alcuni del Sacerdozio e del laicato napoletano a dare opera, con la Benedizione del loro Cardinale Arcivescovo, alla propagazione di quel santo esercizio. Seguì nel 1902, il nostro Congresso in omaggio al Cuore SS.mo di Gesù, Congresso che molto plauso fe' all'opera loro, e l'incoraggiò sì che prese incremento, e ne venne su il *Grande Apostolato del Mese del Sacro Cuore,* grande nella sua picciolezza per l'ardore dei desiderii e la forte aspirazione a universalità. Cotesto apostolato mira a che l'esercizio del Mese del Sacro Cuore non pur si ponga in ogni Chiesa, ma in tutte le Case Religiose, i Seminari, i collegi, i laboratorii, le officine, gli ospedali, le famiglie tutte, e, dovunque si compia in modo che non consista solo in un po' di preci e di pratiche esteriori, ma risulti come una sacra Missione universale, la quale, attingendo ogni efficacia dalla considerazione dell'infinita dolcezza e misericordia del Cuore di Cristo, valga possentemente a riformare la vita individuale e sociale conformandola all'Ideale supremo di ogni verità, bontà e bellezza, che è Cristo S. N.

Il Grande Apostolato del Mese del Sacro Cuore, veniva in quel medesimo anno, 1902, dalla s. m. di Leone XIII con effusione benedetto. E, da quel tempo, indefessamente

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XI, pag. 488.

(2) Ex his verbis liquido patet nunc tantum vigere privilegia et indulta, *quae in praedicto elencho recensentur,* per modum tamen indulgentiarum concessa. Caetera ergo abrogata non sunt uti ex: gr: potestas recitandi nostrum Breviarium, quae a reverendissimo Ordinis Magistro aliquando fit sacerdotibus tertiariis saecularibus *(N. A.)*.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIII, p. 347.

non perdonando a sacrifizio di sorta, tutto ha messo in opera, che gli è parso al suo fine rispondente: stampa e larghissima diffusione gratuita di speciali opuscoli dichiarativi; diffusione in molte centinaia di migliaia, e del pari sempre gratuita, di foglietti, che accennano ai modi di compiere fruttuosamente, secondo la diversità dei luoghi e delle persone, il pio esercizio; dono di migliaia di libri diversi pel Mese del Sacro Cuore a Predicatori, Sacerdoti, scuole, famiglie, laboratorii, operai, militari, e, insieme, di quadri, di immagini, di scapolari innumerevoli. Ancora, con articoli pubblicati in tutti i Periodici religiosi e politico-religiosi ha procurato variamente di render noto e caro e fecondo l'esercizio santo, con lettera a tutti i Predicatori Quaresimalisti e Mariani, ai Parroci, alle Case Religiose, ha lavorato a ottenere non solo, che, in quelle loro Chiese, si compisse fruttuosamente il pio esercizio ma anche a moltiplicare gli apostoli del Mese del Sacro Cuore; ha distribuito, specialmente nelle Chiese, in maggio, e a migliaia nella Pontificia Basilica di Valle di Pompei, ai pellegrinanti al Santuario di Maria piccoli inviti ferventi di compiere e bene l'esercizio del Mese del Sacro Cuore; ha rivolto umili istanze agli Ecc.mi Vescovi, molti dei quali, all'appressarsi del giugno, fecero speciali Circolari; alcuni largirono anche, nelle loro Diocesi, Indulgenze per le buone opere intese a propagare o perfezionare l'esercizio del Mese del Sacro Cuore; qualcuno lo ha, egli stesso, predicato al suo gregge.

I copiosi frutti di salute, per divina misericordia ottenuti in Italia, fecero il *Grande Apostolato del Mese del Sacro Cuore* più infocatamente desioso di abbracciare tutte le genti, per le quali Cristo dette il Sangue del suo Cuore. E la brama ardentissima può dirsi avesse suo battesimo nella Roma della Santità Vostra, quando l'ultimo Congresso Eucaristico Internazionale fece voto, che a tutti i Pastori della Cattolica Chiesa si rivolgesse supplica, perchè, con raccomandazioni inserite specialmente ne' Calendari Diocesani, volessero rendere generale nelle loro Diocesi, e ben compiuto, l'esercizio del Mese al Divin Cuore consacrato.

Quel voto, comunicato dal *Grande Apostolato del Mese del Sacro Cuore* a tutti i Vescovi dell'Orbe, fu da molti Ecc.mi Pastori benignamente e anche largamente attuato sì, che in Italia e fuori, avventuratamente, la pia pratica si affermava. Quando tutti in ciò converranno, oh! allora in ogni terra il Cuore di Cristo avrà la gioia e la gloria di un Suo Mese, nel quale i Pastori delle anime saranno allietati dai meravigliosi frutti di salute, di cui le nuove, che da ogni parte abbiamo, ci dicono esser fecondissimo quel santo esercizio, specialmente tra la gente operaia, e ciò, che sembrava lontano da ogni speranza, anche tra la gente militare. E la Vergine Madre, che, nel Maggio dolcissimo tanti cuori accoglie sotto l'azzurro manto, esulterà di più intensa gioia e più piena per potere, nel giugno benedetto, profondando tutti quei cuori, il cuore di tutti nell'infinito oceano della misericordia infinita, che è il Cuore del Figliol suo!

Per far, poi, progredire la povera opera nostra fuori d'Italia, il nostro opuscolo dichiarativo è stato tradotto in più lingue, e distribuito largamente all'estero, e importanti Riviste religiose hanno avuto articoli pel Mese del Sacro Cuore. Ancora, un santo P. Generale di fiorentissima Congregazione Religiosa, in una sua Circolare alle Case del suo Istituto, sparse in tutto il mondo, raccomandava l'apostolato del Mese del Sacro Cuore e il nostro opuscolo in proposito.

Ma che cosa può essere veramente benedetto e diventare veramente universale, che non prenda suggello dalla Suprema Autorità in terra?

Però, con umilissimo ardire di figliuoli, supplichiamo la Santità Vostra, che, per gloria del Cuore infinitamente amante, voglia non solo, di nuovo schiudere i tesori di Santa Chiesa in favore del pio esercizio del Mese del Sacro Cuore, ma anche in favore delle persone, che, nel mondo intero, si spendono, e si spenderanno, a renderlo universale e universalmente ben compiuto, arricchendo le loro buone opere diverse, a questo fine intese, di tali Indulgenze, che si faccia aperto il pensiero della Santità Vostra, che, da per tutto, si compia il pio esercizio, e tutti, che nel cenno del Vicario di Cristo san vedere la desiosa volontà del Signore, s'infiammino per cotesto apostolato santo sì, da cooperare, per questo modo, alla sospirata dalla Santità Vostra ristorazione di tutte cose in Cristo.

Che se a noi fosse lecito dir tutto il desiderio nostro, con semplicità di figliuoli e audacia di poverelli suppliche-remmo la Santità Vostra che, alle indulgenze già largite dalla s. m. di Leone XIII, si degni aggiungere la concessione perpetua:

1° dell'Indulgenza plenaria *toties quoties*, applicabile alle anime dei defunti, il giorno 30 giugno, in quelle Chiese dove il Mese del Sacro Cuore sia stato solennemente compiuto;

2° del favore dell'Altare Gregoriano *ad instar* nella loro Messa del 30 giugno ai Predicatori del Mese del Sacro Cuore, ed ai Rettori delle Chiese, ove il pio esercizio venne solennemente compiuto;

3° per le persone, che promuovono il pio esercizio, dell'Indulgenza di 500 giorni, da lucrarsi con qualsiasi loro opera buona, intesa a propagarlo o a farlo compier meglio; della Indulgenza Plenaria nelle loro Comunioni del giugno, tutto applicabile alle Anime Sante del Purgatorio.

Pieni oltremodo di fiducia, che il paterno cuore della Vostra Santità benignamente vorrà accogliere l'umile, ardentissima, filiale preghiera, prostrati al bacio del sacro Piede, supplichiamo intanto la Santità Vostra impartire copiosissima l'Apostolica Benedizione sopra l'opera nostra, sopra quanti, con noi fan parte del Grande Apostolato del Mese del Sacro Cuore.

Napoli, 11 Luglio 1906.

Della S. V. um. obb. figliuolo e servo,
LUIGI Can. CARUSO.

Ex Audientia SS.mi, die 8 Augusti 1906.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X, qui in votis vel maxime habet, ut pium exercitium *mensis Cordi Iesu Sacratissimo dicati* magis in dies propagetur, et in Christifidelibus saluberrimas sane radices fortius et fructuosius agere conspiciatur, suprascriptis precibus libenter annuens *pro gratia*, Indulgentias expetitas perpetuo valituras benigne elargiri dignatus est, atque optatam Benedictionem Apostolicam peramanter impertivit (1).

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

Pro D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*
IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Substitutus.*

(1) Dopo il vivo desiderio espresso dal S. Padre, e le preziose e rare indulgenze qui concedute, siamo di credere che tutti gli ecclesiastici, e molto più i venerandi Pastori di anime si adoperino con grande zelo a propagare la pratica del mese sacro al SS. Cuor di Gesù dal quale è lecito sperare frutti copiosissimi di salute. — N. d. R.

VI.

Extenduntur ad Ecclesias et Oratoria quorum curam habent Tertiarii S. F. in communitate viventes, indulgentiae concessae Ecclesiis et Oratoriis quae sunt in proprietate ipsorum.

Per Decretum huius S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sub die 28 Augusti 1903 (1) concessum est, ut Tertiariorum in communitate viventium et vota simplicia emittentium Ecclesiae aut Oratoria publica iisdem indulgentiis gaudeant, quibus perfruuntur Ecclesiae aut Oratoria publica respectivi primi et secundi Ordinis. Altero dein Decreto sub die 22 Martii 1905 (2) hoc indultum in favorem Tertiariorum et personarum cum ipsis in communitate degentium extensum fuit etiam ad eorum Oratoria semipublica.

Nunc vero Procurator Generalis Ordinis FF. Capuccinorum, inspecto Decreto huius S. Congregationis sub die 18 Augusti 1868, dubitavit, an huiusmodi indulta possint etiam extendi ad Ecclesias et Oratoria publica vel semipublica eorum Institutorum (scilicet Xenodochiorum, Orphanotrophiorum, Collegiorum), quae, etsi non sint in vera proprietate ipsorum Tertiariorum, ab ipsis tamen custodiuntur, qui eorum curam habent temporalem, et in iis sacras functiones sive publice sive privatim exercent.

Quare sequentia dubia proposuit dirimenda:

I. An indultum, per Decretum sub die 22 Martii 1905 concessum, extendatur ad Ecclesias et Oratoria publica vel semipublica eorum Institutorum (Xenodochiorum, Orphanotrophiorum, Collegiorum, etc.) quae non pertinent ad Tertiarios praedictos, quorum tamen cura vel spiritualis vel temporalis (uti relate ad Congregationes Sororum verificatur) hisce Tertiariis concredita est?

Et quatenus negative:

II. An non expediat concedere, ut dictae Ecclesiae vel Oratoria sive publica, sive etiam semipublica, eodem indulto gaudeant, saltem in favorem dictorum Tertiariorum et personarum eorum curae concreditarum, aut cum ipsis sub eodem tecto habitantium, ne Tertiariorum longe maior pars plurimis privetur indulgentiis respectivi primi et secundi Ordinis?

III. An non expediat indulgere, ut membra Congregationum Tertii Ordinis in Institutis (ex. gr. Xenodochiis, Orphanotrophiis, Scholis, etc.) degentia, in quibus non existunt Ecclesiae aut Oratoria nec publica nec semipublica, lucrari valeant indulgentias Ecclesiis sui primi et secundi Ordinis concessas, ea conditione, ut, loco Ecclesiae aut Oratorii primi et secundi Ordinis, parochialem Ecclesiam visitent, quum Tertiarii saeculares S. Francisci simile privilegium obtinuerint (Decr. 31 Ian. 1903)?

IV. Iuxta Summarium Indulgentiarum Ordini FF. Minorum Capuccinorum concessarum, ab hac S. Congregatione approbatum, « Altare Maius omnium Ecclesiarum Ordinis gaudet privilegio quotidiano pro Missis, quae in eodem celebrabuntur etc. » Iam quaeritur, utrum hoc Privilegium vi Decreti huius S. Congregationis die 22 Martii 1905 etiam extensum fuerit ad altare maius Oratorii semipublici Congregationum Tertiariorum?

Et quatenus negative:

V. Utrum hoc Privilegium Altaris saltem extendatur ad Altare maius Oratorii Xenodochii, in quo Tertiarii debite primo et secundo Ordini FF. Min. Capuccinorum aggregati ad infirmorum assistentiam sive spiritualem, sive temporalem degunt, et quidem vi Indulti eidem Ordini concessi, quod ita sonat: « Religiosi, qui debitis cum licentiis ad infirmorum assistentiam degunt, omnibus et singulis spiritualibus gratiis gaudent, ac si in respectivis Conventibus moram haberent? »

Et E.mi Patres in Generali Congregatione ad Vaticanum coadunati responderunt die 7 Augusti 1906:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative, facto verbo cum SS.mo.

Ad III. Affirmative, et ad mentem; mens autem est, quod si in loco ubi degunt Tertiarii adsit Ecclesia vel publicum Oratorium primi et secundi Ordinis, haec erit omnino visitanda, nisi distent nimis ab Institutis, quibus ipsimet inserviunt, id est non ultra milliarii spatium. His vero deficientibus indultum concedi poterit, quo Ecclesia parochialis, similiter non distans ultra milliarium, visitari valeat secus alia quaecumque Ecclesia, prout libuerit adeunda, facto verbo cum SS.mo.

Ad IV et V. Non proposita.

De quibus omnibus facta relatione SS.mo D.no Nostro Pio Pp. X in Audientia habita a Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 8 Augusti 1906, idem SS.mus E.morum Patrum resolutiones approbavit et confirmavit, simulque petitam in II dubio extensionem, nec non indultum in III dubio propositum benigne concessit.

Datum Romae, e Secret. eiusdem S. Congregationis, die 8 Augusti 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

VII.

De indulg. adnexis Numismati iubilari S. Benedicti Abbatis, inter quas *non recensetur Indul. plen. Portiunculae.*

Beatissime Pater,

Hodiernus Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum, enixe desiderans ut praeclara Indulgentia Portiunculae, eiusque conditiones in sua veritate serventur, se ad Sanctitatis Tuae pedes humillime provolvit, haec pro congruis declarationibus ac remediis exponens:

Apud Helvetiam et Germaniam aliasque pariter regiones a nonnullis annis folia quaedam evulgari coepta sunt, in quibus sine ulla prorsus haesitatione affirmatur, per Apostolicas Litteras in forma Brevis sub die 31 Augusti anni 1877 a Pio IX datas, Indulgentiam Portiunculae fuisse gerentibus Numisma Iubilare Sancti Benedicti Abbatis concessam, quin iidem gerentes aliquam Ecclesiam aut Oratorium Publicum talem reapse Indulgentiam obtinens adire teneantur.

Audiantur sane quanta securitate talem concessionem proclament folia parva in loco « Immensee » edita et in vulgus modo longe lateque diffusa: « Quantunque questo « insigne privilegio (Indulgentiae nempe Portiunculae) sia « stato esteso più tardi da Gregorio XV a tutti i diversi « Ordini di S. Francesco, ed ultimamente a parecchi altri « Santuari privilegiati, non è men vero ch' esso sia alla

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XI, p. 489.
(2) *Item*, vol. XIII, p. 212.

« portata d'un numero relativamente esiguo di Fedeli.
« Questa lacuna fu colmata, 25 anni fa, da un favore
« tutto speciale del papa Pio IX, di santa memoria. In un
« Breve del 31 agosto 1877, Pio IX accordò ai PP. Be-
« nedettini dell'Abbazia di Montecassino la facoltà d'appli-
« care l'Indulgenza della Porziuncola alla Medaglia giubilare
« di S. Benedetto, ch'essi facevano coniare in occasione
« del XIV centenario del loro santo Fondatore. In virtù
« di questo Breve, ogni persona che porta seco la Medaglia
« giubilare di S. Benedetto, può guadagnare l'Indulgenza
« della Porziuncola in tutte le Chiese ed Oratori pubblici,
« *senza aver bisogno di recarsi in una Chiesa dotata di*
« *questo privilegio,* purchè essa osservi le altre condizioni
« indicate più sopra » (Allegatum *A*).

Ad omnem autem rei veritatem efficacius detegendam, Orator exemplar authenticum earumdem Litterarum Pii IX e Tabulario Secretariae Brevium depromendum curavit; in quibus tamen nullam de Indulgentia Portiunculae mentionem invenit, sed unice legit: « Omnibus et singulis utrius-
« que sexus Christifidelibus, qui sacrum illud Numisma ab
« Abbate Ordinario pro tempore Montis Cassini, vel ab alio
« Presbytero, quem ipsi ad hoc delegare placuerit, traditum
« gestaverint, ut praeter indulgentias eidem Numismati a
« Sancta Sede iam impertitas, omnes et singulas tam ple-
« narias quam partiales Indulgentias sacra loca supradicta,
« idest Basilicam Cathedralem Ecclesiam et Cryptam ac
« Turrim Sancti Benedicti visitantibus ab hac Sancta Sede
« concessas, dummodo quae ad eas consequendas iniuncta
« sunt pietatis opera rite in Domino praestiterint, et ubi
« orandum est etiam preces pro peccatorum conversione
« effuderint, visitata qualibet Ecclesia aut Oratorio publico
« libere ac licite lucrari possint et valeant, tenore praesen-
« tium, concedimus et elargimur » (Allegatum *B*).

Rationem porro aliquam Orator inquirens, cur talia sine ullo prorsus dubio fidelibus insinuentur, in eo fortasse positam agnovit, quod iisdem Montis Cassini locis vel eorum cuipiam iam per Apostolicam Sedem Indulgentia Portiunculae in perpetuum vel ad certum tempus duratura sit forsan extensa. Hinc et ansam probabiliter talia evulgantes folia sumpsere, quasi nempe ex concessione *generali* Indulgentiarum Montis Cassini, etiam *specialissima* Indulgentia Portiunculae iure deducatur extensa.

Quidquid autem arbitrandum sit de huiusce deductionis valore, qua saepius nonnulli abusi sunt averteruntque fideles a visitandis Ecclesiis Indulgentiam reapse Portiunculae assequentibus, quae aequali passim nisi etiam maiori facilitate poterant visitari; debuerant sane qui talia folia in vulgus diffundunt, opinionis suae fundamentum candide aperire, ne Fideles dubia pro certis ob ignoratum idem Breve sumentes, ex eo Indulgentiam Portiunculae *hancque solam* reputent concessam, et Ecclesiam aut Oratorium publicum eamdem revera Indulgentiam habens deserentes, periculo ipsam non assequendi immerito et sine ulla causa exponantur.

Ex concessione enim generali omnium Indulgentiarum Montis Cassini facta gerentibus Numisma praefatum Sancti Benedicti, non argui concessam specialem omnino Indulgentiam Portiunculae, suadet illa Regula Iuris sub numero 21 in Libro VI Decretalium a Bonifacio Papa VIII sic enuntiata: « In generali concessione non veniunt ea, « quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus ». Ac sane, Apostolica Sedes, quae Indulgentiam Portiunculae exclusive propriam Ecclesiis Franciscanis esse voluit, ut si aliis Ecclesiis ob specialia rerum adiuncta videatur extendi, hoc nonnisi per speciales Apostolicae Sedis Litteras directe et expresse tribuatur, et ad certum tempus, atque sub conditione, ne intra unius milliarii spatium alia Ecclesia, vel Oratorium publicum eamdem obtinens Indulgentiam reperiatur, non poterat quin sibi contradiceret, et relatas cautelas conditionesque Indulgentiam Portiunculae tuentes destrueret, in illa generali concessione etiam Indulgentiam Portiunculae specialissimam comprehendere. Neque eadem Apostolica Sedes consuevit dispensare a conditionibus ad aliquam Indulgentiam consequendam requisitis, nisi iustae interveniant causae; idque tamen fecisse dicenda esset, si gestantes Numisma praefatum, absolute sine ulla restrictione ac necessitate, adeundi Ecclesiam sive Oratorium publicum Indulgentiam habens Portiunculae onere exemisset, quae et iidem Fideles passim valent sine aliquo prorsus incommodo visitare.

Neque desunt exempla, unde talium opinionum figmenta clarissime refellantur. Religiosi Ordinis Fratrum Minorum, uti eruitur e Summario Indulgentiarum ipsiusmet Ordinis ab Apostolica Sede die 20 Iulii anni 1841 approbato, recitantes sex *Pater* et *Ave* cum *Gloria* possunt ubivis Indulgentias acquirere Portiunculae atque etiam Hierosolymae concessas; neque ullus unquam reperitur, qui hanc concessionem acceperit de omnibus Indulgentiis, quae iisdem locis competunt quatenus Ecclesiae sunt ad Ordinem Seraphicum pertinentes, adeo nempe ut obtineri valeant Indulgentiae pro Festis Sanctorum Ordinis concessae. Insuper Fideles, qui Exercitium Viae Dolorosae frequentant, ex declaratione Sacrae Indulgentiarum Congregationis sub die 3 Aprilis anno 1731 data, omnes et singulas Indulgentias, quae Quatuordecim Stationibus Hierosolymitanis sunt adnexae lucrari valent; neque fuit unquam, qui inde sibi persuasum haberet, se etiam eas consecuturum in Calvarii Exercitio Indulgentias innumeras, quae iisdem Stationibus competunt, quatenus (uti Statio XIV aliaeque) sunt Ecclesiae sive Oratoria ad Ordinem Fratrum Minorum spectantia.

Sicuti ergo Religiosi praefati sex *Pater* et *Ave* cum *Gloria* recitantes vel fideles Exercitium Viae Dolorosae peragentes, iuxta communem sententiam, eas tantum consequuntur Indulgentias, quae *directe* respectivis Portiunculae atque Stationum Hierosolymae locis et *intuitu* Mysteriorum inibi contingentium sunt concessae; ita praelaudatum Numisma Sancti Benedicti gerentes, illas solum obtinere Indulgentias assequi dicendi erunt, quae sacris Montis Cassini locis et intuitu eiusdem Sancti Patriarchae sunt attributae, non vero Indulgentiam specialissimam Portiunculae tot Apostolicae Sedis limitationibus obnoxiam, ad quam acquirendam, Ecclesiae Montis Cassini, utpote aliis Ecclesiis Franciscanis suffectae, alia nequit iterum Ecclesia valide subrogari. Ac proinde in Brevi indicato nihil aliud videtur concessum, quam ut Christifideles Numisma Sancti Benedicti perferentes, iis frui valeant Indulgentiis, quibus ditarentur, si personaliter Basilicam et Cryptam ac Turrim eiusdem Sancti apud Montem Cassinum pia peregrinatione visitarent; prouti et de Indulgentiis Viae Dolorosae atque Crucifixorum ipsius viae Crucis necnon sic dictae Stationis a Religiosis ut supra consequendis edocet communis Auctorum sententia, atque de Indulgentiis Numismatis etiam Sancti Benedicti

arbitrandum plures egregii viri ad rem consulti tenendumque arbitrantur.

Attamen, ne Fideles in errorem cum suo ipsorum detrimento inducantur, neve praeclarissima indulgentia Portiunculae tantis munita Sedis Apostolicae curis in piorum oculis immerito nimiumque deprimatur, supplex Orator, allato exemplari tam foliorum in vulgus passim prodeuntium quam Apostolicarum earumdem Litterarum, sequentia dubia Sanctitati Tuae pro opportuna exsolutione proponit; nempe:

I. — Num absolute et sine ulla explicatione affirmari possit, per Apostolicas Litteras in forma Brevis a sanctae memoriae Pio Papa IX sub die 31 Augusti anni 1877, concessam fuisse, uti evulgatores similium praetendunt foliorum, Indulgentiam Portiunculae Numisma Sancti Benedicti iubilare gerentibus, ita ut eadem ab ipsis in quacumque Ecclesia vel Oratorio publico valeat promereri?

II. — Num ex concessione generali omnium Indulgentiarum Montis Cassini, facta gestantibus idem Numisma iubilare Sancti Benedicti per relatum Breve, etiam comprehensa intelligatur Indulgentia specialissima Portiunculae, tot hucusque Sedis Apostolicae curis et limitationibus communita?

III. — Num, si negativa detur praemissis dubiis responsio, Ordinarii Locorum, aliique, curare debeant, ut folia talem concessionem indicantia de Fidelium manibus auferantur, mosque regulis circa Indulgentiarum evulgationem in posterum geratur?

Et Deus etc.

Datum Romae, in coenobio Sancti Antonii Patavini, die 29 Ianuarii anno 1906.

Sanctitatis Tuae humillimus servus ac filius

L. ✠ S.

Fr. Bonaventura Marrani, *Proc. Gen. Ordinis.*

Allegatum *A*.

Foliolum, quo evulgata est Indulgentia de Portiuncula adnexa Numismati S. P. Benedicti.

L'INDULGENZA DELLA PORZIUNCOLA E LA MEDAGLIA GIUBILARE DI S. BENEDETTO.

Una delle più preziose indulgenze accordate dalla Chiesa per la santificazione delle anime, per la conversione dei peccatori ed il sollievo delle anime purganti, è senza dubbio *l'Indulgenza della Porziuncola,* detta exiandio l'*Indulgenza del gran perdono.*

Essa fu accordata a S. Francesco d'Assisi da Gesù Cristo stesso nelle circostanze seguenti:

Fin dai primi anni della fondazione del suo Ordine, S. Francesco, trovandosi allo stretto, coi suoi primi discepoli, nella piccola capanna di *Rivotorto*, ottenne, dai Superiori dell'Abbazia dei PP. Benedettini di Subiaco, un piccolo terreno e la cappella della Madonna degli Angeli, situata in Assisi. Proprietà e cappella avevano sì modeste proporzioni, che il tutto fu chiamato *Porziuncola.*

Una notte, mentre S. Francesco pregava nella cappella per la conversione dei peccatori, Nostro Signore e la Santa Vergine gli apparvero e gli accordarono, dietro la sua dimanda, che tutti coloro che, dopo aver degnamente ricevuti i sacramenti della Penitenza e dell'Eucaristia, visiterebbero quella cappella, guadagnerebbero ad ogni visita un'indulgenza plenaria, a condizione però che questo privilegio venisse approvato dal Sommo Pontefice.

Nel 1221, Francesco ottenne dal Papa Onorio III questo permesso. Esso stabilisce che quest'indulgenza può guadagnarsi ogni anno cominciando dalla sera del 1° agosto — a partire cioè dai Primi Vespri della festa della Madonna degli Angeli — fino alla sera del 2 giorno di detta festa; di più essa può guadagnarsi, *toties quoties, ad ogni visita*, purchè si uscisse dalla cappella per poter così porre un certo spazio di tempo tra ogni visita, e che si pregasse durante ogni visita secondo le intenzioni del Papa (cinque *Pater* ed *Ave* bastano).

Questa grande indulgenza fu promulgata dallo stesso Francesco nel 1223, dinnanzi un concorso considerevole di Vescovi, preti e fedeli,

Quantunque quest'insigne privilegio sia stato esteso più tardi da Gregorio XV a tutti i diversi Ordini di S. Francesco, ed ultimamente a parecchi altri santuari privilegiati, non è men vero ch'esso sia alla portata d'un numero relativamente esiguo di Fedeli.

Questa lacuna fu colmata, 25 anni fa, da un favore tutto speciale del papa Pio IX di santa memoria. In un Breve del 31 agosto 1877, Pio IX accordò ai PP. Benedettini dell'abbazia di Montecassino, la facoltà di applicare l'Indulgenza della Porziuncola, *alla Medaglia giubilare* di S. Benedetto, ch'essi facevano coniare in occasione del XIV centenario del loro santo fondatore.

In virtù di questo breve, *ogni persona che porta seco la Medaglia giubilare di S. Benedetto, può guadagnare l'Indulgenza della Porziuncola in tutte le Chiese ed Oratori pubblici*, senza aver bisogno di recarsi in una Chiesa dotata di questo privilegio, *purchè essa osservi le altre condizioni indicate più sopra.*

Le anime pie ci saranno riconoscenti di aver fatto conoscere loro la *preziosa Medaglia giubilare di S. Benedetto*, e di facilitarne loro l'acquisto.

Noi le propaghiamo a beneficio della Casa Madre e del Noviziato delle Suore Missionarie di Betlemme, e di cui parliamo in una circolare speciale.

Come per le Corone dei PP. Crociferi, noi dobbiamo far notare che queste Medaglie — come ogni oggetto religioso indulgenziato — non possono vendersi o cambiarsi senza perdere le loro Indulgenze. Non ci è dunque *possibile di inviare anticipatamente* queste medaglie ai nostri corrispondenti, ma solo dopo la loro dimanda.

La stessa precauzione s'impone ai nostri corrispondenti che non possono avere presso di loro uno *stok* di queste Medaglie per poterle distribuire ai sottoscrittori che si presentano.

Il solo mezzo da impiegarsi per queste Medaglie giubilari è quello stesso che noi abbiamo parecchie volte indicato per le Corone dei PP. Crociferi, cioè, bisogna *a)* far la lista di tutte quelle persone che ne desiderano ed hanno dato o promesso di dare l'offerta indicata dalle nostre circolari; *b)* indicarci il numero esatto nell'inviarci la commissione; *c)* ricordare che è assolutamente necessario di non dimandarne una sola di più.

Una sola eccezione è fatta pei decreti della Santa Sede in favore delle *persone* che domandano queste Medaglie per distribuirle in seguito gratuitamente, senza rimunerazione alcuna, a parenti o ad altri.

Non potendo, per le ragioni date più sopra, aver un deposito di Medaglie, i nostri corrispondenti vorranno scu-

sarci se noi abbiamo bisogno di 15 o venti giorni per procurare e spedire loro dette medaglie di Betlemme. Siano però certi che noi metteremo tutta la diligenza possibile per soddisfarli.

NOTE INTERESSANTI SULLA MEDAGLIA GIUBILARE DI S. BENEDETTO.

I. — *Spiegazione della Medaglia.*

La medaglia di S. Benedetto rappresenta:

Da un lato l'immagine del Santo che tiene la *Croce* colla mano destra, e colla sinistra il libro delle Regole, coll'iscrizione seguente: *Crux S. P. Benedicti,* Croce del Santo Padre Benedetto.

Dall'altro lato una croce, avente ai quattro angoli una di queste quattro iniziali: C. S. P. B. *(Croce del santo padre Benedetto).* Nel tronco della croce leggonsi, dall'alto in basso, queste lettere: C. S. S. M. L., e nelle braccia: N. D. S. M. D., cioè *Crux Sancta sit mihi lux, non draco sit mihi dux.* La Croce sia la mia luce, che il demonio non sia il mio duce.

Le quattordici lettere del quadro: V. R. S. N. S. M. V. S. M. Q. L. I. V. B., significano: *Vade retro Satana; nunquam suade mihi vana. Sunt mala quae libas. Ipse venena bibas.* Ritirati, Satana; non consigliarmi mai la vanità di questo mondo. Il male è la tua bevanda. Conserva per te il tuo veleno.

Nella medaglia vi è inoltre, attorno l'immagine di San Benedetto, quest'iscrizione: *Eius in obitu nostro praesentia muniamur*; cioè: Assicuriamoci della sua presenza protettrice nella nostra morte. Sotto l'immagine leggesi: *Ex S. M. Cassino MDCCCLXXX:* da Monte Cassino 1880. Infine, dall'altro lato, sopra la croce, havvi la divisa dell'ordine Benedettino, consistente in questa parola: *Pax*, Pace.

II. — *Origine della Medaglia di S. Benedetto.*

Mentre viveva S. Benedetto ebbe una divozione grande alla Croce e se ne servì sovente per operare miracoli, e specialmente per respingere gli attacchi dello spirito maligno sia contro di sè come contro i suoi monaci. Un'antica tradizione ci dice che la Medaglia di S. Benedetto era già in uso nel 6° secolo. In ogni caso è certo ch'essa divenne popolarissima verso l'anno 1050, in seguito alla miracolosa guarigione d'un giovane che, spinto dalla sua fede ardente, toccò quella Medaglia. Questo giovane, chiamato Bruno, diventò benedettino e più tardi fu *Papa* col nome di Leone IX e poscia canonizzato.

III. — *Indulgenze annesse alla Medaglia di S. Benedetto.*

Le numerose grazie ottenute da molte persone che portarono con fede detta Medaglia e invocarono la protezione del santo, la resero preziosa ai Fedeli specialmente quando trattasi di preservarsi dalle epidemie, dall'avvelenamento, dalle tentazioni e dai pericoli di ogni specie. Ed è per questo che la Santa Sede l'arricchì di preziosi favori e d'Indulgenze speciali e più numerose che per le altre medaglie. Oltre le Indulgenze parziali, la Santa Sede accordò alla Medaglia le indulgenze plenarie seguenti:

1° *Indulgenza plenaria* in punto di morte.

2° *Indulgenza plenaria* nelle solennità di Natale, della Epifania, di Pasqua, dell'Ascensione, della Pentecoste, della Trinità, del Corpus Domini, dei Santi e di S. Benedetto (21 marzo), *a condizione che almeno una volta per settimana* compiansi le pratiche seguenti: recita del Rosario o dei Salmi penitenziali o del Breviario o dell'Uffizio della Santa Vergine o dell'Uffizio dei morti; visita ai prigionieri od ai malati negli ospedali; insegnare il catechismo ai fanciulli ed agli ignoranti; assistenza alla santa Messa o sua celebrazione.

3° Colui che nel Giovedì Santo o nel giorno di Pasqua adempie le condizioni ordinarie per guadagnare le Indulgenze plenarie, cioè ricevere degnamente i Sacramenti della Penitenza e dell'Eucaristia e pregare secondo le intenzioni del Papa, guadagna la stessa Indulgenza plenaria che è accordata in quei giorni alla Benedizione Papale data nella Basilica di S. Pietro in Roma.

4° Per privilegio, la Medaglia *giubilare* di S. Benedetto procura inoltre ai fedeli un'Indulgenza plenaria; *a)* una volta all'anno a scelta, per supplire un pellegrinaggio a Monte Cassino; *b)* per la festa di Santa Scolastica, il 10 febbraio; *c)* per la festa di S. Benedetto, il 21 marzo; *d)* il giorno della Porziuncola, il 2 agosto, *come noi già lo dicemmo più sopra*, tutte le volte in cui si adempiono le condizioni richieste dall'Indulgenza della Porziuncola; *e)* il 1° ottobre, anniversario della Basilica di Monte Cassino.

N. B. — Tutte queste Indulgenze sono applicabili alle anime del Purgatorio.

Con permissione ecclesiastica.

Wassan, il 15 giugno 1902.

† GIOVANNI FEDELE, Vescovo di Coira.

N. B. Preghiera d'indirizzarsi per le notizie, le liste di sottoscrizione e le Medaglie all'Istituto di Betlemme, a *Immensee* o alle diverse succursali.

Allegatum *B.*

Litterae Apostolicae quibus, recurrentibus saecularibus solemniis S. Benedicti Abbatis, eius Numismati novae sunt adnexae Indulgentiae.

PIVS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum centenaria solemnia in honorem Sancti Benedicti futuro anno MDCCCLXXX celebranda sint, et cum in Archicoenobio Montis Cassini nullius Dioecesis Provinciae Nostrae Romanae ab ipso Sancto Patriarcha fundato Hypogeum, ubi sepulchrum eiusdem Sancti Benedicti sororisque eius Scholasticae servatur, et Turris, in qua ipse Sanctus vivens habitavit, collata ex omnibus orbis partibus a Fidelibus pecunia, instaurentur; dilectus filius Nicolaus d'Orgemont Abbas Ordinarius Montis Cassini sacrum vetustissimum Numisma perpetuandae illorum sollemnium et pietatis Christifidelium memoriae salubri sane consilio recudendum curavit, idemque ut novis Indulgentiis ditare dignaremur enixis a Nobis precibus petivit. Quibus quidem precibus libenti animo obsecundare volentes, vestigiis Praedecessorum Nostrorum insistentes, in pignus specialis dilectionis Nostrae erga praedictum Archicoenobium, quod, ut verbis felicis recordationis Praedecessoris Nostri Benedicti XIII utamur « *diuturno Fundatoris sui usque ad obitum incolatu consecratum, et ab ipsa promulgatione Regulae miraculorum splendore, suique tandem sacri corporis deposito decoratum et Caput Ordinis constitutum magno semper in honore ac*

« *pretio apud omnes, praesertim apud Romanos Pontifices* « *Praedecessores Nostros habitum est* », de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui sacrum illud Numisma ab Abbate Ordinario pro tempore Montis Cassini, vel ab alio Presbytero, quem ipsi ad hoc delegare placuerit, traditum gestaverint ut praeter Indulgentias eidem Numismati a Sancta Sede iam impertitas, omnes et singulas tam plenarias quam partiales sacra loca supradicta, idest Basilicam Cathedralem Ecclesiam et Cryptam ac Turrim Sancti Benedicti visitantibus ab hac Sancta Sede concessas, dummodo quae ad eas consequendas iniuncta sunt pietatis opera rite in Domino praestiterint, et ubi orandum est, etiam preces pro peccatorum conversione effuderint, visitata qualibet Ecclesia aut Oratorio publico, libere ac licite lucrari possint et valeant, tenore praesentium, concedimus et elargimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub An. Piscatoris die XXXI Aug. MDCCCLXXVII Pontificatus Nostri anno XXXII.

Pro Domino Cardinali Asquinio
Dominicus Iacobini, *Substitutus.*

Concordat cum originali, quod in Tabulario Brevium Secretariae asservatur.

Romae, die 26 Ianuarii 1906.

L. ✠ S.

Petrus de Romanis, *Tabulario Praef.*

Ita est.

Nicolaus Marini, *Substitutus.*

Concordat cum authentico Exemplari.

Romae, ad S. Antonii, 31 Ian. 1906.

L. ✠ S.

Fr. Bonaventura Marrani, *Proc. Gen. O. F. M.*

Hinc, habita Congregatione praeparatoria die 12 Iulii 1906, in qua discussum est Consultoris Votum; die 7 Augusti 1906 Eminentissimi Patres controversias authentice resolverunt tribusque Dubiis in unum redactis sequens dederunt responsum die sequenti a Summo Pontifice confirmatum.

Decretum.

Declaratur Numismati Iubilari Sancti Benedicti adnexam non esse Indulgentiam Plenariam Portiunculae.

ORDINIS FRATRUM MINORUM SANCTI FRANCISCI.

Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequens dubium dirimendum exhibuit, nempe:

« Utrum Numisma Sancti Benedicti Iubilare, a sanctae « memoriae Pio Papa IX, per Litteras Apostolicas in forma « Brevis sub die 31 Augusti anni 1877 specialibus Indul- « gentiis ditatum, adnexam habeat Indulgentiam Portiun- « culae? »

Et Eminentissimi Patres ad Vaticanum in Generali Congregatione coadunati die 7 Augusti 1906 proposito dubio respondendum mandarunt:

« *Negative* ».

Quam resolutionem Eminentissimorum Patrum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 8 eiusdem mensis et anni, ratam habuit et confirmavit.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 8 Augusti 1906.

L. ✠ S.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

VIII.

Decernitur Religiosis votorum simplicium ad saeculum per dispensationem eorumdem votorum redeuntibus, non esse necessariam novam receptionem in eo Tertio Ordine, cuius regulam ante ingressum in Religionem fuerant professi.

DECRETUM.

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI.

Raphaël Delarbre, Ordinis Minorum Sancti Francisci, Minister Provincialis Aquitaniae in Gallia, sequentis dubii solutionem ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita humiliter postulavit, nempe:

« Utrum Religiosi votorum simplicium, qui ante ingres- « sum in Religionem ad habitum Tertii Ordinis saecularis « admissi fuerant, ad saeculum per solutionem a votis rite « redeuntes, nova indigeant receptione, ut Tertiarii haberi « possint et sint? »

Et Eminentissimi Patres in Congregatione Generali ad Vaticanas Aedes habita die 7 Augusti 1906 respondendum mandarunt:

« *Negative* ».

In Audientia autem diei 8 eiusdem mensis et anni Eminentissimorum Patrum sententiam, relatam ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, approbavit et confirmavit.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 8 Augusti 1906.

L. ✠ S.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IX.

Indulg. et privilegia conceduntur inserenda in novo summario Indulg. et Indultorum Ordinis Seraphici.

Beatissime Pater,

Frater Bonaventura Marrani, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum, se ad Sanctitatis Vestrae pedes humillime provolvit, et nomine etiam Reverendissimi Patris Ministri Generalis ac Definitorum, enixe petit sequentes in perpetuum valituras Indulgentias et gratias, in novo Summario Indulgentiarum et Indultorum, propediem approbationi Sedis Apostolicae exhibendo, inserendas, nempe:

A. *Indulgentiam Plenariam*:

1. Religiosis et Monialibus, etiam Tertii Ordinis Regularis, qui annum quinquagesimum suae Religionis confessi ac sacra Communione refecti celebraverint;

2. Iisdem Religiosis et Monialibus, primo ex uniuscuiusque mensis Sabbatis non impedito, in quo celebratur Missa votiva de Immaculata Conceptione vel Missa occurrentis Vigiliae, seu Festi, aut Octava eiusdem Beatae Virginis, iuxta Rubricas, dummodo dictum Sacrum devote celebraverint vel audierint et consueta opera peregerint;

3. Omnibus Fidelibus, qui Ecclesias Trium Ordinum Sancti Patris Francisci visitaverint in Festis *a)* Sanctissimi Nominis Iesu, *b)* Sanctissimi Corporis Christi, *c)* Sancti Benvenuti Auximani Episcopi et Confessoris I Ordinis, sub solitis conditionibus;

4. Omnibus Fidelibus, qui per tres saltem dies continuos Exercitiis spiritualibus per Religiosos eiusdem Ordinis datis interfuerint, et confessi ac sacra Synaxi refecti ad mentem Sanctitatis Vestrae oraverint.

B. *Indulgentiam Partialem*:

Omnibus Fidelibus, qui corde saltem contrito ac devote Ecclesias Trium Ordinum visitaverint:

1. *Decem annorum* in Festis Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimae Trinitatis, Corporis Christi, Sanctissimi Cordis Iesu; necnon Immaculatae Conceptionis, Purificationis, Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis et Nativitatis Beatae Mariae Virginis; item: Sancti Ioannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Sancti Patris Francisci, Sanctae Matris Clarae, et Omnium Sanctorum, tam totius Ecclesiae, quam Ordinis Fratrum Minorum; in Festis Titularium principalium cuiusque Ecclesiae Franciscanae, et in Anniversario consecrationis eiusdem Ecclesiae; ac demum tempore Expositionis Sanctissimi Sacramenti ad instar Quadraginta Horarum;

2. *Septem annorum* in aliis Festis Domini ac Deiparae, et in festis cuiusque Sancti vel Sanctae Ordinis Minorum;

3. *Trium annorum* singulis Dominicis per annum, aliisque festivis diebus, in quibus soleat applicari Missa *pro populo;*

4. *Trecentorum dierum* reliquis per annum diebus.

C. *Indulta seu Gratias.*

1. Ut Indulgentia Plenaria, Absolutioni Generali certis per annum diebus impertiendae Religiosis ac Monialibus eiusdem Ordinis adnexa, non solum pro Defunctis, ut Auctores tenent, sed etiam pro vivis applicari possit;

2. Ut Fratres Minores, qui Missiones ad populum habuerint, possint in eorumdem fine, servatis servandis, Crucem erigere eique adnectere Indulgentiam Plenariam pro die erectionis, Anniversario eiusdem erectionis et in Festis Inventionis et Exaltationis Sanctae Crucis, lucrandam a Fidelibus, qui confessi et sacra Synaxi refecti coram ea ad mentem Sanctitatis Vestrae oraverint, necnon partialem trecentorum dierum pro iis, qui coram ea corde saltem contrito ac devoto quinquies *Pater* et *Ave* cum *Gloria Patri* recitaverint;

3. Ut Praedicatores eiusdem Ordinis possint in fine Concionum Adventus et Quadragesimae solemniter habendarum, impertiri populo, servatis servandis, Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia Plenaria lucranda a Christifidelibus, qui confessi ac sacra Communione refecti eamdem Benedictionem acceperint, et ad mentem Sanctitatis Vestrae oraverint, dummodo quinque saltem Conciones praefatis temporibus a Praedicatoribus Ordinis habitas audierint;

4. Ut Religiosi eiusdem Ordinis Concionatores, qui facultatem habuerint, quatuor Sacra Scapularia sub unica formula benedicendi, eaque imponendi, benedictionem e suggestu peragere valeant, adhibita formula in numero plurali, praetermissaque impositione Scapularium (quae sibi quisque Fidelium imponet), necnon nominum inscriptione atque eorum ad respectivas Confraternitates transmissione.

Et Deus etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, in audientia habita die 22 Augusti 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 22 Augusti 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

X.

Circa recitationem Coronae Septem Gaudiorum.

Beatissime Pater,

Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum se ad Sanctitatis Tuae pedes humillime provolvit, enixe implorans in favorem Coronae Septem Gaudiorum, ut Fideles recitationi publicae eiusdem Coronae in Ecclesiis Trium Ordinum Sancti Patris Francisci adsistentes, atque aliis in recitatione ipsa sociati, Indulgentias lucrari valeant, quin Coronam materialem prae manibus teneant; itemque, ut quoties duo vel plures eamdem simul Coronam recitaverint, sufficiat recitationem moderanti Coronam materialem habere, caeteris vero, amotis occupationibus applicationem animi impedientibus, moderatori in recitatione sociari, prouti pro Rosario et Crucifixis Viae Crucis et signanter pro Corona Septem Dolorum Virginis a Sacra Congregatione Indulgentiarum die 8 Iunii 1898 indultum est, ne secus fideles Coronam non habentes tot Indulgentiarum thesauro saepius remaneant in recitatione expertes.

Et Deus etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, in Audientia habita die 12 Septembris 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces, caeteris servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Congregationis, die 12 Septembris 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

XI.

Indulg. plen. conceditur Christifidelibus Coronam Septem Gaudiorum in ipsorum Septem Gaudiorum festo vel per Octavam recitantibus.

Beatissime Pater,

Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum se ad Sanctitatis Vestrae pedes humillime provolvit, haec exponens: Per Apostolicas Litteras in forma Brevis sub die 15 Septembris 1905 editas, (1) in favorem Coronae Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis concessam novimus « Indulgentiam Plenariam iis, qui, Confessione expiati et « sacra Communione refecti, eamdem Coronam recitarint in « Festis cuiuscumque e Septem Gaudiis, atque in Festis « principalioribus Beatae Mariae Virginis vel per Octavam « utraque Festa subsequentem ». Cum vero per Decretum Sacrae Rituum Congregationis datum die 14 Martii 1906 Festum Septem Gaudiorum Beatae eiusdem Virginis Mariae, sub ritu duplici secundae classis, Dominica I post Octavam Assumptionis celebrandum, approbatum fuerit, humillimus Orator enixe Sanctitatem Vestram rogat, ut Indulgentiam Plenariam benigne concedere velit fidelibus, qui eamdem Coronam in Festo Septem Gaudiorum, confessi ac sacra Communione refecti, recitaverint, prout in Festo uniuscuiusque e Septem Gaudiis concessum fuit.

Et Deus etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, in Audientia habita die 12 Septembris 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 12 Septembris 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

XII.

Indulg. 300 d. conceditur christifidelibus recitantibus quasdam preces, dum Venerabile Eucharistiae Sacramentum in processione comitantur.

Si reciti un *Pater Ave* e *Gloria;* poi si dica per dieci volte: *Lodiamo ogni momento il SS. Sacramento*, e si risponda: *Ora e sempre sia lodato nostro Dio sacramentato;* quindi si ripeta il *Pater Ave* e *Gloria*, e così si seguiti finchè duri la processione.

Ex Audientia SS.mi, die 30 Iulii 1906.

SS.mus omnibus Christifidelibus Venerabile Eucharistiae Sacramentum in processione comitantibus, qui praefatum exercitium devote peregerint, indulgentiam tercentum dierum, Animabus etiam in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit. Contrariis quibuscumque minime obstantibus. In quorum etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae e Sec.ria eiusd. S. C. die 11 Aug. 1906.

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

XIII.

Indulg. 300 d. conceditur recitantibus precem in honorem S. Ritae a Cascia.

ORAZIONE A S. RITA DA CASCIA.

O gloriosa S. Rita, voi che foste prodigiosamente partecipe della dolorosa Passione di N. S. Gesù Cristo, ottenetemi di soffrire con rassegnazione le pene di questa vita, e proteggetemi in tutte le mie necessità.

Ex Audientia SS.mi, die 30 Iulii 1906.

SS.mus omnibus Christifidelibus qui praefatam precem devote recitaverint, tercentum dierum indulgentiam, semel in die lucrandam, animabus etiam in Purgatorio detentis, profuturam, benigne concessit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

In quorum fidem.

CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulg. Sacrisque Reliq. praepositae.

In quorum fidem, etc.

Datum Romae, ex Secr.ia eiusdem S. C., die 11 Aug. 1906.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

XIV.

Adhiberi possint, quoadusque expleantur, Numismata antiqua pro Piis Unionibus Filiarum Mariae.

Beatissimo Padre,

In merito al Decreto emesso dalla Sacra Congregazione delle Indulgenze in data 24 agosto 1897, (1) col quale è data facoltà ai Direttori locali delle Pie Unioni delle Figlie di Maria di benedire le sole Medaglie secondo il tipo approvato dal succitato Decreto, e ciò sotto pena di nullità delle Indulgenze, alcuni Parroci-Direttori della Diocesi di Milano, considerando: *a)* che molte Pie Unioni delle Figlie di Maria nella suddetta Diocesi sarebbero prive delle Indulgenze, perchè non posseggono la medaglia prescritta; *b)* che dovendo adesso mutarle importerebbe incomodo grave e sarebbe difficile per varie ragioni adottare tale provvedimento, supplicano, prostrati al bacio del S. Piede, che la S. V. si degni: 1º di accordare una sanatoria per quelle Pie Unioni che non hanno la medaglia prescritta; 2º di concedere che si possano continuare ad usare le medaglie non conformi al tipo prescritto, delle quali esiste ancora una provvista.

Che della grazia, ecc.

« S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, attento voto R.mi P. Abbatis Generalis Ord. Cano-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. XIII, p. 366.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 119.

nicorum Regul. Lateranensium, utendo facultatibus a S.mo D. N. P. PP. X sibi tributis, benigne annuit pro petita sanatione; quod vero attinet ad S. Numismata iam provisa, etsi iuxta typum praescriptum non sint cusa, eadem S. C. concedit facultatem illa benedicendi cum Indulgentiis a RR. PP. eisdem adnexis, quoadusque eadem S. Numismata expleantur, in posterum vero adamussim servetur Decretum sub die 24 Augusti 1897 editum. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

« Datum Romae, e Secret. eiusdem S. C., die 5 Septembris 1906.

L. ✠ S.

« A. Card. TRIPEPI, *Praef.* ».

E SACRA CONGREGATIONE PROPAGANDAE FIDEI

I.

Determinantur fines Vicariatus Apostolici apud Galla.

De animarum salute Apostolica Sedes sollicita, in Abyssinorum et Gallarum spirituale bonum variis temporibus plura constituit; ac in primis, quo facilius ad ovile Christi reverterentur, duobus religiosis Ordinibus, de Ecclesia optime meritis, eorum evangelizationis mandatum ac regimen, commisit.

Etenim Apostolicis litteris in forma Brevis, datis die 4 Maii anni 1846, quarum initium *Pastoralis muneris*, Vicariatus Apostolicus Gallarum erectus est, atque evangelicis curis Fratrum Capulatorum concreditus; insequenti vero anno Summus Pontifex Pius PP. IX f. r. supplicationibus S. Congregationis de Propaganda Fide adhaerens, voluit ut Iustino de Iacobis, e religiosis S. Vincentii a Paulo, « titulo et gradu Vicarii Apostolici universa committeretur « Abyssiniae regio, quam veluti missionariis praefectus iam « obtinebat ».

Cum autem tunc temporis certi fines utriusque Vicariatus haud statuti fuissent, accidit ut postremis hisce annis quaestio de ipsis limitibus orta sit, contendentibus tum Lazaristis, tum Fratribus Capulatis, civitatem vulgo dictam *Addis-Abeba* ad suum territorium pertinere.

Quibus ad S. Cong. de Propaganda Fide delatis, Eminentissimis Patribus in Generalibus Comitiis habitis primum die 6 Maii anni 1901, postea die 15 Iulii eiusdem anni, visum est quaestionem non statim dirimendam, sed rescribendum potius praefatis missionariis, « in votis esse S. Congrega« tionis, ut quaestio de bono et aequo inter eos compone« retur, et facta compositio Sanctae Sedis approbationi sub« iiceretur ».

Verum cum haec Emorum Patrum vota in irritum cessissent, fierique non potuisset, ut praedicti Vicarii Apostolici in unam cederent sententiam, huic S. Congregationi finem quaestioni imponere placuit.

Quare in generali Conventu diei 12 Martii 1906, rationibus hinc et inde allatis, ac rerum adiunctis mature perpensis, eadem S. Congregatio, periculo praesertim permota ne forte discessu Patrum Capulatorum a civitate Addis-Abeba, catholica religio iis in regionibus aliquid detrimenti caperet, decrevit fines utriusque Vicariatus sic esse regundos, ut eadem urbs Vicariatui Apostolico pro populi Galla, ipsis Fratribus Capulatis concredito, tribueretur.

Itaque huius Congregationis sententia, Vicariatus Apostolicus Abyssiniae ad occasum, aquilonem et orientem iis limitibus continetur, qui eum separant a Vicariatu Apostolico Africae Centralis (decretis latis die 15 Ianuarii et die 13 Septembris anni 1894) et a Praefectura Apostolica Erythraeae (decreto diei 13 Septembris anni 1894) usque ad occursum fluminis Awache, quod deinde orientales fines Vicariatus Abyssiniae constituit usque ad locum in quo in illud influit fluvius Kassam. Tandem ad meridiem idem Vicariatus circumscribitur a linea recta, quae procedens a confluente fluminum Awache et Kassam pergit ad confluentem amnis Sodoballé et fluminis Mougher, a cursu huius fluminis usque ad occursum finium occidentalium.

Quam E.morum Patrum sententiam SS.mus Dominus Noster Pius, divina providentia Papa X, in audientia ab infrascripto Secretario eiusdem S. Congregationis pro Negotiis Ritus Orientalis habita die 13 Martii 1906, in omnibus adprobavit ac confirmavit, praesensque Decretum edi iussit.

Datum Romae ex Aedibus eiusdem S. Congregationis, die 10 Septembris, anno 1906.

Fr. H. M. Card. GOTTI, *Praef.*

L. ✠ S.

HIERONYMUS ROLLERI, *Secret.*

II.

DECRETUM.

Vicariatus Aplicus Zanguebariae Meridionalis nuncupabitur Daressalamensis.

In Generalibus Comitiis huius S. Congregationis de Propaganda Fide habitis, die 23 superioris mensis Iulii, E.mi Patres precibus annuendum esse censuerunt R. P. D. Thomae Spreiter, Ordinis S. Benedicti Congregationis S. Odiliae ac Vicarii Apostolici Zanguebariae Meridionalis in Africa Orientali Germanica; ut nempe titulus praedicti Vicariatus mutaretur, et a civitate residentiae Vicarii, Daressalamensis Vicariatus Apostolicus nuncuparetur. Quam sententiam, ab infrascripto huius S. Congregationis Secretario SS. D. N. Pio Div. Prov. PP. X, in audientia diei 7 vertentis mensis relatam, Sanctitas Sua ratam habere et adprobare dignata est, ac praesens ea super re Decretum expediri mandavit.

Datum Romae, ex Aedibus S. huius Cong.nis, die 10 Augusti 1906.

Fr. H. M. Card. GOTTI, *Praef.*

L. ✠ S.

ALOISIUS VECCIA, *Secret.*

III.

DECRETUM.

Decreto Laudis cohonestatur Institutum Sororum Franciscalium Missionariarum ab Imm. Conceptione.

Praeclarissimi operis conversionis exterarum gentium adiumento iam ab anno 1873 ortum habuit Institutum Sororum Franciscalium Missionariarum ab Immaculata Conceptione, et paucos post annos Domum principem in hac alma Urbe constituit. Cum autem, Dei favente gratia, uberes fructus ediderit atque apud varias regiones domicilium fixerit, Suprema Moderatrix ab hoc Sacro Consilio rei christianae dilatandae praeposito, Instituti approbationem efflagitavit. Re itaque pro more delata examini Commissionis pro revisendis regulis novorum Institutorum a Sacra Congregatione dependentium, cui praeest Eminentissimus Vir Franciscus Cardinalis Satolli, eadem Commissio, attentis praesertim Litteris commendatitiis Ordinariorum, qui de istarum Religiosarum Sororum zelo testantur, statuit praememoratum Institutum Laudis Decreto esse cohonestandum.

Summus vero Pontifex Pius divina providentia Papa X in Audientia ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario habita hodierna die sententiam praelaudatae Commissionis in omnibus adprobavit, praesensque ad id Decretum edi mandavit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 23 Iulii anno 1906.

Fr. H. M. Card. GOTTI, *Praef.*

L. ✠ S.

A. VECCIA, *Secret.*

E SECRETARIA STATUS

I.

Speciales conceduntur facultates presbyteris, cappellanis, nec non caeteris personis servitio addictis Societatis Hispanicae pro Navigatione Transatlantica.

Beatissime Pater,

Claudius Lopez Brù, Marchio de Comillas, Praeses Societatis Hispanicae pro Navigatione Transatlantica, ad pedes S. V. humiliter provolutus implorat prorogationem (1) et quamdam necessariam ampliationem nonnullarum facultatum ipsi Societati iam pridem ad decennium concessarum, nempe:

I) — *Pro eiusdem societatis presbyteris cappellanis.*

1) Celebrandi per mare Missam, cum adsistentia tamen, si fieri possit, alterius sacerdotis superpelliceo induti, dummodo mare sit tranquillum et nullum adsit periculum irreverentiae; facta etiam potestate iis qui Missae adstiterint accedendi ad Sacram Synaxim.

2) Celebrandi item per mare Missam, cum potestate admittendi fideles ibi adstantes ad Sacram Communionem, etiam in adimplementum praecepti Paschalis, Feria V in Coena Domini.

(1) Cfr. *Anal. Eccles.*, vol. X, pag. 126.

3) Administrandi pueris Sacramentum Baptismatis, *non tamen solemniter*, cauto semper obligationi dandi quamprimum baptizati parentum parocho collati Baptismatis testimonium.

4) Administrandi infirmis Sacramentum Extremae Unctionis, atque etiam Communionis in forma Viatici, statim post Missam, cum particula in eodem Missae Sacrificio consecrata, ac servatis servandis.

5) Impertiendi iis qui in navi fuerint in articulo mortis constituti, Apostolicam Benedictionem cum Indulgentia Plenaria, dummodo iidem vere poenitentes, confessi ac Sacra Communione refecti, vel si id nequiverint, saltem contriti, ore si potuerint, sin minus corde SS. Nomen Iesu invocaverint, iuxta formam in Ecclesia consuetam.

6) Benedicendi coronas precatorias, cruces, parvas statuas et sacra numismata eisque applicandi Indulgentias quae continentur in elencho a S. C. de Propaganda Fide typis edito.

7) Concionandi atque sacras fidelium confessiones in navibus excipiendi, dummodo sacerdotes a proprio Ordinario ad confessiones sint approbati; et quoad confessionem mulierum, dummodo opportuna adhibeatur craticula.

8) Utendi omnium praedictarum facultatum non tantum per mare ac durante itinere, sed etiam dum naves in portu vel in sicco adsunt prout aliquando contingit.

II. — *Pro cappellanis, viatoribus ac vectoribus necnon caeteris omnibus navium servitio addictis vel inibi quomodocumque adstantibus.*

1) Vescendi carnibus, ovis ac lacticiniis singulis anni diebus etiam ieiunio consecratis, facta quoque exemptione a lege ieiunii, et adiecta facultate permiscendi carnes cum piscibus.

2) Lucrandi Indulgentiam Plenariam Benedictioni Apostolicae adnexam in articulo mortis, etiam si naufragio vel alia quavis causa sacerdos absens fuerit; dummodo vere poenitentes et contriti ore si potuerint, sin minus corde SS. Nomen Iesu invocaverint.

3) Adimplendi in navi praeceptum Communionis Paschalis, si diebus Paschatis iter agere eis contigerit; et pro vectoribus aliisque navium servitio addictis, etiam si naves praedicto tempore firmae in statione steterint.

4) Peragendi Sacramentalem Confessionem apud quemcumque Sacerdotem saecularem vel Regularem, dummodo a proprio Ordinario ad confessiones sit approbatus.

5) Satisfaciendi praecepto in diebus festis pro iis omnibus qui in navi Missam audiunt, quamvis non in Cappella fixa, sed in altare portatili Sacrum celebretur. Et Deus, etc.

Ex Audientia SS.mi die 20 Martii anno 1906.

Beatissimus Pater benigne excipiens preces quae supra scriptae sunt, a clarissimo Marchione de Comillas oblatas, omnes ac singulas gratias quae iisdem precibus implorantur, concedere dignatus est *ad decennium*, ea non excepta quae est de permiscendis, in comestionibus quadragesimalis temporis, carnibus cum piscibus: qua tamen posteriore gratia uti non licebit sextis feriis quadragesimae aliisque diebus, quibus abstinere ab eadem permixtione iubetur exercitus Hispaniae.

Datum a Secretaria Status die, mense et anno supradictis.

L. ✠ S. Card. MERRY DEL VAL.

II.

Ad reverendissimum Magistrum Ordinis Praed. epistola, qua edicuntur statuta pro Universitate Manilensi.

Dalla Segreteria di Stato, li 4 aprile 1906.

La Santità di Nostro Signore, volendo dare alla Provincia del SS. Rosario dei PP. Predicatori un nuovo attestato di benevolenza, e mirando insieme alla maggiore stabilità delle opere da essa con tanto zelo e frutto sostenute, si è degnata dichiarare, concedere e prescrivere quanto segue:

I. Per ricevere i gradi accademici in teologia e diritto canonico, gli alunni mandati dai Vescovi suffraganei dovranno non solamente frequentare i corsi scolastici della Università di S. Tommaso di Manila, sotto pena di inabilità per ottenere i detti gradi, ma dovranno inoltre convivere completamente separati dalle persone secolari, come alunni interni nella stessa Università, nel modo e con la disciplina propria di un vero Seminario esclusivamente per chierici. Gli alunni della diocesi di Manila potranno convivere o nella Università o nel Seminario diocesano di Manila, a giudizio dell'Arcivescovo, frequentando però le scuole dell'Università per essere canonicamente abili a conseguire i gradi accademici.

II. La pensione da pagarsi dai singoli chierici convittori sarà determinata dal Rettore, d'accordo coi R.mi Ordinarii.

III. Resta generalmente proibito ai convittori chierici il passare le piccole o le grandi vacanze fuori dell'Università o della casa di villeggiatura della stessa Università.

Le dispense saranno rare, concesse con causa sufficiente e previa la licenza del rispettivo Ordinario.

IV. Il licenziamento dei chierici convittori, per causa di incapacità intellettuale o morale o per indegnità, è lasciato alla coscienza e prudenza del Rettore e suo Consiglio, il quale dovrà avvisare il rispettivo Ordinario, indicando le cause del licenziamento fatto o da farsi.

V. Le iscrizioni o matricole dei chierici studenti nell'Università e gli studi stessi cogli esami annui o di fine di anno accademico, come anche di grado inferiore, saranno completamente gratuiti. Per i soli gradi di Licenza e di Dottorato saranno pagati i diritti stabiliti o da stabilirsi, salvo nel Rettore col suo Consiglio la facoltà di dispensare in parte o in tutto dalle tasse i Licenziati o Dottori che, per speciali motivi, si giudicheranno meritevoli di benigna condonazione.

VI. L'amministrazione dei beni del chiamato Collegio di S. Giuseppe di Manila, da trent'anni affidata alla Università e fino ad oggi retta dalla benemerita direzione della stessa Università, rimane confermata e invariata come per il passato, e colla stessa destinazione, salvo sempre nei Padri Domenicani l'obbligo di sottostare alla ispezione e patronato dell'Ordinario di Manila.

Tanto si partecipa al Rev.mo P. Ministro Generale dei Frati Predicatori per sua intelligenza e norma.

R. Card. Merry del Val.

R.mo P. M. Giacinto Maria Cormier
Maestro Gen. dei Frati Predicatori.

E SACRA CONGREGATIONE SUPER NEG. ECCL. EXTR.

Curiae Arch. Coloniensi datur facultas cognoscendi in 2ª instantia, causas iudicatas in 1ª instantia in Curia Hildesiensi.

Ex Audientia SS.mi, die 11 Septembris 1906.

SS.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. X, referente me infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Subsecretario, consulere cupiens faciliori et promptiori agnitioni ecclesiasticarum iudicialium controversiarum dioeceseos Hildesiensis, ad preces eiusdem dioeceseos Antistitis, et habito voto E.mi ac R.mi Cardinalis Archiepiscopi Coloniensis, ipsi E.mo Cardinali Archiepiscopo facultates ad septennium tribuit necessarias et opportunas, ut, ex delegata Sedis Apostolicae auctoritate, cognoscere possit in secunda instantia et iudicare tum matrimoniales tum alias fori ecclesiastici causas, quae in prima instantia ab Episcopo Hildesiensi, vel, sede vacante, a Vicario Capitulari eiusdem dioeceseos iudicatae fuerint, quaeque usque hodie in eadem instantia a Sede Apostolica cognoscebantur et iudicabantur, servata, quoad matrimoniales causas, constitutione Benedicti Pp. XIV quae incipit « *Dei miseratione* »; eaque in primis lege, ut in singulis actis expressa fiat mentio huius specialis Sedis Apostolicae delegationis, et quoad omnes praedictas causas servatis caeteris, quae Iure canonico praescripta sunt. Super quibus idem SS.mus Dominus hoc edi Decretum et in acta superius memoratae S. Congregationis referri mandavit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C., die, mense et anno ut supra.

L. ✠ S.

Humbertus Benigni, *Subsecr.*

E VICARIATU URBIS

I.

Praescriptiones observandae a religiosis Institutis Piarum Foeminarum in Urbe.

Alle RR. MM. Superiore
degli Istituti religiosi femminili di Roma.

Il sottoscritto Cardinale Vicario di Sua Santità, allo scopo di prevenire inconvenienti che potrebbero facilmente verificarsi con grave pregiudizio degl'Istituti religiosi femminili di Roma, inculca l'esatta osservanza delle seguenti disposizioni:

1° Gl'Istituti religiosi femminili destinati all'insegnamento non apriranno in Roma nuove Scuole e nuovi Asili, senza averne ottenuto il permesso della Commissione Pontificia delle Scuole, per mezzo del Deputato Ecclesiastico del Monastero.

2° Le RR. MM. Superiore non si rivolgeranno a Mae-

stre secolari per essere aiutate nell'insegnamento, senza il permesso del Deputato Ecclesiastico, al quale spetta assumere precedentemente le necessarie informazioni.

3° Non dovranno le Suore, siano esse professe o novizie o probande, frequentare le scuole pubbliche. Nei casi speciali ritenuti di assoluta necessità il sottoscritto Cardinale Vicario si riserva di esaminarli accuratamente, per decidere se si debba dare o negare il permesso richiesto. Tale proibizione si estende anche alle Educande che dipendono dalle Religiose. Si eccettuano i Pensionati istituiti esclusivamente per signorine che frequentano le scuole anzidette, per i quali verranno date norme speciali.

4° Non si riceveranno donne che bramino di vivere ritirate in una Casa religiosa, senza il permesso in iscritto del Deputato Ecclesiastico, il quale esaminerà le singole domande, per giudicare se siano degne di essere prese in considerazione, e non concederà la licenza, senza prima avere assunte da fonti sicure le necessarie informazioni. Trattandosi di Monasteri di stretta clausura, si dovrà chiedere la licenza alla Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari.

5° Le RR. MM. Superiore non manderanno le Suore alle pubbliche botteghe a fare le spese giornaliere per la cucina, ma dovranno servirsi per questo ufficio di probe persone secolari.

6° Si ammoniscono severamente le Superiore di non permettere che le Suore vadano abusivamente sole per le vie di Roma, specialmente nelle ore di notte.

7° Non è permessa la questua in Roma, senza averne ottenuta la licenza in iscritto per mezzo del Deputato Ecclesiastico. Le singole domande saranno diligentemente esaminate, e quando sarà il caso di concedere la chiesta licenza, si daranno insieme norme opportune per rimuovere il pericolo di deplorevoli inconvenienti.

Per l'esatta osservanza di queste disposizioni, confida il sottoscritto nello zelo delle RR. MM. Superiore, sopra le quali e sulle Comunità da loro dirette invoca di tutto cuore le più elette benedizioni del Signore.

Dal Vicariato, 17 agosto 1906.

PIETRO, CARD. VICARIO.

FRANCESCO Can. FABERI, *Segretario.*

II.

De Associatione quae sub titulo « *Sacerdotalis Eucharistici Foederis* » pro quotidiana SS. Eucharistiae sumptione erecta est in ecclesia S Claudii de Urbe (1).

I. — Decretum erectionis.

Petrus Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum S. R. E. Presb. Cardinalis Respighi, SS.mi D.ni Nostri Papae Vicarius Generalis, Romanae Curiae eiusque districtus Iudex Ordinarius, etc.

Piam Sacerdotum Sodalitatem quae inscribitur « Lega Sacerdotale Eucaristica », cuius finis est fideles ad quotidianum vel frequentem usum SS.mae Eucharistiae inducere, iuxta mentem Decreti S. C. Conc. die 20 Decembris 1905, (2) quod incipit *Sacra Tridentina Synodus*, Nos auctoritate Nostra ordinaria rite et legitime in Venerabili ecclesia S. Claudii de Urbe penes Congr. Presbyterorum SS.mi Sacramenti erigimus et canonice erectam esse edicimus. Leges vero seu Constitutiones eiusdem Sodalitatis, quinque articulis conscriptas, triennali experimento probandas esse declaramus.

Datum Romae, ex Aed. Vicariatus, die 27 Iulii 1906.

PETRUS RESPIGHI, *Card. Vic.*

L. ✠ S. FRANCISCUS Can. FABERI, *Secr.*

II. — Statutum.

CAPUT I. — Societas Sacerdotum titulo « Eucharistici Sacerdotalis Foederis » Romae ad S. Claudii instituta.

CAPUT II. — Constans et assidua propagatio pii usus frequentis et quotidianae Communionis iuxta Decretum Sacrae Congregationis Tridentinae Synodi interpretationi propositae « de quotidiana SS.mae Eucharistiae sumptione » die XX Decembris mensis, anno MDCCCCV editum, Foederi finis esto.

CAPUT III. — Sacerdotes omnes, queis usum frequentis et quotidianae communionis provehere in christianum populum consilium est, foedus ineant.

CAPUT IV. — Propositum Foederi finem ut nanciscantur sodales, precibus, verbo, ac typis editis scriptis pro viribus in frugiferi operis apostolatum intendant; nec praetermittant ad frequentem et quotidianam Synaxim, iteratis hortationibus excitare gentes, libros et opuscula ad hoc diribentes in vulgus.

CAPUT V. — Sacerdotibus inscriptis, quo facilius proposita obtineant, brevis « Instructio » tradatur. Foederis fastorum index, et si ephemeris, quae cura Patrum Congregationis SS.mi Sacramenti, titulo « Annalium Sacerdotum adoratorum » diversis edita linguis, singulis mensibus prodit.

III. — Instructiones

ai Membri della Lega Sacerdotale Eucaristica per la propagazione del pio uso della Comunione quotidiana.

« I Parroci, i Confessori ed i Predicatori, giusta l'approvato insegnamento del Catechismo Romano (Part. II, n. 60) esortino con frequenti ammonizioni e con molto impegno il popolo cristiano a questa pratica sì pia e salutare » (Decreto *Sacra Tridentina Synodus*, 20 dic. 1905).

I. I Parroci e i Curati, ricevuti membri della Lega, si metteranno subito all'opera per spiegare al popolo *che cosa sia* l'Eucaristia, *quando, come, con quanto amore e per quali fini fu istituita* da N. S. G. C., e *quali ne siano gli effetti*, considerata come Sacrifizio, come Presenza reale perpetua fra noi e sopratutto come cibo delle anime.

II. Poichè molti stanno lungi dalla frequenza all'eucaristica mensa per *certi pregiudizi* e per *certi vani timori*, i sacerdoti ascritti a questa Lega non si contenteranno di rilevare i vantaggi grandi della Comunione quotidiana, ma si studieranno ancora con molto zelo di sbandire dal popolo *questi pregiudizi* stessi e *questi vani timori*, persuadendolo pienamente che per comunicarsi *lecitamente* ogni giorno nulla si richiede di più di quello che si richiede per comunicarsi *lecitamente* ogni settimana, ogni mese, ed ogni anno, e cioè *solo lo stato di grazia e la retta intenzione*, quantunque sia convenientissimo che coloro che usano la Comunione frequente e quotidiana *siano scevri anche da peccati veniali, almeno pienamente deliberati, e dal loro affetto.* (Decreto citato).

(1) Vide supra p. 372. Breve quo Associatio in Primariam erecta fuit. *N. D.*

(2) Conf. *Anal. Eccl.* Vol. XIV, p. 61

III. A questo fine si adopreranno che gli opuscoli, i quali, in conformità del sunnominato Decreto facilitano la Comunione quotidiana, abbiano in mezzo al popolo la più larga diffusione.

IV. Di più, avviseranno ripetutamente il popolo, che se in alcuni libri divoti, siano pure scritti da Autori Santi, troverà richiedersi per comunicarsi lecitamente ogni giorno altre disposizioni oltre le due sole richieste dal sunnominato decreto, non ne prendano turbamento alcuno, facendogli conoscere come tali autori scrissero tali libri quando la questione circa le disposizioni per comunicarsi tutti i giorni non era ancora stata risoluta dalla Santa Sede, mediante il Decreto sunnominato.

V. Non essendo poi possibile propagare largamente il pio uso della Comunione quotidiana, ove prima non si propaghi pur quello di andare ogni giorno a Messa, esorteranno caldamente e ripetutamente il popolo all'assistenza quotidiana all'incruento sacrifizio, sempre più abbondantemente facendogliene conoscere la preziosità, l'eccellenza e la necessità, ed istruendolo intorno al modo pratico di assistervi come si conviene.

VI. A questo fine procureranno di diffondere largamente l'eccellente opuscolo di S. Leonardo da Porto Maurizio, opuscolo intitolato: « Il tesoro nascosto della Santa Messa ».

VII. Perchè poi il popolo accorra ad assistervi più numeroso, i Parroci ed i Curati attenderanno di suonare la campana, possibilmente alla distesa, e di celebrare la S. Messa a costo anche di qualche sacrifizio, nell'ora più opportuna per il popolo, avuto riguardo alle stagioni ed alle occupazioni del medesimo.

VIII. Per conseguire più facilmente poi il fine della propagazione sempre maggiore della Comunione quotidiana nelle loro Parrocchie, i Parroci, appena se ne presenterà loro opportuna occasione, procureranno che vi sia dato, o per se stessi, o per mezzo di un zelante Predicatore, almeno tre giorni di spirituali esercizi.

IX. Questo triduo poi potrebbe essere regolato così: Nella meditazione ed istruzione del primo giorno, il Predicatore tratterà della malizia, degli effetti e dei castighi del peccato mortale, e della condizione veramente miserevole dei poveri peccatori, esortandoli vivamente a tornare a Dio.

Nella meditazione ed istruzione del secondo giorno, egli tratterà della grande misericordia di N. S. G. C. specialmente nella istituzione della Confessione sacramentale, mostrandone la necessità per chiunque è consapevole di peccato mortale, ed istruendo il popolo circa le condizioni necessarie perchè sia fatta bene, tutti inducendo a lavarsi nel sangue di Gesù per mezzo della sacramentale assoluzione.

Finalmente la meditazione ed istruzione del terzo giorno verseranno intorno alla divinissima Eucaristia, sviscerandone l'argomento secondo che è detto all'articolo I.

X. Terminato il Triduo, la mattina di poi, possibilmente di giorno festivo, il Predicatore, prendendo occasione dalla Comunione Generale, che certamente riuscirà numerosissima, con infiammato fervorino esorterà il popolo a far sì che questa Comunione Generale non sia di un sol giorno, ma più o meno numerosa, secondo le occupazioni del popolo stesso, si ripeta in tutti i giorni dell'anno, e specialmente la Domenica e le altre feste, quando vi è l'obbligo di andare a Messa.

XI. Il giorno stesso della Comunione Generale, nelle ore pomeridiane, dopo l'ultima predica, esposto il SSmo Sacramento, verrà recitata dal Parroco la preghiera per la propagazione del pio uso della Comunione quotidiana, e, distribuitane una copia ai fedeli convenuti, raccomanderà loro che ogni giorno la recitino dopo la SS. Comunione ed anche in famiglia dopo il santo Rosario.

XII. I Parroci, essendo così già avviato nelle loro parrocchie l'uso della quotidiana Comunione, procureranno di sempre più caldeggiarla col rivolgere spesso, spessissimo, al popolo convenuto alla Santa Messa, brevissime ma infuocate parole, invitando gli astanti a partecipare alla Vittima divina. — Si terranno pronti al confessionale a disposizione dei penitenti. Esorteranno quelli che sono disposti, ad accostarsi alla Comunione; e faranno tutto quello che è in loro potere per eccitare le buone disposizioni in quelli che ne difettassero.

XIII. In modo poi specialissimo accenderanno il vivo desiderio della Comunione quotidiana nei cuori vergini e scevri di *vani timori* dei fanciulletti e fanciullette, quando li preparano alla prima Comunione, avendo ogni cura che la facciano appena ne sono capaci, e poi la frequentino possibilmente ogni giorno.

XIV. Gli ascritti a questa Lega procureranno di far conoscere questa Lega stessa ai loro confratelli, esortandoli a darvi il loro nome.

XV. Finalmente perchè questa Lega sia perenne e duratura e sempre più divenga numerosa, sarà caldeggiata da un Periodico destinato ai membri della Lega e diretto dai Padri della Congregazione del SS. Sacramento.

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

XLIX. **Die sabbati 2 Decembris 1679.**

CARNOTEN. — Absolutionis. — R. *Concedendum ad cautelam.*

BELLUNEN. seu BRIXINONEN. — Dispensationis. — R. *Exhibeatur indultum et audiantur Nuntii et Episcopus.*

FULGINATEN. — Emphyteusis. — R. *Vicarius informet an maior pars bonorum territorii sit emphyteutica.*

ASCULANA. — Quartae funeralis. — *Ad primum, Negative. Ad secundum, Dilata.*

SPOLETANA. — Funeris. — R. *Ad primum, licuisse in casu proposito. Ad secundum, ad Ecclesiam regularem deberi totam, salvis iuribus Parochi.*

URBINATEN. — Regaliarum. — R. *Affirmative.*

CONSENTINA. — Synodi. — R. *Ad primum, aboleatur. Ad secundum, ut ad proximum. Ad tertium, serventur ordinationes S. Officii. Ad quartum, approbandum quoad primam partem, quoad poenam impositam Parochis aboleatur. Ad quintum, dilata. Ad sextum, aboleatur. Ad septimum et octavum, serventur Decreta S. Congregationis Episcoporum.*

MONTISFALISCI. — Iurispatronatus. — R. *Partes deducant sua iura formiter.*

171. **Asculana. — Quartae funeralis.**

Conquerentibus Fratribus reformatis, quod Capitulum Cathedralis per vim extorqueret quartam ex intortitiis funerum, quae ad ipsorum Ecclesiam ducuntur, Episcopus respondit ita consuetudinem obtinuisse, ut Capitulo non solum a DD. Fratribus, sed etiam ab aliis Regularibus quarta solvatur. Ac tali occasione praeterea addit, quod Clero non sine scandalo denegatur ingressus Ecclesiae. E contra vero datur fides a pluribus civibus subscripta, quod Conventus DD. Fratrum fuit constructus anno 1622 quodque Regularibus reclamantibus, Canonici per vim detrahunt unum ex quatuor intortitiis, quibus cadavera associantur; supplicatur itaque decerni:

1. An ex funeribus, quae ducuntur ad Ecclesiam DD. Fratrum debeatur quarta Capitulo?

2. An Clerus excludi possit, quominus in associatione cadaverum Ecclesiam DD. Fratrum ingrediatur?

R. *Ad primum, negative. Ad secundum, dilata.*

172. **Spoletana. — Funeris.**

Supponitur, quod Canonicus Cathedralis in extremis constitutus dixisset sepeliri velle in Ecclesia Heremi sita in summitate montis ad secundum lapidem a civitate, et est Fratrum Reformatorum S. Francisci. Haeredes pro familiae nobilitate, sumptuosum funus decreverunt, sed attenta Ecclesiolae praefatae incapacitate, Cathedralem elegerunt, ut peractis ibi piis caeremoniis, cadaver cum quatuor intortitiis ad D. Ecclesiolam deferretur. Delato igitur noctu ad Cathedralem cadavere, sequenti die illo exposito in praealto tabulato ornato stegmatibus Ecclesiae ac paramentis, accensisque triginta octo intortitiis, cum utriusque Cleri interventu exequiae peragebantur, quando advenientes Reformati impedire praetenderunt. Verum inita pactione, quod cerae deponerentur usque ad Sacrae Congregationis determinationem, acquieverunt. Nunc itaque concorditer quaeritur:

1. An licuerit haeredibus defuncti Canonici funerale celebrari facere in Cathedrali, attenta praesertim Ecclesiolae electae angustia, ac distantia?

2. An dictis Regularibus debeatur alia cera, quam quatuor intortitia consignata cum cadavere in dicta Ecclesiola deinde sepulto?

R. *Ad primum, licuisse in casu proposito. Ad secundum, Ad Ecclesiam Regularem deberi totum, salvis iuribus Parochiae.*

173. **Urbinaten. — Regaliarum.**

Canonicus Alexander Fidelis abfuturus in Officio Vicarii Generalis Episcopi Licensis, obtinuit sequens indultum in forma solita: Sacra Congregatio Concilii benigne indulsit, ut Orator ex causa praemissa per annum proximum tantum abesse possit a residentia sui Canonicatus, et interim omnes illius fructus percipere, amissis distributionibus quotidianis. Quod si redditus omnes ipsis distributionibus constent, vel si praebenda tertiam distributionum partem non attingat, duas ex tribus partibus distributionum, vel praebendae, ac distributionum insimul cumulatarum respective percipiat, amissa tertia parte, quae inservientibus accrescat.

Redditus autem Canonicatus sunt in duplici differentia; alii quidem dantur pro horis Canonicis ad ratam servitii, et istae sunt verae distributiones. Alii sunt, et dicuntur regaliae, et consistunt in laudemiis, et recognitionibus affictuariorum, seu emphiteutarum consistentibus in pipionibus, pullis, agnis, caseo, ovis et similibus.

Ex redditibus primi generis, Capitulum duas ex tribus partibus libere concedit. Secundi autem generis negat. Pullos quidem, et pipiones ratione constitutionum capitularium, in quibus sub titulo de distributione quotidiana ita legitur: « Sed pulli, pipionesque dierum, quandocumque haberi poterunt servientibus tantum, ac praesentibus tribuantur».

Laudemia vero, et reliqua negat, ratione consuetudinis, qua introductum dicitur, quod aliis Canonicis, qui similia indulta obtinuerunt, nequaquam data fuerint.

Sed quidquid sit, Canonicus Fidelis considerari petit, quod vel istae regaliae sunt distributiones, et debentur iuxta secundam Decreti partem, vel sunt praebenda, et intrat postrema Decreti pars, dum non attingunt tertiam partem distributionum. Quibus motivis hinc inde auditis per Archiepiscopum et cum litteris responsivis ad Sacram Congregationem transmissis, quaeritur:

An dictus Canonicus particeps fieri debeat de DD. regaliis, ac de distributionibus, dimissa tertia parte totius, regaliarum scilicet et distributionum?

R. *Affirmative.*

174. Consentina. — Synodi.

Archiepiscopus Consentinus, in Synodo Dioecesana inter caetera, infrascripta Decreta promulgavit, videlicet:

Cap. 1, tit. de Baptismo, n. 6, fol. 16.

1. Parochi fides baptismorum nemini dent absque nostra licentia gratis largienda in scriptis obtenta sub eadem poena ad nostrum arbitrium. Pluries enim contingit in nostra Dioecesi delinquentem, qui minor aetate ex aspectu reputabatur morte damnatum fuisse fide baptismi ad hunc finem extorta a Parocho, ac saepius etiam fit ut prima tonsura indigni, atque a nobis reprobati, habita a Parocho fide baptismi alienos Episcopos adeant, ut ad Ordines promoveantur.

Cap. 7, tit. de Poenit., n. 8, fol. 20.

2. Confessarius quivis, nemine excepto, qui in confessione, vel ante confessionem, aut intra triennium post confessionem cum poenitente, sive foeminei, sive masculini sexus (quod Deus avertat) rem turpem habuerit, vel qualemcumque mortiferam culpam, ad luxuriam spectantem commiserit, etiam si poenitentis cum qua, vel quo peccavit confessionem semel suscepisset, si saecularis sit, excommunicationem latae sententiae cuius absolutionem nobis reservamus incurrat; si vero Regularis, ab audiendis confessionibus, sit ipso facto suspensus, nec alias idoneus habeatur, quamvis a nobis admissi ab eo eiusmodi criminis ignaris facultatem iterum obtineat.

Cap. 11, de Matrimonio, n. 3, fol. 46.

3. Antequam Parochus sponsos in facie Ecclesiae matrimonio coniunxerit, haec sibi noverit esse facienda. Primo, denunciationes trinas, praevia licentia nostrae Curiae gratis concedenda, praemittat in tribus diebus dominicis, vel festivis inter Missarum solemnia, nulla nequidem ulla praetermissa, absque nostra licentia; quibus praemissis, volumus in civitate explorandum esse consensum sponsae per deputatum a nobis cum interventu Cancellarii nostrae Curiae, qui ipsius sponsae examen in acta referat. Extra vero, a proprio Parocho, iuxta instructionem alias a nobis traditam; denique explorati consensus, ac denunciationum attestationibus ad nos transmissis, constare debebit in Curia per constitutum sponsi, et examen duorum aliorum testium in forma legitima de statu libero utriusque sponsi, vel quatuor, si non fuerint sponsi eiusdem patriae, et loci, ac post haec liberum erit Parochis celebrare matrimonium, praecedente tamen iterum licentia, seu Decreto nostrae Curiae, quod gratis concedetur.

Cap. 11, n. 12, fol. 50.

4. Poenas a praedecessoribus nostris, alias impositas pro accessu, ingressu, et cohabitatione sponsorum ante matrimonium coram Parocho, et testibus celebratum, ad poenam librarum decem cerae albae piis usibus applicandarum, tantum redigimus, quam omnino exigi, et in pios usus, ut supra converti praecipimus. Parochi si non denuncient talem accessum sive ingressum, suspensionem ipso facto incurrant, declarantes tamen quod non intendimus prohibere accessum illum, qui a sponso publice fit cum sanguine coniunctis ad salutandam sponsam, et ad tangendam tantum illius manum, ut vulgo dicitur.

Cap. 16, de Exequiis, n. 16, fol. 77.

5. Societas mortis, Confraternitates aliae, et Cappellanus hospitalis nostrae civitatis, imposterum mortuos non sepeliant, nisi consulto proprio Parocho. Idque sub poena excommunicationis latae sententiae, respective Praefecti et confratrum dictae Societatis, et aliarum Confraternitatum, et sub poena suspensionis ipso facto aliaque ad nostrum arbitrium, respectu praefati Cappellani.

Cap. 22, tit. de Benefic. Eccles., n. 20.

6. Qui de aliquo beneficio Ecclesiastico in nostra civitate, vel dioecesi existente a Sancta Sede, eiusque Summo Pontifice, aut ab alio conferendi ius habente provisus fuerit, Litteras Apostolicas, sive collatitias, ante illarum executionem in nostra Curia exhibere tenentur sub poena excommunicationis latae sententiae nobis reservatae, ut quae in DD. Litteris continentur comprobari possint, et cognosci, num preces veritati nitantur, cum pluries fraudem factam fuisse reperimus ab impetrantibus beneficia, tum extenuando valorem fructuum, tum tacendo alia beneficia, quae possident, tum maxime non aperiendo causas ob quas beneficiorum sunt incapaces.

Cap. 12, de Monial., n. 22, fol. 151.

7. Subsidium vitalitium unicuique moniali quotannis praestandum a parentibus, aliisve coniunctis, servetur in arca depositorum cuiusque Monasterii, illudque monialis expendet ad vestes comparandas aliosque proprios religiosos usus, praevia tamen Abbatissae licentia, toties quoties ea uti opus fuerit. Ex redditibus proinde Monasterii prohibetur Abbatissae aliquid erogare monialibus ad praedictum usum, seu pro vestiario, sed redditus omnes in quotidianum monialibus, educandis et conversis cibum subministrandum et in alios Monasterii necessarios usus expendere debeat, idque a Sacro Concilio pro Monasteriis huius civitatis et Dioecesis specialiter praescriptum omnino servari mandamus ab Abbatissi, praesentibus et futuris, sub poena ad nostrum arbitrium. Non enim par est, ut monialis, quae pingui, vel sufficienti fruitur subsidio, pecuniam etiam singulis quibusque annis ad titulum vestiarii et strenae extorqueat ab Abbatissa, quae initio administrationis suae, ut quotidianum monialibus victum suppeditet aes alienum contrahere cogitur, deficientibus in dies Monasterii redditibus.

Et infra, n. 87.

8. Ad tollendam pravam consuetudinem, quae diu viguit magno cum Monasteriorum incommodo, ac regularis disciplinae detrimento, nempe quod puellae educandae singulae per se unaquaeque privatim proprio sumptu cibum sumeret, et Monasterio annuos 25 aureos solveret pro habitatione, ex peculiari Decreto ac mandato Sacri Concilii praecipimus, quod puellae educandae cibum sumant in communi cum aliis monialibus et quod praedicti annui quadraginta nummi aurei pro earum habitatione et victu quotidiano assignati, solvantur Monasterio et Abbatissae, quae illas alat, prout caeteras moniales in refectorio.

Adversus praeinserta capita reclamat civitas, et Clerus. Quid pro, quid contra faciendum, partes monitae ad informandum deducent, iisque auditis, EE. VV., quod magis in Domino expediet decernere non gravabuntur.

R. *Ad primum, Aboleatur. Ad secundum, Ut ad proximum. Ad tertium, Serventur ordinationes S. Officii. Ad quartum, Approbandum quoad primam partem, quoad poenam impositam Parochis, aboleatur. Ad quintum, Dilata. Ad sextum, Aboleatur. Ad septimum et octavum, Serventur Decreta S. Congregationis Episcoporum.*

ANALECTA VARIA

De iure parochorum quoad missam funeralem.

Inter parochialia iura recensetur etiam ius ad emolumenta in " iustis funerum persolvendis, quaeque idcirco funeralia, seu potius funeraria dicuntur " (CARD. D'ANNIBALE, *Summula Theologiae Moralis, Editio II, Tom. III, num. 175).*

Quamvis plura sint relate ad hoc ius, quae in plano sunt et ab omnibus DD. admittuntur, quaedam tamen remanent, in quibus aliquando praesertim in praxi discrepantiae exsurgunt.

Omissis aliis discrepantiis, hic sistimus tantummodo in casu, quo Missa funeralis celebretur, postquam super cadavere exsequiae, absque Missa, celebratae sunt, et quaerimus, an ius aliquod competat parocho circa hanc Missam funeralem.

Antequam ad quaestionis solutionem veniamus, iuverit solvere quaestionem praeiudicialem; an sc. Missa in exsequiis necessario sit celebranda, posset enim quis obiicere, si Missa non est obligatoria, quomodo institui potest quaestio de iure super re ad quam ponendam nulla est obligatio?

DE HERDT (*S. Liturgiae Praxis, Editio 4., tom. III, p. 6, Rituale num. 231*) quaestionem instituit: " an Missa exsequialis in die depositionis celebrari debet? " et respondit: " Affirmative. Sic praescribit Rituale Romanum ".

Sic etiam ALBERTI (*de Sepultura ecclesiastica deque iure funeris — Romae 1901, n. 69*) scribit: " Missa exsequialis dicitur illa quae (sive adhibitis sive non adhibitis ministris) canitur pro defunctis cum paramentis nigris. Circa hanc Missam sequentia sunt notanda. Haec Missa est praeceptiva in defunctorum sepultura, nam Rituale Romanum statuit: quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri potest, retineatur ut Missa praesente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur. Missa praesente corpore non omittatur ".

Nobis tamen haud videntur verba RITUALIS ROMANI, quibus citati Auctores nituntur, continere strictam obligationem.

Et sane priora verba, quae leguntur in *tit. VI, cap. I, de Exsequiis, num. 4*, propter incisum, " *quantum fieri potest* " non videntur importare praeceptum stricte sumptum; posteriora vero, scil. " *Missa praesente cadavere non omittatur* " si inspiciatur universus contextus, neque ipsa continent praeceptum stricte sumptum. Sic enim legitur *eodem titulo cap. 3, Exsequiarum Ordo*, num. 19: " *Missa* vero, si hora fuerit congruens, ritu pro defunctis, ut in die obitus, *praesente corpore, non omittatur*, nisi obstet magna diei solemnitas, aut aliqua necessitas aliter suadeat ", ubi incisa, *si hora fuerit congruens* et alia in fine *aut aliqua necessitas aliter suadeat* ostendunt hic agi saltem de obligatione cui facile quis se subtrahere potest, ac proinde non agi de praecepto stricte sumpto. Praeterea, si inspiciatur contextus numerorum antecedentium sc. 16, 17, 18, in his statuitur quaedam graduatio inter ea quae in exsequiis facile omitti possunt ob quamcumque causam; sc. si dici nequit integrum officium defunctorum, dicatur saltem primum nocturnum cum laudibus, *num. 16;* si vero neque hoc dici potest, aliae preces et suffragia non omittantur, *num. 18;* et tandem sc., *num. 19*, statuitur *Missa vero... non omittatur.* Quae proinde verba non sunt sumenda modo absoluto, sed modo quodam comparativo, ita ut inter ea quae omitti possunt ultimo loco sit Missa, quae etiam omitti potest, si hora non fuerit congruens aut aliqua necessitas obstet.

Quae quidem interpetratio confirmatur auctoritate Ephemeridum MONITORE ECCLESIASTICO, quae (*Vol. XVII, pag. 434*) scribunt: " La Messa esequiale, quando se ne chiede la celebrazione, spetta al Parroco. Può anche farsene a meno, questa non essendo parte necessaria del funere. Così si raccoglie dal Rituale Romano il quale dice solo conveniente il S. Sacrifizio. Così pure dalla S. Congregazione dei Riti, 13 Maii 1879, n. 3494 ".

Ceterum solutio huius quaestionis indifferens nobis videtur ad solutionem quaestionis principalioris. Etenim etiam in sententia eorum qui tenent, haud exsistere strictum praeceptum celebrationis Missae in defunctorum exsequiis, posito quod Missa celebretur, eo ipso Missa pars fit exsequiarum, ad quarum emolumenta, ex omnium sententia, proprius defuncti parochus ius habet vel in totum vel saltem quoad *quartam.* Unica differentia inter utramque sententiam in eo est, quod in sententia eorum qui sunt pro praecepto, ius parochi est absolutum, dum in aliorum sententia est tantummodo hypotheticum.

Quare quaestio principalis eo tandem nunc reducitur; an hoc ius parochorum ad Missae emolumentum, in hypothesi quod haec Missa celebretur, protrahatur etiam postquam cadaver sepultum est.

Ad quaestionis solutionem in primis prae oculis haberi debet *Decretum Generale* Sacrorum Rituum Congregationis sub die 9 Decemb. 1891 (*Decreta Authentica Congr. SS. RR. num. 3755*) ubi statuitur: " II. Quod si ex civili vetito aut morbo contagioso, aut *alia gravi causa*, cadaver in Ecclesia praesens esse nequeat, imo etsi iam terrae mandatum fuerit, praefata Missa (in die et pro

die obitus, praesente cadavere) celebrari quoque poterit in altero ex immediate sequentibus duobus ab obitu diebus, eodem prorsus modo ac si cadaver esset praesens. III. Denique eadem Missa celebrari poterit pro prima tantum vice post obitum vel eius acceptum a locis dissitis nuntium, die quae prima occurrat, non impedita a Festo duplici primae et secundae classis vel a Festo de praecepto; quo etiam in casu Missa dicenda erit ut in die obitus„.

Quod principium confirmatum etiam fuit ab eadem Sacra Congregatione in *Calaguritana et Calceaten.* 13 Feb. 1892 (Decreta Authentic. SS. RR., n. 3767) ubi ad „ Dubium XXVI. Quibusnam diebus permittitur Missa de Requie insepulto cadavere, sed absente ob civile vetitum vel ob morbum contagiosum? „ respondetur: „ Cadaver absens ob civile vetitum vel morbum contagiosum, non solum insepultum, sed et humatum dummodo non ultra biduum ab obitu, censeri potest ac si esset physice praesens ita ut Missa exsequialis in casu cantari licite valeat quoties praesente cadavere permittitur „.

Cum ergo extra dubium sit, proprio parocho competere ius ad emolumenta pro Missa exsequiali praesente cadavere, hoc ius protrahitur etiam ad tempus quo cadaver uti praesens, saltem moraliter, haberi debet.

Quid nunc dicendum est de tempore sequenti, an sc. parochus hoc ius retineat etiam post biduum ab obitu, semper in hypothesi, quod Missa antea celebrata non fuerit.

Uti patet, huiusmodi quaestio nequit solvi a priori sed ex iuris dispositionibus, ex iurisprudentia, atque etiam ex DD. auctoritate, quorum sententia constituit doctrinalem legum interpretationem. Atqui tam iuris dispositio, quam iurisprudentia, et DD. graviorum auctoritas affirmativae sententiae favent.

Et sane habetur in primis Constitutio Benedicti XIII quae incipit *Romanus Pontifex* quarto Kalendas Maii anno 1725, ubi statuitur: „ Quod si funus non fieret in die tumulationis *sed ad diversam diem, vel ad aliud longius tempus* differetur, parocho nihilominus assignatur quarta pars omnium intorticiorum „.

Huic dispositioni concordant duae decisiones S. Congregationis Concilii. Sic in *una Mediolanen. Quarta funeraria, 9 Septemb. 1730*, ubi ad dubium II: „ An et quomodo sit facienda divisio candelarum..., quae in ecclesiis tumulantibus accenduntur occasione officiorum seu exsequiarum faciendarum in diebus sequentibus post tumulationem cadaveris? „ et responsum fuit: „ Ad... secundum... divisionem esse faciendam pro medietate „.

Et in una *Firmana, 18 Iulii 1744*, ad Dubium: „ An liceat parochis civitatis Firmi occasione tumulationis cadaverum in Ecclesia Patrum de Observantia exigere cereum seu intorticium tam in die funeris, quam in diebus sequentibus et in die anniversaria in casu „, Sacra Congregatio respondit: „ *Affirmative quoad diem funeris et duos sequentes.* Quo vero ad anniversarium corroborentur probationes „. In relatione autem ex officio facta sequentia leguntur: „ Iuris esse ut quarta pars parocho debeatur emolumentorum omnium quae ad Ecclesiam, in qua corpus sepelitur, pervenerunt, sive antequam terrae tumulum inferatur sive post et ad trigesimum usque diem, et quamdiu memoria habetur defuncti „.

DD. antiquiores referunt etiam decisionem S. C. EE. et RR. die 3 augusti 1621; quae, ut refert Barbosa (infra citandus), censuit deberi quartam parocho ex funeralibus *secundo loco* factis.

His Iuris dispositionibus ac decisionibus SS. CC. accedit auctoritas graviorum DD. tum antiquiorum tum recentiorum.

Barbosa (*De officio et potestate parochi... part. III, Cap. 24, num. 38*) ita scribit: „ Funeralia dicuntur quae ratione sepulturae obveniunt... et quaecumque occasione funerum ad Ecclesiam perveniunt... Item et ea quae cum funere portantur... sive antequam corpus sit in terra conditum, sive post, et usque ad trigesimum diem et quamdiu fiat memoria de funere, Caldarin., *Cons. 4, de Sepult.*, ubi in casu quod propter pestem non potuit die obitus solemniter tumulari... ubi in casu quo exequiae post diem funeris fuerunt factae cum maxima pompa Sylvester... Zambarel, *in Clem*, dudum... ubi refert opinionem aliquorum qui cum funus dicatur a funibus, quibus mortui ligari consueverunt, et postquam mortuus terrae est conditus, funes amplius loc m non habeant, putant funeralia non dici, nisi quamdiu corpus est in funibus extra terram, sed, inquit, desipit qui sic sapit, nec insistendum est in hoc scientiae grammaticorum... Dic ergo melius quod sive ante corpus reconditum terrae, sive postea obveniant occasione funeris dicuntur funeralia et debetur canonica..... „

„ Ex his forsan patet resolutio ad quaestionem praeteritis temporibus ventilatam, utrum si parocho in die funeris data sit sola candelarum et facum quarta, et deinde sequenti die solemniori pompa, magno scilicet adhibito religiosorum, confraternitatum et presbyterorum numero in alia Ecclesia, ubi mortuus sepulturae mandatus fuerat externa die, pro eius anima solemnis Missa cantetur cum distributione candelarum, et intorticiorum in maiori quantitate diei praecedentis, debeatur ex his quoque parocho quarta? in qua controversia S. Congregatio negotiis Episcoporum et Regularium praeposita, semel et iterum Patribus hinc inde auditis die 3 Augusti 1621, nemine discrepante, censuit deberi quartam parocho ex funeralibus *secundo loco* factis „.

Antonelli (*De Iuribus clericorum, lib. 1, p. 5, cap. 61, n. 6*): „ notandum tertio quod quarta funeralis debetur parocho non solum de cereis.... accensis in die funeris circa cadaver, sed etiam

ex funeralibus sequentium dierum post funus, ut resolvit S. C. EE. RR., 3 Aug. 1621 „.

Ursaya (*Disceptationes ecclesiasticae, tom. 1, p. 1. discept. X*): “ Sub qua (quarta funerali).... venit totum id quod occasione funeris tam ante quam post cadaveris tumulationem ab haeredibus defunctorum praestatur... „ et paulo ante sub numero 33, “ probato ex his quod integra quarta funeralis et per consequens omnia emolumenta funeris debeantur..... emolumentorum nomine veniunt nedum omnia illa quae ecclesiae veniunt ratione ipsius funeris sive antequam corpus sit in terra reconditum sive post et usque ad 30 dies dummodo in memoriam funebrem illa tendunt, ut firmavit Rota „.

Leurenius (*Forum beneficiale p. 1, sect. III, cap. 2*): “ Quaest. 455. Unde solvenda portio canonica. Resp. de omnibus quae ecclesiae.... ratione et occasione funeris sive sepulturae obveniunt.... quae deferuntur seu portantur cum funere, tempore quo funus seu exsequiae celebrantur... sive obveniant antequam corpus in terra condatur, sive post usque ad trigesimum diem.... v. gr. dum ex causa pluribus diebus post tumulationem fiunt exsequiae cum pompa „.

Et nostris temporibus, Card. d'Annibale (*Summula Theologiae Moralis. Ed. III, tom. II, n. 177, in nota 92*): “ Quod si funus non ipsa depositionis die, sed qua alia fiat, *etsi diu post*, parocho nihilominus debebitur quarta pars omnium intorticiorum et candelarum quae circa cenotaphium, et in altaribus eiusdem Ecclesiae accensa fuerint (*Benedictus XIII, Romanus Pontifex*). Et si postera die aliud funus solemniori pompa peragatur, huius quoque canonica portio parocho (S. C. EE. 3 Augusti 1862; *Acta S. Sedis*, V, 604) ab Ecclesia debetur; primo quia debetur de obventionibus omnibus funeralibus (Clem. 2, § *Per 7 de Sepult.*), unde quarta funeralium dicitur (Trid. XXIV, R. 13): deinde ne secus fraus legi et parochis fiat. Ex C. 4, *de Sepult.* „.

Et adhuc recentius. Many (*de Locis sacris tit. IV cap. VI num. 204*): “ Si funus non die tumulationis, sed alia fiat (licet die tumulationis non desint minores exsequiae), quarta funeralis de huius etiam funeris emolumentis solvi debet, quia sunt vere emolumenta funeraria, et ne fraus parochis fiat, ita etiam declaravit Benedictus XIII Const. *Romanus Pontifex* „.

Ex hac expositione legislationis et iurisprudentiae ecclesiasticae nec non sententiarum graviorum Canonistarum tum antiquorum tum recentiorum, facile est concludere, ius parochorum ad missam funeralem extendi etiam ad tempus, postquam cadaver amplius praesens non est sive physice sive etiam moraliter, si antea celebrata non fuit.

Quamdiu autem hoc ius perduret difficile est determinare mathematice. Uti vidimus, Leurenius et Ursaya hoc tempus extendunt usque ad 30 dies; sed alii illud indeterminatum relinquunt; sic d'Annibale, Many atque ipse Benedictus XIII in Const. *Romanus Pontifex*, ubi legitur “ quod si funus non fieret in die tumulationis sed *ad diversam diem* vel ☞ *ad aliud longius tempus* ☜ differetur „.

In hac materia plurimum attendendae sunt leges atque consuetudines locales; et generatim dici potest missam funeralem, ad cuius emolumentum ius habet proprius defuncti parochus, esse primam missam funebrem quam haeredes aut propinqui celebrare faciunt pro anima defuncti, quaeque ex ipsa fidelium opinione habetur ut pars exsequiarum, ita ut quidquid fiat ne parochus sua emolumenta obtineat, uti fraus legi et parochis, sicut scribit Card. d'Annibale, habendum sit.

Nimium tamen differre hanc Missae celebrationem esset contra spiritum Ecclesiae et in damnum animae defuncti. Quare, ad vitandas etiam controversias, opportunum erit per legem dioecesanam limites temporis determinare.

Restat nunc solvenda difficultas quae ex Decreto S. RR. Congr. *Ordinis Minoris Conventualium* die 13 Maii 1879 (Decreta Authentica *sub n. 3494*) desumi potest.

En tenor Decreti: “ Hodiernus Superior Conventus S. Antonii Patavini Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium Bruxellis exposuit, quod plures fideles, praesertim pauperes, non habentes unde solvere valeant, iuxta suum statum, stipendium nimis onerosum Missae exsequialis in Ecclesia parochiali, in ea celebrare faciunt tantum funeralia sine Missa: postea vero, ne defuncti anima privetur augustissimi Missae sacrificii solatio, Missam de Requie celebrare faciunt in aliena Ecclesia, praesertim apud Regulares.

“ Cum vero praefata Missa de Requie in aliena Ecclesia post aliquot dies a sepultura defuncti cantata locum tenere videatur exsequialis, cuius celebrandi ius soli Parocho competit, quamvis revera non sit nisi Missa de tertia, septima vel trigesima die a depositione, vel votiva, dubitatur an huiusmodi Missam celebrare liceat in aliena Ecclesia. Hinc ille insequentia dubia enodanda Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum:

“ *Dubium I.* An liceat in aliena Ecclesia et apud Regulares cantare Missam de Requie, quam fideles celebrare petunt pro propinquis vel amicis defunctis, postquam funeralia in Ecclesia parochiali persoluta fuerunt, etiamsi Missa exsequialis in Ecclesia parochiali non celebretur?

“ *Dubium II.* An in casu ad praefatam Missam convocari vel invitari possint propinqui et amici per litteras, sicuti mos est in faciendis exsequiis?

“ *Dubium III.* An liceat in aliena Ecclesia pro defuncto cantare Missam de Festo vel de Feria, etiam si Missa exsequialis pro eodem non celebretur in Ecclesia parochiali?

“ Sacra itaque Congregatio, audito voto in

scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Secretarii, propositis dubiis sic rescribendum censuit: *Ad I.* " Affirmative, servatis tamen Rubricarum Regulis ". *Ad II.* " Nihil obstare ". *Ad III.* " Licere ". Atque ita rescripsit. Die 13 Maii 1879 ".

Certe, hoc Decretum primo aspectu aliquam facere videtur difficultatem; at si intimius consideratur, non ita est.

Et sane *a*) in primis hic non agitur de Missa stricte exsequiali; sed agitur de Missa, prout legitur in precibus: " *post aliquot dies a sepultura defuncti cantata* " et quae: " *revera non sit nisi Missa de tertia, septima vel trigesima die* "; iam vero etiam DD. qui favent iuri parochorum, hoc ius non extendunt ad Missas de die tertia etc.; sic Card. D'Annibale post ea quae superius citavimus subdit: " Porro non nemo ex recentioribus docet parocho quartam deberi *etiam* ex his quae deferuntur die 3ª, 7ª et 30ª; sed nullo Auctore, nullo iure et a iuribus supra recensitis alienum videtur ". (Cfr. tamen quae supra citavimus ex resolutionibus S. Congregationis Concilii atque ex DD. auctoritate); *b*) agitur de Missa, quae *non in fraudem iurium parochorum* celebratur, sed ex quadam necessitate, scilicet de Missa quam celebrare faciunt, uti in precibus exponitur, " plures fideles, praesertim pauperes, non habentes unde solvere valeant, iuxta suum statum, *stipendium nimis onerosum* Missae exsequialis in Ecclesia parochiali, etc. "; *c*) agitur de Missa quam generatim, " fideles celebrare petunt pro propinquis vel *amicis* defunctis ", non ergo agitur solum de Missa quae pars sit funeralium, ad quae defuncti haeredes tenentur; *d*) demum, quod potissimum est, Sacra Rituum Congregatio dubium resolvit sub respectu praesertim liturgico, quin curet de emolumentis, quae revera sub competentia sunt praesertim S. Congregationis Concilii. Quare haec eadem Sacra Rituum Congregatio in Decreto *Constantien.* 24 Iulii 1638 noluit resolvere quaestionem de emolumentis, inculcando solum observantiam iuris communis. En tenor Decreti prout refertur in Decreta Authentica *S. Rituum Congr. sub num. 649:* " Fratres Minores Conventuales supplicarunt declarari in arbitrio esse haeredum exsequias facere die 3, 7 et 30 pro defunctis ubicumque voluerint, non obstante contradictione parochorum praetendentium medietatem eleemosynae, quae elargitur occasione dictarum exsequiarum, non aliter quam si dictae exsequiae fierent in eorum propriis Ecclesiis. Et S. R. C. remisit ad Ordinarium qui faciat observare ius commune, cum parochi non possint praetendere nisi ius funerale, quando eligitur alibi sepultura, die 24 Iulii 1638 ".

Ceterum sustinendo parochorum iura, non ideo intendimus approbare taxas funerarias nimis graves, siquae in aliqua dioecesi exsistunt, praesertim his temporibus, quibus etiam Municipia sua iura reclamant in fidelium sepultura; multoque minus intendimus approbare agendi modum illorum parochorum qui nimis dure sua iura prosequuntur; quinimo parochos quammaxime in Domino rogamus ut faciliores erga suos fideles in huiusmodi tristi circumstantia sese exhibeant, ne secus ansa detur abusibus et quod peius est occasio praebeatur celebrandi funera mere civilia cum aversione populi á clero.

Benedictus Melata.

ROMANAE INSTITUTIONES

Casus Conscientiae propositi et soluti Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli, A. 1905-906.

III.

De usu passivo Sacramentorum a quo excommunicati arceantur.

Die 8 Ianuarii 1906, hora 15 1/4 (3 1/4 pom.).

Berta puella romana, spe matrimonii illecta, perverso iuveni semel et iterum, matris vigilantiam eludens, sui corporis copiam facit. Vix autem animadvertit, se exinde praegnantem effectam esse, ut infamiam certo secuturam evitet, ex eiusdem iuvenis suasione et per suggesta ab eo media, abortum efficaciter sibi procurat.

Adveniente paschali tempore Berta una cum matre, prout in more habebant, ad ecclesiam parochialem accedit, et confessario praeter alia etiam procuratum a se abortum confitetur. Statim reponit confessarius, hoc crimen puniri excommunicatione Episcopis reservata, in quam proinde ipse facultate caret. Frustra instat Berta, se communionem omittere nullatenus posse, ne infamiam certissimam penes matrem incurrat, eo vel magis, quod haec iam in aliquam suspicionem patrati abortus devenerat: confessarius enim in eadem sententia persistit, cum nemo dare possit quod non habet. Interrogat Berta, an saltem in tanta casus urgentia possit sibi providere per contritionem charitate perfectam; sed neque hoc confessarius permittit, eo quod, ut ipse ait, excommunicatione ligatus nequit sacramenta recipere, nisi prius eiusdem vinculo solvatur.

Quaeritur:

1° *An excommunicati sive vitandi, sive tolerati a susceptione, seu usu passivo sacramentorum arcendi sint?*

2° *An et quotuplici ex causa confessarius potuisset Bertam absolvere, etiam a peccato procurati abortus?*

3° *An Bertae, etsi excommunicationis vinculo obstrictae, licuisset, praevio actu perfectae contritionis, ad communionem accedere?*

Resp. Ad 1um. Cl. D'Annibale ed. 4ª. P. 1. n. 360. inquit: « Excommunicatus arcetur a sacramentis, excepta Poenitentia, a qua nec vitandus arcetur ». Simplex et brevis ista propositio quoad Poenitentiae exceptionem vera non est, in sua universalitate.

Nam excommunicatus privatur communione Ecclesiae, quae maxime per Sacramentorum participationem habetur. Unde « excommunicatus est privatus *omnibus sacramentis* ». Ita Suarez de Censuris D. 10. l. 3. n. 16. Et Busembaum apud S. Alph. l. 7. n. 158. ait: « Nullus excommunicatus sive toleratus, sive non, potest ea (sacramenta) *licite* reci-

pere sub mortali, » ea sacramenta, nempe *omnia, non excepta Poenitentia.* Secus vero *omnino* erronea dicenda esset vel *omnino* inutilis formula Absolutionis, in qua absolutioni a peccatis absolutio praemittitur a censuris., Hinc in Instr. S. C. de P. F. ad Vicar. Ap. Cocinc. Aug. 1827, Enchir. Mor. n. 809., dicitur: « *Neminem Ecclesiae communione gaudentem* a tribunali Poenitentiae repellendum esse ».

Iamvero, si excommunicatus sit vitandus, per se loquendo, a sacramentis simpliciter arcendus est, tum quia est publice peccator et indignus, tum quia est excommunicatus vitandus. Si vero excommunicatus sit toleratus, publice a sacramentis arceri non potest, potest tamen et debet occulte, quia indignus et excommunicatus.

Casus tamen excipitur a praedicta privatione usus passivi Sacramentorum, eorumque denegatione tum pro excommunicato tolerato tum pro excommunicato vitando, nempe « nisi excuset ignorantia invincibilis, metus mortis, infamiae, iacturae bonorum etc., quia censurae non obligant cum tanto rigore », Busembaum, loc. cit., seclusa irreverentia in Sacramentum, secluso contemptu censurae, S. Alph., loc. cit. Scilicet casus excipitur ignorantiae, et gravis damni sive spiritualis sive temporalis, omni secluso scandalo. Atque haec exceptio, ut patet, generalis est, et non tantum pro Sacramento Poenitentiae.

Hinc, in particulari, ad Poenitentiae Sacramentum quod attinet, ex sufficiente aliqua causa excusante, excommunicatus sive toleratus sive vitandus illud *valide* et *licite* recipere potest.

Causa excusans ergo esse potest *primo* ignorantia invincibilis. « Ratio est, quia Ecclesia non irritat Sacramentum Poenitentiae, neque ex parte Ministri, auferendo illi potestatem, cum censura afficiat solum censuratum; neque ex parte Poenitentis, cum hoc nullibi habeatur sancitum; neque Ecclesia sancire posset, dum Ecclesia nequit directe inhabiles reddere ad Sacramentum eos, qui ex iure divino habiles sunt ». S. Alph. l. 7. n. 159.

« Per excommunicationem nihil tollitur, quod sit de substantia sacramenti. Ergo si ex parte suscipientium non intervenit aliud impedimentum sola censura non potest irritare Sacramentum.... Non deest iurisdictio; nam per excommunicationem (excommunicatus) privatur iurisdictione activa in alios, non tamen subiectione passiva ad alios sibi superiores, seu, quod idem est, alii non privantur iurisdictione in ipsum, alioquin non tam ipsorum excommunicatorum, quam ipsius Confessoris esset talis poena ». Suarez de Censuris, D. 10. S. 3. n. 11.

Et La-Croix, l. 6. P. 2. n. 1568., ait: « Caj., Navar., Suar. et 40 apud Card. cum Sporer, Aversa, Lugo, Arr., Dian. dicunt valide absolvi (excommunicatum bona fide accedentem ad Sacramentum Poenitentiae), quod Dic. docet etiam de excommunicato non tolerato, quia praesumi non debet Ecclesiam sustulisse eam iurisdictionem (omnium Confessariorum), cum id nullibi dicatur, neque esset ad bonum fidelium, qui non recordantes excommunicationis possent tota vita suscipere *Sacramenta*, et tamen nunquam accipere gratiam, quod de pietate Ecclesiae praesumi non potest ». Cf. etiam La-Croix, l. 7. n. 200.

Altera causa excusans grave aliquod et proportionatum damnum est sive spirituale sive temporale. « Certum est, ait La-Croix, l. 6. P. 2. n. 1569., in casu urgentissimae necessitatis, v. g. ad vitandam gravem infamiam, scandalum, periculum mortis, posse excommunicatum excommunicatione etiam reservata suscipere *Sacramentum Poenitentiae*, immo et *Eucharistiae.* Nam Rubrica Missalis dicit excommunicatum prius sub Missa recordantem illius posse pergere, si sine infamia vel scandalo non possit abstinere; nam Ecclesiae prohibitio non obligat, quando est moralis necessitas hoc faciendi, et moralis impossibilitas non faciendi, qualis tum est ». Ita etiam S. Alph., l. 6., n. 265. *Quaer. 3.*, et communiter Theologi. Et in hanc communem doctrinam convenit etiam D'Annibale, l. c. in notis 3. et 5. Etenim quasi corrigens textum ait excommunicatum a Poenitentia non arceri, « si in letali versatur, et ei diu Confessario carendum foret ». Ac, « quia legum humanarum, nulla est obligatio cum incommodo gravi, non prohibetur *toleratus*, qui impedimento vel brevi laborat, in gravi necessitate recipere sacramenta, puta Eucharistiam, Poenitentiam, v. g. urgente scandalo vel nota infamiae, vel si superior longius absit ».

Verum altera haec causa excusans, nempe gravis damni, urgente scandalo vel infamia, subeundi, pro excommunicato tolerato utique locum habere potest, sed non regulariter pro excommunicato vitando, ut per se patet, cum scandalum e contra regulariter adesset, si ad Sacramenta admitteretur.

Cum autem in articulo mortis nulla sit reservatio ex Conc. Trid., si excommunicatus, etiam vitandus, sit rite dispositus, scandalum reparet et parti laesae, quantum potest, satisfaciat, bene poterit tunc Ecclesiae Sacramenta recipere.

Et hic *tertius* exceptionis casus est.

Observandum denique est, quoad primam causam excusantem, ad Sacramenta admitti non posse excommunicatos haereticos vel schismaticos, licet bona fide exsistant. Inde enim sequeretur falsa opinio circa exclusivam veritatem et necessitatem fidei catholicae. Hinc proposito dubio: « An aliquando absolvi possint haeretici materiales, qui in bona fide versantur », responsum fuit: « Cum scandalum vitari nequeat, Negative; praeter mortis articulum; et tunc, efficaciter remoto scandalo ». Cf. Collect. S. C. de P. F., n. 479.

Resp. Ad 2um. Praemittendum in primis est Bertam vere incurrisse excommunicationem Episcopis reservatam per C. *Apostolicae Sedis* Pii IX. de Censuris, si nempe Berta excommunicationem non ignoravit. Sunt quidem doctores, qui ab huiusmodi excommunicatione eximunt ipsam mulierem praegnantem. Sed huiusmodi exceptio nullo pacto in ipsa lege fundatur; imo ab ipsa evidenter excluditur. Excommunicantur enim praedicta Const., secundum quam censurae in praesenti sunt iudicandae: « Procurantes abortum effectu secuto ». Num mulier ipsa praegnans non est *procurans abortum*, si abortum efficaciter in se ipsa procuret? Et sane si ex B. *Effraenatam* Sixti V. ab excommunicatione excluditur mulier ipsa praegnans, quae in se abortum procurat, hoc ideo est, quia « excommunicatio illa non fertur generaliter in omnes procurantes abortum », Lugo Resp. Moral., l. 2. D. 4. n. 4. Si vero mulier ipsa praegnans abortum in se procurans excommunicationem incurrit, ab ea incurrenda eam non excusat infamia vitanda. Nam regulariter abortus procurandi haec causa est, vel aliud grave damnum vitandum. Adeoque si legislator voluit revera comprehendere in ea censura ipsam mulierem praegnantem in se abortum procurantem, praedictum incommodum infamiae vel alterius gravis damni vitandi, quasi delicto illi intrinsecum vel certe ordinarie illud concomitans a censura incurrenda non excusat. Insuper, ut coniicit Lugo, Sixtus V. ideo excommunicationem non extendit ad praedictam mulierem, quia ei compassus est ratione infamiae, et aliorum graviorum malorum, quae mulier timet, et a se avertere conatur. Praesens e contra legislator hanc infamiae causam non tanti fecit, nempe ut efficaciter mulierem, pro qua maius est huius nefandi criminis periculum, a tanto delicto averteret. Berta igitur, si excommunicationem non ignoret, et ex ignorantia non excusetur, infamiae timore excusari non potest.

Hisce praesuppositis, patet quod si confessarius oppositam teneret sententiam, quod nempe mulier ipsa praegnans in se producens abortum excommunicationem non incurrit, Bertam quidem ex hoc absolvere posset. Sed praedicta sententia satis revera probabilis non est; adeoque ex hoc capite Bertam tuto non posset absolvere. — Eam vero certo posset absolvere *a peccatis* et *a censuris*, quia Romae confessarii omnes absolvere possunt a casibus ex iure Episcopis reservatis, secundum antiquam consuetudinem, probatam et confirmatam post Const. *Apostolicae Sedis* Decreto S. Off. 1 Dec. 1875. Eam praeterea a peccatis absolvere posset, propter grave periculum scandali et infamiae, in quo reperitur. Absoluta tamen Berta hoc titulo a peccatis, absolvenda adhuc deinde esset ab excommunicatione, facultate petita ab Episcopo. Censura enim nonnisi absolutione cessat. — Dici forte posset posse Bertam absolvi etiam vi Decreti S. Off. 24. Iun. 1866., cum ipsa revera reperiatur *in casu vere urgentiori periculi scandali et infamiae*, de quo loquitur praedictum Decretum. Verum id non videtur posse sustineri. Nam licet Casus Episcopis reservati in Const. *Apostolicae Sedis* sint Casus potius Papales quam Episcopales, Decretum tamen S. Officii non videtur hos etiam Episcopales Casus comprehendere. Etenim Decretum S. Officii non spectat nisi ad Casus Papales sive *simpliciter* sive *speciali modo* reservatos S. Sedi, qui Casus in Const. *Apostolicae Sedis* omnino distinguuntur a *Casibus Episcopis reservatis* in eadem Const. — Posset vero confessarius, Bertam absolvere ex generali alia doctrina, secundum antiquas Decretales, quia nempe reperitur in impossibilitate Episcopum adeundi. Unde posset revera Bertam a peccatis etiam reservatis directe vel indirecte absolvere, secundum varias, quae adsunt hac in re opiniones, et deinde posset ipse ab Episcopo facultatem, petere, et Bertam ad eum redeuntem absolvere etiam a censuris reservatis. Cf. *Inst. Moral.* vol. 2. n. 800.

Ex quibus omnibus patet male se gessisse Confessarium *in Urbe*, Berta enim *Romana* dicitur; neque recte Bertae respondisse.

Resp. ad 3.um Ex dictis consequitur licuisse omnino Bertae, etsi excommunicationis vinculo obstrictae, praevio actu contritionis perfectae ad Communionem accedere. Caeterum audiatur iterum S. Alph., l. 6. n. 265. « Quid si poenitens habeat excommunicationem reservatam? Alii, ut Sotus, Sylvest., Covar. et Rosell. apud Lug. dicunt hunc extra mortis articulum nunquam posse communicare. Sed communiter contradicunt Suarez, Lug., et Con., ac recte censent eum bene posse Eucharistiam recipere, urgente scandalo, vel nota infamiae. Ratio quia praeceptum Ecclesiae prohibens excommunicatis suscipere Sacramenta, non obligat concurrente praecepto naturali vitandi scandalum, vel non obligat cum tanto incommodo perferendi infamiam ». Et sane, si in casu infamiae et scandali vitandi potest quis ad Communionem, urgente necessitate, accedere sine praevia Sacramentali Confessione et absolutione, ut constat ex Conc. Trid., S. 13. Cap. 7. et can. 11, id poterit eadem ratione, non obstante censura, sola praemissa perfecta contritione.

JANUARIUS BUCCERONI, S. J.
Epitomator ex officio.

Casus Liturgici propositi et soluti Romae, in Academia Liturgica.

VI.

De Missa simplicis occurrentis infra octavam in semiduplici.

Die 14 Februarii 1906, hora 4 a meridie.

In Ecclesia quadam dioecesis Florentinae die 14 Augusti praesentis anni, duo Sacerdotes Missam simul celebrarunt. Cumque dicta in Ecclesia fieret de infra octavam S. Laurentii, qui et Patronus illic erat, uterque Sacerdos Missam facere de S. Eusebio Conf. maluit, prout ritus semiduplex permittebat. Sed vero addidit quidem unus et alter hymnum glorificationis ratione octavae sed unus ex illis addidit et Symbolum ex eadem ratione, ac simul ultimum Evangelium vigiliae, alius vero Symbolum non dixit, et Evangelium in fine legit S. Ioannis. Quod admirans Primus sacerdos, qui praefatas Missas pro sua devotione audierat, gratiarum ab illis actione peracta, discrepantiae rationem comiter inquirit. Accipit autem ab altero Symbolum a se fuisse additum ex eadem ratione, qua *Gloria* recitavit; Evangelium vero vigiliae se recitasse, quia Missa non votiva, sed de festo occurrente fuerat. Ab altero vero docetur, in Missa, quam votivam de S. Eusebio certe appellabat, semper in fine Evangelium S. Ioannis esse dicendum. *Quaeritur*:

1. *Quando coeptum fuerit seu* Gloria in Excelsis, *seu* Credo *in Missa recitari?*

2. *Missa de Simplici occurrente commemorato votiva ne est, an occurrens?*

3. *Quaenam leges liturgicae* Gloria *et* Credo *tam in votiva, quam in occurrente Missa recitandis dirigant?*

4. *Quandonam pro Evangelio S. Ioannis in fine Missae aliud recitandum est?*

5. *Quid iudicandum de Missae discrepantiis inter duos Celebrantes, prout in casu exponitur?*

Ad 1um. Angelicus hymnus *Gloria in excelsis Deo* etc., qui in Missa nunc temporis fere quotidie recitatur, *Doxologia* a Patribus Graecis appellatur, idest glorificatio, seu glorificationis verba. Angelicus dicitur, quia, quod priorem partem attinet Angelos habuit auctores, qui in Nocte Natalis Domini super natum Regem concinuere: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis* (Luc. II, 14). Cui autem tribuendum sit reliquum huius hymni, ex historia non satis eruitur: nonnulli auctorem fuisse volunt Hilarium Episcopum Pictaviensem. Verum Concilium Tolětanum IV, deficientibus indubiis argumentis, ab Ecclesiae Patribus compositum credidit. Quidquid autem de hoc sentiendum sit, certum est Angelicum hymnum, ante Nicaenum Concilium (a. 325), qualis nunc temporis est, extitisse. Antiquiori aevo, huiusmodi hymnus ad Liturgiam proprie dictam minime pertinuit, sed potius ad officium matutinum, prouti etiamnum in usu apud Graecos est.

Telesphorus Papa ut in prima Missa Nativitatis Domini (quae ante diluculum celebrabatur) diceretur, sancivit. Symmachus vero Pontifex ordinavit etiam ut caneretur Dominicis diebus, et in festis SS. Martyrum, verum in sola Episcopi Pontificali Missa. Inferiores autem Sacerdotes in die Paschae tantum hanc facultatem habebant. Ulterioribus autem temporibus passim a summis Pontificibus facultas facta est nonnullis Ecclesiae Praelatis praedictum hymnum in Missa recitandi, et res tandem eo devenit, ut saeculo XI iam omnibus Sacerdotibus illum in Missa recitare fas esset.

Apostolorum Symbolum, seu *Credo*, quod est indicium ac

regula fidei, a S. Dionysio appellatur *Hymnologia Catholica*, et *Hierarchica Eucharistia*. Symbolum quod in praesenti recitatur in Missa (uti notat Gavantus) non est Apostolorum, quod initio Ecclesiae cantabatur in Missa (Dion. Areop. cap. 3, de Eccl. Hier.) neque est Nicaenum, quod deinde recitari iussit in Missa S. Marcus, qui S. Silvestro successit, sed est Constantinopolitanum cum additione *Filioque procedit*, quod Damasus Pontifex dici decrevit. Ex his liquido apparet Symbolum, quamvis sub diversa forma, fere omni tempore in Missa dictum fuisse. Antiquitus Romae non recitabatur, ad denotandam fidei firmitatem et stabilitatem illius christianitatis Principatus ab omni haereticali labe iugiter immunem. Verum Benedictus Papa VIII, instante Henrico II Imperatore, et in Urbe recitari ad Missam sancivit.

Ad IIum. Quaeritur secundo, utrum Missa de simplici occurrente commemorato sit votiva, an festiva, et respondetur iure appellari posse *votivo-festivam:* Ex una parte dici potest *votiva*, quia cum a Rubricis minime praecipiatur, quis pro lubitu et devotione eam legere potest (dummodo tamen ritus diei hoc permittat) vel non; ex altera appellari potest *festiva*, quia quamvis a Rubricis non praecipiatur, celebratur tamen die proprio, ideoque dici potest occurrens. Idem dicendum venit de Sancto, etsi non commemorato, sed tamen die sua. Ceterum *festivum* stricto sensu loquendo, non opponitur *votivo*, cum plurima celebrentur festa ex mera devotione, ex voto. Quapropter in praedictis Missis, si celebrentur die propria, iure quis diceret hymnum *Gloria in excelsis* (Cfr. Van der Stappen, De Rubric. Miss. Rom., p. 217). Ex quo plane intelligitur quod vis locutionum *more votivo*, *more festivo* tota reponenda est in ratione celebrandi Missas vel extra diem propriam, vel cum officio diei respondeant. Iamvero Missa simplicis commemorati aliquatenus officio diei respondet, cum de simplici officio veluti compendium in eiusmodi commemoratione habeatur. Exemplum habetur in Liturgia Ordinis Carmelitarum, iuxta quam omnibus Dominicis totius anni, ritu potiori impeditis, una Missa de occurrente Dominica celebrari debet, tamquam de ea Officium recitatum esset; et in Liturgia Romana iuxta quam in Quadragesima, feriis impeditis, semper una Missa de feria celebrari praescribitur.

Ad IIIum. Quod occurrentes Missas spectat, *Gloria in excelsis* praecipitur a Rubricis 1) in omnibus festis (cuiuscumque ritus existant) eorumque diebus octavis, festo SS. Innocentium (non vero die octavo) excepto, nisi venerit in Dominica; 2) in Dominicis, exceptis iis quae in Adventu et Quadragesima occurrunt, ac Septuagesima, Sexagesima et Quinquagesima; 3) in omnibus feriis temporis Paschalis, exceptis Missis de Rogationibus. Uno verbo dicitur quotiescumque ad Matutinum hymnus *Te Deum* dictus fuerit, exceptis feria V, in Coena Domini, et Sabbato Sancto, in quibus *Gloria* dicitur, quamvis in Officio *Te Deum* minime sit dictus.

Quoad Missas Votivas vero, *Gloria in excelsis* recitatur 1) in Missis Votivis solemnibus, nisi celebrentur in colore violaceo; 2) in Missis Votivis B. M. V. in Sabbatis tantum celebratis. Apud vero Carmelitas Antiquae Observantiae, qui liturgia propria utuntur, in Missis Votivis B. M. V. hymnus angelicus semper a Rubricis praecipitur quocumque die celebrentur sive solemniter sive non; 3) in Missis Votivis Angelorum, et merito quidem, quia prima verba hymni primo ab Angelis fuere prolata; 4) in Missis Votivis Sanctorum quae dicuntur in eorum festo, quia uti dictum est ad IIum, Missa tunc est Votivo-festiva; 5) in Missis Votivis alicuius Sancti vel Mysterii (habentis octavam) infra eius octavam celebratis, eadem de ratione, cum octava sit continuatio festi.

Quando autem Symbolum dicendum sit in Missis occurrentibus, sufficit legere Tit. XI, (de Symbolo) Rubric. Missalis Romani, qui procul dubio illustratione non indiget.

Quod spectat Missas Votivas, legitur in fine eiusdem tit. XI: « Item dicitur *Credo* in Missis Votivis, quae solemniter pro re gravi, vel pro publica Ecclesiae causa celebrantur, etiam si dicantur in paramentis violaceis in Dominica ».

Ergo si Missae Votivae absque solemnitate celebrentur, vel non sint pro publica Ecclesiae causa, *Credo* nullo pacto dicendum est. Si autem Missa Votiva celebretur de aliquo Sancto vel Mysterio infra propriam octavam, *Credo* locum habet, uti dictum est de *Gloria* quia hoc in casu habetur continuatio festi quod quidem et a fortiori pro Missis valet illorum Sanctorum qui ritu duplici recoluntur, et die propria officio potiori impediuntur, praesertim si eorum Reliquia insignis in Ecclesia servetur, et de quibus facultas habetur Missam Votivo-festivam etiam in duplici celebrandi. Hoc profecto dici nequit de Sancto sub ritu semiduplici, vel simplici; solemnitas enim cum ritibus inferioribus non intelligitur.

Ad IVum. Generatim in fine Missae (nunquam exceptis Missis pro Defunctis) legitur Evangelium S. Ioannis, excepta tertia Missa Nativitatis Domini in cuius fine legitur Evangelium de Ephiphania, eo quod Evangelium S. Ioannis initio Missae sit lectum; excepta etiam Dominica Palmarum, qua die in fine Missae privatae dicitur Evangelium Benedictionis. Item omnibus festis exceptis occurrentibus cum Dominicis, Vigiliis, vel feriis maioribus, in quibus in fine Missae legitur Evangelium sive Dominicae, sive vigiliae, sive feriae.

Ad Vum. Hymnus Angelicus in casu iure ab utroque Sacerdote recitatus est, cum Missa, ex dictis, sit *votivo-festiva* (Cfr. S. R. C. Decr. 24 April. 1899, n. 4020).

Utrum autem et iure alter Sacerdos Symbolum in Missa dixerit, plane non constat. Cum enim nullum Decretum ad rem habeatur, ita ratiocinari quis posset: Symbolum ex Rubricis, dicendum est in omnibus festis quae in Dominicis, et infra octavas (Symbolum habentes) occurrunt. Ergo et in casu. Verum reponi posset agi in casu de ritu simplici, qui procul dubio incapax est solemnitatis, cuius indicium est Symbolum. Praeterea Symbolum non dicitur in Missa Rogationum die 25 Aprilis, etiam si Dominica fuerit; neque dicitur in Missis de Dominicis in praecedenti feria anticipatis.

Tandem idem Sacerdos si Evangelium Vigiliae in fine Missae legit, non est improbandus, imo forte laudandus. Licet enim videatur obstare Decret. S. R. C. n. 1421 nihilominus Decretum hoc revocatum videtur per alterum supra citatum Decretum 4020 quo eadem S. R. C. statuit huiusmodi Missas potius festivas habendas esse.

P. Elias Ma Coccia, Ord. Carm.
S. R. C. Consultor,
Censor Pontif. Academiae Liturgicae,

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ

NE PEREANT

Août 1906.

1 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Antoine Sabatucci, Arch. Tit. d'Antinoë, Internonce Apost. auprès des Républiques de l'Argentine, de l'Uruguay et du Paraguay; — et Mgr Lucien Gentilucci, Ev. de Fabriano.

2 Jeudi.

S. G. Mgr Pascal Rubian, Arch. Tit. d'Amasée, Ordinant pour le Rite Arménien, est reçu en audience.

— Le St-Père descend dans la Chapelle Pauline, pour y gagner l'indulgence de la Portioncule.

3 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Joseph Gamba, Ev. de Biella, Ev. élu de Novare; — le Rme Dom Maur Serafini, Abbé des Bénédictins de la Primitive Observance; — et le Rme P. Emmanuel Sanchez, Sup. Gén. des Scolopes.

4 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Jean Cagliero, Arch. Tit. de Sébaste, Vic. Ap. de la Patagonie Septent.; — S. G. Mgr François do Rego Maia, Arch. Tit. de Nicopolis; — et le Rme Dom Maur Tinti, Abbé Cistercien de St-Bernard *alle Terme.*

6 Lundi.

S. G. Mgr Raniero Sarnari, Ev. de Macerata, est reçu en audience.

7 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. M. le Marquis de Tovar, Ambassadeur d'Espagne près le St-Siège; — S. G. Mgr Stanislas Jarlin, Ev. Tit. de Farbeto, Vic. Ap. de Pékin; — et le R.me P. François Vito, Préfet Général des Ministres des Infirmes.

8 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Paul-Marie Barone, Arch. Tit. de Métylène; — Mgr Dominique Taccone-Gallucci, Ev. de Nicotera et Tropea; — Mgr Ignace Monterisi, Ev. de Potenza; — ainsi que le Rme P. Jean Kasprzycki, Sup. Gén. de la Congrégation de la Résurrection.

9 Jeudi.

A l'occasion du troisième anniversaire de Son Couronnement, le St-Père tient une chapelle papale dans la Chapelle Sixtine. La messe est chantée par S. Em. le Cardinal Raphaël Merry del Val.

11 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr René-François Renou, Arch. de Tours; — et S. Exc. M. le Duc de Tovar, Ambassadeur d'Espagne près le St-Siège.

13 Lundi.

Mgr O'Connell, Recteur de l'Université Catholique de Washington, est reçu en audience.

14 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Gustave-Marie Blache, Ev. Tit. de Sicca Veneria, Vic. Ap. du Golfe de St-Laurent; — et S. Exc. M. le Baron Wulfram de Rotenhan, Min. Plénip. de Prusse près le St Siège.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Henri Gasparri est nommé Secrétaire de la Nonciature Apost. de Lisbonne.

16 Jeudi.

S. Exc. M. le Baron Maximilien d'Erp, Min. Plénip. de Belgique près le St-Siège, est reçu en audience.

17 Vendredi.

S. G. Mgr André Szeptycki, Arch. Grec-Ruthène de Lemberg, est reçu en audience.

21 Mardi.

S. G. Mgr Emile Parodi, Arch. de Sassari, est reçu en audience.

— Congr. Ordinaire des S. Rites tenue au Vatican pour l'examen des questions suivantes:

1. Introduction de la cause de Béatif. de la Serv. de Dieu Catherine de Francheville, Fondatrice des Filles de Notre-Dame de Vannes;

2. Introduction de la cause de Béatif. de la Serv. de Dieu Paule Frassinetti, Fondatrice de l'Institut des Sœurs de Ste Dorothée;

3. Confirmation de l'élection de Notre-Dame de Compassion et de S. François Borgia, conf., comme Patrons de la localité de Turis, dans l'Archidiocèse de Valence;

4. Confirmation de l'élection de S. Antoine de Padoue comme Patron de la localité de Poggiomarino, dans le diocèse de Sarno;

5. Concession et approbation de l'Office et de la Messe propres en l'honneur de Notre-Dame de l'Assomption, dite de Monte Allegro, dans le diocèse de Chiavari;

6. Concession et approbation de l'Office et de la Messe propres en l'honneur de Ste Foy, Vierge et Martyre;

7. Concession et approbation de l'Office, de la Messe et de la légende du Martyrologe pour les fêtes des Bienheureux Martyrs Tonquinois Dominicains François Gil de Fédérich, Mathieu-Alonso Leziniana, Hyacinthe Castañeda, Vincent Liem de Pace, Jérôme Hermosilla, Valentin-Berio Ochoa, Pierre Almato et Joseph Kang;

8. Concession et approbation de l'Office et de la Messe propres en l'honneur de la Bienh. Julie Billiart, Fondatrice des Sœurs de Notre-Dame;

9. Révision des écrits du Serv. de Dieu Jean Bosco, Prêtre, Fondateur des Salésiens.

23 Jeudi.

S. G. Mgr Prosper Scaccia, Ev. de Tivoli, est reçu en audience.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, le T. R. Père Jérôme-Marie Mileto, des Mineurs Conventuels, est nommé Consulteur de la S. C. des Indulgences.

25 Samedi.

S. G. Mgr André Szeptycki, Arch. Grec-Ruthène de Lemberg, est reçu en audience.

26 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Pierre Balestra, Arch. de Cagliari; — et Mgr Tite Cucchi, Ev. de Senigallia.

28 Mardi.

S. G. Mgr Raymond Ingheo, Ev. d'Iglesias, est reçu en audience.

29 Mercredi.

S. G. Mgr Emile Parodi, Arch. de Sassari, est reçu en audience.

30 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. Mgr Janvier Granito di Belmonte, Nonce Apost. à Vienne; — et S. G. Mgr Charles-Vincent Ricotta, Ev. de S. Marc et Bisignano.

Septembre 1906.

1 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr André d'Agostino, Ev. d'Ariano; — et Mgr Joseph Ricciardi, Ev. de Nardò.

4 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Jacques Crouzet, Ev. Tit. de Zephirium, Vic. Ap. du Madagascar

Méridional ; — et Mgr Agapit-Auguste Fiorentini, Ev. Tit. de Bussadis, Vic. Ap. du Sciam-Si Septentrional.

5 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences : S. G. Mgr Charles Pietropaoli, Ev. de Trivento ; — et M. Baeclé, Député et Conseiller municipal de Vienne.

7 Vendredi.

S. G. Mgr Alphonse Kunemann, Ev. Tit. de Pella, Vicaire Ap. de la Sénégambie, est reçu en audience.

8 Samedi.

Le St-Père reçoit en audience M. Micheaux, Président Général, ainsi que le Comité de la Fédération Générale Française pour la Gymnastique et le Sport.

9 Dimanche.

Le St-Père reçoit à 11 heures, dans la Salle du Trône, les membres de la Fédération Générale Française pour la Gymnastique et le Sport.

— Le St-Père reçoit en audience le Rme P. François-Xavier Wernz, nouveau Supérieur Général de la Compagnie de Jésus, ainsi que les Pères Assistants qui ont pris part au Chapitre.

10 Lundi.

S. Exc. M. Gustave de Bohlen et Halbach, chargé des Affaires de Prusse près le St-Siège, présente à Sa Sainteté M. Diego de Bergen, qui lui succède dans cette importante charge.

11 Mardi.

Le St-Père reçoit en audience S. G. Mgr Aversa, nouvel Arch. Tit. de Sardes, Délégué Apostolique de Cuba et Portorico.

12 Mercredi.

S. Exc. M. Michel-Martins d'Antas, Ambassadeur de Portugal près le St-Siège, est reçu en audience.

13 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Ercolano Marini, Ev. de Norcia ; — Mgr Achille Quadrozzi, Ev. de Fossombrone ; — et Mgr Jean Tacci, Arch. Tit. de Nycée, Délégué Apost. à Constantinople.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Scipion Tecchi est nommé Consulteur de la S. Congr. des Rites.

15 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Louis Spandre, Ev. Tit. de Tibériade, Auxiliaire de l'Arch. de Turin ; — Mgr Antoine-Marie Bonito, Auxiliaire de l'Archevêque d'Amalfi ; — et Mgr Jacques Radini-Tedeschi, Ev. de Bergame ; — ainsi que M. Léon Harmel, Président du Pèlerinage Français ; — et M. Raoul Dandurand, Président du Sénat du Canada.

16 Dimanche.

A cinq heures de l'après-midi, le St-Père reçoit dans la Galerie du Musée Lapidaire les Pèlerins français.

17 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Jean Regine, Ev. de Nicastro ; — Mgr César Boccanera, Arch. Tit. de Nicosie, Administrateur Apost. de Narni ; — et Mgr François Bacchini, Ev. Tit. de Tripoli.

18 Mardi.

Le St-Père reçoit en audience les pèlerins italiens qui se rendent en Terre-Sainte.

20 Jeudi.

S. G. Mgr Joseph Morabito, Ev. de Mileto, est reçu en audience.

21 Vendredi.

S. G. Mgr Joseph Gandolfi, Ev. de Poggio Mirteto, est reçu en audience.

22 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Joseph Theodorowicz, Arch. de Lemberg pour le Rite Grec-Ruthène ; — et Mgr Raymond-Albin Netzhammer, Arch. de Bukarest.

25 Mardi.

S. G. Mgr Pierre Balestra, Arch. de Cagliari, est reçu en audience.

26 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences : S. G. Mgr Jean Pellizzari, Ev. de Piacenza ; — et le Rme P. Guillaume de St-Félix, Trinitaire, Préfet Apost. du Bénadir.

27 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences : S. G. Mgr Joconde De Nittis, Ev. de Castellaneta ; — et M. Edouard de Pierpont, Député suppléant du Parlement Belge, accompagné par une Commission de l'Alliance Nationale de la Fédération Mutualiste Chrétienne Belge.

28 Vendredi.

S. G. Mgr Carmelo Puija, Arch. de S. Severina, Administrateur Apost. de Catanzaro, est reçu en audience.

29 Samedi.

S. G. Mgr Adolphe Medlycott, Ev. Tit. de Tricomia, est reçu en audience.

30 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr André Szeptycki, Ev. Grec-Ruthène de Lemberg ; — et Mgr André Righetti, Ev. de Carpi.

Octobre 1906.

1 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences : S. G. Mgr Ange Dolci, Ev. de Gubbio ; — et Mgr François Rossi-Stockolper, Secrétaire de la Nonciature Apostolique de Vienne.

2 Mardi.

Le St-Père reçoit en audience les 57 prêtres qui font partie du pèlerinage français du Nord.

3 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Jacques-Augustin Mac Faul, Ev. de Trenton ; — et Mgr Josué Bicchi, Ev. de S. Severino.

4 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Donato Sbarretti, Arch. Tit. d'Ephèse, Délégué Apost. au Canada ; — et Mgr Jean Vescia, Ev. de Policastro Bussentino.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. G. Mgr Jules Tonti, Arch. Tit. d'Ancyre, actuellement Nonce Apost. au Brésil, est nommé Nonce Apost. à Lisbonne.

5 Vendredi.

Le St-Père reçoit dans la Salle Royale un nombreux groupe de pèlerins français des diocèses du Nord de la France.

6 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Hubert Voss, Ev. d'Osnabruck, accompagné par Mgr Joseph Löh-

ninger, Recteur de l'*Anima*; — Mgr Célestin Del Frate, Ev. de Camerino; — Mgr Armand Olier, Ev. Tit. de Tipasa, Coadjuteur du Vic. Apost. de l'Océanie Centrale; — ainsi que le Rme P. Obsbrockt O. C. R., Abbé de Gethsémany; — et le Rme P. Supérieur des *Christians Brothers*.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Cardinal Vivès y Tuto, est nommé Protecteur des Sœurs Oblates Déchaussées du Tiers-Ordre de la T. S. Trinité de Valence.

8 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Jules Vaccaro, Arch. de Bari; — Mgr David Camilli, Ev. de Fiesole; — Mgr Augustin Dontenville, Ev. de New-Westminster; — Mgr Henri Delalle, des Oblats de Marie, Vic. Apost. du Natal; — et Mgr Jules Miller, Vic. Apost. du Transwaal; — ainsi que M. De Raymond, Chargé d'Affaires de Belgique près le St-Siège.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Cardinal Pierre Respighi est nommé Protecteur de la Vén. Archiconfrérie du T. S. Sacrement, dans l'Eglise de Ste-Marie *in Via.*

9 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Carmelo Puija, Arch. de Santa Severina, Admin. Apost. de Catanzaro; — et Mgr Denys Stayaert, Arch. Tit. de Dámas; — ainsi que le Rme P. Auguste Lavillardière, nouveau Supérieur Gén. des Oblats de Marie, accompagné par les Pères Capitulaires; — et S. Exc. M. Francotte, Ministre de l'industrie et du travail en Belgique.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Cardinal Vincent Vannutelli est nommé Protecteur de la Congrégation des Sœurs de S. Clotilde à Paris.

10 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Séraphin Angelini, Ev. d'Avellino; — et Mgr David Camilli, Ev. de Fiesole.

— S. Exc. M. le Baron de Wedel-Iaslberg présente au St-Père une lettre autographe par laquelle le nouveau Roi Haakon de Norvège fait part au St-Siège de son élévation au trône.

12 Vendredi.

Le St Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Nicolas-Joseph Camilli, Ev. de Jassy; — Mgr Henri Toulain, Ev. de Jaffna (Ceylan); — Mgr Emile Grouard, des Oblats de Marie, Vic. Apost. de l'Athabaska (Canada); — Mgr Gabriel Breynat, des Oblats de Marie, Vic. Apost. de Mackenzie (Canada); — Mgr François-Paul Carrano; — Mgr Mathieu Gaughren, des Oblats de Marie, Ev. Tit. de Tentira, Vic. Apost. de l'Orange (Kimberley) Afrique Méridionale; — Mgr Paul-Marie Barone, Arch. Tit. de Métylène; — et S. Exc. Mgr Antoine Vico, Nonce Apost. en Belgique.

13 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Horace Mazzella, Arch. de Rossano; — Mgr Joseph-Emile Legal, des Oblats de Marie, Ev. de St-Albert (Canada); — et Mgr Joseph-Alfred Archambeault, Ev. de Joliette, qui présente un groupe de pèlerins canadiens.

15 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Joseph Aversa, Délégué Apost. à Cuba; — Mgr Maxime Sedfaoui, Ev. d'Hermopolis, du Rite Copte; — et Mgr Ignace-Glades Berzi, Ev. de Thèbes, du Rite Copte.

17 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Victor Mihalyi de Apsia, Arch. de Fogaras pour le Rite Grec-Roumain; — et Mgr Alphonse Archi, Ev. de Côme.

18 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. M. le Comte Nicolas Szécsen de Temerin, Ambassadeur d'Autriche près le St-Siège; — Mgr Joseph-Alfred Archambeault, Ev. de Joliette; — et Mgr Ferdinand de Croy, Prot. Apost.

19 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Charles Bertuzzi, Ev. de Foligno; — Mgr François Giacci, Ev. dei Marsi; — et Mgr Jacques-Augustin Mac Faul, Ev. de Trenton.

20 Samedi.

S. Exc. M. Emile De Ojeda y Perpiñan présente au St-Père les lettres qui l'accréditent en qualité d'Ambassadeur d'Espagne près le St-Siège.

25 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audience S. G. Mgr Jean Baptiste Krapac, Ev. de Belgrade et Semendria, Auxiliaire de l'Archidiocèse de Zagabria.

26 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Dominique Bianconi, Ev. de Ferentino; — et Mgr Paul Jacuzio, Ev. de Capaccio-Vallo, Admin. Apost. de Diano-Teggiano; — ainsi que S. Exc. M. le Baron von Tschirschky, Ministre des Affaires étrangères en Allemagne.

27 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr François Labeuche, Ev. de Belley; — et Mgr Louis Spandri, Ev. Tit. de Tibériade, Auxiliaire de l'Arch. de Turin.

29 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Jean-Martin Adam, Ev. Tit. de Tmui, Vic. Apost. du Gabon; — Mgr Morris, Ev. Tit. d'Acmonia, Auxiliaire de l'Ev. de Little-Rocke (Etats-Unis); — Mgr Laurent Chieppa, Ev. de Cariati; — et Mgr Joseph Stadler, Arch. d'Urhbosna (Bosnie).

30 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Augustin Marre, Ev. Tit. de Constance, Abbé Gén. des Cisterciens Réformés; — et Mgr Jules Tommasi, Ev. de S. Angelo dei Lombardi; — ainsi que le Rme P. Denys Schuller, Ministre Gén. des Frères Mineurs.

31 Mercredi.

S. G. Mgr François Symon, Arch. Tit. d'Athalie, est reçu en audience.

F. C.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister

Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.

Salvatore Marinelli, *gerente.*

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS QUARTUS

FASCICULUS UNDECIMUS - NOVEMBER 1906

SUMMARIUM

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Pius X gratulatur R. P. Wernz e S. I. de editis quatuor voluminibus circa Ius Decretalium (1).

DILECTO FILIO
FRANCISCO XAVERIO WERNZ, SAC. E SOC. IESU,
GREGORIANAE STUDIORUM UNIVERSITATIS
RECTORI.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sollertium sane curarum, quibus doctores decuriales Lycaei magni Gregoriani lectos frequentesque numero adolescentes rite sacris disciplinis instruunt, praeclarum specimen Nobis, rector ipse Lycaei, dedisti nuper de scientia et facultate tua. Volumina enim quatuor muneri obtulisti, a te adhuc edita de Iure Decretalium. Quod opus, etsi susceptum habes, ut alumnis disciplinae tuae esset usui, sic tamen videmus probari, ut omnibus ecclesiasticarum legum studiosis, eis etiam, qui hanc ipsam profitentur doctrinam, accommodatum valde atque utile praedicetur. In quo quidem docti atque intelligentes viri et dispertitam subtiliter materiem laudant, et singulorum copiosam eruditissimamque tractationem capitum, et petita vel ab historia canonum vel a philosophia iuris vel a finitimis doctrinis in rem lumina. Quum autem caetera merito efferuntur, tum numeris omnibus absoluta habetur ea pars operis tui, quae de Matrimonio est; ob singularem nempe summamque peritiam, quam diuturno usu eius generis causarum, consultor apud sacra Urbis Consilia, es consecutus. Est igitur, hoc tuorum laborum exitu, quod tibi et inclitae Societati Iesu gratulemur; idque quum libenter ex animoque facimus, te, ut instituta absolvere simili studio pergas, vehementer hortamur. — Auspicem interea divinorum munerum, ac testem peculiaris benevolentiae Nostrae, tibi, dilecte Fili, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 26 Iunii anno 1905, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

(1) Vide infra p. 475 huiusce praestantis operis recensionem.
N. D.

II.

Indulg. conceduntur Archiconfr. Missae Reparatricis erectae in ecclesia Tongerloensi pro universo Belgarum Regno.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicuti ad Nos relatum, in Ecclesia Tongerloensi Ordinis Praemonstratensis dioecesis Mechliniensis intra fines, pia Sanctae Missae Reparatricis Archiconfraternitas pro universo Belgarum Regno existat, Nos, ut tam frugifera societas uberiora capiat, Deo favente, incrementa, de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus eamdem in societatem nunc et in posterum adlectis, qui vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti prima Dominica vel prima feria sexta cuiusque per annum mensis propriam sodalitii Ecclesiam sive cappellam, si habeant, secus parochialem cuiusque Ecclesiam ab ortu usque ad occasum solis diei huiusmodi devote visitent ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Dominum preces effundant, dummodo per decursum totius mensis praecedentis singulis hebdomadibus Missae ex intentione reparatricis interfuerint, plenariam; — et singulis similiter atque universis nunc et pro tempore existentibus dictae Archiconfraternitatis sociis pariter admissorum confessione rite expiatis et coelestibus epulis refectis, qui quotannis Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, SS.mae Trinitatis, SS.mi Corporis Christi, feria sexta post octavam solemnitatis eiusdem Corporis Christi immediate sequenti, necnon Immaculatae Conceptionis, Annuntiationis, Assumptionis B. Mariae Virginis festivitatibus, et similiter S. Ioannis Apostoli et Evangelistae, S. Ioseph, S. Norberti festo die, nempe sexto Iunii mensis, et die quo sanctorum martyrum Gorcomiensium festum agitur, nempe Iulii mensis nono, item die quarto Aprilis mensis, celebritatis omnium Sanctorum a primis Vesperis, die commemorationis omnium fidelium defunctorum, ac die coelestis Patroni respectivae Ecclesiae ubi reperitur sodalitas dictae Archiconfraternitati legitime aggregata, et quo die singulis annis solemnis iuxta tabulas instituti sodalium habetur adunatio, ab ortu usque ad occasum solis dierum huiusmodi propriam societatis Ecclesiam, si adsit, secus cuiusque curialem, ut superius dictum est, preces fundentes inviserint, quo ex hisce die id egerint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicabilem, misericorditer in Domino concedimus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 30 Maii 1906, Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro D.no Card. MACCHI.

L. ✠ S.

NICOLAUS MARINI.

III.

Pius X commendat conventum Eucharisticum mox in civitate Tornacensi celebrandum.

PIE X, PAPE.

A Notre vénérable Frère Thomas Louis, évêque de Namur et président du Comité permanent des Congrès Eucharistiques, Salut et Bénédiction Apostolique.

Chaque année, Vénérable Frère, se tiennent des Congrès pour promouvoir le culte de la Très Sainte Eucharistie. Nous estimons que leur fréquence, bien loin d'amoindrir leur efficacité, contribue plutôt à donner plus d'ampleur à cette institution; car, il est hors de doute pour Nous que l'amour et le culte de l'Auguste Eucharistie ne peuvent progresser qu'à la condition qu'on étudie d'abord plus à fond — ainsi que l'exige la dignité du Sacrement — et qu'on vulgarise ensuite dans les masses le très réconfortant et très actif amour de Dieu pour nous, lequel ne brille nulle part d'un plus vif éclat que dans le mystère du banquet divin.

Nous croyons donc convenable que les fidèles, excités par le désir de méditer ce mystère, se réunissent souvent et exhortent leurs frères, par leur parole et leur exemple, à nourrir une foi profonde à la Divinité présente sous les espèces consacrées, et à rendre au Dieu du ciel amour pour amour.

Si l'Eucharistie doit être considérée comme le sacrement de la foi et de l'amour, il est donc aussi nécessaire que ces congrès soient des assemblées de foi et d'amour. Or, de toutes les vertus chrétiennes, la foi et la charité sont celles qu'il faut le plus recommander aux hommes de nos jours, par ces temps malheureux où l'esprit, ainsi que toutes les aspirations du cœur humain, inclinent vers ce qui est tangible, et où chacun se laisse envahir par l'unique amour de soi.

A la Foi qui s'affaiblit et à la Charité qui se refroidit, il faut donc opposer pour remède l'Eucharistie; si c'est en elle qu'il faut chercher les plus hauts exemples de foi et de charité, c'est d'elle aussi que jaillit abondamment la grâce rénovatrice de la société.

Mais, il ne faut pas s'en tenir, pour préconiser ces vertus, à la parole seule: il faut nécessairement aussi joindre à la parole l'action, et une action vigoureuse qui sache se diversifier, pour s'accommoder au caractère de l'époque.

Nous avons voulu, Vénérable Frère, vous communiquer ces vues, afin que, dans le prochain Congrès Eucharistique de Tournai, votre zèle s'efforce à lui faire produire ce résultat de réveiller et de rendre pratique la foi et la charité des fidèles.

Il Nous plait de témoigner, d'une façon particulière, au nouveau Congrès Notre bienveillance, et de montrer publiquement Notre ardent désir d'accroître la force d'action de cette assemblée. C'est pourquoi Nous déléguons Notre Vénérable Frère Vincent Vannutelli, cardinal de la Sainte Eglise Romaine, évêque de Palestrina et président d'honneur du Comité permanent, afin qu'en Notre nom il préside le Congrès. Et Nous avons bon espoir que tous ceux qui y assisteront en reviendront animés d'un nouveau courage pour mettre pleinement à exécution les mesures qu'on y proposera.

En témoignage de Notre paternelle affection et comme

gage des faveurs divines, Nous accordons, dans le Seigneur, à vous, Vénérable Frère, et à chacun de ceux qui assisteront à cette assemblée, la Bénédiction Apostolique.

Donné à Rome, près Saint Pierre, le 16 juillet 1906, la 3e année de Notre pontificat.

PIE X, PAPE.

IV.

Pius X gratulatur de felici exitu Conventus catholicorum Germaniae, nuper Essendiae celebrati.

DILECTO FILIO NOSTRO ANTONIO TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FISCHER COLONIENSIUM ARCHIEPISCOPO.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quod felices exitus sortitus fuerit catholicorum Germaniae conventus Essendiae habitus superiori Sextiti mense, id non una tantum ex parte comperimus, ac in primis ex iis quae coram diserteque retulit Ven. Frater Noster Praenestinus Episcopus, zelum et actuosam Germanorum sollertiam testatus. Opinionem, quae firma iamdiu Nostro inerat animo de gravitate filiorum qui Germaniam incolunt, firmiorem adhuc reddidit notitia disceptationum, quae in Essendiensi conventu habitae sunt. Haud tamen minor delectatio fuit quam hausimus ex proposito iterum iterumque prolato, quo actionem religiosam Apostolicae Sedis auctoritati obnoxiam velle catholici e Germania orti declararunt. Haec quidem obedientia, uti diuturna experientia constat, peramplam et integram, licet aliter nonnulli oblatraverint rei veritatis ignari, cuique relinquit libertatem quoad ea quae religionem non attingunt, ideoque eam gignit singulorum animorum concordiam quae, a singulis ad societatem progrediens, sociale firmat bonum duplici coalescens elemento, religioso scilicet ac civili. Hoc valde probari visum est Augustissimo Imperatori ac Regi, qui grati et benevolentis animi sensa professus est erga eos qui, ortu Ipsi religione autem Nobis subditi, statim ac Essendiam convenissent quum Ipsum tum Nos obsequio prosecuti sunt. Laetitiam igitur, quam ex Essendiensi conventu profitemur haustam, Tibi, dilecte Fili Noster, testatam volumus, ac per te clero populoque archidioeceseos tuae cunctisque Nostris e Germania filiis qui ad participandos praefati Congressus labores multiplici sane modo confluxerunt. Grati insuper animi praecipuaeque benevolentiae Nostrae testis sit Tibi ac illis apostolica benedictio, quam caelestium munerum auspicem Vobis impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XXX Octobris MCMVI, Pontificatus Nostri anno quarto.

PIUS PP. X.

V.

Praescribitur in Urbe Collecta *pro inimicis.*

AL SIGNOR CARD. PIETRO RESPIGHI NOSTRO VICARIO GENERALE.

Signor Cardinale,

Le condizioni dolorose in cui si trova la Chiesa, combattuta ed oppressa da molti degli stessi suoi figli, che le si son fatti nemici, ci persuadono esser venuto il momento di usare in modo particolare di quel mezzo lasciatoci pel governo dal suo divin Fondatore; la preghiera. Nutriamo infatti la dolce speranza, che, com'Egli *nei giorni della sua carne, avendo offerto preghiere e suppliche con forti grida e con lagrime a Colui che salvarlo potea dalla morte, fu esaudito per la sua riverenza* (agli Ebr. V, 7), così l'Onnipotente alle preghiere del corpo mistico di Gesù Cristo verserà sopra di noi le sue divine misericordie.

Per questo raccomandiamo a Lei, Signor Cardinale, di ordinare a tutti i sacerdoti di Roma e del suo Distretto, che fino al termine dell'anno, in tutti i giorni non impediti dal rito, recitino nella Santa Messa la colletta *pro inimicis;* e di eccitare nel tempo stesso i fedeli ad unire le loro preghiere con quelle dei sacerdoti, specialmente nelle due Novene della Immacolata e del Santo Natale, ben sapendo quanto sia potente la preghiera di molti buoni per ottenere i divini favori.

E in questa fiducia impartiamo a Lei Signor Cardinale, con particolare affetto l'Apostolica Benedizione.

Dal Vaticano li 10 Novembre 1906.

PIUS PP. X.

VI.

Pius X laudat bina volumina circa vitam V. S. D. Mariae Magdalenae Postel.

DILECTO FILIO ARSENIO LEGOUX, PROTONOTARIO APOSTOLICO

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam benedictionem.

De vita et moribus Ven. Dei Famulae Mariae Magdalenae Postel bina quae tu edidisti volumina, non equidem miramur, quod pii prudentesque homines vulgo laudent vehementerque probent. Nam primum ipsa opportunitas argumenti placet. Observatur hic enim ante oculos mentis imago lectissimae foeminae, cuius religio atque actuosa charitas diuturno spatio aetatis illuxit Galliae per turbulentissima praesertim tempora, haud multum his dissimilia temporibus, quibus vivimus: mirificeque capiunt animos magnarum virtutum eius exempla, nominatim quum, maximis circumfusis difficultatibus et periculis, occultae vel administrationi sacrorum vel tuitioni sacerdotum generosa prospiceret. Quae quidem exempla idcirco videtur Deus revocari hodie velle, quum tam trepidis rebus utitur Ecclesia atque ipse est divinus cultus in discrimine, ut eadem catholicae in primis mulieres ex Gallia intelligant sibi esse proposita ad imitandum. Tu vero sic ista omnia exponis, ut legentes teneas tua non solum eruditione et doctrina, sed etiam pietate. Inflammatus quippe, ut palam est, huius praeclarae

Vitae studio, scribendi genus adhibes, quod facile incendit alios in admirationemque Mariae Magdalenae traducit. Quare gratiam tibi habemus et de oblatis muneri voluminibus et de ipso in hoc opus insumpto labore; quem cupimus et confidimus multis fructuosum futurum. Auspicem caelestium bonorum ac testem paternae benevolentiae Nostrae, tibi, dilecte Fili, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Novembris anno MCMVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. X

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 24 Novembris 1906, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda:

A. — Per Summaria Precum.

I. Bisinianen. — Dispensationis ab irregularitate. — R. *Arbitrio et prudentiae Episcopi ad diaconatum tantum, facto verbo cum SSmo.*

II. Santanderien. — Promotoris fiscalis in iudiciis summariis. — R. *Ad dubium propositum ab Episcopo, negative.*

III. Mazarien. — Adiudicationis reddituum. — R. *Rescripta in casu esse nullius valoris, et ad mentem, facto verbo cum SSmo.* (Reservata).

B. — In folio.

I. Parisien. — Nullitatis matrimonii. — R. *Non proposita.*

II. Vintimilien. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.*

III. Parisien. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative ad cautelam.* (Sub-secreto).

IV. Piscien. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative, praevia sanatione super defectu delegationis et monitis Curiae ministris ne huiusmodi processus instruant absque S. Sedis delegatione et non servatis canonicis normis.*

V. Aretina. — Iurispatronatus. — R. *Affirmative favore Castiglia, et ad mentem.* (Reservata).

VI. Romana. — Devolutionis legati. — R. *Ad primum negative; ad secundum affirmative iuxta votum E.mi Titularis, facto verbo cum SSmo.* (Reservata).

VII. Nolana. — Concursus. — R. *Sententiam Curiae Neapolitanae esse infirmandam.* (Reservata).

A. - Per Summaria precum.

4559/4 1.

Bisinianen. — Dispensationis ab Irregularitate.

Remittitur arbitrio et prudentiae Episcopi, facto verbo cum SS.mo, ut subdiaconus, qui morbo epileptico non amplius obnoxius reputatur, promoveri possit ad diaconatum tantum.

Clericus Marianus Rose iam subdiaconus, in votis habet se promoveri ad superiores ordines. Sed obstat, quod post acceptum hypodiaconatus ordinem compertum est ipsum aliquando comitiali morbo fuisse obnoxium.

Quare Episcopus initio praeterlapsi anni 1905 in vota concedens clerici Rose, supplicem libellum obtulit pro sanatione quoad iam collatos ordines et pro dispensatione ab huiusmodi defectu in futurum.

Rogatus Episcopus ut clarius edoceret de natura et gravitate enunciati morbi, insimul transmissa peritia medica ipse litteris Martii successivi exhibuit tum iuratam declarationem parentum eiusdem clerici, tum testimonium Rectoris Seminarii Bisinianensis. Quo vero ad peritiam medicam haec addidit: « Il medico però non volle fare alcun certificato, « perchè non fu mai presente al giovane quando ebbe gli « attacchi ».

Parentes vero rite rogati a Curiae Cancellario negant eorum filium fuisse subiectum morbo epileptico, sed tantum asserunt « che nell'età puerile il medesimo in seguito a ca- « duta riportò un trauma pel quale soffrì a lunghissimi in- « tervalli di tempo delle convulsioni, le quali furono da lui « stesso preintese, soggiungendo che ora trovasi in buone « condizioni di salute, dopo le cure farmaceutiche e bal- « nearie, non avendo più sofferto convulsioni da circa un « anno, e che per un triennio anteriore l'ebbe solo tre « volte ». Testimonium vero Rectoris Seminarii est sequentis tenoris: « Il Suddiacono Mariano Rose una volta nell'anno « scolastico 1903, e due volte nel 1904 fu assalito da accessi, « che si sospettarono epilettici. Essi si manifestarono con « dolore di testa e generale disturbo, avvertiti pochi mo- « menti prima del male. Seguirono contorcimenti di tutta « la persona e specialmente degli arti inferiori e superiori, « fuoruscita di saliva dalla bocca, respiro affannoso e polso « prima frequente e un po' disordinato, poi lento; colore « livido in viso, perdita completa della coscienza, la quale « in certo modo tornò dopo l'ascesso. Seguì l'assopimento « per più ore e debolezza generale ».

His acceptis, sub die 16 dicti mensis eidem Episcopo rescriptum fuit, ut clericus Rose per aliquod tempus poneretur sub directione et vigilantia docti et prudentis medici, cuius votum et relationem deinde remitteret. Haec iussa Episcopus adimplens sub die 16 p. elapsi Maii retulit praefatum clericum a mense Ianuario an. 1905 usque ad hunc diem nunquam morbo fuisse correptum, iuxta votum et relationem duorum medicorum nempe Sarpi et Canonico, qui fidem faciunt « che il Suddiacono Mariano Rose durante « la dimora nella qualità di Seminarista in questo Ven. « Seminario diocesano, non è mai andato soggetto ad at- « tacchi epilettici ed a nevrosi di qualsiasi altra natura. Si « attesta pure che lo stesso gode florida salute ed è esente « da malattie infettive ». Hinc Episcopus ingeminabat preces pro obtinendo favorabili indulto.

Morbo caduco laborantes, a ministerio altaris esse arcendos, diserte traditur in cap. *Maritum distin. 33 et in can. 1, caus. 7, quaest. 7.* Decreti Gratiani ubi legitur: « Consulimus igitur ut si frequenter hoc morbo (caduco) tangitur

presbyter, ab oblatione omnimode et missarum celebratione prohibeatur. Indecens enim est, et periculosissimum ut hoc ei accidat, quatenus in consecratione Eucharistiae morbo victus epileptico cadat. Si vero Dei misericordia convaluerit, quandoquidem non culpa sed infirmitas est in causa, eum iam sacrificare non interdicimus ». Confer etiam Ferraris v. *Irregularitas*, et Reiffenstuel *lib. 1, t. 20, n. 19* aliosque doctores.

Age vero, si in casu expendatur relatio medica, praetermisso quod non est iurata, profecto ex ea clare non resultat in futurum remotum et vitatum esse periculum relapsus in morbum.

Et res magis ingravescit si advertatur, quod ea est natura morbi ut convulsiones et accessus epileptici non determinatis periodis, sed etiam post non indifferens temporis spatium iterari possunt; qui accessus ex testimonio Rectoris cum sint gravissimi, maximum inducunt periculum irreverentiae in sacrorum ministratione. Quare prudentius et tutius videretur rescribere *pro nunc non expedire*, uti factum fuit in una *Treviren.* diei 27 Ianuarii 1866 et in novissima *Lugdunen.* 26 Aug. 1905 (1), aut etiam exposcere experimentum alterius medici, interim differendo concessionem gratiae, uti responsum fuit in secunda causarum propositione citatae *Trevirensis* et *Venetiarum* diei 12 Sept. 1896 (2): *Dilata ad sex menses, exhibito etiam documento alterius medici ab Episcopo deputandi.*

Nec demum in casu suffragantur specialia adiuncta et circumstantiae, quales profecto essent magna utilitas vel necessitas pro dioecesi ob cleri defectum, vel extraordinariae dotes Oratoris, puta ingenii vel spectatae vitae, cum clerus in meridionalis Italiae regionibus potius abundet, et dictae extraordinariae qualitates ex litteris Episcopi non resultent.

Ex adverso in casu videtur invocari posse favore Oratoris dispositio in supra relato iuris textu: « Si vero Dei misericordia convaluerit, quandoquidem non culpa sed infirmitas est in causa, eum iam sacrificare non interdicimus ». Iam vero Oratorem convaluisse testes sunt nedum ipsius parentes, qui dicunt ipsum esse « in buone condizioni di salute « dopo le cure farmaceutiche e balnearie »; sed etiam duo periti physici ab Episcopo deputati, qui referunt eumdem versari in florenti sanitatis statu et liberum esse a morbis infectivis. Hae profecto declarationes per se videntur esse sufficientes ad moralem certitudinem gignendam quod dictus morbus in posterum non iterabitur. Hinc non videretur gratia esse deneganda.

Accedit insuper quod in themate agitur de clerico qui iam iam ad subdiaconatus ordinem est promotus: et in hisce casibus Ecclesiae indulgentia benignior esse solet. Nec magni ducenda est difficultas de carentia qualitatum specialium in Oratore: cum enim ipse non semel fuerit ab Episcopo S. C. commendatus pro gratia, cum fundamento asseri potest quod eius ordinatio iudicio sui Episcopi in dioecesis bonum vertet.

Quare.

Responsum fuit: *Arbitrio et prudentiae Episcopi ad diaconatum tantum, facto verbo cum SS.mo.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIII, p. 371.
(2) *Item*, vol. IV, p. 446.

2660/5 II.

Santanderien. — De promotore fiscali in iudiciis summariis.

Non est necessaria praesentia promotoris fiscalis in iudicio summario, quando parochus per seipsum defendit vel vindicat proventus ex iuribus stolae, quos dum essent controversi, idem parochus applicuit fabricae ecclesiae parochialis.

Enata an. 1903 quaestione inter sacerdotem De la Maza parochum SS. Annuntiationis in civitate Santanderiensi et eius Coadiutorem Agapitum Aguirre, occasione solutionis 29 libell. quas hic repetebat pro uno funere et pro tribus delationibus cadaverum ad coemeterium, et quas parochus iam fabricae ecclesiae applicuerat, licet absentia coadiutoris per mensem a paroecia evenisset de superioris licentia, iudicio super hoc instituto ritu summario coram curia Santanderiensi, Vicarius Generalis causam adiudicavit favore coadiutoris, sed absque damnatione partis succumbentis ad litis expensas. Interposita a parocho appellatione ad Curiam Metropolitanam Burgensem, sententia primi gradus confirmata fuit, sed cum damnatione ad expensas.

Neque huic decisioni acquiescens parochus provocavit ad supremum Tribunal Rotae Matritensis, quae prae oculis habens duas iam editas sententias, edixit parochum teneri ad dictas 29 libellas solvendas saltem ratione aequitatis. Appellatione iterum interposita ad secundum eiusdem Rotae turnum, haec sub die 30 Martii 1905 declaravit omnia acta iudicialia peracta in Curia Santanderiensi esse nullius valoris utpote quia promota absque citatione et interventu procuratoris fiscalis, utrique parti ius suum tamen servatum voluit.

Re ad H. S. C. delata, haec sub die 22 Iulii eiusdem anni rescripsit: « Non esse casum appellationis ad S. Sedem « a sententia secundi gradus Rotae Matritensis pro tam « parvi momenti negotio », et parochi litigandi libidinem et pervicaciam coërcuit impositione spiritualium exercitiorum iuxta modum et tempus ab Episcopo determinandum.

Verum Episcopus Santanderiensis ad praecavendas in futurum quaestiones huiusmodi et ad habendam certam normam circa necessitatem vel non interventus procuratoris fiscalis n iudiciis summariis, quando lis agitari contingat inter parochum eiusque coadiutorem relate ad huiusmodi iura stolae levioris momenti, quae parochus iam in fabricae ecclesiae parochialis compendium vertit, sequens EE. VV. dubium pro solutione proponere humiliter censuit, scilicet: « An sit necessaria praesentia promotoris fiscalis in iudicio « summario, quando parochus per seipsum defendat vel vin« dicet proventus ex iuribus stolae, quos dum essent contro« versi, idem parochus applicuerit fabricae ecclesiae paro« chialis? »

Qui Curiae Santanderiensis partes agit, ex triplici capite excludendam esse contendit necessitatem interventus procuratoris fiscalis in dicto iudicio summario, nempe *1)* ex natura ipsius iudicii summaria; *2)* ex natura officii ipsius procuratoris seu promotoris fiscalis; *3)* ex natura ipsa officii parochialis, cum parochus sit administrator et defensor natus fabricae suae ecclesiae.

Ad primum itaque caput accedens expendit ipsius iudicii naturam, quod duplicis speciei communiter recensetur iuxta ritum et formam in eo servatam: aliud nempe est ordinarium et plenum, in quo nempe servantur omnes solemnitates sive a iure positivo inductae sive a naturali, et aliud extraordinarium seu summarium vel oeconomicum, in quo tantum ea locum habent quae a iure naturali exiguntur, caeteris omissis solemnitatibus positivi iuris. Nam, ut ait Maschta

Instit. can. lib. 2, tit. 1, nota 2: « Iudicium quoad substantiam descendit ex iure naturali, quod dictat in republica debere esse aliquas personas publicas, quae litigantibus ius dicant, ne causae per violentiam dirimantur. At quoad solemnitates, iudicium est creatura iuris civilis et canonici, quia solemnitates istae inventae sunt a iure civili et deinde in ius canonicum translatae ». Hinc ducitur natura iudicii summarii prout communiter ab auctoribus canonistis tradi solet: confer Devoti *lib. 4, Instit. can. pag. 41;* Lega in *Praelect. de iudic. eccl., vol. I, pag. 64 et seq.*

Hisce praemissis circa iudicii summarii conceptum iuridicum, advocatus deducit in eodem iudicio requiri: *1)* ut adsint actor, reus, et iudex, quia Barbosa in *tit. de iudiciis n. 7,* iudicium in genere definit « actum trium personarum iudicis, actoris, et rei in iudicio legitimo contendentium »; *2*) requiritur aliqua petitio loco libelli, partium citatio, probatio et defensio ac definitiva sententia, quibus profecto opus est ut verum iudicium habeatur. Quae sancita inveniuntur in *Clementina - Saepe contingit... De verbor. signif.,* ubi declarato, quid in iudicio summario omitti possit, ita prosequitur: « Non sic tamen iudex litem abbreviet, quin probationes necessariae et defensiones legitimae admittantur. Citationem vero et praestationem iuramenti de calumnia vel malitia, sive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem huiusmodi intelligimus non excludi ».

Age vero, ait advocatus, in proposita quaestione, nempe in iudicio summario in quo agitur de bonis et interesse levioris momenti alicuius ecclesiae seu fabricae parochialis, nulla se prodit necessitas citationis et interventus procuratoris fiscalis, cum ecclesiae fabrica a parocho sit legitime repraesentata, et proinde ab ipso convenienter defendi potest. Ergo concludit, ipsa natura iudicii summarii considerata, interventus in eo promotoris fiscalis non est necessarius.

Neque diversa est conclusio, si natura ipsius officii ad trutinam revocetur. Sane iuxta Bouix *De iudiciis eccles. vol. I, pag. 472,* promotor fiscalis est persona legitime constituta ut iura fisci ecclesiastici tueatur et eius loco in iudicio agat et respondeat. Hoc autem institutum esse a iure positivo derivatum, patronus probat primo ex quaestione circa eius originem, cum plures doctores retineant hoc officium, iure romano incognitum praesertim in causis criminalibus, exortum primo fuisse a procuratoribus regiis in Gallia; confer Lega *l. c. n. 134 in nota.* Deducitur insuper ex praxi in multis curiis ecclesiasticis vigenti, in quibus tantum habetur promotor fiscalis criminalis, uti refert Ferrari in *Summa Instit. canon. vol. 2, not. 3;* quod respondet instructioni S. C. Episc. et Regul. diei 11 Iunii 1880, quae in *art. 13* interventum seu necessitatem procuratoris fiscalis tantum in causis criminalibus praescribit: « Unicuique Curiae opus est procuratore fiscali pro iustitia et legis tutela ».

Quin imo quamvis procuratoris fiscalis interventus in omnibus iudiciis criminalibus sub poena nullitatis requiratur iuxta Pellegrini, *par. 4, sect. 1. n. 20,* tamen abstrahendo ab hac iuris positivi dispositione, uti tradit Bouix, *l. c. vol. 1, pag. 475,* absolute posset aliquod criminale iudicium expediri sine eiusdem interventu. « Vel enim via accusationis proceditur, et tunc personam actoris agit accusator; vel via inquisitionis, et tunc praevia fama publica de patrato delicto, dicitur actoris partes sufficienter supplere ».

Ex elucubratis circa indolem officii promotoris fiscalis, cum ea ex iure humano sit repetenda, infert quod interventus fiscalis procuratoris in iudiciis non potest computari inter solemnitates a iure naturali praescriptas, et proinde eius citatio et auditio in iudiciis summariis, in quibus proceditur de plano, tantum facti veritate inspecta, non est necessaria. Deinde dato etiam et non concesso, quod eius praesentia requiratur, procuratoris designatio et deputatio fieri deberet vel a Vicario Generali vel ab Episcopo sub poena nullitatis, cum fiscalis promotor sit species procuratoris seu ut quilibet alius mandatarius. Sed cum in iure admittatur etiam tacita procuratoris deputatio, uti docet Schmalzgrueber, *tit. de procurat. n. 25 et seqq.* huiusmodi deputatio in casu dici posset ab Episcopo collata in parochum, qui est naturalis fabricae ecclesiae paroecialis administrator.

Idque eo magis retinendum censet, quia promotor fiscalis, ut quilibet alius procurator, non agit pro praesente, sed pro absente, qui per se nequit sese defendere: uti in beneficio vacante, quod rectore caret, et hinc ei deputari solet defensor ex officio; ita etiam fieri solet pro vinculo matrimoniali, et professionis religiosae, in S. Ordinatione, in criminum persecutione, quia in his vinculum matrimonii, professionis religiosae, sacra ordinatio, et lex criminosos coërcens carent tutela seu defensore: confer Lega, *l. c., n. 69.* At haec necessitas deputandi in iudicio summario defensorem ex officio, quando prouti in casu agitur de tutando interesse levioris momenti fabricae paroecialis, prorsus exulat, cum ea iuridice a parocho proprio sit repraesentata.

Demum necessitatem interventus fiscalis in summario iudicio de quo agitur, sub poena nullitatis advocatus excludendam putat, tum quia ea neque in omnibus criminalibus causis admittitur, uti superius notatum est, tum quia ea ad summum est coarctata tantum ad iudicia poenalia ecclesiastica; neque haec praescriptio extendi potest ad ecclesiastica iudicia civilia, quia dispositiones in materia poenali stricte sunt interpretandae. At non tantum ex communi iure hic promotoris fiscalis interventus non exigitur sed neque ex iure particulari in Hispania vigente. Hoc probat tum factum ipsum Curiae Santanderiensis, quae summarium iudicium in casu complevit, tantum servatis his quae iuxta citat. Clementinam *Saepe contingit* requiruntur, tum duae decisiones tribunalis Burgensis et primi turni Rotae Matritensis confirmatoriae editae sententiae a Curia Santanderiensi.

In tertio tandem capite, qui partes Curiae Santanderiensis gerit, necessitatem interventus promotoris fiscalis impugnat ex ipsa natura officii parochialis, cuius est tueri et administrare bona temporalia ipsius fabricae ecclesiae. Ut id evincat, recolit originem historicam fabriceriae parochialis. Antiquitus bona ecclesiae administrabantur ab Episcopo per clericos oeconomos et praesertim diaconos, penitus laicis exclusis. Serius facta divisione favore rectorum ecclesiarum, pars dictorum bonorum destinata fuit pro conservanda et reparanda fabrica ecclesiae, et haec ab ipsis rectoribus administrabatur, qui tamen in consilium coeperunt adsciscere laicos, et sic ortum habuit consilium fabricae, seu fabriceria ecclesiae, et hoc praecipue locum habuit quoad bona paroecialia: confer Sebastianelli, *Praelec. Iur. can., De personis l. I, n. 389.* Hi vero laici erant tantum adiutores et consiliarii parochorum in huiusmodi administratione: confer Sebastianelli, *l. cit.* Gignac in *Compendio Iur. can. v. 1, n. 721.* Bargilliat in *Praelect. Iur. can. n. 1359.* Aichner in *Compendio Iur. eccl., § 223,* qui testatur hanc disciplinam inductam fuisse etiam in imperio Austriaco ex art. xxx concordati.

Ex his colligit quod proprius et verus defensor fabricae paroecialis est ipse parochus; et huic proinde auctores recognoscunt personam iuridicam standi in iudicio: ita Schmalzgrueber lib. 2, n. 4, ait: « Ius agendi super rebus et iuribus ecclesiae parochialis ad parochum spectat, quia competit ei de iure administratio ». Eadem tradunt Bouix,

de parocho, pag. 604, Aichner *l. cit.* § *222, n. 2 et 225, n. 2,* et praesertim Lega qui opere cit. v. 1, n, 69, haec edisserit: « Pupillis et minoribus aequiparantur iure canonico, ecclesiae et aliae personae morales ecclesiasticae, quae sub perpetua censentur esse tutela; quippe per se ipsas in iudicio stare non possunt, at per proprios Praelatos, Rectores et Administratores, agere et defendere se debent in iudicio. Ratio vero ob quam Praelatis, Rectoribus et Administratoribus competat agere et respondere pro his personis in iudicio, est, quod qui liberam administrationem habent alicuius rei, quoad illam agere et conveniri possunt... Ex quo sequitur 1.° In beneficio in ecclesia parochiali non conventuali, et in quocumque simili ente iuridico non collegiali nec adnexo corpori morali, eius rectorem seu ordinarium administratorem ius habere agendi et respondendi hac de re etiam in iudicio, nisi a superiore vel a tabulis fundationis legitime aliqua ex parte ei limitatum sit ius administrationis ex cap. 21 de rescriptis ».

Insuper observat quod hoc parochi ius in dioecesi Santanderiensi est etiam roboratum diocesana lege, ita decernente in vernacula lingua: « El parroco tiene la representacion « legal de todos los derechos y acciones de su parroquia « activa y pasivamente asi en juicio come fuera de él »,

Cum itaque, concludit, parochus sit legitimus administrator et defensor suae ecclesiae seu fabricae parochialis, et laici in consilio fabricae adsint uti puri adiutores, proindeque parocho competat iura fabricae in iudicio ordinario experiri tum ex communi, tum ex speciali lege, sponte sua fluit, ut id ei multo magis liceat in iudicio summario; et hinc necessitas interventus procuratoris fiscalis in eodem iudicio omnino est reiicienda.

Ex adverso haec adverti possunt. Quidquid sit de origine historica promotoris fiscalis, videtur nunc in dubium non posse revocari quod eius officium duplex sit, nam eius solertia explicatur tum in vindicandis et tutandis bonis ecclesiae, tum in insectandis reis eorumque punitionem urgendo in foro ecclesiastico, uti tradit De-Angelis in suis *Praelect. can. lib. 2, tit. 1, n. 34.* Iam vero necessitas interventus procuratoris fiscalis in omnibus iudiciis civilibus ecclesiasticis in quibus agitur de interesse temporali ecclesiae seu de administratione bonorum ipsius, videtur posse confici ex ipso conceptu et scopo procuratoris fiscalis, cum ipse sit natus defensor bonorum ecclesiae, et a lege sit constitutus ipsorum vigil in tota dioecesi. Quare cum ipse speciale habeat interesse in huiusmodi causis, semper citandus et audiendus est sub poena nullitatis, sive iudicium evolvatur ritu solemni sive ritu summario, cum de naturali solemnitate sit, ut semper audiantur interesse habentes.

Haec vero doctrina seu conclusio videtur posse roborari auctoritate Card. De Luca qui in discursu 3, *de iudiciis,* n, 59, haec ad rem tradit: « Quin imo etiam in Episcopis aliisque inferioribus datur haec discretio, in quibus ipsamet ecclesia, vel mensa sit pars interessata, quoniam oeconomus vel promotor fiscalis, partes actoris vel rei gerere dicitur. Unde propterea receptum habetur in materia iurispatronatus vel in similibus causis etiam solum iurisdictionalibus, vel praeeminentialibus, quod sententiae aliaque acta ipsiusmet Episcopi vel Praelati corruunt, non citato neque audito promotore fiscali, cum ita iudicii partes essentiales deficere dicantur, super concursu trium personarum actoris, iudicis et rei ».

In casu vero proposito de fabrica ecclesiae parochialis, videtur concurrere specialis ratio pro interventu procuratoris fiscalis in huiusmodi iudiciis quantumvis summariis. Scitum enim est iuxta dispositionem Conc. Trid. *sess. 22, de reform.* quod fabricae ecclesiae administratores singulis annis tenentur reddere rationem suae administrationis Episcopo vel loci Ordinario. Unde bona ab ipsis administrata sunt sub speciali Episcopi vigilantia, cuius partes repraesentat fiscus seu promotor fiscalis. Hinc si parochus utpote unus ex praecipuis fabricae administratoribus iura eiusdem fabricae cum permissu Ordinarii vindicare valet in iudicio, ex hoc non sequitur quod in eo sit excludendus praecipuus tutor et custos nempe fiscalis procurator.

Neque huiusmodi quaestiones inter coadiutores et parochos relate ad quaedam iura quae forte a parochis ecclesiae fabricae iam fuerint applicatae, censendae sunt levioris momenti quaestiones. Praetermisso enim quod ex his scandala et rixae non leves exoriri solent, habenda etiam ratio est praeiudicii, quod obvenire potest tum ecclesiae et cultui divino, tum successoribus in beneficio. Itaque maxime conveniens et necessarius extat concursus in his iudiciis procuratoris fiscalis, qui cum nullum interesse personale habeat, validius et integrius iura ecclesiae tutari valet.

Neque ultimo loco omittendum quod procuratoris fiscalis concursus in iudiciis omnem praecludere valet aditum parochorum negligentiae in iuribus fabricae defendendis. Ad hanc impediendam in administratione Concil. Trid. *in cit. capite* praescripsit administratoribus fabricarum annualem redditionem rationum; in iudiciis vero quando in controversiam veniunt iura stolae iam fabricis ecclesiarum applicata iuxta dispositionem eiusdem Concil. Trid. *sess. 23, cap. 1, De Refor.*, parochorum negligentiae in his tutandis occurritur, per procuratoris fiscalis interventum, et ita vitatur ecclesiae praeiudicium.

De hac eventuali parochorum segnitie quoad iurium fabricae conservationem in dioecesi Santanderiensi non obscure innuit sententia secundi turni Rotae Matritensis in uno ex motivis eidem sententiae alligatis, quod heic subiicere operae pretium duco italico idiomate versum: « Considerando che « questa necessità dell'intervento Fiscale si fa più e più « evidente tenendo conto delle dichiarazioni prestate in prima « istanza dai signori parroci e coadiutori della città di San« tander affermando quelli che sempre bonificarono a questi « sebbene assenti, i diritti di funerali, senza attendere per « nulla a quanto dispone tassativamente l'art. 21 della « tariffa della loro diocesi (circa residentes in civitate, sed « non intervenientes funeribus in paroecia, licet ad id obli« gatos); potendo perciò risultare grave pregiudizio alle fab« briche parrocchiali di Santander, nel qual caso incombe « al Fiscale di fare i reclami necessari fino a tanto che si « redintegrino le dette fabbriche delle somme indebitamente « percepite dagli assenti, eccetto i casi d'infermità o di « occupazione parrocchiale... ».

Cum itaque promotor fiscalis maximum habeat interesse defendendi bona ecclesiae temporalia, iuxta propositum casum in quo haec bona in discrimen iudicialiter vocari possunt, eius interventus in causa et consequenter eius citatio et auditio, videntur esse maxime necessaria.

Haec de more delibata modo erit EE. VV. ad trutinam revocare.

Quare.

Rescriptum fuit: *Ad dubium propositum ab Episcopo, Negative.*

B. — In folio.

1253/5 I.

Vintimilien. Dispensationis matrimonii.

Dispensatur super matrimonio rato et non consummato, quia constat matrimonium mansisse inconsummatum ex eo quod sponsi nunquam solus cum sola manserunt.

Haec causa matrimonii inter Dominicum et Catharinam, die 10 Decembris anni 1903, in parochiali S. Iosephi Ecclesia Vintimiliensis dioecesis initi, proposita primum fuit in generalibus H. S. C. Comitiis diei 29 Iulii 1905.

Ferunt uxorem vix celebrato matrimonio eodem die aufugisse, quin amplius maritus eam reperire potuerit, unde matrimonium inconsummatum mansisse videtur. Haec sane vir fassus est: « Celebrato il matrimonio tornai a casa di « mio padre sempre accompagnato dagli stessi... Qui facemmo « tutti insieme colla mia famiglia una modesta colazione. « Poi sono uscito colla Caterina, con mio fratello Gio. Bat- « tista e con Adele per andare presso la sarta a ritirare « un vestito della mia sposa... Essa salì con sua sorella « dalla sarta. Non ho più veduta la Caterina dal momento « che l'accompagnai presso la sarta, e giuro di non aver « consumato il matrimonio colla detta Caterina ».

Mulier pariter declaravit se virum reliquisse, tum quia nullo erga eum affectu ferebatur, tum etiam quia ipse atque eius pater post celebratum matrimonium ab ea petierunt ut pecuniam, qua eadem potiebatur, iis traderet, adeo ut sibi persuasum fuerit huiusmodi matrimonium dictae pecuniae tantum aviditate fuisse initum. Itemque asseruit se nunquam matrimonium cum eodem Dominico consummasse, neque ullo modo coniugalem instaurandi vitam se paratam esse.

Quare vir tali modo deceptus, ab Ordinario Vintimiliensi petiit ut suum matrimonium cum Catharina contractum, utpote tantum ratum, apostolica dispensatione solveretur.

Recolendum tamen est Ordinarium, nulla habita apostolica delegatione, processum instruere iussisse, delegando Vicarium Foraneum districtus *Sanremo*, ut personas quae rei notitiam haberent examinaret. Verum idem Vicarius, quin actuarii opera uteretur, ac deficiente ipso vinculi defensore, quosdam tantum testes extraiudicialiter excepit. Mulier iterum iterumque citata comparere renuit. Unde proposito dubio: « *An sit praestandum SS.mo consilium pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu* », Vos, EE. PP., rescribendum censuistis: « *Fiat novus processus iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio* ».

Hinc ea peracta die 19 Augusti elapsi anni 1905 eidem Episcopo rescriptum est, ut iuxta canonicas regulas processus iuridicus in casu fieret. Ad parcendum autem quantum fieri posset tum tempori tum sumptibus, H. S. O. ex benignitate concessit, ut aliqualis tum de actis tum de interrogatoriis, quae extraiudicialiter iam peracta fuerant, ratio haberetur.

His habitis, Vintimiliensis Episcopus, cum testes examinandi in oppido *Sanremo* domicilium haberent, neque ad Curiam accedere possent, Ecclesiae S. Siri eiusdem loci Praepositum subdelegavit, ut una cum vinculi defensore atque actuario eos ibi excuteret.

Quare mense Novembri eiusdem anni, praeter testes iam excussos, qui idem fere ac antea deposuere, duorum aliorum testimonia excepta sunt, scilicet Annae ac S. Iosephi parochi. Verum quamvis praeter subdelegatum iudicem adfuerit etiam vinculi defensor atque actuarius, nulla tamen pro testibus praehabita fuisse interrogatoria apparet.

Mense insuper Aprilis currentis anni 1906 aliud peractum est testium examen, quos inter adfuit ipsa mulier Catharina, quae cum serius, post scilicet statutum a iudice tempus ad comparendum, advenisset, ab eodem solummodo sub iuramento excussa est, prout ex ipsius Praepositi scripta relatione diei 10 Iulii constat.

His expletis, idem Episcopus die 17 Iulii ad H. S. C. acta transmisit.

Quare rogantur EE. PP. ut, praeteritis resumptis foliis, novisque perpensis tum actis tum defensoris vinculi animadversionibus, sequens dirimere velint

DUBIUM

An sit praestandum SS.mo consilium pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu?

Responsum fuit: *Affirmative.*

2809/6 IV.

Piscien. — Dispensationis matrimonii.

Conceditur dispensatio super matrimonio rato et non consummato, praevia sanatione super defectu delegationis, et monitis Curiae ministris ne huiusmodi processus instruant absque S. Sedis delegatione, et non servatis canonicis normis.

In ecclesia Pontis Bovianensis, dioecesis Pisciensis, die 26 Novembris 1904 Orestes ac Maria matrimonium inierunt.

Maria vero quae iam antea cum quodam Augustino illicitum foverat amorem, ab eoque prolem susceperat, cum frustra pertentasset ut iste seipsam in uxorem duceret, suo quodammodo honori consulendi causa, nonnisi aegre ad matrimonium contrahendum cum eodem Oreste inducta fuisse videtur.

Hoc inito, coniuges, comitantibus parentibus, sponsae domum petierunt, ibique coena, aliis adstantibus convivis, peracta est. Nunquam autem simul in eodem loco convenisse, nec sub eodem tecto cohabitasse videntur. Imo sequentis diei mane, ut aliique testes referunt, Episcopus, sponsa, quin matrimonium, uti narrant, cum legitimo sponso consummaverit, fugam arripuit, atque apud Augustinum sese contulit, cum quo in posterum, civili, prout vocant, matrimonio inito, communem vitam instituit. Haec sane ex viri depositione habentur: « Interrogato il teste se abbia « consumato il matrimonio risponde negativamente, dichia- « rando che non ebbe libertà nè tempo di poterlo fare ».

Exinde Maria ut suae conscientiae consuleret, Ordinarium adiit, petiitque ut suum matrimonium cum Oreste contractum, utpote non consummatum, apostolica dispensatione solveretur.

Idem Episcopus, ulla praehabita ab H. S. C. delegatione, processum instituit. Ambo coniuges nec non septimae manus utriusque partis testes, quamvis praestito iuramento excussi fuerint, nulla tamen eis interrogatoria facta fuisse apparet; iisque peractis, die 27 Iunii currentis anni eadem acta ad H. S. C. transmisit, seduloque oratricis petitionem pro dispensationis gratia obtinenda commendans, haec adnotavit: « quum, post hos testes auditos, talem ipsius facti scientiam Nobis formati simus, qui certi atque convicti esse possimus cum omni certitudine duos coniuges nullo modo matrimonium consummasse, tantoque malo morali et religioso remedium afferre cupientes, et legitimam reddere prolem iam natam: statuimus, post perpensum rei examen, confirmationem seu comprobationem apud Summum Pontificem supplicis libelli

Mariae, cum quo ea solutionem poscit ipsius matrimonii cum Oreste, quum ex processus examine illatum sit adesse absque dubio duo iura necessaria ad hanc gratiam postulandam, idest, probatio de non consummato matrimonio, et iusta causa illud dissolvendi.

Iisdem itaque perpensis actis, una cum Consultoris voto ac Animadversionibus defensoris vinculi ex officio, EE. PP. erit sequens dimittere

DUBIUM

An sit praestandum SS.mo consilium pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu?

Responsum fuit: *Affirmativè, praevia sanatione super defectu delegationis, et monitis Curiae ministris ne huiusmodi processus instruant absque S. Sedis delegatione et non servatis canonicis normis.*

Votum Theologi.

EE. et RR. Patres,

Maria matrimonium iniit coram Ecclesia cum Oreste, die 26 Novembris 1904. At ad hoc matrimonium quasi coacta fuit moraliter, cum enim amorem illegitimum foveret cum quodam Augustino, ex illo prolem accepit. Ut igitur honori suo consuleret, legitimo matrimonio voluit se iungere cum homine, quem non amabat. Augustinus enim noluit ei nubere. Matrimonio celebrato, tertia iam die uxor aufugit e domo paterna et Augustinum adiit, cum quo hucusque vivit. Ipsa anno sequenti recursum fecit Ordinario suo ad obtinendam a Sancta Sede solutionem canonicam matrimonii ab ipsa religiose contracti, quod remansit, ut ipsa asserebat, inconsummatum. Episcopus Pisciensis examen instituit de non consummatione matrimonii et de causis necessariis ad impetrandam a Sancta Sede dispensationem super matrimonio rato et non consummato. Examine hoc peracto, et comprobata inconsummatione matrimonii, Episcopus Pisciensis « cum Sessionibus huius processus una cum vinculi Defensore et Cancellario adfuerit ipsisque praefuerit, in quibus testes fuerunt expensi ut testarentur matrimonium Orestis cum Maria fuisse, iuxta phrasem iuris, ratum et non consummatum, quum post hos testes auditos, talem ipsius facti scientiam sibi formatus sit, qui certus atque convictus esse possit cum omni certitudine duos coniuges nullo modo matrimonium consummasse, tantoque malo morali et religioso remedium efficax afferre cupiens et legitimam reddere prolem iam natam statuit, post perpensum rei examen, confirmationem seu comprobationem apud Summum Pontificem supplicis libelli Mariae cum quo ea solutionem poscit ipsius matrimonii cum Oreste petere ».

Quomodo comprobatur inconsummatio matrimonii in casu? Sane nequit comprobari inspectione corporis mulieris; restat igitur unica comprobatio depositione iurata testium, et haec in casu adest. Ad concludendum matrimonium mansisse ratum et non consummatum iam a Doctoribus unanimiter et ab hoc Sacro Ordine receptum est veluti principium inconcussum, satis esse, ut testes deponant, quod coniuges contracto matrimonio, nunquam una simul in eodem loco convenerint, aut saltem, quod coram aliis personis semper permanserint, iisque videntibus se separaverint, nec unquam sub eodem tecto cohabitaverint, eoque magis si eorumdem testium depositioni accedat assertio utriusque coniugis iuramento firmata, qua pariter matrimonii consummationem excludant, quibus probationibus concurrentibus dubitari nequit, quin ratum tantummodo sit matrimonium. Immo hic, in casu, omnes testes iuramento firmaverunt ea quae dixerunt. Unum solum desideratur, scilicet testificatio de veracitate coniugum. Solus enim pater coniugis de veracitate filiae testatus est At iniuria videtur hoc accidisse.

An vero adsint in casu iustae et honestae causae pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato? Breviter eas Excellentissimus Episcopus enumeravit: « Cupientes, dicit, circum hoc remedium ponere et animarum eorumdem bono providere, et legitimum facere coram Deo filium naturalem, scandala auferre ob hanc causam exorta et domesticam atque religiosam pacem tribus huius Dioecesis familiis restituere ». Pro istis causis solet SS.mus D. N. gratiam huiusmodi dispensationis elargiri.

Quibus perpensis in hac censeo venire sententiam, scilicet: Consulendum SS.mo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

Eam tamen sapientissimo iudicio Vestro EE. PP. humillime submitto, dum summa qua par est veneratione sacram Vestram purpuram deosculor.

Romae, die 9 Augusti 1906.

PAULUS SMOLIKOWSKI, C. R., *Consultor.*

Animadversiones defensoris vinculi ex officio.

DUBIUM

An sit consilium praestandum SS.mo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu?

I. — ANIMADVERSIONES PRAEVIAE.

1. Maria enixe instat, ut SS.mi auctoritate dissolvatur vinculum matrimonii, quod die 26 Nov. 1904 contraxit cum Oreste, adfirmans hoc inconsummatum permansisse.

2. Lectissimus Consultor, qui in casu scripsit, retur precibus Oratricis esse annuendum, quum de matrimonii inconsummatione et de dispensationis causis sufficienter constet, quamvis quoad primum, seu quoad inconsummationem, in casu haberi nequeat, ut in propatulo est, argumentum ex physica mulieris inspectione.

II. — ANIMADVERSIONES IN MERITO.

3. Lectissimo Consultori si esset pure et simpliciter credendum, ut eius verba exigere videntur, unicus defectus processum hunc inficit, seu quod testes haud deposuerint de coniugum veritate. *Unum solum* (ait ipse pag. 2) *desideratur, scilicet testificatio de veracitate coniugum. Solus enim pater coniugis de veracitate filiae testatus est. At iniuria videtur hoc accidisse.*

4. Utrum hoc acciderit iniuria vel non, aliorum sit aestimare. Sed meum est advertere in primis hoc peccatum certe non esse leve, quum testes septimae manus in causis de impotentia et in processibus in ordine ad dispensationem super rato PROPRIE POTISSIMUM ADHIBEANTUR AD FIDEM FACIENDAM DE VERACITATE CONIUGUM, ut bene norunt omnes, qui vel a limine salutaverunt librum IV Decretalium, Tit. *De frigidis et maleficiatis*, atque Commentaria Doctorum in eumdem.

5. Ulterius notare debeo altius peccatum fuisse in hoc processu, seu RADICITUS, in quantum Curia Pisciensis confecit processum ipsum auctoritate sua ordinaria, seu auctoritate, qua carebat. Nam, si hinc notum est ad hos processus in ordine ad efflagitandam dispensationem super rato requiri auctoritatem SS.mi, hinc R. P. D. Episcopus Pisciensis (absint verbo invidia ac irreverentia, nam ex muneris religione loquor) haec advertit in processus exordio: « *Quae cum ita sint et quum hi coniuges asseruerint eorum matrimonium esse ratum et non consummatum, ac proinde se cupere recursum facere ad Sanctam Sedem ut solutionem obtineant et tali modo reciprocam acquirant libertatem, et ut Maria possit se religiose matrimonio iungere cum Augustino cum quo iam se iunxit civiliter (notandum quod coniugum in-*

stantiae sunt a parocho quam maxime commendatae): Nos, omni adhibita diligentia in rei examine, cupientes circum hoc remedium ponere et animarum eorumdem bono providere et legitimum facere coram Deo filium naturalem, scandala auferre ob hanc causam exorta et domesticam atque religiosam pacem tribus huius Dioecesis familiis restituere: utentes Nostra Ordinaria potestate et iuribus quae leges divinae et ecclesiasticae Nobis concedunt in negotiis et causis matrimonia inspicientibus: statuimus tribunalis constitutionem, quod, iuxta leges divinas et canonicas, factum, de quo in casu, perpenderet ».

6. In quorum verborum conspectu, nihil mirum si ego Vindex advertam processum hunc ingemiscere posse ut regium psaltem et perdolere se originali tabe foedari: *Ecce enim in iniquitatibus* (seu in themate PECCATO IURIDICO) *conceptus sum!*

7. Nec alia peccata desunt, nec mirum quod peccatum originale sequantur alia! Nam fuissent et partes et testes excutiendi prout de iure, seu ex interrogatoriis concinnatis et exhibitis a Defensore Vinculi.... quorum interrogatoriorum tamen nihil in actis... Insuper responsiones fuissent referendae in scriptis, seu in actis, in persona respondentium, ut volunt regulae actuariorum, et e contra referuntur in sub persona tertia: *Interrogato* RISPONDE etc. Conferatur v. g. interrogatorium matris oratricis: « *Interrogata risponde* « *che sua figlia Maria, compito il rito religioso la sera del* « *sabato, tornò in casa etc.* ». OMISSIS. « *Tornati in casa, la* « *teste afferma che lo sposo se ne andò pei fatti suoi* ». OMISSIS. « *Finisce coll'affermare* etc. ». Paucis, responsiones referuntur *historice* et non *personaliter*.

8. Quibus stantibus, nihil mirum si ego Vindex, salva reverentia debita Curiae Pisciensi et Consultori, rogo, ut, processualibus hisce tabulis, vix processus indolem praeseferentibus aut nomen merentibus, pro infectis habitis, mandare velitis PP. EE. quod *processus canonicus fiat iuxta instructionem dandam.*

9. Quare etc.

CAROLUS LOMBARDI
Defensor Vinculi ex officio.

Poterit imprimi
IOSEPH MORI, *Auditor.*

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

MEDIOLANEN.

Conceditur usus cappae magnae duobus parochis e civitate Mediolanensi.

Cum RR. Praepositi parochi omnium fere Basilicarum, quae in Metropolitana civitate Mediolanensi stationales vulgo appellari solent, privilegio fruantur utendi in sacris peragendis cappa magna mustelina vel serica rubri coloris pro temporum diversitate, caeterarum Basilicarum Sancti nempe Victoris ad corpus et Sancti Simpliciani in eadem civitate, quae pariter stationales nuncupantur, Praepositi parochi RR. DD. Hermenegildus Pogliani et Clemens Alfieri, qui hactenus eo privilegio insigniti non sunt, die 5 Decembris hoc anno supplices ad Apostolicam Sedem dederunt litteras, quibus SS.mum D.num Nostrum Pium PP. X obsequiose exorarunt, ut sibi etiam in sacris obeundis ministeriis cappam magnam, qua Praepositi parochi omnium fere Basilicarum stationalium iam cohonestantur, Apostolica auctoritate benigne tribuere dignaretur.

Sanctitas Sua, me referente infrascripto Sacrae Congregationis consistorialibus rebus expediendis praepositae Substituto, omnibus mature perpensis, attenta Basilicarum Sancti Victoris ad corpus et Sancti Simpliciani vetustate ac dignitate, attenta etiam Viri E.mi Andreae S. R. E. Presbyteri Cardinalis Ferrari Mediolanensis Archiepiscopi commendatione, ad splendorem divini cultus augendum, atque ad stimulos adiiciendos Praepositis parochis Basilicarum Sancti Victoris ad corpus et Sancti Simpliciani, quo ipsi in spirituali animarum salute procuranda alacriores in dies fiant, eorum vota benigne excipere dignata est. De Apostolicae itaque potestatis plenitudine Beatitudo Sua Praepositos parochos oratores a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis poenis a iure vel ab homine, quovis modo vel quavis de causa latis, si quibus innodati existant, huius tantum rei gratia absolvens et absolutos fore censens, iisdem, eorumque in perpetuum legitimis successoribus, benigne indulsit, ut intra limites Mediolanensis Archidioecesis, ad instar aliorum parochorum qui in Metropolitana Mediolanensi civitate Basilicis stationalibus, uti aiunt, praesunt, cappa magna mustelina vel serica rubri coloris in sacris peragendis uti licite ac valide possint et valeant, salvis ritualibus dispositionibus aliisque de iure servandis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Ad praemissa autem exequenda, eadem Sanctitas Sua deputare dignata est Virum E.mum Andream S. R. E. Presbyterum Cardinalem Ferrari Mediolanensem Archiepiscopum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, iussitque praesens hisce super rebus edi consistoriale decretum, perinde valiturum ac si super praemissis Apostolicae Litterae sub annulo Piscatoris expeditae fuissent, et inter Acta referri Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die 28 Decembris anno D.ni 1905.

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Secretario
IULIUS GRAZIOLI, S. C. Consistorialis et S. Collegii, *Subst.*

E SACRA CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

8451/15

I.

Ponente E.mo ac R.mo
Cardinali ALEXANDRO SANMINIATELLI
Die 14 Iulii 1905.

Ianuen. — Funerum.

Quum in dioecesi Januensi vigeat praxis, quod missa funebris, etiam ultro biduum celebrata,

loco funeris proprie dicti habeatur, parocho ius inest eam peragendi, vel si in ecclesia Regularium celebretur, emolumenta sibi propria exinde obventura, percipiendi. Nomine S. C. iniungitur parochis civitatis Januen. ut in vigorem revocent praescriptiones Ritualis Romani.

Quum die 29 Novembris 1902, in eccl. paroec. Ianuensi S. Rochi obiisset vidua Pessina, pro illius cadavere usque ad coemeterium comitando, de vespere vocatus fuit a parentibus vice-parochus, cum onere ibidem die insequenti Missam celebrandi. Sed cum tali die, utpote festivo, Missam persolvere ipse teneretur in paroecia, cadaver ad coemeterium delatum fuit absque ullo cleri interventu, vigore antiquae consuetudinis localis, vi cuius cadavera ad coemeterium directe et privatim noctu deferuntur, et funera ad diem septimam vel trigesimam remittuntur. Porro die 11 Decembris in Ecclesia Visitationis Fratrum Minorum Missa funebris celebrata fuit, inconsulto tamen parocho, qui propria emolumenta repetiit. Detrectantibus vero Religiosis, res delata fuit ad S. C. EE. et RR. sub infrascripto dubio resolvenda.

Emissa protestatione, patronus parochi contendit Missam funebrem in casu esse verum ac proprie dictum funus, ideoque quartam funerariam parocho S. Rochi competere. Quod inprimis deducit ex iure communi, et praesertim ex Decretalibus (*lib. 3*, *tit. 28*, *cap. 1*), ubi statuitur: « Sed quia dignus est operarius mercede sua, tertiam partem sui iudicii illi Ecclesiae dari censemus in qua coelesti pabulo refici consuevit »; et insuper ex Clementinis (*lib. 3*, *tit. 7*, *cap. 2*) decernentibus quod etiam Regulares « quartam partem parochialibus sacerdotibus et Ecclesiarum rectoribus seu curatis largiri integre teneantur ».

Haec confirmantur, ait orator, ex iis quae leguntur tum in Synodo dioecesana anno 1838 (*cap. 24*, § *8*): « Si contingat funus aliquod, non in Ecclesia parochiali....., sed in Ecclesia Regularium vel alibi ex voluntate parentum celebrari, quae cerae quantitas, Ecclesiae, in qua funus locum habuit, est oblata, parochiali Ecclesiae offeratur prout cautum est anteactis Synodis et nostrorum decessorum constitutionibus »; tum in postrema Synodo anno 1896 (*cap. 24*): « Si funera potiusquam in propria paroecia, inconsulte in alia Ecclesia etsi Regularium fiant, inde recepta emolumenta parocho cui debebantur reddi volumus et decernimus ».

Huic conclusioni consonant declarationes ipsius Vicarii Generalis, necnon Praepositi Collegio urbano parochorum, qui deponunt in civitate Ianuensi, quoties associatio funebris in forma tantum privata peracta fuerit vel penitus omissa, tunc, vi immemorabilis consuetudinis, solemnia funebria, quae inde in qualibet celebrantur Ecclesia, tamquam verum ac proprie dictum funus haberi, ac proinde emolumenta spectare parocho defuncti.

Ex adverso advocatus PP. Minorum sustinet Missam funebrem die undecima a morte defunctae in casu celebratam pro vero funere non posse retineri. Quod imprimis probare satagit ex decisione S. C. Rituum, diei 24 Iulii 1637, n. 643, ubi declaratur vi iuris communis « in arbitrio esse haeredum exequias facere die 3, 7 et 30 pro defunctis *ubicumque voluerint*, non obstante contradictione parochorum ». Unde arguit patronus, quamvis Missa in themate consideretur veluti de die 8 vel 30, adhuc in PP. Minorum potestate erat illam celebrandi in propria Ecclesia.

Quin imo, hoc verum esse subdit, etiamsi ageretur de propria Missa exequiali. Parochus enim tantum ex voluntate haeredum defuncti, Missam exequialem persolvere valet; quum ex resolutione S. C. R., diei 13 Maii 1879, n. 3474, etiam in aliena Ecclesia et apud Regulares liceat Missam exequialem cantare. Caeterum omni in hypothesi, parochus ex Decretis S. R. C. 2 Dec. 1891, n. 3755, et 13 Februarii 1892, n. 3767 ad 26, huiusmodi Missam exequialem celebrandi ius haberet, « dummodo non ultra biduum ab obitu ».

Nec dicatur, ait patronus, Missam de Requie in themate, locum funerum proprie dictorum tenere potuisse. Nam sub vocabulo *funerum* designantur illae exequiae illique ritus exequiales, qui super cadavere sive physice sive moraliter praesente non ultra biduum ab obitu peraguntur; emolumenta vero funebria iuxta Ferraris (*v.* Quarta, *n. 17*): « de iure communi dicuntur quae ratione sepulturae obveniunt, et quaecumque occasione funerum ad Ecclesiam perveniunt cum defuncti corpore ». Unde si demas ista officia exequialia, ad parochum iure proprio pertinentia, caetera alia officia, quae pro defunctis persolvuntur, spectare dicenda sunt ad Ecclesiam, quae ab haeredibus defuncti electa fuit pro funeribus.

Postremo, patronus asserit in constitutionibus synodalibus dumtaxat agi de funeribus et emolumentis funerariis proprie dictis seu praesente cadavere; consuetudinem vero contrariam non amplius vigere.

Ad rem illustrandam, duorum exquisita fuere Consultorum vota.

In primis, Procurator generalis Ordinis Minorum, de suo voto rogatus, propriis Religiosis favet ea praesertim ratione adducta, quia nimirum iuxta Decretum S. C. Rit., diei 13 Maii 1879, n. 3494, permittitur ut inconsulto parocho, at iuxta fidelium voluntatem, Missa funebris, dummodo haec exequialis non sit nec verum funus secumferat, in Ecclesiis quibuscumque etiam Regularibus celebretur.

Alterius vero Consultoris votum favet parocho, tum quia in antecessum exequiae factae non fuerunt, quae e contra vi localis consuetudinis peragi deberent die septima vel trigesima; sive ratione pompae qua funus celebratum fuit; tum denique quia mens fuit propinquorum defunctae ut Religiosi cum parocho quoad funera et iura convenirent. Addit tandem parti contrariae non prodesse citatum Decretum S. Congreg. Rit., diei 13 Maii 1879, quia in eo agitur de Missa funebri celebrata, sed « postquam funeralia in Ecclesia parochiali persoluta fuerint »; quod proinde non verificatur in casu praesenti.

Unde ad propositum

DUBIUM

An Missa solemnis de Requie in Ecclesia Visitationis Ianuensi a PP. Minoribus Franciscanis celebrata, die undecima post mortem filianae de paroecia S. Rochi, quin in eadem funus persolutum fuerit, pro funere proprie dicto accipienda sit, ita ut percepta emolumenta sint parocho restituenda in casu.

Emi Patres, omnibus accurate perpensis, respondendum mandarunt:

Attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus, recepta emolumenta a Patribus Minoribus parocho tradantur.

Quum ex huiusmodi decisione Fratres Minores gravatos se persentirent, beneficium novae audientiae petierunt et obtinuerunt. Illorum advocatus observat in primis quod, licet attentis peculiaribus circumstantiis dicta resolutio faveat parocho, iis tamen deficientibus, seu in linea iuris favet potius Regularibus, nam in themate non agitur de funere proprie dicto. Patronus praeterea contendit non respondere aequitatis regulis integram emolumentorum restitutionem parocho faciendam, quin ulla relinquatur pars Fratribus Minoribus; assertum vero demonstrare satagit tum ex voluntate propinquorum defunctae, qui Minoribus mediam saltem emolumentorum portionem attribuerant, tum ex bona fide FF. Minorum qui in iure communi innitebantur, tum demum ex rescripto S. C. Concilii, quod in casu consimili anno 1893 pro Minoribus editum fuit.

Parochi vero advocatus etsi rogatus, animadversiones suas tempore utili non praesentavit.

Unde, re iterum ad trutinam revocata, ad propositum

DUBIUM

An confirmanda vel infirmanda sit sententia huius S. Congregationis, diei 14 Iulii 1905, in casu.

Emi Patres rescripserunt:

In decisis et ad mentem. Mens est: 1° *Quod emolumenta parocho restituenda ea exclusive sint quae eidem competerent, si ipsemet praesens adesset;* 2° *quod vero attinet ad funera, Archiepiscopus suos laudabiles conatus prosequatur praecipiendo parochis, nomine huius S. Congregationis, ut in vigorem revocent praescriptiones Ritualis Romani; atque insuper ut corpora fidelium deferantur ad Ecclesiam pro exequiarum celebratione.*

17561
15

II.

Ponente Emo ac Rmo
Cardinali SEBASTIANO MARTINELLI
Die 1 Dec. 1905.

Viennen. — Circa exemptionem monasteriorum a iurisdictione Ordinarii

Quamvis in factispecie plura recenseantur privilegia canoniae in casu concessa, tamen privilegium plenae exemptionis ab Ordinarii potestate non satis apparet probatum, nec ex immemoriali consuetudine, nec ex verbis documentorum pontif. quae sunt potius enuntiativa, quam dispositiva.

Intra fines dioecesis Viennensis extat antiqua canonia seu praepositura Claustroneoburgensis, fundata anno 1113 a pio Leopoldo Austriae marchione, in qua residentiam habent Canonici Regulares. Iam vero, quum dicti Religiosi decertent pro eiusdem Monasterii exemptione a iurisdictione Ordinarii dioecesani, et e contra Ordinarius Viennensis illam deneget, Visitator Apostolicus ab hac S. C. postulat ut quaestio dirimatur iuris ordine servato.

Hae potissimum militant rationes pro exemptione. Imprimis observatur quod regulariter Ordines Religiosi, hinc et Canonici Regulares, gaudent privilegio exemptionis quod proinde iuridice praesumi debet. Ita Passerini (*De homin. stat., vol. 3, quaest. 189, art. 10, n. 711*) docet: « Privilegium generale, per quod Regulares sunt exempti a iurisdictione ordinaria Praelatorum ordinariorum, cum sit expressum in corpore iuris, et tam facto quam iure notorium et manifestum, non est exhibendum ». Et Barbosa (*Ius Eccles. univ., part. 2, cap. 12, n. 22*) haec habet: « Ex privilegiis specialibus Summorum Pontificum omnia fere Regularium Monasteria sunt ab Ordinariorum potestate exempta, sive privilegia directe, sive indirecte per communicationem, talem largiantur exemptionem, et consequenter Monasteria his temporibus habent iurisdictionem pleno iure quasi Episcopalem ». Quoad Canonicos vero Regulares idem Barbosa (*loc. cit., n. 25*) addit: « Canonici Regulares praesupponuntur a Dioecesanorum imperio soluti in 1, 2, 3 et 4 privilegiis Paschalis II dicto Ordini concessis ». Eadem tradit Tamburini (*De iure Abbatum, vol. 3, disp. 5, quaest. II, n. 15*).

Quod vero ad Monasterium Claustroneoburgense spectat, Innocentius II, Bulla diei 30 Martii 1134, ita scribit ad eiusdem fundatorem: « Beati Augustini Ecclesiam (*nempe Claustroneoburgensem*) a nobilitate tua B. Petro oblatam sub defensione Nostra suscipientes, eam Apostolici privilegii robore communivimus ». Et idem Pontifex, in alia Bulla 30 Novembris 1137, circa praefatam Ecclesiam habet: « Ecclesiam S. Dei Genitricis Mariae B. Petro oblatam... sub eiusdem Apostolorum Principis tutelam protectionemque suscipimus, et Apostolicae Sedis privilegio communimus »; dein addit: « Ad indicium autem perceptae huius a Romana Ecclesia libertatis, unum bizantium Nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis ».

Nonne isti omnes dicendi modi exemptionem a potestate Ordinarii significare videntur? Ita Schmalzgrueber (*Ius Canon., vol. 5, part. 2, tit. 33, De privil., n. 268 et 269*) enumerat formulas, quibus Pontifices uti solent ad exemptionem decernendam: « 1° Si in eiusmodi rescripto dicatur Ecclesia aliqua vel Monasterium existere iuris B. Petri, vel ad proprietatem Romanae Ecclesiae, ad Sedem Apostolicam, aut Ecclesiam Romanam specialiter, vel nullo mediante, aut etiam simpliciter pertinere... 2° Si dicatur in privilegio quod Ecclesia talis Ecclesiae Romanae annuum censum solvat in signum et indicium libertatis ab ea perceptae; nam libertas et exemptio idem sonant ». Concinunt Barbosa (*De off. et potest. Episc., part. 3, all. 123, n. 21*); Passerini (*De homin. stat., tom. 3, quaest. 189, art. 10, n. 693*); Tamburini (*De iure Abbatum, disp. 15. quaest. 5, tom. 1*); Donatus (*Rerum Regul. praxis, tom. 1, tract. 13, n. 5 et 6*); Pirhing (*Ius Canon., tom. 5, tit. 27, assert. 1*), etc.

Porro alii Pontifices Ecclesiae Claustroneoburgensi plura concesserunt privilegia, quae exemptionem continere videntur. Ita Eugenius II, Bulla 27 Decembris 1146, dictis Religiosis « Sepulturam liberam concedit, et sententiam Praepositi in parochianos suos..... ratam habet;..... Praeposito potestatem coërcitivam in contumaces (*Religiosos*) concedit ». Item Urbanus III, Bulla diei 26 Maii 1187, Monasterii immunitatem ad ipsos Religiosos extendit, etc. Praetermissis caeteris Pius V, Bulla diei 16 Decembris 1587, exemptionem concessit Ordini Canonicorum Regularium Lateranensium; porro horum Generalis Abbas aggregavit proprio Ordini Monasterium Claustroneoburgense, eidem extendendo omnes facultates ac privilegia Ordinis ipsius. Ergo....

Rationes vero contra exemptionem allatae ita compendiantur.

Animadverti enim potest quod exemptio natura sua non praesumitur. De iure communi, Monasteria et praepositurae, quae intra ambitum dioecesis recensentur, iurisdictioni Ordinarii subiiciuntur, unde probari debet vel per privilegium a Sancta Sede obtentum, vel per legitimam praescriptionem. Porro ex adductis Bullis Romanorum Pontificum privilegium exemptionis minime ostenditur. Nam verba « sub Apostolorum Principis tutelam et protectionem », exemptionem non importare videntur, uti colligitur ex Innocentio III (*cap. ex parte 18, De privilegiis*): « Ex parte tua fuit quaesitum utrum clerici et laici qui litteras protectionis ostendunt, in quibus personae suae expresso nomine cum omnibus rebus suis sub Apostolica protectione consistere declarantur, a iurisdictione Episcopi dioecesani sint exempti. Nos autem tibi respondemus quod per litteras huiusmodi ab Episcoporum suorum potestate minime subtrahuntur ».

Pariter verba « annuus census ad indicium perceptae huius a Romana Ecclesia libertatis », exemptionem non important, quia, ut habet Alexander III (*cap.* Recepimus, *De privilegiis*): « Sicut non omnes qui specialiter Beati Petri iuris existunt, annuatim Apostolicae Sedi censum exsolvunt, ita non omnes censuales ab Episcoporum subiectione habentur immunes ». Sola igitur census impositio etiam *ad indicium perceptae libertatis* non est sufficiens ad arguendam, exemptionem, sed requiritur insuper quod ex Bulla dignoscatur agi in casu de libertate totali, non autem particulari. Iam vero, a Bonifacio VIII (*cap.* Si Papa, *De privil.*) nedum formulae recensentur quibus exemptio totalis concedi solet, sed etiam modus quo ipsa exprimi debet, nempe non *enunciative* sed *dispositive*. Ait enim: « Si Papa in aliquo privilegio vel scriptura non facta principaliter super donatione vel sententia exemptionis, aliquam Ecclesiam ad ius et proprietatem Romanae Ecclesiae pertinere, vel consimilia verba narret, non propterea illius Ecclesiae exemptio est probata, nisi de libertate aliter doceatur. Si autem Ecclesiae vel Monasterio exemptionis privilegio concedendo vel super ipsius exemptione sententiando (cum de ipsius exemptionis negotio ageretur) as erat ipsam Ecclesiam fore exemptam, aut etiam iuris B. Petri, sive ad ius et proprietatem Romanae Ecclesiae, aut sine medio, vel etiam simpliciter pertinere: per hoc plene debet exempta huiusmodi Ecclesia iudicari ».

Nec utiliter pro exemptione adduci valent subsequentes Pontificum Bullae, cum ipsae nihil novi indulgeant, sed privilegia iam concessa tantum confirment. Insuper favore exemptionis utiliter invocari nequit praescriptio quadragenaria, sed requiritur omnino immemorialis, teste Benedicto XIV in Const. *Apostolicae servitutis*, diei 14 Martii 1743. Porro in themate constat Episcopos statuta et ordinationes Canoniae Claustroneoburgensis approbasse et confirmasse, eamque propria auctoritate Canonice visitasse; insuper constat ipsum Praepositum anno 1854 Ordinariis dioecesanis professum fuisse propriam subiectionem.

Tandem aggregatio dictae praepositurae ab Abbate Generali Ordinis Canonicorum Regularium Lateranensium facta, communicare non poterat exemptionem, quae dumtaxat a Rom. Pontifice tribui potest.

Rebus aequa lance ponderatis, ad

DUBIUM

An canonia vel praepositura Claustroneoburgensis Canonicorum Regularium in Austria, dioecesis Viennensis, uti exempta habenda sit ab Ordinarii iurisdictione in casu?

Emi Patres rescripserunt: *Ex hactenus deductis, non satis constare de exemptione.*

17503/15 III.

Ponente E.mo ac R.mo

Cardinali ALEXANDRO SANMINIATELLI

Die 18 Maii 1906.

Posnanien. — Pensionis.

Tum iustitiae, tum charitati consentaneum est ut Episcopus solvat ex aerario domus Emeritorum, vel ex propria pensione quam ipse recipit a Gubernio, annuam pensionem quae a Gubernio solvitur in favorem sacerdotis emeriti, ob laudabile ipsius servitium in animarum cura, quin illum cogat ad vitam communem in domo erecta pro sacerdotibus emeritis.

Postquam Sacerdos Evaristus Gajewski, Posnaniensis dioecesis, per plures annos rexisset paroeciam loci vulgo *Volsterner*, illi anno 1894 nuntium mittere coactus fuit ob superventam sibi infirmitatem, obtenta tamen a Gubernio annua 900 marcorum pensione. Porro anno 1904 quum Archiepiscopus omnes suae dioecesis sacerdotes emeritos simul adunare cogitasset in quadam domo, ubi vitam communem agerent, a Gubernio petiit et obtinuit capitalem fundum clericis iisdem sublevandis destinatum, et dein dictos presbyteros ad praefatam domum inhabitandam invitavit, simul admonens eos qui obedire renuissent, se non amplius pensionem esse obtenturos.

Sacerdos Gajewski recursum obtulit ad hanc S. C., contra talem ordinationem. S. vero Congr. rationibus ab Episcopo adductis perpensis, eidem die 20 Februarii 1905, rescripsit: « Attentis omnibus rerum adiunctis in hoc speciali casu concurrentibus, canonicae aequitati consonum videretur praefatum sacerdotem non inquietare, nec privare impetrata pensione, qua decem ab annis gaudet »; eumque Archiepiscopi charitati commendavit. Archiepus tamen penes hanc S. C. institit ut recederetur a decisis; sed e contra confirmata fuit prior decisio. Quum deinde idem Archiepiscopus exciperet se in presentiarum non habere unde pensionem solveret sacerdoti Gajewski, quam tamen soluturus esset si progressu temporis fundi necessarii superessent, eadem S. C., die 10 Martii 1906, causam proponere censuit in hodierno plenario E.rum Patrum coetu dirimendam.

Suum agendi modum erga sacerdotem Gajewski Archiepiscopus defendit in primis ex eo quod in erigenda praefata Emeritorum domo, prae oculis habuit praescriptum a Bulla Apostolica anno 1821 de circumscriptione ecclesiarum in Borussia, nec non mentem Pii IX pluries expressam. Dein addit quod in dicta domo presbyteris emeritis omnes vitae commoditates praesto sunt, adeo ut ipsis nulla alia supersit cura nisi propriae conservandae salutis. Praetendit insuper quod sacerdos Gajewski sufficiens habet patrimonium, quo et sine emeritura seipsum substentare valet. Quod si sententia ederetur, sacerdoti in casu favorabilis, ex hac

frustranei redderentur labores omnes a se suisque praedecessoribus passi ad eamdem fundandam domum, quum etiam caeteri sacerdotes, eius exemplum imitantes vix illam ingredi vellent.

Ex parte sua, hisce animadversionibus sacerdos Gajewski opponit primo mentem Archiepiscopi in erectione domus pro Emeritis fuisse, ut iidem vitam agerent communem; huic autem menti ipse iam a sex annis satisfacit, tamquam hospes in Collegio Iesuitarum Neo-Pandecensi, sub cuius regula vivit. Postea enumerat pia opera ab ipso peracta; ita ex. gr. integram Ecclesiam paroecialem interius renovavit, eamque paramentis et ornamentis locupletavit, et picturis altaria exornavit; item duo millia marcorum Seminario dioecesano dono dedit, et 50,000 coronas Episcopo Tarnoviensi pro domo Incurabilium donavit. Nunc autem fructus omnes qui supersunt de patrimonio familiari, una simul cum pensione emeritali, ipsi necessarii omnino sunt tum pro victu in Collegio Iesuitarum solvendo,, tum ad substentationem propriae sororis infirmae, tum ad curandas proprias infirmitates, ob quas saepe saepius mitiori Italiae aëre indiget. De caetero, ait, observatio sui Ordinarii asserentis eum sufficienti frui patrimonio ad honestam vitam ducendam, nullus nexus habet cum pensione emeritali, nam ista ipsi debetur ex iustitia et ex beneficii paroecialis resignatione.

Postremo egregius vir de suo voto ab hac S. C. consultus, sacerdoti Gajewski favet. Ille enim ostendit nedum iustitiae sed et charitati consentaneum esse ut praefato presbytero annua solvatur pensio, eo vel magis quod hic in religiosa domo degit, pias fecit oblationes, et nunc in necessitate versatur, uti iam supra dictum est.

Hisce hinc inde deductis, propositum fuit

DUBIUM.

An et quomodo Archiepiscopus solvere teneatur sacerdoti Evaristo Gajewski annuam pensionem marcorum 900 in casu.

Sacra porro Congr. re diligenter perpensa, rescribere dignata est:

Attentis omnibus, affirmative et amplius et ad mentem. Mens est ut Archiepiscopus praedictam pensionem solvat ex aerario domus Emeritorum, si suppetat; si vero non suppetat, ex propria pensione quam ipse recipit a Gubernio, edocta S. Congregatione infra mensem de sollicita executione iam peracta praesentis Decreti.

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

VERONEN. — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Gasparis Bertoni, Congregationis a SS. Stigmatibus D. N. I. C. fundatoris.

Veronae in Paroecia S. Pauli ad campum Martium ex piis honestisque parentibus Francisco et Brunora Ravelli anno 1777 ortus est Servus Dei Gaspar Bertoni fundator Congregationis a SS. Stigmatibus D. N. I. C. Adhuc puer domestica monita et exempla sectatus, virtutibus inter aequales praefulsit. Neque tantum domi et in templo ubi quotidie pietati fovendae assiduus erat, sed et per urbem atque vias oculos animosque transeuntium sibi attrahebat. Ob vitam innocentem atque austeram quam ducebat, velut alter Aloisius Gonzaga condiscipulis indigitabatur. Ingenio ac diligentia praestans, ab inferioribus studiis ad superiora progressus, humaniores litteras a Patribus Societatis Iesu, philosophicas disciplinas in R. Lycaeo S. Sebastiani a celebri professore Zamboni didicit; atque etiam musicen feliciter excoluit. Decimum septimum aetatis annum agens, prouti anteactae vitae ratio suadebat, clericali militiae adscriptus est. Divinae gloriae et suae proximique saluti provehendae unice intentus, scientiis theologicis sedulo incubuit: quo tempore Angelici Doctoris Aquinatis Summam theologicam per quatuor vices integre perlegit. Parochiali Ecclesiae S. Pauli ad campum Martium, de superiorum licentia, addictus diem, devotae orationi, Ecclesiae servitio et scientiae studio, statis horis, dicabat. Sacras caeremonias cum modesta corporis orisque compositione perficiebat admirationem aeque ac devotionem excitando. Tanta vero charitate atque industria doctrinam christianam pueris tradebat, ut a parocho missionarius puerorum appellaretur. A Veronensi Episcopo Andrea Avogadro ad sacerdotii dignitatem evectus, haud multo post a Paroecia S. Pauli ad maiorem S. Firmi paroeciam translatus est. Neque minor fructus in hoc novo agro excolendo diligentiae ac labori Servi Dei respondit. Pueris atque puellis pie educandis plura asceteria aperta sunt. Primo Canossiani Instituti coenobio vix erecto, illarum virginum cura, rogante ipsa fundatrice Ven. Magdalena de Canossa, demandata fuit Gaspari qui eisdem se praebuit optimum pietatis magistrum quandiu vixit, et regulas ipsius Instituti cum sapientia et prudentia conscripsit. In subsidium a rectoribus Ecclesiarum vocatus, quivis Christifidelium coetus illum concionantem salutariter audiebat, praesertim in spiritualibus exercitiis ad methodum S. Ignatii compositis. Veronensi seminario in spiritualibus praefectus officium gessit summa cum laude. Volvente anno 1816 prima iecit suae Congregationis fundamenta quam iuxta finem sibi propositum a Missionariis Apostolicis in obsequium Episcoporum, et a loco fundationis a Sacris Stigmatibus D. N. I. C. nuncupari voluit. Templo ac coenobio aedificato, scholas adiecit iuvenum quos litteris ac pietate imbuendos curavit. Sodalitio iam florente, Servus Dei omnibus praeibat sociis, inter quos nonnulli linguarum peritia, philosophica et theologica scientia, et vitae sanctimonia praestantes fuerunt, atque ipse veluti pater in filiorum sapientia gloriabatur. A Veronensi Episcopo dignus est habitus qui in theologum definitorem, examinatorem prosynodalem et cognitorem de ecclesiasticis vocationibus eligeretur, quibus muneribus obeundis, sicut eligentis expectationi, plene satisfecit. Ulcere in crure vexatus postremos duodecim annos in cubiculo suo immotus transegit, atque inter cruciatus semper alacri animo, ab ipso lectulo patientiae exemplum et doctrinae pabulum omnibus affluentibus praebebat. Tandem, morbo ingravescente, extremis morientium sacramentis et benedictione Apostolica cum Indulgentia plenaria in articulo mortis roboratus, die Dominica 12 Iunii an. 1853 aerumnosam vitam cum beata commutavit. Iusta funebria honorifice persoluta fuere, in

Ecclesia Augustissimae Trinitati dicata, cum multa cleri populique devoti frequentia, habita etiam brevi ac laudativa oratione. Interim sanctitatis fama quam Servus Dei vivens sibi adeptus fuerat, post obitum splendidior eluxit. Hinc in Ecclesiastica Curia Veronensi super eadem fama Processus Ordinarius Informativus institutus fuit et Romam transmissus atque in Actis Sacrorum Rituum Congregationis exhibitus. Quum vero omnia in promptu essent, obtenta dispensatione Apostolica tum a lapsu decennii tum ab interventu et voto Consultorum, instante Perillustri ac R.mo D.no Aloisio Morando Archiepiscopo Brundusino, e Congregatione a SS. Stigmatibus D. N. I. C., huius Causae Postulatore, nomine etiam universae suae Congregationis, attentisque litteris postulatoriis quorumdam E.morum S. R. E. Cardinalium, plurium R.morum Sacrorum Antistitum necnon Praepositorum Generalium aliorumque virorum sive ecclesiastica sive civili dignitate praestantium una cum Seminarii Episcopalis Veronensis moderatoribus, infrascriptus Cardinalis Aloisius Tripepi S. R. C. Pro-Praefectus et eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis sequens dubium discutiendum proposuit: *« An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur? »*. Et E.mi ac R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Cardinalis Ponentis, audito etiam voce ac scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibusque sedulo perpensis rescribendum censuerunt: *« Affirmative seu Commissionem esse signandam si Sanctissimo placuerit »*. Die 20 Februarii 1906.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacri Consilii ratum habuit et confirmavit, propriaque manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praedicti Venerabilis Servi Dei Gasparis Bertoni, Fundatoris Congregationis a Sacris Stigmatibus D. N. I. C. Die 2 Martii, eodem anno.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

✝ Diomedes Panici, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

INFORMATIO

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

Eme ac Rme Dne,

1. Dum intestinis acerrimisque dissidiis magis vexabatur Italia, ac plurium sectarum latebat serpens novae pravitatis mortiferum genus, ac dum ex familiis, ex scholis pietas effugerat, lux quae a Patre luminum emanat, nunquam Ecclesiae Christi defecit. Viros enim excitavit Deus qui improborum hominum fraudes detegerent, eosque constituit super gentes et super regna ut evellerent et destruerent disperderent et aedificarent et plantarent. Quod inter Gaspar Bertoni haud secundum obtinet locum, qui bonis operibus et consiliis, lucis exempla praebuit iuxta illud « luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est ».

2. Is enim qua praestabat prudentia et animarum Deo lucrandarum charitate, omnium morum licentiae ubique pervadenti iuventutem eripere pro viribus connisus est, nova Sacerdotum instituta cohorte qui animos rerum divinarum studio incenderent eosque in Ecclesiae auctoritate continerent. Quo in munere quanta fide sese ipsi egerint nemo est quin noverit; ita vero ut de iis merito illud usurpari possit: « haereditas sancta nepotes eius ».

3. Enimvero a Parente suo exempla petierunt excelsae virtutis: quia quamdiu vixit, tamdiu in divina gloria provehenda insudavit, in frequentiori sacramentorum usu instaurando, in tenellis puerorum animis ad pietatem efformandis, in omnibus iis muneribus obeundis, quae profectissimum Sacerdotem decent.

4. Quae cum ita sint optimum quidem consilium fuit tanti viri causam apud hunc Sacrum Coetum inire ut ei tandem aliquando beatorum coelitum decernantur honores. Alacres igitur partes nostras aggredimur bene sperantes ut votis nostris prospere arrideat exitus.

De ortu et pueritia S. D. necnon de sacerdotalis ministerii partibus sancte obitis.

5. Ex piissimis honestisque parentibus Veronae in Paroecia S. Pauli vulgo « *di Campo Marzo* » nuncupata, Gaspar Bertoni anno reparatae salutis 1780 ortum habuit. Ipsi vero verbis exemplisque omnem adhibuerunt curam ut filius christianis moribus institueretur.

6. Parentum studiis Gaspar enixe seduloque respondit: « lo venivano crescendo e saviamente informando. Ed egli vi rispondeva sì compiutamente, che sembrava meraviglia per quella tenera età e sapeva dell'incredibile agli stessi suoi consolati parenti ». Sic enim brevi virtute profecit ut a pueritia sanctitatis indicia ederet. Ac sane « cogli occhi spesso elevati al cielo contemplava... fin d'allora le bellezze e lodavane la sapienza e bontà del Signore... ed era commovente il vederlo con le mani giunte recitare o balbettare con quelle innocenti e tenerelle sue labbra le preghiere che assai per tempo e avidamente aveva appreso dal labbro materno ». Ex quibus eum sanctum doctumque extiturum esse facile coniectabatur. Quare: « la madre lo chiamava il suo santino, e nutriva per lui stima e venerazione in modo che fatto sacerdote lo scelse per suo confessore ».

7. Idque merito. Nam puerulus nihil puerile gessit. Soli Deo ac B. Mariae Virgini inservire cupiens, precibus ac vigiliis se totum dedidit: « tutti conoscevano nell'indole rarissima di Gasparino un'anima nata unicamente alla virtù, e nel suo giudizio, se è troppo dirlo maturo, certo di gran lunga superiore all'età sua, ognuno vi leggeva un non so che di straordinario, da presagirne quello che le ognor più cospicue e luminose virtù ci resero chiaro e manifesto ». Erat tunc quippe singulare exemplar, quod aequales iure intueri possent et domi et in parochiali templo, ubi quotidie versabatur diu, coelestium rerum meditationibus intentus: « vedendolo assistere alle sacre funzioni per il raccoglimento e per l'esattezza delle sacre cerimonie, rapiva gli astanti in maniera che infondeva nella loro volontà il desiderio di imitarlo ».

— « Era di indole soavissima e la madre sua gloriavasi in modo speciale della sua obbedienza, affermando che se tutti i figli fossero una metà soltanto del suo in docilità ed obbedienza, potrebbero trovarsi felici tutte quante le madri ».

8. Neque maternus amor veritati officiebat. Etenim testes memorant « le mortificazioni che esercitava fin d'allora sul suo corpo » illudque addere gaudent: « in quanto alla pietà era un novello S. Luigi ». « Fin dalla più tenera età si era deciso di voler essere il missionario dei giovani ». Quae omnia tantam in eum admirationem inter omnes excitarunt, « da esser chiamato il Cappuccino Bertoni ». Moderatores etiam in publicis concionibus eum laudare non dubitabant. « Da un predicatore negli esercizi spirituali venne additato come modello ai discepoli pubblicamente ». Quae existi-

matio, lapsu temporis crevit. Rumor enim eximiarum virtutum, quibus id temporis florebat puer, longe lateque sese diffuderat. « Varie persone al suo passaggio dalla casa al Seminario, o si portavano alla finestra per vederlo, o lo additavano per la via come un santo ».

9. Idque merito: precibus enim cruciatibusque sese exercuit atque omnes coluit virtutes. Porro « alla superbia oppose l'esercizio della più fervida orazione e di una profonda umiltà di cuore, alle passioni rispose con severe penitenze e mortificazioni ed ogni maniera di opere di carità ».

10. Pari mentis ardore litterarum excolendis studiis mentem adiecit. Et sane: « i genitori lo misero a scuola infantile presso una buona maestra che lo chiamava il suo santino » et « si diportò verso i superiori e maestri con rispetto e venerazione ». Atque etiam: « grandissima fu la riverenza ed il rispetto e l'obbedienza che sempre ebbe per i suoi professori in modo che era l'esemplare di tutti; e ricordava, mettendola in pratica, la sentenza di Cicerone: Rispetta nei professori l'autorità medesima dei genitori ». Pariter: « durante il tirocinio di tutte le scuole, fu esemplare, e specialmente da chierico lesse per quattro volte tutta la Somma di S. Tommaso ». Doctrinam tamen semper pietate temperavit. « Il Bertoni apprendeva avidamente quelle lezioni, e conoscendo quanto gli fossero importanti per la carriera sublime, alla quale già si sentiva chiamato, vi intendeva l'animo per modo come se ad altri avesse dovuto insegnarla ».

11. Decimosexto aetatis anno licaei palaestram feliciter emensus, clericali militiae adscribitur: quod non modo ei pergratum atque optatissimum incidit, sed omnibus etiam qui eum noverant. Nam vivendi ratio, quam ipse iniverat, assidua templorum frequentia, fervidus pietatis ardor, omnia suadebant Gasparem sacerdotali ministerio divinitus designatum fore. « Finiti i suoi studi liceali a diecisette anni, chiese l'abito Clericale, e ritengo chiamato dalla voce di Dio a questa determinazione, ed in generale la popolazione si aspettava che si decidesse ad un tale passo dal modo esterno di vivere ». Quonam vero consilio permotus fuerit ut huic omnium excelsissimo vivendi generi amplectendo mentem adiecerit, facile intelligitur. Nam testes dicunt: « Il fine, che lo mosse allo stato sacerdotale, fu il desiderio di dar gloria a Dio e far bene alle anime ». — Assidue enixis precibus lumen de coelo devocabat: « riaccese il suo spirito nelle più calde incessanti preghiere, raddoppiò le opere di mortificazione e di penitenza... ed i suoi coetanei attestano non aver mai notato alcun chierico più diligente, più zelante, più fervoroso e devoto di lui; nessuno che più pronto corresse là dove il chiamasse obbedienza, o sperasse cavarne alcun bene, nessuno che con maggior dignità trattasse i suoi ministeri o zelasse più caldamente il decoro della Casa di Dio; nessuno che più ardesse di amore verso Dio e più amante fosse della pericolante gioventù; la quale perciò a nessun altro amava più di associarsi che al nostro chierico Bertoni ».

12. Quam ob rem omnem diei partem sancte transigere constituit sibi: « dividendo le ore del giorno nelle orazioni e nel servizio della Chiesa e nello studio ».

13. Ex quo facile coniectandum erat quonam fervore intus aestuaret is, qui talia exterius agebat: et qualis et quam futurus esset pro salute omnium, qui ob miram sollicitudinem qua templo inserviebat et Parocho suo aderat et pueris christiane instituendis strenuam dabat operam. Quare merito appellabatur: « il servo di tutti ». « Nelle ore stabilite per la Chiesa non mai abbandonava il suo coro per essere pronto al servizio delle messe e per altri ecclesiastici bisogni. In quanto poi alla istituzione dei giovani, ne era così innamorato ed occupato, che i suoi coetanei li teneva a sè dintorno, facendo anticipatamente da missionario ». « Quindi tu lo avresti veduto il primo porre il piede nella sua Chiesa, e fatta breve orazione entrarsene in Sagrestia, dove, aprarecchiata e pronta ogni cosa che in servizio dei sacerdoti si richiedesse, tosto riparavasi nel suo prediletto Coro o nella Tribuna Vicaria, in cui o stava preparando l'anima sua tutta assorta in Dio per accoglierlo nel SS. Sagramento, che ogni dì festivo riceveva per mano del suo Pastore, o con un libro spirituale occupava il suo spirito orando e meditando quanto e finchè non fosse chiamato a prestare in altro l'opera del ministero ».

14. Sacras vero caeremonias tanta corporis compositione atque adeo modesto habitu oris peragebat, ut homines in vehementem eius admirationem raperentur. « Per il raccoglimento e l'esattezza delle sacre cerimonie rapiva gli astanti in maniera che infondeva nella loro volontà il desiderio di imitarlo ». Et merito quidem. Nam: « ciò era effetto non solo di quella devozione o carità verso Dio che gli era abituale fin dalla infanzia, ma e di quello studio, a cui nella carriera clericale si era dato a tutt'uomo di apprendere cioè le sacre cerimonie e le più minute rubriche ecclesiastiche, nella cognizione delle quali, oltre al compimento del proprio dovere, riconosceva un mezzo facile per sollevarsi fino a Dio ».

15. Quid tum denique si Parochus eum magnopere laudare gaudebat? Porro: « era sollecito di assistere in ogni cosa il suo Parroco, fu zelantissimo nell'insegnare la dottrina cristiana ai fanciulli ed era di sì specchiata compostezza » ut mereretur a Parocho appellari « il Missionario dei giovanetti della sua Parrocchia ».

16. Cum tanta virtute et pietate Famulum Dei in spem Ecclesiae crescentem cerneret Andreas Avogadro Veronensis Antistes, venia minoris aetatis impetrata, eum ad sacerdotii dignitatem evexit.

17. Paroeciae ambitus ei campus uberrimus obtigit, in quo spatia charitatis dilatare multosque colligere manipulos animarum subito incepit. « Continuò nella sua Parrocchia di S. Paolo, e si adiportò con sempre crescente zelo, e incominciò la benefica istituzione degli Oratori Mariani, che si propagarono nelle varie Chiese della Città con grandissimo vantaggio della gioventù ».

18. Revera sacerdotali dignitate insignitus, suarum virtutum thesaurum omnino impendit ad animarum lucrum. Exemplo enim et opere semper coram Deo ambulare videbatur. « Non che l'animo e il pensiero, ma gli occhi suoi si vedevano sempre rivolti al Signore, e gli scintillavano per una esultanza, perchè in tutto quello che era in sè e fuori di sè, altri non vedeva che Dio, e in tutto parlavagli Dio. Per ciò lo si vedeva di frequente andare del tutto scoperto nel capo per le vie, anche nel verno e sotto la sferza del sole estivo ».

19. Hac igitur uberi fructuum copia posita, factum est ut, Episcopi voluntate, ad S. Fermi maiorem Paroeciam appellaretur: quanto vero fidelium in Paroecia S. Pauli degentium moerore nemo est quin sentiat. « Col pianto di S. Paolo di Campo Marzo e coll'esultanza di S. Fermo — questo passaggio apportò grande rincrescimento alla Parrocchia di S. Paolo che abbandonava ».

20. Idque eo magis ingratum incidit S. Pauli fidelibus, cum ibi Famulus Dei Oratorium condidisset, ubi pueri tanta fructuum copia instituebantur ut nihil supra. « Gli Oratori diretti dal Bertoni diedero frutti abondantissimi di pietà e morigeratezza nella gioventù ed il Bertoni vegliava i suoi giovani non solamente negli Oratori, e nella Dottrina, ma

anche informandosi sulla loro condotta nelle officine e nelle botteghe ».

21. Eo innumeri confluebant pueri ut in primo Oratorio: « il frutto fu tanto, che i giovani arrivarono sino a 400 in modo tale che non capivano più nei locali terreni della Canonica ». Quin etiam puerorum Apostolus appellari solebat. « Il Parroco Girardi ne fu più che contento, cosicchè un giorno gli disse: voi siete il missionario dei fanciulli ».

22. Neque charitatis gremium pueris tantum aperuit, sed etiam puellabus. Nam pro iis quoque pie educandis Oratoria aperuit. Ad haec Canossianarum Virginum curam suscepit, praesertim eo tempore quum Ven. Magdalena a Canossa et Leopoldina Naudet illius Sodalitatis fundamenta iacebant. Idque moderatarum iussu ipse fecit, qui Gasparis prudentiam cognitam plane habebant. Nullum interea eas iuvandi intempestivum tempus. Quin etiam primum illud Canossianum coenobium ad perfectionem deduxit atque in primis florentissimi Instituti componendis regulis auctor fuit. Id temporis, imo quamdiu vixit, omnium confessiones excipiebat. « Non v'ebbe alcuno per dotto e saggio che, sentendo il bisogno di trovare un amico, un consigliere, un padre che prudente soccorresse all'anima sua, non ebbe nè più nè meglio a desiderare di lui che per la carità e prudenza il chiamavano un *San Francesco di Sales* o un *San Vincenzo de' Paoli* ».

23. Interea in omni urbis parte Oratoria erigebantur opera Famuli Dei, qui, nullo fractus labore, nonnisi puerorum christianam educationem spectabat. Neque populum sermonibus sacris excolere omisit. Nam pro salute animarum Ignatianis pietatis exercitiis penitus studuit: ex quo factum est ut certatim Ecclesiae Rectores in subsidium animarum eum vocarent. Porro « Il Bertoni era uno di quei pochi, che ripieno lo spirito del Signore e altamente compreso delle sublimi verità che predicava e trattava, conoscitore profondo del cuore umano e delle sue piaghe, maneggiava la medicina degli Esercizi e l'adattava sì saggiamente secondo il bisogno di ciascuno, che nessuno più di lui conseguiva effetti più salutevoli di anime per lui convertite, o ammigliorate o condotte alla perfezione ». Omnium ingenio se accommodatum impertiit. « Era idoneo a tenere i santi esercizi così ad una moltitudine di popolo, dove ogni stato si trova e condizione di persone, come ad una eletta e speciale adunanza; lodatissimo in predicarli a una turba d'ignoranti e viziosi egualmente che ad un ceto di persone dotte e dedite alla perfezione; e dall'ergastolo passava quindi al Seminario, come da un Chiostro di pie Verginelle ad un ritiro di perdute donne mondane. Così è; dovunque mettesse il piede a evangelizzare la pace, era tutto a tutti, l'uomo del Signore, vero padre delle anime: in una parola il Missionario Apostolico e il Santo ».

24. Spirituale Seminarii regimen suscepit ac summa cum laude tenuit. Anno autem 1816 prima Sodalitii sui fundamenta iecit atque ex loco, quem colere coepit cum suis, appellatum est « *dei Preti delle Stimmate* ». Paulatim Sodalitium crevit, disciplina et omnium virtutum genere praesertim paupertate florens. Templum et coenobium apprime instruxit Famulus Dei iisque scholas adiecit. Tunc enim iuvenibus litterarum studio instituendis se totum dedidit. Praecipue eo spectavit ut pietate iidem imbuerentur. Singula exercitia alumnis constituerat: aemulatione eos accendebat: assiduis fovebat concionibus: sacramentis alebat. Schola in virtutis palaestram conversa: alumni pietate angeli facti esse videbantur.

25. Potissimum in sodalibus eluxit paupertatis studium et ardor animarum lucrandarum Deo. « Lode ben più grande era quella di vederli in tanto disagio e povertà volontaria godenti ed allegri; il vederli pronti ad ogni cenno del loro Superiore, correre quà e là nel ministero improvvisamente da lui assegnato, e sostenere qualunque peso e fatica, e trattare qualunque affare più arduo e malagevole o di lor controgenio. Quindi sostenere qui le scuole, là evangelizzare la parola di Dio, o nei Catechismi o negli Esercizi Spirituali; e dove assidersi per lunghissime ore al tribunale della penitenza, dove assistere ai prigioni, ad infermi, ad appestati, e contar per ozio e riposo quel tempo, che fuori da queste occupazioni, dedicavano tutto all'orazione ed agli studi severi. Di che a tutti era una meraviglia, che in corpi sì mal trattati dalle austerezze, fosse tanta vigoria di forze, da reggere a tanti e sì gravi incarichi, a tante e sì continuate fatiche. Ma la massima di ogni loro laude era la mortificazione interna, senza la quale poco vale la esteriore, e talvolta è all'uomo pericolosa, mettendolo in istima ed orgoglio di sè. Ed era perciò una edificazione il vederli senza volontà, senza desideri, per non avere che un solo desiderio, un solo volere col loro superiore; umili senza fasto, pazienti senza ostentazione, lieti nelle ingiurie e patimenti che soffrivano: di null'altro più amanti che di servire a Dio coll'obbedire alla voce del loro D. Gaspare, più lieti e beati se in loro si fosse riflettuta una parte di quelle tante virtù che come da un fulgidissimo specchio lumeggiavano nel loro Superiore ».

26. Omnibus sodalibus Famulus Dei praeibat exemplo. Nam: insegnava più coll'esempio che colle dottrine: onde tornava somma la gloria che la sapienza divina a buon diritto gli assegna: *Gloria patris est filius sapiens*. E per tal modo, senza costituzioni, gettava Egli D. Gaspare nel cuore dei suoi figli il seme di quelle costituzioni, di cui più sotto daremo un saggio: e senza regole scritte governava quelli, che per vivere nella più regolare e perfetta osservanza, non ebbero bisogno che di scriversele e portarle altamente impresse nel cuore ».

27. Instaurato templo, auctisque coenobii aedibus, aptas sodalibus domum et alumnis sedem paravit ac simul iuvenibus litterarum studio imbuendis se totum impertiit. Verum ut diximus eo praesertim incubuit ut tenerrimi animi et bonis moribus et pietate instruerentur. Quinam fructus colligerentur facile intelligi potest. Etenim adolescentes illi videbantur « tanti angioletti, la cui vista metteva i più dolci sentimenti di devozione. Non un dovere infatti, non una lezione che non accennasse a virtù, non una interpretazione di autore anche profano che non si piegasse a retti e cristiani sensi, e qui il pregio delle buone azioni, là mostravasi l'orrore delle viziose; e ora additavasi un pericolo e gridavasi al precipizio, ora segnavasi la via del bello, del buono e del retto, e battevasi palma a palma a chi correva per quella ».

28. Quanta sapientia vero eos institueret Famulus Dei qui se comites primos in Congregatione adiunxerant, illud documento est quod nonnulli cum fama sanctitatis obierunt. Eos linguarum usu instruxit: divinarum scientiarum amore illexit: uniuscuiusque ingenium perscrutatus. Cavit tamen ne eorum cultura primoribus labiis (ut ita dicam) hauriretur, sed penitus eam altisque defixam radicibus voluit. Simul vero connisus est ut sacris rubricis operam darent, et ecclesiastico cantui et agriculturae. Qua de causa bibliothecam ditissimam comparavit. Illud enim menti eius haerebat « *labia sacerdotis custodiunt scientiam* ».

29. Cum Veronensis sacrorum Antistes Famulum Dei tanta praeditum virtute et prudentia cerneret, eum *Theologum Definitorem, Examinatorem Prosynodalem* et *Cognitorem de ecclesiasticis vocationibus* elegit: quibus muneribus per se gravissimis summa cum laude functus est.

30. Cum ulcere crus eius affectum esset, duodecim extremos annos in cubiculo suo immotus transegit. Patientia eius id temporis ad miraculum eluxit. Non modo enim omnem corporis cruciatum sprevit, sed hilaris alacrisque doloris lectulum in cathedram sanctitatis convertit. Undique eo confluebant ut eius monitis in perfectionis via deducerentur. Tandem Vir apostolicus die 12 Iunii anno 1853 ad coelum sanctissime evolavit.

Romae, die 1 Martii anno 1905.

ACHILLES MARTINI, Adv.
NAZARENUS PATRIZI.

Revisa: ANGELUS Adv. MARIANI
S. R. C. Assessor et S. Fidei Subpromotor.

II.

BRIXINEN. — DECRETUM

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Magdalenae ab Austria, Archiducissae Reginae nuncupatae, fundatricis Regii Parthenonis Halensis.

Hasburgensi genti, quae piorum quoque principum stirps et semen iure existimatur, felix faustumque sit nuncium de Causa Beatificationis et Canonizationis penes Sacrorum Rituum Congregationem introducenda Servae Dei Magdalenae ab Austria, Archiducissae, Reginae nuncupatae. Memoria enim eorum qui verbis et gestis in civili et christiana societate vere gloriosi et illustres extitere, eo magis posteros ad laetitiam, spem et imitationem excitat atque ad pristinam virtutem et dignitatem revocat, quo fortioribus vinculis patriae, familiae et religionis cum illis coniuncti sunt. Oeniponte, die 14 Augusti anno 1532, a christiano coniugio Ferdinandi I Romanorum Imperatoris et Caroli V fratris cum Anna Hungariae Bohemiaeque Regina orta est Magdalena. Ex duodecim filiis, tribus masculis et novem foeminis, eminuit, vitam cum pietate et charitate in Deo absconditam inter domesticos parietes ducens. Quam vivendi rationem, pia genitrice e vivis erepta, etiam sorores Margarita et Helena, quae eam loco matris habebant, secutae sunt. Vigil quoque cura erat Magdalenae de servis et ancillis, ut recte ac religiose agerent. Ob eximia corporis animique pulchritudinem prae caeteris adolescentulis a Pedemontii duce in sponsam expetita fuit. Patre annuente, ipsa sola id aegre tulit, et sollicita de proposito suae virginitatis servando, assidua oratione fusisque lacrymis se totam Christo Domino commendabat. Voti compos facta et a terreno coniugio libera, expeditiore et firmiore voluntate ad caelestis regis nuptias se convertit. Super his animum aperuit Beato Petro Canisio, qui ipsi et sororibus in conscientiae moderatorem et pietatis magistrum datus fuerat; illoque probante ipsa prior et ad eius exemplum sorores Margarita et Helena perpetuam virginitatem Deo voverunt, cum proposito iampridem concepto coenobium aliquod virginum quamprimum ingrediendi ibique charitatis et religionis opera perfectiori ratione exercendi. Verum quum Magdalena enixe diuque rogaret Patrem, atque hic aliquantisper obstaret quominus huiusmodi consilium perficeretur, obtigit ut Ferdinandus imperator e vita discesserit. In sua plena libertate de vitae statu seligendo filia relicta, statim ac ei occasio opportuna visa est, urbem Halensem petiit, ibique in aedibus satis amplis, quae nummis excudendis erant destinatae, instauratis et ad Parthenonis formam redactis monasterium condidit. Dum hoc necessaria supellectili instruebatur, Margarita sancta morte praerepta ad coelos evolavit cum magno sororum ac sociarum moerore. Interim Magdalena a S. Francisco Borgia praeposito generali Societatis Iesu obtinuit, ut patres eiusdem Societatis domicilium in apta sede prope Monasterium ponerent novaeque fundationi in spiritualibus adsisterent. Ipsa vero cum Helena sorore, Regina Fels, Regina Mersperg, puella Concinnin aliisque aulicis virginibus quae se sponte obtulerant necnon cum aliis inferioris ordinis ad minora munia obeunda in societatem receptis novum vitae religiosae genus instituit ac suscepit. Oeniponte tyrocinium incoeptum est.

Magdalena magistra et discipula, dignitate maior, humilitate minor, in iis quae ad perfectionem et virtutem pertinent, caeteris praeibat. Tyrocinio feliciter expleto, sodales ad monasterium Halense omnibus numeris absolutum se contulerunt, comitantibus Ferdinando Archiduce, Magdalenae et Helenae fratre, et sacerdotibus Ignatianis iam a praeposito generali designatis, ut earum ingressus in coenobium externa quoque solemnitate auspicaretur. Hanc novam sedem religiosaeque perfectionis palestram Magdalena opportunis legibus perpetuisque censibus communivit, templumque adnexum quod e solo excitaverat, eximiis artis operibus ornare sanctorumque caelitum lipsanis atque indulgentiarum thesauris ditare curavit. Virgo sapiens et prudens, nomine, amore et sollicitudine matris ita monialibus praefuit, ut omnes eius regimini virtutisque formae libentissime se subiicerent. In eadem civitate Halensi Ephebeum pueris christiana doctrina imbuendis a fundamentis erexit, illudque a S. Catharina Virg. et Mart. nuncupatum sacerdotibus regendum tradidit. Quos haeretica lue affectos sciebat, eos e civitate removeri sategit, atque libros errorum plenos comburi iussit. Collegio Oenipontano societatis Iesu multa beneficia tribuit et dedit. Concilii Tridentini acta et decreta recipi atque observari curavit. Maximilianum Imperatorem fratrem cum Romano Pontifice in pluribus civilibus negotiis componens ***Mulier Fortis et pacis sequestra*** meruit appellari. Ita de Ecclesia benemerita est Magdalena, ut et Beatus Petrus Canisius et Romani Pontifices summis laudibus Eam cohonestaverint. Tandem, Helena sorore iam pie sancteque demortua, ipsa Famula Dei anno 1590 mense Augusto, morbo, qui tunc Halae grassabatur, tentata, eoque ingravescente, imminentis obitus nuncium tranquillo ac sereno animo excepit. Omnibus Ecclesiae sacramentis, prouti postulaverat, roborata, veniam a consororibus imploravit et obtinuit eisdemque novissima consilia et monita dedit, veluti testamentum spirituale, de confidentia in Deum — de pace et concordia — de constantia in vocatione — de recta intentione — deque assidua oratione quam et pro se moritura enixe poposcit. Urgente autem media nocte diei 10 Septembris subsequentis, inter fletus et gemitus consororum, adstantibus et orantibus patribus Soc. Iesu, Magdalena plena meritis obdormivit in Domino. Fama sanctitatis quam Dei Famula sibi comparaverat vivens, post obitum per civium cuiusque ordinis concursum ad funus et ad tumulum mirifice ostensa est. Quae absque interruptione perseverans atque in dies magis clara et diffusa refulgens viam aperuit, ut super ea in Ecclesiastica Curia Brixinensi Inquisitio Informativa, Auctoritate Ordinaria, institueretur. Tabulis proces

sualibus confectis et ad Sacram Rituum Congregationem deductis, revisis quoque ac probatis scriptis Servae Dei, obtentaque dispensatione tum a lapsu decennii tum ab interventu et voto Consultorum, ab Actoribus Causae omnia parata fuerunt ut ad ulteriora procedi posset.

Attentis itaque obsequentibus litteris Postulatoriis Augustissimi Francisci Iosephi II Austriae et Hungariae Imperatoris et Regis, plurium E.morum S. R. E. Cardinalium, R.morum Sacrorum Antistitum et celsissimorum Principum atque nobilium utriusque sexus, necnon sanctimonialium O. S. B. in Abbatia Sabionensi, Tridentinae dioeceseos, Tyroli degentium atque praesidis et magistratus Congregationis Marianae civium Halensium, instante R.mo D.no Nazareno Can. Marzolini, Summi Pontificis ab intimo sacello et huius Causae Postulatore, E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Andreas Steinhuber, eiusdem Causae Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in causa et ad effectum de quo agitur* ». Porro E.mi et R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi post relationem eiusdem E.mi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, omnibusque sedulo perpensis rescribendum censuerunt: « *Affirmative seu Commissionem esse signandam, si Sanctissimo placuerit* ». Die 8 Augusti 1905.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacri Consilii ratum habuit et confirmavit, propriaque manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praedictae Venerabilis Servae Dei Magdalenae ab Austria, Archiducissae, Reginae nuncupatae, Fundatricis Regii Parthenonis Halensis. Die 23, eisdem mense et anno.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

Indulg. conceduntur recitantibus certam precem ad SS. Cor Iesu.

PREGHIERA AL S. CUORE DI GESÙ.

O Cuore Santissimo di Gesù, spandete a larga copia le vostre benedizioni sopra la S. Chiesa, sopra il Sommo Pontefice e sopra tutto il clero; date ai giusti la perseveranza, convertite i peccatori, illuminate gl'infedeli, benedite i nostri parenti, amici e benefattori, assistete i moribondi, liberate le anime del Purgatorio e stendete su tutti i cuori il dolce impero del vostro amore. Così sia.

Ex Audientia SS.mi, diei 15 Iunii 1906.

SS.mus D. N. Pius PP. X, omnibus christifidelibus corde saltem contrito ac devote suprarelatam precem recitantibus trecentorum dierum indulgentiam, semel in die lucrandam, benigne concessit, iis vero, qui per integrum mensem quotidie eamdem recitaverint, quo die confessi ad S. Synaxim accesserint atque ad mentem Summi Pontificis oraverint, plenariam elargitus est. Quas indulgentias S. S. ad animas quoque in Purgatorio detentas applicabiles declaravit. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 16 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodic., *Secret.*

II.

Actus consecrationis SS. Cordi Iesu recolatur quotannis in festo SS. Cordis, indulgentiis concessis.

URBIS ET ORBIS.

Quo perennis extet memoria illius amplissimi religionis actus, quo f. r. Leo XIII, anno 1899, sub die 25 Maii (1) augustissimo Cordi Iesu totius humani generis communitatem devovere decrevit, et salutares qui ex illo fructus emanarunt iugiter perseverent, preces sunt delatae SS.mo D.no Nostro Pio Papae X, ut, apertis quoque indulgentiarum thesauris, die festo eiusdem SS.mi Cordis, illum consecrationis actum quotannis esse recolendum edicere dignaretur.

Has porro preces eadem Sanctitas Sua peramanter excipiens, et summopere exoptans, ut in christifidelibus, erga sacratissimum Cor Iesu iam excitata pietas magis alatur, et cuncti per hunc consecrationis actum eidem suavissimo Cordi seipsos ferventius coniungere satagant, mandavit, ut singulis annis, memorato die festo, in omnibus parochialibus templis nec non in illis, in quibus idem festum agitur, coram SS.mo Sacramento publicae adorationi exposito, formula consecrationis, ab eodem Pontifice Leone XIII proposita recitetur, ad quam Litaniae in honorem SS.mi Cordis erunt adiiciendae.

Sanctissimus vero, universis christifidelibus, huic piae caeremoniae corde contrito ac devote adstantibus, et ad mentem Suam orantibus, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum benigne concessit; iis autem, qui sacramentali confessione expiati, etiam ad S. Synaxim accesserint, plenariam indulgentiam clementer est elargitus; quas indulgentias animabus igne Purgatorii detentis fore applicabiles declaravit. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 22 Augusti 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. VII, p. 187.

III.

Indulg. 300 d. conceditur pro iaculatoria ad SS. Cor Iesu.

Beatissimo Padre,

Il sacerdote Augusto Silj implora dalla Santità Vostra che voglia annettere l'indulgenza di trecento giorni alla seguente giaculatoria, *toties quoties* sarà recitata:

« Cuore divino di Gesù, convertite i peccatori, salvate i moribondi, liberate le anime sante del Purgatorio ».

Che della grazia, ecc.

Iuxta preces in Domino.

Die 13 Iulii 1906.

PIUS PP. X.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 6 Nov. 1906.

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IV.

Conceditur facultas benedicendi Coronas B. M. V. eisque adnectendi *Indulgentias quae A PATRIBUS CRUCIGERIS* nuncupari solent (1).

Beatissime Pater,

Sac. Felix Cadène, Prael. Dom. S. V. in hac Alma Urbe ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime petit facultatem benedicendi Coronas a SS.mo Rosario B. Mariae Virg., eisque applicandi Indulgentias, quae a *Patribus Crucigeris* vulgo nuncupantur.

Et Deus etc.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS.mo Domino Nostro Pio PP. X sibi specialiter tributis, potestatem facit oratori benedicendi, unico Crucis signo, de consensu Ordinarii loci in quo haec facultas exercetur, Coronas B. Mariae Virg. ad SS.mi Rosarii recitationem destinatas, eisque adnectendi Indulgentias, quae a *Patribus Crucigeris* nuncupari solent. Praesenti *ad quinquennium* valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 20 Nov. 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Die 27 Novembris 1906, annuimus.

PETRUS RESPIGHI, Card. Vic.

(1) Nuperrime Summus Pontifex speciales facultates S. C. Indulg. concessit, quarum vigore, H. S. Congr. praefatam potestatem in posterum concedere poterit cuilibet sacerdoti, etiam non approbato ad audiendas confessiones, etiam in Urbe, de consensu tamen Ordinarii loci in quo haec facultas exercetur. *N. D.*

E SECRETARIA STATUS

I.

Conventio inter Nuntium Apl. apud Belgas et delegatum Regis Leopoldi, in favorem Missionum catholicarum Status Congi Independentis.

« La Santa Sede Apostolica, sollecita di favorire la diffusione metodica del cattolicismo nel Congo, ed il Governo dello Stato Indipendente, apprezzando l'opera considerevole dei missionari cattolici nella civilizzazione dell'Africa centrale, si sono intesi fra loro e coi rappresentanti delle missioni cattoliche del Congo a fine di assicurare sempre meglio l'attuazione delle rispettive loro intenzioni. A quest'effetto i sottoscritti: S. E. Mgr Vico, Arcivescovo di Filippi, Nunzio Apostolico, Gran-Croce della Concezione di Villa-Viciosa, commendatore con placca dell'Ordine di Carlo III ecc., debitamente autorizzato da Sua Santità il Papa Pio X, — e il cav. de Cuvelier, ufficiale dell'Ordine di Leopoldo, commendatore dell'Ordine di San Gregorio Magno, ecc., debitamente autorizzato da Sua Maestà Leopoldo II re sovrano dello Stato Indipendente, sono convenuti nelle disposizioni seguenti:

« 1. Lo Stato del Congo concederà alle istituzioni delle missioni cattoliche nel Congo le terre necessarie alle loro opere religiose colle condizioni qui appresso:

« 2. Ogni fondazione di missione si impegna nella misura delle sue facoltà, di aprire una scuola dove gli indigeni riceveranno l'istruzione. Il programma comporterà notantemente l'insegnamento di agricoltura e di agronomia forestale ed un insegnamento professionale pratico di mestieri manuali.

« 3. Il programma degli studii e delle lezioni sarà sottoposto al Governatore generale e le materie da insegnare saranno fissate di buon accordo: l'insegnamento delle lingue nazionali belghe farà parte essenziale del programma.

« 4. Dell'ordinamento e dello sviluppo delle scuole, del numero degli scolari, del progresso negli studii, ecc., verrà fatto, a date periodiche, regolare rapporto al Governatore generale da ogni Superiore di missione. Il Governatore generale, o per sè stesso o per mezzo di un delegato espressamente designato, potrà assicurarsi che le scuole corrispondano a tutte le condizioni di igiene e di salubrità.

« 5. La nomina di ogni Superiore di missione sarà notificata al Governatore generale.

« 6. I missionarii s'impegnano a compiere per lo Stato e mediante indennità i lavori speciali d'ordine scientifico che sono di loro competenza personale, come ricognizioni e studi geografici, etnografici, linguistici, ecc.

« 7. La superficie delle terre da assegnare a ciascuna missione, la cui istituzione sarà convenuta da ambe le parti, sarà di cento ettari coltivabili: essa potrà essere aumentata a duecento ettari in ragione della necessità e dell'importanza della missione. Queste terre non potranno essere alienate e il loro frutto dovrà rimanere riservato alle opere della missione. Tali terre sono donate a titolo gratuito e in proprietà perpetua: la loro postura sarà determinata di comune accordo tra il Governatore generale e il Superiore della missione.

« 8. I missionarii cattolici s'obbligano nei limiti delle persone disponibili, ad assicurare il ministero sacerdotale

nei luoghi centrali dove il numero dei fedeli rendesse la loro presenza opportuna. In caso di residenza stabile i missionarii riceveranno dal Governo un assegno da convenirsi in ciascun caso particolare.

« 9. E' convenuto che le due parti contraenti raccomanderanno sempre ai loro subalterni la necessità di conservare la più perfetta armonia fra missionarii ed ufficiali dello Stato. Se venissero a sorgere difficoltà, esse saranno regolate amichevolmente fra le autorità locali rispettive: e se l'accordo non si potesse ottenere, le medesime autorità locali ne riferiranno all'autorità superiore.

« In fede di che i sottoscritti hanno firmato la presente convenzione e vi hanno apposto i loro suggelli.

« Fatto in doppio esemplare a Bruxelles il ventisei maggio millenovecentosei.

« f. Cav. DE CUVELIER.

« f. VICO, *Arc. di Filippi, Nunzio Apost.* ».

II.

Pius X gaudet de felici exitu XV Conventus Internationalis pro instauranda pace, nuper Mediolani solemniter celebrati.

Illustrissimo signore,

Al riverente saluto, direttogli da alcuni membri del Congresso Universale della Pace, il S. Padre rispose, per mezzo dell' Eminentissimo Cardinale Arcivescovo di Milano, con parole di simpatia, e queste sincere espressioni di un sentimento ben meritato provocarono il nobile Indirizzo, che la S. V. Illustrissima ha testè fatto pervenire a Sua Santità in nome dell'importante Assemblea da lei presieduta in cotesta città nello scorso settembre. Un tale omaggio è stato accolto da Sua Santità con vivo gradimento, perchè, più che alla Sua Persona, essendo diretto alla Suprema autorità di cui è rivestita, si viene con esso a riconoscere l'alto ministero di pace affidato da Dio al Capo della Chiesa Cattolica.

La storia dimostra che i Papi furono sempre solleciti di adempiere un così fatto ministero, e l'attuale Pontefice fu lieto che sin dagli inizii del suo Pontificato gli si porgesse occasione di esercitarlo, accogliendo la domanda di far presiedere da un suo rappresentante il Consiglio arbitrale a cui tre Repubbliche Americane, nell'intento appunto di evitare la guerra, vollero sottoposte le reciproche loro contese. Di qui è facile immaginare l'interesse con cui il Santo Padre Pio X segue gli sforzi della Società internazionale della Pace ed il vivo desiderio che nutre di vederli coronati di felice successo. L'assicurazione di quell' interesse e di questo desiderio può accrescere lena al nobilissimo zelo da cui è animata la S. V. insieme ai suoi colleghi; laonde mi onoro di darla alle Signorie Loro chiara ed esplicita. L'Augusto Pontefice vi aggiunge anche l' augurio che sia debitamente apprezzato l'importante concetto da loro emesso, circa la convenienza di prevenire e stornare lo scoppio di una guerra, anzichè ridursi a moderarne gli orrori, quando non sia possibile evitarla.

Nel portare a conoscenza della S. V. gli alti sensi coi quali piace a Sua Santità di corrispondere al cortese officio dei Delegati al XV Congresso Universale della Pace, colgo volentieri la occasione di dichiararmi con profonda stima,

Della S. V. Ill.ma Dev.mo

Roma, 3 novembre 1906.

Card. MERRY DEL VAL.

E VICARIATU URBIS

Novum Decretum S. Officii 7 Sept. 1906 de ieiunii et abstinentiae lege reformanda in Italia, in praxim deducitur in Urbe (1).

Ai Fedeli di Roma e suo Distretto sulla riforma della Legge del Digiuno e dell' Astinenza, stabilita dalla Santità di N. S. Papa Pio X con Decreto 7 Settembre 1906 della S. Congregazione del S. Ufficio.

I. — DIGIUNO DI STRETTO MAGRO.

Dovrà osservarsi il digiuno con l'astinenza dalle carni, dal brodo di carne, dalle uova, dai latticini e da qualsiasi condimento di grasso (2), così nel pranzo come nella piccola refezione nei seguenti giorni:

1. Nel venerdì dei Quattro tempi di Quaresima;
2. Nel venerdì Santo;
3. Nella vigilia dell'Assunzione di Maria Santissima;
4. Nella vigilia del S. Natale;
5. Nella vigilia della Purificazione di Maria Santissima, per voto particolare dei Romani.

II. — DIGIUNO COL PERMESSO DELLE UOVA E DEI LATTICINI.

Dovrà parimenti osservarsi il digiuno col permesso delle uova e dei latticini solamente nel pranzo (escluse le carni e il brodo in qualunque modo da esse estratto):

1. Nel primo giorno di Quaresima;
2. Nei venerdì e sabati pure di Quaresima (escluso il venerdì santo già compreso nel paragrafo I);
3. Nei venerdì e sabati dell'Avvento;
4. Nei mercoledì, venerdì e sabati dei quattro Tempi (escluso il venerdì dei Quattro Tempi di Quaresima pure già compreso nel paragrafo I);
5. Nelle vigilie di S. Giuseppe, Sposo della SS.ma Vergine; della SS.ma Annunziata quando cade in Quaresima; della Pentecoste; dei SS. Apostoli Pietro e Paolo e d'Ognissanti.

III. — DIGIUNO COLL'INDULTO DELLE CARNI.

L'obbligo del digiuno si estende inoltre a tutti gli altri giorni della Quaresima non compresi nei due paragrafi precedenti, eccettuate le domeniche. Nei detti giorni sono permesse le carni, le uova, e i latticini, ma nel solo pranzo.

IV. — PROMISCUITÀ DI CARNE E PESCE.

In qualsiasi giorno di digiuno, e nelle domeniche di

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, fasc. praec., pag. 374.

(2) Per *condimenti di grasso* s' intendono il lardo, qualsiasi strutto, il burro, la così detta margarina e simili; e sono sempre permessi, anche nella piccola refezione dei giorni di digiuno, fuorchè nei cinque giorni sopradetti.

Quaresima, è sempre vietata la promiscuità di carne e pesce nel medesimo pasto.

V. — Astinenza senza l'obbligo del digiuno.

L'astinenza dalle sole carni e dal brodo di carne dovrà osservarsi tutti gli altri venerdì dell'anno, senza l'obbligo del digiuno.

VI. — Disposizione pei regolari.

I regolari dell'uno e l'altro sesso, non astretti da voto speciale di digiuno e di astinenza, potranno valersi come i semplici fedeli, di questa riforma.

La legge del digiuno e dell'astinenza così riformata andrà in vigore col giorno 2 dicembre, prima domenica di Avvento del corrente anno 1906.

La benigna disposizione del Sommo Pontefice che vi rende, o fedeli, più mite e quindi più facile la legge del digiuno e dell'astinenza, vi sia di stimolo ad osservarla con docile premura; e a ciò vi spinga altresì un sentimento di filiale e doverosa gratitudine che certamente si desterà nel vostro cuore ben fatto. Nella generosità del quale appunto confidando, vi esortiamo a compensare la larghezza pontificia con altre buone opere, ed in modo particolare vi raccomandiamo l'istruzione religiosa, la frequenza ai santi Sacramenti e la preghiera. Salga questa, come desidera il Pontefice, fiduciosa e calda al trono di Dio, e gli faccia dolce e gradita violenza, sicchè voglia sovvenire ai bisogni presenti di Santa Madre Chiesa, di questa Chiesa che travagliata sempre e combattuta, sempre cerca il nostro maggior bene e la nostra salvezza.

Dato dalla nostra Residenza, questo dì 10 novembre 1906.

P. CARD. VICARIO.

Francesco Can. Faberi, *Segretario.*

E SACRA CONGREGATIONE
SUPER NEG. ECCL. EXTR.

In Vicar. Aplico de Tarapacà festum S. Iosephi expungitur de numero eorum quae de praecepto servari debent.

Ex audientia SSmi, die 20 Februarii 1906.

Ex parte R. P. D. Ioannis Carter, Episcopi tit. Anthedonen. hodierni Vicarii apostolici de *Tarapacà*, in Republica Chilena, expositum est Sanctae Sedi in territorio eiusdem Vicariatus, variis gravibusque de causis, impossibilem esse praeceptivam celebrationem festi S. Iosephi Sponsi B. M. V., die 19 Martii recurrentis, atque ideo ad evitanda spiritualia damna animorumque anxietates submisse supplicatum est, ut praedictum festum expungatur de numero eorum, quae de praecepto servari debent. Itaque SSmus Dominus Noster Pius divina Providentia PP. X, referente me infrascripto sacrae Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, re mature perpensa, et attentis peculiaribus rerum adiunctis animum suum moventibus, preces excipiens, fideles in praedicto territorio degentes ab obligatione audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus, pro ea die solvere dignatus est, firma tamen remanente lege Missae et Officii proprii iuxta rubricas et onere parochorum applicandi pro populo. Ut vero fidelis populus eiusdem Vicariatus coeleste Sancti Confessoris patrocinium persentiat, praedictam diem privata pietate sancte, quoad fieri potest, in honorem coelestis Patroni agere ne recusent, et in proxima sequenti Dominica non impedita, videlicet quae non sit Dominica Palmarum et Paschatis Resurrectionis, solemnia religiose peragere.

Super quibus idem SSmus Dominus mandavit hoc edi Decretum et in acta superius memoratae S. Congregationis referri.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Petrus, Archiep. Caesariensis, *Secret.*

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

L. Die sabbati 16 Decembris 1679.

Avenionen. — Dismembrationis. — R. *Affirmative, salvis tamen assignamentis antiquis factis Ecclesiae Collegiatae S. Marthae.*

Electen. — Absolutionis. — R. *Dispensandum ad cautelam. Ad secundum, cum poenitentiis ab Ordinario arbitrandis.*

Venafrana. — Servitii. — R. *Exhibeatur processus cum sententia lata anno 1615 et extrahatur partita plateae citata parte, et iustificetur solitum serv. serv. et interim nihil innovetur.*

De Missarum condonatione. — R. *Pro libellis datis explicentur nomina, tempora acceptationum, et status conventuum.*

Monopolitana. — Subsidii dotalis. — R. *Dilata et communicentur breve et scripturae.*

Collen. — Parochialis. — R. *Ad iudices suos.*

Veliternen. — Servitii. — R. *Ad primum, teneri per se, et quando sunt impediti legitime, non teneri per alium. Ad secundum, negative. Ad tertium negative nisi obstet observantia contraria legitime praescripta. Ad quartum affirmative.*

175. **Avenionen. — Dismembrationis.**

Collegiata Ecclesia Tarasconen. de iure patronatus Regis

Christiani constat ex decano prima dignitate, canonicis et beneficiatis. Decanus habet in redditu duplas hispanicas 545 ac praeterea alias duplas 27. Canonici vero in totum habent duplas dumtaxat 27, dum redditus propter temporum iniuriam sunt ita imminuti ut Canonici ex iis nequeant sustentari. Ideo ad consulendum illorum paupertati, per supplicationem a Dataria remissa petitur dismembrari a Decanatu libras bis mille, quae constituunt duplas 182 ut illae applicentur distributionibus nempe librae 1500 pro Canonicis, et 500 pro beneficiatis, stante consensu Regis Christianissimi, nec non Decani, eiusque Coadiutoris, ex quo augerentur redditus canonicorum et beneficiatorum, et nihilominus Decano remanerent duplae 390 et cum novis distributionibus duplae in totum 417 quae ad honestam sustentationem sufficiunt.

Haec auditis partibus, verificata fuere coram Archiepiscopo, qui tamen ita subdit:

At circa iustitiam pensionis imponendae, opposui primo capitulo difficultatem, quae mihi visa est valde gravis. Ex scripturis enim, quas legi, cognovi hanc pensionem imponi non super fructibus decanatus qui non habet nisi quotidianas distributiones trecentarum librarum et qui est de patronatu regis, sed super fructibus archidiaconatus Avenionen., nempe super fructibus prioratus S. Marthae, S. Thomae de Laureata, et S. Michaëlis de Frigolet, qui ante fundationem Capituli et decanatus erant dos archidiaconatus ei assignata a Sisto IV, ideoque non esse in potestate Christianissimi regis super ipsis pensionem imponere: non enim iustissimus rex intendit imponere pensionem super beneficiis, quae non sunt de suo patronatu et de sua fundatione.

Capitulum respondit non esse attendendum in hoc negotio nisi ultimum statum rerum, ut solet fieri in omnibus aliis negotiis: scire se tres illos prioratus fuisse ante fundationem decanatus, dotem archidiaconatus a Sixto IV assignatam et scire etiam post huius dotis assignationem fuisse unita haec quinque Beneficia, nempe tres prioratus, archidiaconatum et decanatum et factum unum beneficium quod totum post unionem remansit (ut asserunt) de iurepatronatus Regis et de collatione Regis, ac proinde potuisse Regem post unionem imponere pensionem super his bonis, quamvis spectantibus ante unionem ad archidiaconatum, hancque consolidationem beneficiorum in unum beneficium, ut dicunt aliqui, vel in unam personam ut dicunt alii, multum favere regiae pensioni.

Opposui secundo capitulo videri Serenissimum Regem huius concessione pensionis voluisse exonerare aerarium regium, quod consueverat solvere capitulo summam librarum praedictae pensioni aequivalentem. Unde considerandum maxime erat an conveniens esset gravare ecclesiam, ut hoc onere aerarium ditissimum levaretur.

Capitulum respondit illud omnino falsum esse, et fieri iniuriam liberalissimo Regi, credendum est potius, nullam aliam intentionem Regem habuisse, praeter eam, quae exprimitur in concessione pensionis, ut scilicet Canonici honestius et commodius vivant, iuxta antiquorum canonum consuetudinem, qui hoc solo titulo permittunt divisionem reddituum pinguiorum beneficiorum, ut illis pauperioribus beneficiis subveniatur.

His per summarium propositis 10 Iunii proximi praeteriti dictum fuit « Informent et videantur Instrumenta unionum ».

Quibus exhibitis cum res videretur maturiori digna inspectione EE. PP. demandarunt describi in folio. Quare reassumptis scripturis datis, in quibus data fuerunt inter caetera unionum summaria, non graventur respondere:

An petita dismembratio et applicatio sit concedenda?

R. *Affirmative, salvis tamen assignamentis antiquis factis Ecclesiae Collegiatae S. Marthae.*

176. Electen. — Absolutionis.

Petrus Arcens Presbyter et Rector Parochialis Ecclesiae exponit, quod alias sciens unum puerum suae Parochiae in sui recusationem ab alio Rectore vicino fuisse baptizatum, adstrinxit tamen parentes dicti pueri baptizati, ut deferrent puerum ad suam Parochiam et ibi eum sub conditione rebaptizavit. Cum autem dubitet propter praemissa ecclesiasticas sententias, censuras et poenas incurrisse, et irregularitatem contraxisse, per supplicationem a Dataria remissam supplicat pro absolutione ac rehabilitatione ad ordines et beneficia.

Circa preces huiusmodi, Episcopus pro informatione requisitus responsivas litteras dedit dignas, quae per extensum inserantur, ex eo praesertim capite, quod super iis pro parte Episcopi per eius agentem in Curia aliquod responsum petitur. Litterae igitur sunt hae:

E.me Cardinalis. Gratias tibi debeo maximas, quod me eo prosequaris honore, ut mentem meam expostules circa libellum supplicem Sanctissimo D. N. oblatum pro parte Petri Arcens Rectoris loci d. d. S. Iust. Electen. dioecesis servet Deus incolumem revera sanctum, et peritissimum, quem praefecit Ecclesiae suae Summum Pontificem, *(sic)* qui qua pollet auctoritate, ea nonnisi in aedificationem uti omnibus viribus nititur, nec ad id certe efficacior modus haberi potest, quam si quae ab Apostolicae Sedis fastigio penitus pendent, nihilominus tamen cum Ordinariis locorum perpendantur, sive ad rei gestae elucidationem sive ad meritorum explorationem. Iam itaque de facto dicam, circa quod Cardinalis Eminentissime, quid veri sit indagas, dicam mihi constare rem ita se habere, uti in supplici libello exponitur. Meum non est de gravitate casus mentem meam proponere, sed de persona quoniam inquisitum est, monebo me eam novisse data occasione visitationis Parochiae de San. Iust., cui praefectus est, mihique compertum fuit non illud tantum rebaptizationis crimen obiici, sed et multis in rebus suspectos fuisse illius mores, praedecessori meo Nicolao de Pavillon, parumque probatos esse ipsius parochianis. Vir sexagenarius est magna difficultate aurium praepeditus; his omnibus adductus momentis, hortatus sum, ut loco suo cedere vellet, quod quidem pollicitus est. Existimarem ergo Sanctissimum D. N. pro paterna sua benignitate, hoc rebaptizationis crimen ipsi condonare posse, sed ea tamen lege, ut beneficiis cum Cura animarum non amplius praefici possit. Haec meriti illius culpae debetur poena, personaeque rationi decentissima erit. Sic ea ingenuitate perscribo, ut tibi morem geram Cardinalis Eminentissime etc.

His per Summarium relatis, Eminentissimi Patres totum in folio describi mandarunt pro maturiori resolutione capienda, dum ex DD. alii stant pro irregularitate, alii contra. Proinde videretur inquirendum:

1. An orator propter praemissa incurrerit in irregularitatem seu aliam poenam?

2. An, et cum quibus conditionibus, et restrictivis petita absolutio et rehabilitatio sit concedenda?

R. *Dispensandum ad cautelam. Ad secundum, cum poenitentiis ab Ordinario arbitrandis.*

177. De Missarum condonatione.

Per octo anonymos supplices libellos petita fuit a Sanctissimo admissio ad compositionem cum Fabrica S. Petri pro infrascriptis respective missis non celebratis ascendentibus in totum ad missas biscentum triginta duo mille et septingentas.

1. Ecclesia quaedam regularis in Italia extra Statum ecclesiasticum pro missis $\frac{m}{130}$ dolens de reddituum diminutione ac de sacerdotum deficientia ex contagione defunctorum, ita ut donec illorum numerus reintegraretur complura sacrificia omittere oportuerit.

2. Prior conventus mendicant. Ulixbonen. pro missis $\frac{m}{42}$ quarum eleemosynae pro victu consumptae.

3. Alii regulares, qui ex legatis tenebantur ad missas quotidianas perpetuas, deputando in Cappellanos ipsos religiosos, quoniam ipsis liberam applicationem diebus Dominicis constitutiones indulgent, omissae remansere missae 15693.

4. Nonnulli Conventus Lusitaniae pro missis $\frac{m}{16}$ non celebratis propter penuriam sacerdotum.

5. Alius Conventus pariter in Lusitania pro missis $\frac{m}{10}$ consumptis eleemosynis pro victu, aliisque necessitatibus.

6. Beneficiati parochialis de Selva Maioricen. dioeces. pro missis 8000 quoniam redditus partim deperiit partim litigiosus.

7. Clerus N. pro missis 10500 quoniam capitalia periere, terrae non coluntur propter colonorum penuriam, ac redditus decrevere.

8. Modernus superior loci Pii non regularis in statu Ecclesiastico pro missis mille et biscentum, quoniam propter temporum penuriam redditus non suppetunt imo, ex eadem causa aes alienum contrahere necesse fuit.

Ad has omnes instantias Sanctitas Sua rescripsit:

Alla Congregazione del Concilio, che sopra l'esposta materia in generale maturamente esamini l'opportuno rimedio, e dia il suo voto.

Proinde Emi Patres pro eorum perspicaci prudentia non graventur decernere, quod magis in Domino expedire iudicaverint.

R. *Pro libellis datis, explicentur nomina, tempora acceptationum, et status Conventuum.*

178. Veliternen. — Servitii.

Extabant in Parochiali SSmi Salvatoris quatuor beneficia pro totidem beneficiatis, qui tenebantur cantare missas et vesperas in diebus festis, induti Cottis in choro, et hebdomadam facere per turnum. Anno 1593 auctoritate Apostolica, ista quatuor beneficia fuerunt suppressa, et ex iis erectae duae Coadiutoriae, unam pro Cura SSmi Salvatoris, altera pro Cura in Ecclesia S. Luciae, quae illi Sanctissimi Salvatoris erat unita. Additum fuit tamen, quod provisi de istis duobus beneficiis supportarent onera quae incumbebant beneficiis suppressis.

Cum autem moderni possessores renuerent, Sacra Congregatio ad quam Rector Sanctissimi Salvatoris recursum habuerat utraque parte informante sub die 21 Augusti 1677 censuit utrumque Coadiutorem habere dependentiam a Parocho Sanctissimi Salvatoris, utrumque respective in Parochia, ad quam destinatus fuerat residere debere; ac demum utrumque ultra curam animarum teneri ad assistentiam Chori ac divina officia, ad quae beneficiati suppressi tenebantur, dummodo non essent actualiter impediti in exercitio curae animarum.

At dictus Parochus praetendit Coadiutores adhuc, ita impeditos, teneri ad onera praedicta per alium. Ac rursus functiones in Ecclesia S. Luciae libere exercere, et Coadiutores a parochialibus emolumentis excludere, pt. etiam quod Vicarius generalis ipso absente pro praesenti controversia non potuerit oeconomum ab ipso relictum amovere unum ex suis Coadiutoribus in oeconomum et deinde alium sacerdotem deputare. Ideo supplicat declarari:

1. An Coadiutores teneantur per se, et impediti, per alium facere hebdomadam, canere missas et vesperas, et assistere in choro?

2. An Coadiutor deputatus in Ecclesia S. Luciae possit impedire Parochum, seu Archipresbyterum SSmi Salvatoris ne ibi exerceat functiones parochiales pro suo arbitrio?

3. An Coadiutores praedicti qui habent congruam possint lucrari emolumenta funerum, baptismorum, et matrimoniorum, quae sunt iura parochialia, et solita dari Parocho?

4. An absente Archipresbytero pro causa praesenti potuerit Vicarius removere oeconomum idoneum et approbatum, et constituere in oeconomum unum ex dictis Coadiutoribus, vel alium sacerdotem cum scutis 4 b. 50 quolibet mense, Archipresbytero irrequisito.

Sed circa hoc 4 quaesitum operae pretium est nosse, quod Vicarius generalis respondet Presbyterum a visconte Parocho relictum non fuisse approbatum, nec idoneum, sed tantum alias approbatum ad confessiones ad sex menses, quod tempus iam expiraverat. Ac dum frequentes saeviebant morbi, deputavit in oeconomum unum ex coadiutoribus, cum quibus litigat, donec alter sacerdos idoneus reperiretur, pt. eo reperto coadiutoria aeconomatus cessavit. Cum autem Coadiutor teneatur ad ea, in quibus Parochus supplere non potest, non ad totam curam substinendam, aequum existimavit dum onere maiori gravabatur, stipendium etiam assignare.

Quoad alia dubia, Coadiutorum animadversiones per eorum Procuratorem deducentur.

R. *Ad primum, teneri per se, et quando sunt impediti legitime, non teneri per alium. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Negative nisi obstet observantia contraria legitime praescripta. Ad quartum, Affirmative.*

LI. Die sabbati 20 Ianuarii 1680.

Nullius Carpen. — Matrimonii. — R. *Affirmative.*

Novarien. — Bonorum. — R. *Dilata et ad mentem.*

Ragusina. — Ecclesiae. — R. *Dabitur resolutio in casibus particularibus.*

Dubium. — Incisionis arborum. — R. *Dabitur resolutio in casibus particularibus.*

Fossanen. — Commendae. — R. *Affirmative servata forma Constitutionis.*

Dubium. — Incompatibilitatis. — R. *Affirmative.*

Urgellen. — Servitii. — R. *Dilata, Episcopus et Capitulum audiantur.*

Potentina. — Funerum et decimarum. — R. *Ad primum, conficiatur taxa per Metropolitanum, et Episcopus auditis*

partibus transmittat ad Sacram Congregationem. Ad secundum, Coram ecclesiastico tantum. Ad tertium, Non egere responsione.

Dubium. — Ordinationis. — R. *Negative.*

179. Nullius Carpen. — Matrimonii.

Dum Archipresbyter ob notorias controversias, Romae degebat, matrimonium coram eius Vicario principali contractum fuit. Res autem, ut habetur ex narratione ipsius Vicarii per Archipresbyterum iam residentem transmissa, ita successit. Regularis Capuccinus Vicarium adivit, rogando ut matrimonii libertati faveatur proindeque cum futuri mariti genitor impediturus certo crederetur, super denunciationibus dispensaret, dum Ioannes Bap.ta Grillenzonus sponsalia scripto, iuramentoque vallata, parique modo subsecuta defloratione, confirmata adimplere intendebat. Substitit Vicarius de suis facultatibus, dubitans etiam de libertate status puellae. Advenit interim Parochus commentitio Vicarii iussu advocatus et superveniens Grillenzonus dixit ab ipso procuratum, ut veniret, quia intendebat adimplere contenta in folio, quod porrexit, et Parocho accipere recusante folium Grillenzonus porrexit Vicario, quo legere incipiente, Parochus coepit recedere, revocatus a Vicario paululum stetit, ac postmodum revera celeriter abiit, frustra revocante Vicario, qui ut illum sisteret, usque ad suae mansionis fores porrexerat. Reversus Vicarius ad suas mansiones, cum ad secundum cubiculum graderetur, Grillenzonus (ita suaserat Capuccinus) Vicarium vocavit. Is oculos revolvens non sine admiratione plures vidit, de quibus non animadverterat. Tunc Grillenzonus: « Signor Vicario, il Cappellano è andato via e non ha voluto fermarsi. Ecco: io sposo la signora Cecilia Savarri qui presente, e vi chiamo in testimoni i signori Paparini, Cazzuoli e Abbati ». Statimque annulum in puellae ibi existentis digitum immisit; Vicarius, meum (inquit) non est matrimoniis assistere, nec approbo, nec vitupero, vobis ipsi consulatis. Et ita abierunt.

In praecitato autem folio, quod Vicario porrectum fuit Grillenzonus scripserat sub die 20 Decembris 1678 iurare se puellam in uxorem ducturum praeter Savanam, additis inter caetera: « Accettando nunc pro tunc la detta Servari per mia vera consorte, con obbligo espresso di sposarla a tempo debito ». Et pari modo in eodem folio Caecilia scripsit, et subscripsit.

Matrimonium hoc ex parte Grillenzoni eiusque genitoris impugnatur duplici ex capite, nempe quia Vicarius non generalis, sed particularis; et quia promissio et ratificatio ab adolescentulo extortae vi, et minis, et nomine principis per Capuccinum incussis. Sed quantum est ad qualitatem Vicarii ipse se generalem subscribit ac suum Vicarium vocat Archipresbyter. Quo vero ad minas et ad amores, partes monitae ad informandum in Summario deducent. Hoc certum est (prout refert Archipresbyter) quod adolescens qui propter armorum delationem cum quibus ementito muliebri habitu deprehensus fuit primo in carceres coniectus, mox domi loco carceris detinetur, a tali matrimonio est omnino aversus, ac potius religionem ingredi velle, ac si praeter suam voluntatem omnia facta, licet ex deductis pro parte mulieris ardenti amore flagrasse deprehendatur. Ideoque mulier pro matrimonio instans supplicat declarari:

An matrimonium huiusmodi fuerit validum.

R. *Affirmative.*

180. Dubium. — Incisionis arborum.

Pro parte beneficiati supplicatur declarari:

An dispositio Concilii, cap. 11, Sess. 22, de Reform. mat. locum habeat adversus emphiteutam Ecclesiae incidentem in bonis emphiteuticis arbores fructiferas, nempe nuces, moros, quercus et in numero considerabili.

R. *Dabitur resolutio in casibus particularibus.*

181. Dubium. — Incompatibilitatis.

Supplicatur per Sacram Congregationem declarari:

An prohibitio pluralitatis beneficiorum locum habeat quoad beneficia de iurepatronatus laicorum.

R. *Affirmative.*

182. Potentina — Funerum et decimarum.

Quoniam in civitate Potentina nullae solvuntur decimae nec alia subventio praestatur Ecclesiis, exinde factum est ut occasione sepulturae exactum fuerit certum quid arbitrio curatorum taxatum modo plus, modo minus pro defuncti facultate. Idque vel ante sepulturam solutum vel praestita cautione ante illam, postea exactum. De tali usu anno 1671, civitas conquesta fuit, ac proinde commissum Metropolitano ut taxam conficeret. Verum acquiescente civitate non fuit ultra progressum. Nuper occasione taxae Innocentianae eaedem turbae revixerunt, ac rursus laici taxae funerum debitores coram iudice laico conveniri praetendunt. Ideo Capitula Cathedralis, et Collegiatarum et Parochi supplicant provideri. Non diffugiunt ipsi taxari quid certum, et modicum, sed petunt respici ad ecclesiarum et ecclesiasticorum manutentionem, ac rursus decimarum solutionem mandari instant. Civitas per Episcopum audita scripto respondit, non posse ipsi suaderi, quod taxa Innocentiana servanda non sit, taxam quartae funeralis arbitrio curatorum non ferendam, sed quid moderatum stabiliendum; de iudicis saecularis rectitudine non dubitandum. Decimas vero esse quid novi, cuius vix nomen ibi auditum, nec posse aptari territorio Potentino consistenti in domibus, vinetis, terris et sylvulis, et sub dominio, vel hypotheca ecclesiastica. Episcopus vero inquit Ecclesias esse pauperrimas dum laici nullam recognitionem pro iure parochiali persolvunt, et taxa funerum immutata et cum maximis contentionibus et sero persolvi. Ideo oportere pro Ecclesiarum, et illis inservientium manutentione ut funeralis taxa persolvatur, quod non solventes conveniantur coram ecclesiastico iudice, et decimas tamquam iure Divino ordinatas, et pro ecclesiasticorum substentatione necessarias solvi debere.

His positis, et citato procuratore civitatis, quaeritur:

1° An et quomodo funerum taxa statuenda sit;

2° An laici morosi in statuta taxa solvenda conveniendi sint coram iudice ecclesiastico;

3° An populus cogendus sit ad decimam, et in qua quantitate.

R. *Ad primum, Conficiatur taxa per Metropolitanum, et Episcopus auditis partibus transmittat ad Sacram Congregationem. Ad secundum, Coram ecclesiastico tantum. Ad tertium, Non egere responsione.*

183. — Dubium. — Ordinationis.

Nonnullis in locis in usu est promotio ad Sacros Ordines ad titulum mensae cibariae; tales nempe promoti alimenta recipiunt a publico civitatis, donec de sufficienti ec-

clesiastico beneficio provisi fuerint, si quando quis obtinet a Sancta Sede Breve de se promoveri faciendo extra tempora, et non servatis interstitiis, ad titulum beneficii, vel patrimonii. Quaeritur

An vigore dicti Brevis promoveri possint ad titulum dictae mensae, quae veluti patrimonio aequivalet.

R. *Negative.*

LII. Die sabbati 3 Februarii 1680.

CASALEN. — Confessariorum. — R. *Affirmative.*

ARIMINEN. — Administrationis Montis Pietatis. — R. *Ad primum, In decisis. Ad secundum, Nominet pro quarto canonicum Leonardellum in quo partes consentiunt. Ad tertium, Aperiendum esse montem ad formam Constitutionum, et formam bene visam Episcopo.*

CRACOVIEN. — Peculii. — R. *Ad primum, Affirmative servata forma Concilii. Ad secundum, Negative.*

DUBIUM. — Electionis Provincialis. — R. *Negative.*

PENNEN. — Residentiae. — R. *Servetur Concilium, et detur decretum in causa Potentina.*

CULMEN. — Seminarii. — R. *Negative.*

COSENTINA. — De casibus reservatis. — R. *Examinentur in Congregatione generali extraordinaria.*

184. Casalen. — Confessariorum.

Exponitur Capitularem comperiisse plures tam saeculares quam regulares obtinuisse facultatem a defuncto Episcopo audiendi confessiones nullo praevio examine, eosque esse ita imperitos ut complura scandala proveniant. Ideo supplicat pro facultate eos vocandi ad examen, et quos idoneos repererit approbandi et e contra inhabiles prohibendi.

His per summarium relatis in proxime habita Congregatione res visa est digna discussione proindeque mandatur proponi in folio. Quare hodie quaeritur:

1° An Vicarius Capitularis hoc possit? et quatenus negative,

2° An petita facultas sit concedenda?

R. *Affirmative.*

185. Ariminen. — Administrationis Montis Pietatis.

In Congregatione prox. praeterita in hac causa triplex instantia fuit proposita. Si quidem haeredes praedefuncti rectoris Montis instabant mandari Montem aperiri, ne pignora ob pignorationem, et expignorare volentes detrimentum paterentur, ipsisque, seu Monti nova lis pararetur. Rursus Franciscus Bonadies in novum rectorem electus instabat mandari Congregationi dicti Montis quatenus necessarium instrumentum exponeret, dum fideiussores ab ipso datos Concilium generale civitatis iam acceptaverat. Demum Episcopus a quo uti delegatos S. Congregationis deputari debebant novi revisores computorum partibus non suspecti, cum apertis cedulis confidentium, et diffidentium comperiisset prop. dictorum heredum allegatos fuisse suspectos omnes ecclesiasticos exceptis dumtaxat Canonicis Levizano, et Pastorio altero amicissimo, altero sanguine ipsis coniuncto, S. Congregationem consulebat quid sibi agendum?

Ad haec omnia Sacra Congregatio distulit respondere, mandans causam videri ex integro in prima. Repetendum proinde est qualiter defuncto Francisco de Rasis iam rectore dicti Montis, coepta fuit remissio computorum administrationis, et licet haeredes appellassent ad Metropolitanum, ut procederet, non obstantibus quibuscumque inhibitionibus, nisi manu Sanctissimi signatis. Et rursus 9 et 23 Septembris stetit in decisis. Itaque ad revisionem deventum fuit, et revisores ad eorum definitionem devenerunt. Verum quia praedicti haeredes suspectum allegabant Episcopum utpote interesse habentem pro quodam deposito, pro quo eosdem haeredes convenerat, prout etiam suspectos allegabant duos ex revisoribus, insteterunt causam huiusmodi cognoscendam ac terminandam remitti alicui iudici, vel alias opportune provideri. At quoniam Sanctissimus instantia huiusmodi ad eamdem Sacram Congregationem remisit, assumpsit in se causam in gradu appellationis, dum secunda decisione respondit: « Omnes deducant eorum iura in Sacra Congregatione in gradu appellationis, et Episcopus cum facultatibus eiusdem Congregationis deputet alios revisores partibus non suspectos ». Quibus repetitis decernendum hodie videtur:

1° An standum sit, vel recedendum a decisis 2 Decembris?

2° An et quid agendum pro deputatione novorum revisorum?

3° An et quo pacto demandanda admissio novi rectoris seu Montis aperitio?

R. *Ad primum, In decisis. Ad secundum, Nominet pro quarto canonicum Leonardellum in quo partes consentiunt. Ad tertium, Aperiendum esse montem ad formam Constitutionum, et formam bene visam Episcopo.*

186. Cracovien. — Peculii.

Vicarius generalis Cisterciensium, in Regno Poloniae, per libellum a Sanctissimo remissum conqueritur qualiter Auditor D. Nuncii Apostolici decrevit restitutionem peculii ad favorem Patri Bozaeii Ordinis Monachi. Is perfunctus officio Secretarii Religionis pingue peculium coëgit, ac praeter suppellectilem pretiosam, rhedam etiam, imo quadrigam, retinebat pro sui amicorumque usu. Cumque exemplum hoc esset perniciosum, et contra Constitutiones, Capitulum provinciale celebratum anno 1674, dictum peculium applicavit Monasterio, in quo dictus Monachus professionem emiserat, ipsaque applicatio in parte effectum sortita fuit. Verum Monachus appellavit ad Patrem generalem illius tamen indicto non expectato, recursum habuit ad Nunciaturam, cuius Auditor restitutionem peculii mandavi.

Contra decretum hoc, ultra Sacrorum Canonum, Constitutionum Ordinis, et Concilii Tridentini dispositionem, opponit Vicarius generalis defectum iurisdictionis ex quo Innocentius VIII anno 1489 privilegium concessit dicto Ordini, ne causae cognoscerentur etiam in gradu appellationis a iudicibus extra Religionem, etiam si essent Nuncii Apostolici proindeque supplicat decerni decretum Nunciaturae non afficere, et causam remitti ad Patrem generalem.

D. Nuncius super his pro informatione requisitus, transmisit decretum Auditoris, in quo in primis enunciatur fundatio iurisdictionis non solum de iure communi sed etiam specialis delegatio quoad Cistercienses. Deinde, enunciatis pluribus actis, nec non epistola P. Generalis ad Abbatem Landensem in qua dicebatur conquisita per P. Bozeii illi esse restituenda. Demum restitutio decernitur, ita tamen ut P. Bozeii obtineat ad liberam dispositionem P. Generalis.

E contra tamen tale mandatum P. Generalis negatur, imo exhibetur eiusdem epistola per quam idem Bozeii paterne

monetur ut se recipiat ad claustra, atque religiosam, quam vovit, paupertatem observet. Quibus positis quaeritur:

1° An dictum decretum Nunciaturae officiat?

2° An causa ad Patrem Generalem remittenda?

R. *Ad primum, Affirmative, servata forma Concilii. Ad secundum, Negative.*

187. **Dubium. — Electionis Provincialis.**

In Constitutionibus Fratrum Eremitarum B. Petri de Pisis, sub capitulo 36, N. 3, ita habetur: « Provincialis pro unaquaque provincia eligendus etc. in Congregatione saltem prior extitisse in eaque per annos circiter 20, non interruptos permansisse debet ». Quaeritur:

An in vim dictae dictionis *circiter* religiosus, cum ad attingendum annum vigesimum permanentiae desunt dumtaxat dies 73 eligi possit in provincialem?

R. *Negative.*

188. **Pennen. — Residentiae.**

Non raro accidit quod Canonicus longe absens, et per edictum citatus ad praescriptum Concilii in fine tertii anni suae absentiae ad eludendam imminentem privationis sententiam, revertitur ad residentiam, sed post paucos dies denuo discedens continuat in contumacia, quaerit Episcopus:

An contra eum repetenda sit a principio forma praescripta Canonico pro primo et secundo anno etc., vel potius prosequenda iam coepta?

R. *Servetur Concilium, et detur decretum in causa Potentina.*

189. **Culmen. — Seminarii.**

Episcopus vocavit Presbyteros Congregationis Missionis ad regimen sui Seminarii. Seminario univit praeposituram cuius redditus dictis Presbyteriis Seminarii directoribus applicavit cum obligatione supportandi praepositurae incumbentia. Generalis ratificavit susceptionem huiusmodi regiminis cum conditione tamen sese quandocumque a beneficio et onere praepositurae liberandi, et cum eo quod nunquam tenerentur administrationis rationes reddere, alias per libellum a Sanctissimo remissum, supplicatum fuit pro confirmatione. Verum 10 Iunii 1679 dictum fuit « Nihil » nunc autem pro parte Episcopi iterum instatur pro confirmatione.

Adducitur necessitas, tale regimen committendi dictis Presbyteris propter eorum peritiam, et zelum, quod si negotio facessant limitationes a Generali appositae, supplicatur concedi confirmationem iis posthabitis, praeter quam quod Presbyteri non renuunt rationes reddere administrationis simpliciter, sed tantum quoad redditus pro eorum substentatione assignatos. Iterum igitur quaeritur:

An petita confirmatio sit concedenda?

R. *Negative.*

ANALECTA VARIA

I.

Commentarium circa Constitutionem Gregorii PP. XIII *Pastoralis officii* 30 Dec. 1573, qua Rubricae Breviarii Romani magnopere illustrantur.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis Officii cura nos admonet, ut ea quae magis conducere censemus, pro locorum et personarum qualitate concedamus. Sane licet alias post Missalis et Breviarii ex Decreto sacri Concilii Tridentini editionem fel. rec. Pius V praedecessor Noster, dilecti Nobis filii Ludovici de Torres Malacitani et Camerae Apostolicae clerici, qui tunc ex Hispaniarum regnis, ad quae ab eodem Praedecessore pro certis gravibus negotiis ad rempublicam christianam spectantibus missus fuerat, Romam redierat, relatione audita, multas scilicet, ut ipse Ludovicus a viris gravissimis ad hunc effectum a carissimo filio Nostro Philippo Hispaniarum rege catholico deputatis acceperat, ex huiusmodi editione subortas fuisse in illis partibus difficultates (1), ad eas tollendas nonnulla quoad Hispaniarum regna praedicta duxerit reformanda, et concedenda; nihilominus, quia, ut idem Ludovicus Nobis retulit, re ipsa compertum est adhuc aliqua ad Missalis et Breviarii impressionem, quae in illa provincia magnis impensis curantur, desiderari: Nos eius dictis certam adhibentes fidem; ad omnem scrupulum dimovendum, motu proprio et ex certa scientia Nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, haec quae sequuntur declaranda duximus et concedenda.

In primis illud Nobis declarandum se offert, ex quo magna oriri poterat confusio. Cum enim praedecessor Noster praedictus indistincte concesserit, ut ecclesiae Hispaniae possint celebrare Officia propria Sanctorum illius provinciae (2) illique plures sint numero, ex hoc sequebatur, ut Officium maioris partis feriarum anni omitteretur (3) et ordo Breviarii fere subverteretur (4). Nos huic incommodo occurrere volentes, et praedecessoris praedicti mentem sano modo interpretantes (5), declaramus, unamquamque Hispaniae ecclesiam eorum tantum Sanctorum, qui in Breviario non sunt descripti, Officia propria celebrare posse, qui vel illius dioecesis sunt naturales (6), vel eius ecclesiae seu dioecesis sunt patroni (7), vel quorum corpora seu notabiles reliquiae in ea ecclesia seu dioecesi requiescunt (8). De aliis vero Sanctis, etiamsi sint naturales, vel

patroni alterius dioecesis, etiamsi illorum corpora vel notabiles reliquiae in aliqua ecclesia alterius dioecesis requiescant, non celebretur Officium proprium, sed servetur ordo Breviarii Romani (9). Et quo die celebrabitur festivitas patroni unius dioecesis, religiones omnes teneantur eodem die in suis ecclesiis intra limites illius dioecesis exsistentibus, eamdem festivitatem celebrare, et in hoc cum ecclesia matrice se conforment (10).

Item volumus, quod festivitates sequentes sint in tota Hispania generales; ita quod omnes ecclesiae et religiones exsistentes in illa provincia recitent de illis et celebrent propria illorum Officia (11), quae sunt: Festivitas Exspectationis Dominae nostrae, quae celebratur die XVIII mensis Decembris (12). Et quoniam dicta die iuxta Breviarium Romanum feria habet antiphonas proprias ad Laudes, ne antiphonae praedictae omittantur, et ut festivae singulis annis in illa provincia decantentur: mandamus ut dictae antiphonae feriales, quae in die in qua Officium Exspectationis celebratur, dicendae essent, reponantur die XVI Decembris (13), omissa ea, quae ad Canticum dicitur, cuius loco dicatur ea, quae ad. Canticum ponitur in Psalterio, et idem fiat de antiphonis in die sancti Thomae occurrentibus, reponendis in Sabbato, quando Festum Exspectationis huiusmodi in Sabbato venerit; ut scilicet antiphonae in die sancti Thomae occurrentes, tunc reponantur XVI Decembris, dempta ea, quae dicitur ad Canticum, ut supra (14).

Item festivitas Triumphi Sanctae Crucis, quae celebratur die XVI Iulii. Item festivitas sancti Ildephonsi, Archiepiscopi Toletani Confessoris. Item festivitas sancti Isidori, Archiepiscopi Hispalensis, pro quo celebretur Officium Doctoris, et recitetur *Credo* in celebratione Missae (15). Insuper celebretur festivitas sanctae Annae, Matris Beatae Mariae Virginis, in omnibus locis, ubi fuerat ecclesia, vel cappella dictae Sanctae ad praesens, vel ubi aedificabitur ecclesia in futurum (16). Item concedimus, ut quaelibet ecclesia et monasterium Hispaniae, habens aliquas reliquias insignes, puta caput, brachium, vel crus alicuius Sancti (17), etiam alienigenae non exsistentis in Breviario, vel de quo in dicto Breviario fit tantum commemoratio (18), possit illius festivitatem celebrare et Officium duplex facere (19), et de alio Sancto eodem die occurrenti, si fuerit simplex, fiat commemoratio; si vero fuerit duplex, vel semiduplex, transferatur in primam diem simili festo non impeditam (20). Et quoniam in regno Castellae in pluribus ecclesiis celebratur die XXX Decembris Translatio sancti Iacobi Apostoli, Hispaniarum patroni (21), praecipuum duplex (22), et in Breviario ponitur die XXIX festivitas sancti Thomae Archiepiscopi Cantuariensis, et Martyris, semiduplex, et in anno quo festivitas sancti Thomae occurrit in Dominica, iuxta regulam Breviarii transfertur in diem sequentem, quo die in eo regno celebratur supradicta festivitas sancti Iacobi, posteaque per plures dies non venit aliqua dies vacua, in qua possit celebrari festivitas praedicti sancti Thomae: volumus, ut in eo anno festum ipsum sancti Thomae transferatur ad primam diem duplici non impeditam (23), quae erit Vigilia Epiphaniae, et tunc de Vigilia fiat tantum commemoratio (24); ad Vesperas autem Epiphaniae nulla fiat commemoratio de festo sancti Thomae praedicti.

Cum vero in ecclesiis et regionibus Hispaniae vigeat consuetudo, ut diebus Paschalibus et festivitatibus maioribus celebret Missam conventualem Antistes vel alia persona principalis, et regula Missalis ordinet, quod omnibus diebus dominicis infra annum sacerdos, qui celebrabit Missam conventualem, exeat ante celebrationem Missae cum pluviali vel cappa et cum ministris ad incipiendum in altari maiori antiphonam *Asperges*, et aspergendum aqua benedicta populum: concedimus, ut Antistes seu alia persona principalis celebrans Missam conventualem praemissa facere non teneatur, sed illa facere possit quilibet alius simplex sacerdos eius loco, et ut talis sacerdos non deferat pluviale, sed albam et stolam, vel superpelliceum et stolam, nec procedat associatus cum ministris, sed solum cum acolythis (25).

Haec autem omnia et singula, Breviarium et Missale concernentia, per felicis recordationis Pium V, et Nos concessa pro Hispaniarum provinciis, volumus ut intelligantur etiam concessa ecclesiis insularum et terrae firmae Indiarum dicto regi Catholico subiectarum. Et insuper statuimus, ut Missae Sanctorum, quae iuxta Motum proprium dicti Pii V, in Missali Romano in Hispaniis imprimendo possunt imprimi, non in corpore, sed in fine dicti Missalis imprimantur. Et ita per praesentes Apostolica auctoritate declaramus, statuimus, concedimus et indulgemus: non obstantibus praemissis Litteris praedecessoris praedicti in Breviario et Missali, ac regulis sub Rubricis generalibus cum ipsismet Breviariis et Missalibus impressis nec non omnibus, et singulis in eis contentis prohibitionibus, clausulis, derogationibus et decretis: quae omnia Nos ad effectum praesentium in dictis provinciis locum sibi non vindicare decernimus: ac aliis, quae dictus praedecessor in suis Litteris obstare non voluit, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes Litterae omnibus innotescant, volumus, et districte praecipiendo omnibus et singulis librorum impressoribus in partibus illis consistentibus mandamus, ut illas in cuiuslibet Missalis et Breviarii principio imprimant, et imprimi curent; alias illis non appositis, et impressis praesentes nemini suffragentur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX Decembris, MDLXXIII, Pontificatus Nostri anno primo.

CAES. GLORIERIUS.

COMMENTARIUM.

Fortuito sub oculis advenit nostris haec pontificia Constitutio, quae maximi esse ponderis nobis visa est. Licet enim pro Ecclesia Hispanica data sit, nihilominus principia liturgica in ea inveniuntur magni momenti, sive quia a Romano Pontifice solemniter enunciantur, sive quia inter vivos adhuc tunc erant qui Rubricas S. Pii V emendaverant, ideoque genuinum earum sensum noverant.

Eo autem magis credimus, gratum facere lectoribus nostris huiusmodi Constitutionem in Ephemeridibus nostris edendo, quia nullus alius ex liturgicis auctoribus unquam edidit, nec ipse recens liturgista hispanus cl. Solans. Gavantus quidem hanc Constitutionem citat *(sect. 6, c. 7, n. 1)* nec non A Carpo *(p. 3, n. 60, et p. 4, n. 254)* et Solans *(Prontuario liturg.*, p. 275), sed de omnibus in ea contentis non agunt, neque illustrationem ullam de ea habent.

Hinc est quod nos utile iudicavimus aliquibus adnotationibus hoc praestantissimum documentum exponere, ex quibus nova luce clarescere queant nonnullae Rubricae Breviarii, nonnullaque S. R. Congr. Decreta.

(1) *Ex huiusmodi* (Breviarii Piani) *editione subortas fuisse in illis partibus difficultates, etc.*

Correctio Breviarii et Missalis, iubente Concilio Tridentino, a S. Pio V peracta, atque Universali Ecclesiae latinae, paucis singularibus exceptis, imperata, multis laudibus ubique accepta fuit, uti notat Grancolas *(Comm. hist. Brev.*, p. 6): « Iure affirmare possumus ab eo tempore (Pii V) omnes singulares Ecclesias id adeo adoptasse, ut quae sub Romani Breviarii nomine illud non receperint, totum fere tamen Breviariis suis inseruerint, id suis ritibus accommodando ».

Fatendum tamen est, multos thesauros liturgicos penitus quasi periisse, apud particulares ecclesias plurimas, qui forsan servari bene poterant in propriis dioecesanis.

Hinc revera factum est, quod aliquibus in locis, Apostolica Sedes, etiam post Pianam correctionem, nonnulla hac illac concedere debuit, ut res in pace componerentur. In regnis quoque Hispaniae hoc evenisse dicendum est, in praesenti enim Constitutione dicitur: ex novi Breviarii *editione subortas fuisse in illis partibus difficultates;* ideoque Gregorius XIII aliqua *declaranda* et *concedenda* duxit Hispanicis Ecclesiis, per hanc notabilem Bullam suam.

(2) *Ut Ecclesiae Hispaniae possint celebrare Officia propria Sanctorum illius provinciae.* Relictis particularibus Breviariis, Romanoque Piano adoptato, contigit, ut antiqua et debita erga Sanctos proprios locorum, pietas non mediocriter imminuta videretur. Itaque statim ad S. Sedem recursus porrecti sunt, ut festa cum officiis Sanctorum, in propriis loci restituerentur.

Quamvis enim in Rubricis novi Breviarii *(Tit. I, n. 1, et Tit. II, n. 1)* non excludantur officia Sanctorum, *qui apud quasdam Ecclesias, Religiones vel Congregationes consueverunt solemniter celebrari,* paucis tamen Sanctorum localium in praxi debitus honor tribuebatur. Quapropter, ut hic notatur, iam S. Pius V Ecclesiis Hispaniae concedere debuerat ut possent continuare celebrationem officiorum pro Sanctis propriis illius provinciae.

(3) *... illique (cum) plures sint numero, ex hoc sequebatur ut Officium maioris partis feriarum anni omitteretur.* Verba haec in ore Pontificis Summi, nemo est qui non videat quanti sint ponderis. Omnes liturgici viri, melioris notae, cum card. Bona, card. Tomasi, Gavanto, Guyeto, Merano ac Cavalieri, iugiter conquesti sunt, de nimia pluralitate festorum cum iactura officii ferialis; Gavantus *(sect. 3., n. 5)* scribit: « Videant Episcopi ne pluralitate festorum fiat iniuria officio feriali ». Guyetus autem *(lib. I, c. 1, quaest. 19)* loquitur de « notabili detrimento quod infertur officio de Tempore, ex ingenti illa festorum coacervatione, quam eo usque demum aliqui promovent, ut vix locus ullus, aut certe exiguus admodum feriis supersit ». Quam sententiam suam fecit Meratus *(sect. 7, c. 1, n. 5)*. Eodem sensu, sed fortiori stylo Cavalerius *(T. 1, c. 6, n. 1):* « Festorum prurigo multorum e Clero tam Saecularium quam Regularium, animos ita pervasit, ut nihil plus optent, nihil fere vehementius ambiant, quam abactis procul omnium feriarum officiis, continuis ac prope quotidianis festis indulgere, opinantes sibi et religioni magnum augmentum et Ecclesiae suae vel Ordini splendorem accivisse, si corrogatis undique opportune, importune Sanctis, confertum ac coagmentatum atque supereffluens Calendarium proprium compegerint. O quam vereor ego, ne specioso pietatis praetextu, in istis se tegat innatum plurisque in divino officio brevitatis sollicitudine studium ». Verum, et apud S. Rit. Congregationem usque ad annum 1883, voluntas fuit, ne officia ferialia negligerentur, nam in Decreto generali d. d. 7 Iulii 1753, quod habetur in antiqua Gardelliniana collectione sub n. 4234 sic legitur: *Eminentissimi Patres S. R. C. praepositi decreverunt quod in posterum preces recitandi officia votiva semel in hebdomada vel semel in mense, amplius non recipiantur* (1).

Nihilominus cum supplicationes pro obtinendis adhuc votivis officiis non cessarent, aliud eadem S. R. C. generale Decretum emanavit die 11 Maii 1816, in antiqua collectione sub n. 4517, ita se habens:

Cum non obstante generali Decreto, quo sub die 7 Iulii 1753 a S. R. C. mandatum fuit, quod in posterum preces recitandi officia votiva semel in hebdomada, vel semel in mense amplius non recipiantur, *frequentes petitiones fiant pro facultate recitandi huiusmodi officia votiva, nec petentes tam facile acquiescant, rati, quod praefata generalis dispositio ob diuturnum temporis lapsum in desuetudine abierit. Ideo E.mi et R.mi DD. Cardinales eidem Sac. Congregationi praepositi, ad mei infrascripti Secretarii relationem sub hodierna die:* MEMORATUM GENERALE DECRETUM AD OMNIMODAM OBSERVANTIAM REVOCARI, EIUSDEMQUE EXEMPLAR, UT CUNCTIS PATEAT, AD SECRETARIAE PARIETES AFFIXUM PERPETUO RETINERI IUSSERUNT, *die 11 Maii 1816.*

Diximus supra, hanc fuisse voluntatem S. R. Congregationis usque ad annum 1883; quia eo anno die 5 Iulii, Decretum celebre sub Card. D. Bartolinio Praefecto prodiit, *Urbis et Orbis*, n. 3581, quo datur *indultum generale tam capitulis et ecclesiasticorum communitatibus quibuscumque, quam singulis de utroque clero* PERSOLVENDI OFFICIA VOTIVA PER ANNUM LOCO OFFICIORUM FERIALIUM, *praeterquam in feriis IV Cinerum, totius temporis Passionis, ac sacri Adventus a die 17 ad 24 Decembris.*

In qua nova concessione, praevisu non facili, tria haec notanda veniunt.

(1) Quod haec esset explicita S. R. C. voluntas a fortiori argumentamur, eo quod anno praedicto 1753 in calendario Ecclesiae universalis multo pauciora erant festa duplicia et semiduplicia, ideoque frequentiora officia ferialia.

I. Quod officia in eo decreto descripta a nemine quaesita fuerunt, ideoque et non petentibus concessa.

II. Quod non aliquod officium semel in mense, vel in hebdomada conceditur, sed pro diebus totius hebdomadae totidem officia votiva indulta sunt.

III. Quod huiusmodi officia votiva, etiam tempore Quadragesimae et Adventus, cum magno horum temporum venerationis detrimento, recitanda conceduntur.

Quid ergo dicendum? Re numquid vera consilium et voluntatem suam mutavit sacrum Tribunal? Nequaquam statim respondemus; etenim, quod ex *necessitate* conceditur, numquam dicitur ex mutato, et undequaque libenti animo concessum. Causam enim indulti votivorum officiorum in eodem decreto n. 3581 habemus his verbis: « *Compertum quippe est, coarctata translatorum serie*... (nam ex constitutione Leonis XIII d. d. 28 Iulii 1882 suppressa fuit translatio duplicium et semiduplicium) *inde augeri onus officiorum ferialium; quod imminuto hodie cleri numero auctisque aliis eius oneribus, minime convenire existimatur* ». Aliis verbis, mens Ecclesiae immutata manet, quoad desiderium ut officia ferialia tam facile non omittantur, quoniam vero ex suppressa duplicium et semiduplicium translatione onus clericis adaugeretur, per relatum indultum provisum fuit.

(4)... *et ordo Breviarii fere subverteretur*. Aurea sunt verba huiusmodi; ex nimia enim congerie Sanctorum, quorum officia tam facile implorantur, ubique hodie nunquam recitantur psalmi et hymni pulcherrimi feriarum; imo ob immodicum numerum duplicium maiorum, et ipsa lectio Scripturarum quasi semper omittitur, unde pars magnifica Breviarii, quae Psalterium dicitur, penitus omittitur, et de 150 psalmis, solummodo repetuntur centies milliesque ii paucissimi qui in Communibus Sanctorum recitantur. Si iam suo tempore Gregorius XIII conquerebatur quia *ordo Breviarii fere subverteretur*, quid diceret hodie, cum idem Summus Pontifex, sequens calendarium lateranensis Basilicae, ad omittendam maiorem Breviarii partem adstringitur? Nonne hodie in editionibus partium Aestivae et Autumnalis Breviarii, ullo sine incommodo omitti poterit totum psalterium?

(5) *Nos huic incommodo occurrere volentes et praedecessoris praedicti mentem sano modo interpretantes*... Gregorius XIII, S. Pio V immediate successit, mentem ergo antecessoris sui bene cognoscere poterat, hac in re, et procul dubio, uti diximus, plurimi adhuc in vivis erant, qui correctioni piani Breviarii manus posuerant. Quam ob rem, hac in gregoriana constitutione, authenticam revera habemus Rubricarum illustrationem, idcirco grati quamplurimum Gregorio XIII esse debent sacrae Liturgiae cultores, non tam pro Martyrologii recognita editione, ac pro calendarii reformatione, sed et pro hac sua praestantissima constitutione.

(6) *Declaramus unamquamque Hispaniae ecclesiam eorum tantum Sanctorum, qui in Breviario non sunt descripti officia propria celebrare posse, qui vel illius dioecesis sunt naturales*... Sunt nonnulli, qui sub pretextu maioris coniunctionis cum Romana Ecclesia, optarent ut in universo orbe christiano quotidie celebraretur idem festum idemque officium recitaretur, iuxta calendarium cleri Romani, amotis quibuscumque particularibus officiis, de quibus ad summum sola commemoratio permittenda esset. Inter hos novatores, princeps fuit Corrector Generalis Ordinis Minimorum P. Raphaël Ricca, qui in Concilio Vaticano *(Coll. lac. t. 7 pag. 892)* propositionem huiusmodi pandere est ausus. *Zelus est, sed non secundum scientiam;* si enim haec propositio acceptata fuisset, sacra antiquitas magnum detrimentum passa esset, et, ut ait D. Bäumer *(Hist. du Brév.* II. p. 407), activitas ecclesiarum particularium aliquomodo torpore corriperetur; et vincula multa quae adhuc coniungunt aetatem nostram cum primis ecclesiae saeculis, omnino relaxata manerent; uno verbo, si Patris Ricca votum infelix a Concilio acceptum fuisset, in sacra Liturgia quaedam mortua ac frigida uniformitas, inducta esset, quae nunquam fuit et nunquam erit, loco huius unitatis in multiplicitate, tam naturalis et iugiter a Romana Ecclesia admissae et summopere collaudatae.

De hac Romana protectione in particularium Ecclesiarum officiis liturgicis, splendidum argumentum habemus in hac Gregorii XIII constitutione, qui *Officia propria* Hispaniae admittit.

Sed et S. R. C. (*Decr. 2319 Reliq. dub. 1)* pluries declaravit, quod in occurrentia festorum eiusdem ritus, ceterisque' paribus, *Primum locum habebit officium Ecclesiae particularis; Secundum ordinis seu Religionis; Tertium dioecesis; Quartum Nationis: Quintum Ecclesiae universalis.*

Ut autem aliquis Sanctus proprius dicatur alicuius Ecclesiae, vel loci, vel dioecesis etc. oportet ut quaedam vincula cum dicto loco vel dioecesi habeat; ita docent unanimes doctores omnes cum Gavanto, Guyeto et Cavalerio. Hic *(T. 2, p. 1, c. 26, n. 3)* ad rem habet: « Sancti qui ut proprii ac particulares in Dominiis, Nationibus, Provinciis, Dioecesibus, Locis vel Religionibus excoluntur, sunt vel qui ortu, occubitu, insigni commoratione, praecipuo aliquo munere, advectione suarum reliquiarum, invectione Fidei, eiusdem promotione et dilatatione, signis, virtutum exemplis, doctrina, miraculis aut gratia aliqua inibi fuerunt illustres ». Sanctos, qui *ortu, occubitu, insigni commoratione, et praecipuo aliquo munere* (puta episcopali) alicubi floruerunt, naturales hic vocat Gregorius XIII; scilicet cives ac conterraneos. Quod autem Sancti *naturales,* aut cives, speciali et praestantiori honore a concivibus suis recolantur, non solum ab indole et ingenio humano comprobatur, homines enim intensiori amore suos prosequuntur quam alienos; sed et a ratione Theologica.

Divus Thomas *(Suppl. Q. 72 vel 74, art. 1)* docet: *Licet Sancti essentiam Dei non comprehendentes non omnia cognoscant, in Verbo tamen cognoscunt quae ad eos spectant, scilicet vota et devotiones ac orationes hominum, qui ad eorum auxilium confugiunt.*

S. Maximus Taurinensis († 400), homiliam 81, quam habuit in natali Ss. Martyrum Taurinensium Octavii, Adventii et Salutaris, ita aggreditur: *Cum omnium Ss. Martyrum, fratres, devotissime natalem celebrare debeamus, tum praecipue eorum solemnitas tota nobis veneratione curanda est, qui in nostris domiciliis proprium sanguinem profuderunt. Nam licet universi Sancti ubique sint, et omnibus prosint, illi tamen pro nobis interveniunt, qui et supplicia pertulere pro nobis. Martyr enim cum patitur, non sibi tantum patitur, sed et civibus ; sibi enim patitur ad praemium, civibus ad exemplum; sibi patitur ad requiem, civibus ad salutem.* Et paulo inferius hos Sanctos vocat familiares: *cum his autem nobis familiaritas est, semper enim nobiscum sunt* (Migne, *P. L.* 57, 954). Nil ergo mirum si huiusmodi

Sancti *naturales*, seu *familiares*, in ecclesiis singularibus speciali cultu honorantur.

(7) ... *vel eius Ecclesiae seu Dioecesis sunt Patroni.* Sub nomine Patroni hic venit tam Titulus Ecclesiae, quam Protector loci vel dioecesis. Festa Sanctorum in quorum honore habentur Ecclesiae dicatae, antiquiora sunt; imo primitiva templa Christianorum, ut plurimum super sepulchra Martyrum erigebantur, unde nomen *titulus*. Iam ab anno 250 huius rei testimonium habemus in passione S. Pionii (Ruinart, *Acta*, p. 188, c. 2) qui iuxta morem cuiusvis communitatis fidelium, celebrabat *Natale genuinum* S. Polycarpi ad cuius sepulcrum aedem sacram construxerat.

Ergo secunda ratio, ex qua aliquis Sanctus *proprius* dicitur, est qualitas eius Titularis Ecclesiae, vel Patroni loci. Titularis, is dicitur in cuius nomine fundata, benedicta vel consecrata est Ecclesia; ideoque Titulus esse potest SS. Trinitas, Spiritus Sanctus, D. N. Iesus Christus vel resurgens, vel ascendens in coelum, vel in Cruce, etc.

Patronus vero, is est, qui ab aliquo pago, vel civitate, vel regno eligitur ut Christianae plebi in periculis succurrat, in necessitatibus opem ferat, et apud Dominum reorum causam gerat. Ex quo manifeste patet, in Patronum eligi non posse nisi B. V. Mariam, Angelos et Sanctos; in notione enim Patroni aliquid medium intelligitur inter Deum et homines, inter Iudicem et reos.

(8) ... *vel quorum corpora seu notabiles reliquiae in ea ecclesia seu dioecesi requiescunt.* Guyetus *(l. 1, c. 9, n. 1)* scribit: « Patronis, seu Sanctis ecclesiarum Titularibus proximi sunt ii, quorum pignora seu Reliquiae in singulis ecclesiis asservantur». Ubi enim habentur Sanctorum Reliquiae, quae sint *notabiles*, intellige *insignes*, ibi et ratio habetur ut de Sanctis illis festum peragatur, ob causas in praecedenti nota allatas. De officio tamen ratione reliquiae insignis persolvendo inferius fusius dicemus in nota 17.

(9) *De aliis vero Sanctis, etiamsi sint naturales, vel patroni alterius dioecesis, etiamsi illorum corpora vel notabiles reliquiae in aliqua ecclesia alterius dioecesis requiescant, non celebretur officium proprium, sed servetur ordo Breviarii Romani.* Sancti *proprii* ecclesiae alicuius, vel loci, vel dioecesis, restrictive accipiendi sunt; ideoque Sancti finitimae dioecesis vel regionis non sunt proprii meae ecclesiae, nec ergo de ipsis festum instituere possum. Dantur aliquando casus in quibus decet quam maxime ut aliquis Sanctus tam bene sit meritus de quadam regione, vel regno, vel natione, ut quodammodo *proprius* dici possit totius regionis, vel regni, vel nationis illius.

Tunc procul dubio Apostolica Sedes facile concedit, ut in toto regno, vel natione de huiusmodi Sanctis festum peragatur. In hac ipsa constitutione nonnulla festa conceduntur, uti *propria* pro tota Hispania, ut infra videbimus.

(10) *Et quo die celebrabitur festivitas patroni unius dioecesis, Religiones omnes teneantur eodem die in suis ecclesiis, intra limites illius dioecesis existentibus, eamdem festivitatem celebrare, et in hoc cum ecclesia matrice se conforment.* Extant revera S. R. C. Decreta quamplurima quae Regulares ad celebrandam Patronorum loci vel dioecesis festivitatem adstringunt (cf. Decreta sub nn. 1708, 3436, 3863, 3925); ratio tamen huius obligationis ibi supponitur, sed non dicitur. Hic vero Gregorius XIII pulcherrimam et undequaque aequam rationem tradit dicens: *et in hoc cum ecclesia matrice se conforment.*

Liturgici auctores aiunt, Regulares ad festa Patronorum loci celebranda teneri, quia ipsi, non minus quam incolae ac cives iuvamen sentiunt et tutelam Patronorum; imo cum ad Patronorum electionem, iuxta Urbani VIII decretum, Regulares quoque suo voto concurrant, ut docet Benedictus XIV *(De Canoniz. l. 4, p. 2, c. 14, n. 5)* sane et eorum festum celebrare debent.

Huiusmodi causa abiicienda quidem non est, sed ista, quam tradit Gregorius papa, rem penitius attingit. Licet enim Regulares iurisdictioni episcopali et parochiali non subiiciantur, nihilominus cum ecclesia episcopali, et parochiali aliquo ligamine obstringuntur; nec inepte *matricem* Pontifex vocat ecclesiam.

Porro Regulares ab Episcopo adprobari debent pro confessionibus audiendis, et pro praedicatione verbi Dei extra suas ecclesias, et loci Ordinarius ea, quae ad Sacrificium Missae et ad externas functiones attinet, etiam in Regularium ecclesiis disponere potest. Item Regulares, absque parochi licentia, aliqua sacramenta administrare nequeunt, multisque in locis tempore quo Parochus dominicalem sermonem ad suum populum habet, publicas functiones peragere non possunt, ex dioecesanis constitutionibus a S. Congreg. Concilii admissis. Aequissime ergo, ad significandam huiusmodi Regularium subiectionem, Anniversarium Dedicationis, et Titulum Cathedralis concelebrant, nec non Patronum loci ubi degunt.

(11) *Item volumus, quod festivitates sequentes sint in tota Hispania generales; ita quod omnes ecclesiae et Religiones existentes in illa provincia recitent de illis et celebrent propria illorum officia.* Ergo festivitates, quae infra determinantur, *propriae* sunt pro universo regno Hispaniae, ita ut, non tantum Saecularis Clerus sed et Regularis ad eas celebrandas teneatur. Ergo, sicut habentur Festa Universalis Ecclesiae, ita habentur Festa alicuius Regni, seu regionis, Festa Dioecesis, Festa Ordinis Regularis et Festa alicuius loci vel ecclesiae specialis.

Si huiusmodi Gregorii XIII praescriptiones e mente nunquam excidissent, non tot et tam facile petitiones ad S. R. C. porrigerentur pro novis officiis obtinendis.

Determinentur opportune criteria, ex quibus nosci queat, qui Sancti ab Universa Ecclesia sint excolendi, qui a tota natione, qui a tota dioecesi, qui a toto Ordine Regulari, qui tandem in aliquo loco vel ecclesia particulari; tunc, si determinata criteria inveniuntur, pro singulis petitionibus, concedantur, alioquin, minime; nulla enim plerumque suffragatur ratio, nisi voluptas brevioris officii.

(12) *Quae sunt: Festivitas Expectationis Dominae nostrae, quae celebratur die XVIII Decembris.* Omnes norunt, quod tempore sacro Quadragesimali non agebantur festa, ideoque Annunciationis festum plurimis in provinciis, ac praesertim in Hispania celebrabatur die 18 Decembris ex Decreto Concilii Toletani X (656), uti tradit Baronius *(Not. Martyr. 25 Mart.)*. Postea vero duo festa in honorem B. Mariae celebrari coeperunt in Hispania, die 25 Martii more romano, sub titulo: *Annunciatio B. M. V.*, altera die 18 Decembris, *Expectatio B. M. V.* (Cfr. Kellner, *L'Anno Ecclesiastico.* trad. Mercati, p. 207). De hoc loquitur Gregorius hoc loco; et quodammodo *proprium* festum pro tota Hispania esse voluit, forsitan in obsequium traditionis illius regionis. Nunc vero sub nomine *Expectatio partus B. M. V.*, etiam in Hispania et, licet iure non sit festum universalis

Ecclesiae, de facto tamen ubique terrarum hodie celebratur.

(13) *Et quoniam dicta die iuxta Breviarium Romanum feria habet antiphonas proprias ad Laudes, ne antiphonae praedictae omittantur, et ut festivae singulis annis in illa provincia decantentur, mandamus ut dictae antiphonae feriales, quae in die qua officium Expectationis celebratur, dicendae essent, reponantur die XVI Decembris.* Ut recte intelligatur haec constitutionis dispositio, Rubrica quae in Breviario legitur post Dominicam III Adventus prae oculis est habenda. Cum enim in sex Feriis ante Vigiliam Nativitatis quaedam antiphonae propriae assignentur ad Laudes et per horas dicendae, incipiendo a die 17 Decembris, in Hispania ob celebrationem praedicti festi Expectationis, perpetuo impeditae remanebant antiphonae feriae die praedicta 18 occurrentis. Ideoque ne penitus perirent, voluit Pontifex ut die praecedenti dicerentur, sicut ex citata Rubrica antiphonae illius feriae quae cadit cum festo S. Thomae, transferuntur in Sabbato sequenti.

Laudanda quidem est huiusmodi dispositio; quae luculenter demonstrat quanta veneratione tunc tenebantur officia ferialia.

(14) ..... *omissa ea quae ad Canticum dicitur, cuius loco etc.* Non nemini forsan levioris momenti dispositiones hae rubricales apparebunt; quibus distincte explicatur quid sit agendum quando festum Expectationis in Sabbatum venerit; tunc enim antiphonae transferendae a die S. Thomae, reponendae erunt dicta die 17. Sed e contra videant, qui Rubricas parvipendunt, quanto sint honorandae, si de minimis etiam agit Summus Pontifex in solemni constitutione.

(15) *Item festivitas S. Isidori Archiepiscopi Hispalensis, pro quo celebretur Officium doctoris et recitetur* Credo *in celebratione Missae.* S. Isidorus Ep. Hispalensis, toto iure inter Doctores Ecclesiae adnumerandus erat. Nihilominus in Hispania tantum eius festum celebrabatur, tamquam Doctoris. Tandem S. R. C. per Decretum 25 Aprilis 1722, iussu Innocentii XIII, eius festum, cum doctoris qualitate ad universam Ecclesiam extensum est.

(16) *Insuper celebratur festivitas S. Annae, Matris B. Mariae Virginis in omnibus locis ubi fuerit ecclesia vel capella dictae Sanctae ad praesens, vel ubi aedificabitur ecclesia in futurum.* Almi Parentes B. Mariae Virginis, non in tota Ecclesia, remotioribus saeculis sacrum cultum obtinuerunt. In Menologio Constantinopolitano (saec. VIII) memoria eorum agitur die 9 Septembris, prout apud Graecos fit et hodie. Procopius (*de aedif.*, I, 3) tradit, Iustinianum I Constantinopoli ecclesiam extruxisse in honorem S. Annae. S. Leo (772-795) imagines Ioachim et Annae in basilica S. Mariae *ad praesepe* pingi iussit. Urbanus VI (1378) indulsit cultum S. Annae ecclesiis Angliae, et Sixtus IV, illum probavit pro tota Ecclesia (cfr. Kellner, p. 240). Nihilominus, in Breviario Romano S. Pii V, non habetur festum S. Annae, quod inscriptum non fuit nisi anno 1584 a Gregorio XIII, scilicet undecim annis postquam pro Hispania huiusmodi festum recognovisset. In ecclesiis enim Hispanicis, ut constat ex Breviario Toletano saeculi XII, iam agebatur S. Annae festivitas, ideoque inter festivitates nationis illius hanc ipsam recognovit et celebrandam adprobavit in cappellis et ecclesiis dictae Sanctae dicatis vel dicandis.

Notandum, quod cultus erga Matrem Deiparae, maius semper accepit incrementum in Ecclesia, iuxta illud quod obtinuit sensim sine sensu mysterium Immaculatae Conceptionis B. Mariae eius Filiae praeclarissimae. Gregorius enim XIII anno 1584 festum indixit eius in universa Ecclesia; Clemens VIII ad ritum *duplicis maioris* evexit; Gregorius XV inter festa cum feriatione ubique celebranda adnumeravit, tandem vero, post definitum dogma Immaculatae Conceptionis, Leo XIII ad ritum extulit duplicis secundae classis.

(17) *Item concedimus ut quaelibet ecclesia et monasterium Hispaniae, habens aliquas reliquias insignes, puta caput, brachium, vel crus alicuius Sancti.* Notabilis est haec dispositio; ipsa enim decretum praevenit S. R. C. n. 460 *(d. d. 8 Aprilis 1628)* in quo: *insignes reliquias declaravit esse corpus, caput, brachium, crus, aut illam partem corporis in qua passus est Martyr modo sit integra, etc.*

Semper Ecclesia summo honore et specialibus festis corpora et reliquias Sanctorum venerata est; Concilium autem Turonense VII, anno 858 coactum (Mansi, *Suppl. I, col. 341, c. 61)* statuit: *Sanctorum quorum corpora in ecclesiis possidentur, festivitates agendas esse.*

Quoniam vero reliquiae corporis, si insignes sint, pro toto corpore habentur, Gregorius XIII primo, et postea S. R. C. per citatum decretum, et per alia plurima, n. 1234, 1722, 1825, 1853 et 2180 declaravit, officium ratione reliquiae in aliqua ecclesia institui posse, dummodo reliquia sit *insignis, integra* et *adprobata;* habeatur in ipsa Ecclesia, et sit alicuius Sancti in Martyrologio Romano descripti.

Ex S. R. C. recentiori decreto n. 4041 *insignes* nunc reliquiae, non solum sunt *caput, brachium, crus*, vel ea pars in qua Martyr passus est, sed etiam *anterior* pars *brachii* vel *superior*, ideoque et *cruris.*

Licet autem in S. R. C. decretis nn. 460, 1334 et 1890 prohibeatur, ne officium agatur, ratione reliquiae, nisi in ecclesia ubi asservatur, nihilominus ut innuit Gregorius XIII hoc loco etiam per totam dioecesim conveniens est ut fiat; dicit enim: *in ea ecclesia vel dioecesi requiescunt.* Sufficiens ergo ratio habenda est, ut in calendario perpetuo alicuius dioecesis concedatur officium illius Sancti, cuius reliquia insignis custodiatur in aliqua ecclesia illiusmet dioecesis.

Quoad conditionem ut nomen Sancti, cuius habetur reliquia insignis, inscriptum sit in Romano Martyrologio, notanda duo sunt:

1° Quod oportet ut authentice constet de identitate illius Sancti cuius nomen in Martyrologio inscribitur; nempe ille sit revera, non autem homonymus, ut decrevit S. R. C. n. 1234, 1853.

2° Quod non est necesse ut nomen Sancti sit descriptum in Martyrologio Romano, sed sufficit ut sit in Appendice dioecesana vel Ordinis ad ipsum Martyrologium. Ratio est quia si S. R. C. decr. 3876 *(d. d. 13 Dec. 1895 ad 5)* declaravit valide posse Episcopum pro Titulari alicuius novae Ecclesiae designare sanctum cuius nomen vel in Martyrologio, vel in supplemento dioecesis reperitur, eo magis officium recitari poterit.

Ceterum exempla plurima habentur in Appendicibus ad Martyrologium pro diversis Religionibus in quibus multi habentur Sancti quorum nomina in Martyrologio desiderantur. Imo et in festis per hoc decretum a Gregorio XIII Hispaniae concessis, habentur: S. Nicolaus Factor, S. Caecilius Ep. et M.; Ss. Hermentorius et Celedonius; S. Florentina; S. Raymundus de Tetero; S. Telmus; S. Firminus

Episc. M.; S. Liberata V. M.; S. Petrus Oxom. Ep.; Sanctusque Bernardus Calvus Ep., qui in Martyrologio Romano, ab ipso Gregorio XIII tunc emendato, non sunt descripti.

Porro, cum grano salis accipienda est locutio illa: *ut sint descripti in Martyrologio Romano*; nam ipse Gregorius XIII, tam in Rubricis Martyrologii, quam in sua constitutione *Emendatos (d. d. 14 Ianuarii 1504)*, quae in fronte ipsius Martyrologii legitur, aperte declarat: *Si quos alios habuerint Sanctos in suis Ecclesiis aut locis celebrari solitos, eos... separatim descriptos habeant*; quorum nomina in lectione Martyrologii, *legi poterunt etiam primo loco, si de illis ibidem agatur Officium.*

(18) ..... *etiam alienigenae non existentis in Breviario, vel de quo in dicto Breviario fit tantum commemoratio.* Sanctus aliquis, cuius habes reliquias insignes, licet *naturalis* non sit, naturalis in sensu lato evadit, ob reliquias quas tua ecclesia possidet. De eo ergo licet in Breviario non sit, vel licet in Breviario habeat tantum commemorationem, festivitatem ages.

(19) ..... *possit illius festivitatem celebrare et officium duplex facere.* Ritus duplex festivitatem solemnem significat, qua toto iure honorandus est Sanctus cuius habetur reliquia. Citata S. R. C. Decreta eumdem ritum assignant huiusmodi festo Reliquiarum, sicut et *Credo* in Missa. Corpus enim et reliquiae insignes quae in ecclesiis asservantur, testimonium fidei nostrae sunt, iuxta illud: *Sub altare Dei omnes Sancti clamant;* clamant scilicet testificantes fidem in qua vixerunt, et pro qua, Martyres praesertim, pugnarunt in terra; bene ergo, ratione reliquiae insignis *Credo* dicitur in Missa.

(20) *De alio Sancto eodem die occurrenti, si fuerit simplex fiat commemoratio: si vero fuerit duplex vel semiduplex, transferatur in primam diem simili festo non impeditam.* Haec dispositio non indiget ulla illustratione, quia iuxta posteriora S. R. C. Decreta idem semper faciendum est in casu. Ratio est quia Sanctus cuius habetur reliquia, uti diximus, *proprius* est illius Ecclesiae; et cum festum proprium praevaleat super generale, illud erit agendum cum commemoratione vel translatione istius.

(21) *Et quoniam in Regno Castellae in pluribus ecclesiis celebratur die XXX Decembris translatio S. Iacobi Apostoli Hispaniarum patroni.* Corpus huius Apostoli Iacobi maioris, saeculo V adhuc servabatur Hierosolymis, ut habetur in Venantio Fortunato *(Cum.* VIII, 6 Cfr. *Kirchenlexicon,* art. *Compostella);* saeculo vero IX in civitate Compostellana summo honore colebatur ut Balbulus affirmat (Migne, 131, 1125). Igitur translatio huius corporis historica est, et ab Apostolica Sede comprobata, licet adventus ipsius S. Iacobi in Hispaniam, hodie a viris doctis non admittatur (cfr. Duchesne, *Annal. du Midi.*, 1900, XII). Ceterum S. Innocentius I (401-417) in Epistola ad Decentium (XXV, c. 2; Migne, 20, 552) iam suo tempore negabat, ullum ex Ss. Apostolis Christi in Hispaniam appulisse, ibique ecclesiam aliquam fundasse.

(23) ... *volumus ut in eo anno festum ipsum S. Thomae transferatur ad primam diem duplici non impeditam...* Ad hanc praescriptionem forsitan appellabat D. Diversini unus ex Caeremoniarum Apostolicarum Magistris anno 1735, in suo voto, de quo scribit Meratus (sect. 3, c. 10, 3). Ipse enim affirmabat, bene posse aliquando festa quae supersunt hoc anno, in sequentem transferri, quod tamen, et opportunissime abstulit S. R. C. per decreta sub nn. 4039 et 4055 antiquae collectionis, indebite omissa in nova, quae citantur a Merato (loc. cit.). Cum enim translatio duplicium maiorum et doctorum adhuc sit licita, nescitur quomodo omissa fuerint haec duo decreta, quae luculentius et fusius rem attingebant quam decretum n. 1969, quod in nova invenitur.

Porro, licet hodie translatio *accidentalis* ad sequentem annum prohibeatur, repositio vero *perpetua* bene fieri potest, et nonnulla habemus exempla in Calendario Cleri Romani, in quo festa S. Dionysii et S. Zosimi Pontificum impedita sua die 26 Decembris celebrantur sequenti mense Februarii, et in ipso Breviario Romano festa S. Ioannis Chrysostomi et S. Francisci Salesii impedita infra Octavam Nativitatis sequenti mense Ianuarii rite recoluntur.

(24) ..... *quae erit Vigilia Epiphaniae, et tunc de Vigilia fiat tantum commemoratio.* Singularissima prorsus haec est dispositio; nam Vigilia Epiphaniae sui generis est et iuribus gaudet quae Dominicis tribuuntur. Guyetus ad rem *(l. 4, c. 12, q. 7)* habet: « Quod Vigilia Epiphaniae, aut Dominica sit, aut instar Dominicae, constat vel ex hoc uno, quod de ea fiat commemoratio pridie in Vesperis, contra rationem Vigiliae, cuius officium nonnisi a Matutino incipit ».

Hinc habet ritum semiduplicem. Iuxta Gavantum *(sect. 6, c. 7, n. 1)* « si occurrat in hac Vigilia (nempe die 5 Ianuarii) festum duplex, de Vigilia fit commemoratio tantum, cum nova lectione de homilia Vigiliae, quia duplici officio occurrenti eodem die cedit semiduplex ».

Et sequitur docens: « De duplici *translato* (intellige de translato *accidentaliter)* non fit in ea, quia est officium novem lectionum, cui etiam Dominica cedit. Si occurrat in ea festum semiduplex, transfertur post Octavam Epiphaniae eadem de causa ».

Hisce tamen non obstantibus, in patriarchalibus Urbis Basilicis, iam a tempore Merati, et hodie in calendario pro Clero Romano S. Telesphorus Papa, cuius natale occurrit in hac vigilia cuiusque officium est duplex, non celebratur sua die natalitia, sed perpetuo in die 12 Februarii reponitur.

Concludit Gavantus: « Quod si fuit concessum Hispanis a Gregorio XIII posse in hac vigilia fieri officium de S. Thoma Cantuariensi, ob festum Translationis S. Iacobi, est singulare privilegium, non lex ».

Distingue tempora, et concordabis iura dicunt legisperiti; huiusmodi dispositio *lex* erat tempore Gregorii XIII, non solum privilegium; prius quidem quia tunc vigilia Epiphaniae eadem lege regebatur ac feria VI post octavam Ascensionis, cuius officium semiduplex admittit duplicia translata et semiduplicia occurrentia, nec non admisit quoque translata usque ad annum 1882, quo translatio duplicium et semiduplicium ablata est; secundo, quia, ut vidimus, illis temporibus prohibita non erat translatio accidentalis festorum ad annum proximum sequentem.

De hac vigilia agens cl. Solans, caeremoniarius in cathedrali Urgellensi *(sec. 3, c. 2, n. 665)* concludit: « Nótese que con las nuevas Rubricas, y principalmente con el decreto del 24 de febrero 1896 que pondremos en su lugar, ha caducado el privilegio de trasladar el oficio de Santo Tomas Cantuariense á la Vigilia de la Epifanía, concedido por el Papa Gregorio XIII ».

Cui sententiae libenter nos subscribimus, non moti a

citato decreto quo festum S. Thomae ad ritum duplicem evectum est, quod in casu faveret legi Gregorii XIII, bene vero a constitutione Leonis XIII, qui duplicium et semiduplicium translationem prohibuit. Ideo cum hodie festum S. Thomae translationis iure careat, certo certius in Vigilia Epiphaniae non amplius celebrari poterit.

Reliqua quae sequuntur in hac celebri Constitutione, nil speciale ad rem nostram habent; confirmantur autem leges S. Pii V circa cautelas pro futuris editionibus Breviarii et Missalis in Hispania.

Doct. Petrus Piacenza.

II.

Littera collectiva omnium Episcoporum Galliae, ad notificandam catholicis Gallis Litt. Encyclicam *Gravissimo* de associationibus cultualibus non tolerandis. (1)

Au clergé et aux fidèles de France,
salut et bénédiction en Notre-Seigneur Jésus-Christ.

Nos très chers Frères,

Nous avons reçu, avec une profonde reconnaissance, la Lettre Encyclique que Notre Très Saint-Père le Pape Pie X nous a adressée, pour nous diriger dans la situation si grave où se trouve l'Eglise en France.

Nous attendions avec confiance cette parole du successeur de Pierre, à qui Notre-Seigneur a confié le soin de paître les agneaux et les brebis, c'est-à-dire de conduire les pasteurs et les fidèles dans les voies de la vérité et du salut.

Nous nous sommes empressés de vous communiquer la parole du Vicaire de Jésus-Christ. Elle cause, dans le monde entier, une impression profonde. Nous l'avons acceptée avec une filiale obéissance.

Tous vos évêques sont étroitement unis autour du Souverain Pontife, au milieu des douloureuses épreuves du temps présent, n'ayant, avec lui, qu'un cœur et qu'une âme pour aimer l'Eglise et la France.

Vos prêtres ne font qu'un avec leurs évêques, dans la soumission absolue et généreuse au Pontife Suprême, et se déclarent hautement prêts à tous les sacrifices pour continuer de se dévouer à vos âmes.

Notre Très Saint-Père Pie X, en nous adressant sa Lettre Encyclique, a rempli la mission qu'il a reçue de Dieu, de conserver intact le dépôt de la vérité et la constitution de la sainte Eglise catholique.

Cette constitution a pour base essentielle l'autorité de la hiérarchie, divinement instituée par Jésus-Christ. L'Eglise est une société gouvernée par des pasteurs dont le Pape est le chef, et à qui seul appartient le droit de régler tout ce qui touche à l'exercice de la religion. Or, la loi de séparation prétend imposer à l'Eglise, dans notre pays, par la seule autorité du pouvoir civil, une organisation nouvelle. Elle déclare ne plus connaître, pour l'exercice du culte divin, que des associations de citoyens, se formant et se gouvernant à leur gré, selon des statuts de leur choix, que leur volonté resterait toujours également maîtresse de modifier. Si, dans l'un des articles de cette loi, le principe nécessaire de la hiérarchie catholique semble implicitement contenu, il n'est indiqué qu'en termes vagues et obscurs, tandis qu'il est trop clairement méconnu dans un autre article, qui attribue, en cas de conflit, la décision souveraine au Conseil d'Etat, c'est-à-dire à la puissance civile. Ce serait donc comme une constitution laïque donnée à l'Eglise. Pie X l'a condamnée et devait nécessairement la condamner. « Il a décrété que les associations cultuelles, « telles que la loi les impose, ne peuvent absolument pas « être formées sans violer les droits sacrés qui tiennent à « la vie même de l'Eglise ».

Dans son désir de préserver les catholiques de France des graves difficultés qui les menacent, le Saint-Père a examiné s'il y aurait moyen de concilier les associations cultuelles avec les règles canoniques. « Plût au ciel, nous « dit-il, que Nous eussions quelque faible espérance de « pouvoir, sans heurter les droits de Dieu, faire cet essai « et délivrer ainsi Nos fils bien-aimés de la crainte de « tant et si grandes épreuves. Mais comme cet espoir « nous fait défaut, la loi restant telle quelle, Nous déclarons qu'il n'est point permis d'essayer cet autre genre « d'association, tant qu'il ne constera pas, d'une façon certaine et légale, que la divine constitution de l'Eglise, les « droits immuables du Pontife romain et des évêques comme « leur autorité sur les biens nécessaires à l'Eglise, particulièrement sur les édifices sacrés, seront irrévocablement, « dans les dites associations, en pleine sécurité ».

En effet, N. T. C. F., tant que la loi demeure ce qu'elle est, quelque effort que l'on pût faire pour établir des associations légales placées sous l'autorité du Pape et des évêques, il resterait toujours que cette autorité n'y serait souveraine qu'autant qu'il plairait aux associés de la reconnaître, et que, s'ils voulaient s'y soustraire, il appartiendrait à un Tribunal laïque de juger, en dernier ressort, de la légitimité de leurs prétentions. Il lui serait loisible d'attribuer à des fauteurs de rébellion contre l'Eglise la propriété de ses biens et l'usage de ses temples.

Ce serait donc étrangement se tromper de croire et de dire qu'en rejetant les dites associations, le Pape « n'a pas eu uniquement en vue le salut de l'Eglise de France, qu'il a eu un autre dessein étranger à la religion, que la forme de la République en France lui est odieuse ». Pie X dénonce « avec indignation, comme des faussetés... ces récriminations et autres semblables qui seront répandues dans « le public pour irriter les esprits ».

Nous joignons, N. T. C. F., nos protestations à celles du Vicaire de Jésus-Christ. Non, ce ne sont pas des intérêts politiques qui nous préoccupent. Depuis bien des années, nous nous sommes conformés aux directions du Saint-Siège, qui nous a demandé de nous réunir dans la seule pensée de défendre la religion catholique, en acceptant la constitution que la France s'est donnée. Il y a longtemps déjà, l'un de nous n'hésitait pas à dire: « Si l'on veut envisager « avec impartialité et bonne foi la situation des esprits « dans notre pays, on peut constater deux choses: la France « ne veut pas changer la forme de son gouvernement, mais « elle ne veut pas la persécution religieuse » (1). Nous le répétons tous aujourd'hui et nous redisons d'une voix una-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIV, p. 371.

(1) Réponse du Cardinal archevêque de Paris aux catholiques qui l'ont consulté sur leur devoir social, 2 mars 1891.

nime : Ce que nous demandons, c'est que l'on ne veuille pas, contrairement à la volonté de la France, faire des lois antichrétiennes la constitution même de la République.

Le vénérable Cardinal Guibert, au moment où il achevait sa longue et sainte carrière, en 1886, alors que les premiers coups étaient portés aux écoles chrétiennes, aux Congrégations religieuses, adressait au chef de l'Etat ces graves et patriotiques paroles, qu'il est utile de rappeler : « En continuant dans la voie où elle s'est engagée, la République peut faire beaucoup de mal à la religion... elle « ne parviendra pas à la tuer. L'Eglise a connu d'autres « périls, elle a traversé d'autres orages, et elle vit encore « dans le cœur de la France... Ce n'est pas le clergé, ce « n'est pas l'Eglise qu'on pourra accuser de travailler à la « ruine de l'établissement politique dont vous avez la garde ; « vous savez que la révolte n'est pas une arme à notre « usage. Le clergé continuera de souffrir patiemment ; il « priera pour ses ennemis, il demandera à Dieu de les éclairer et de leur inspirer de plus justes sentiments ; mais « ceux qui auront voulu cette guerre impie s'y détruiront « eux-mêmes, et de grandes ruines auront été faites avant « que notre bien-aimé pays revoie des jours prospères. Les « passions subversives, dont plus d'un indice fait redouter « le prochain réveil, créeront des périls autrement graves « que les prétendus abus que l'on reproche au clergé. Et « Dieu veuille que, dans cette affreuse tempête, où les appétits déchaînés ne trouveront plus, devant eux, aucune « barrière morale, on ne voie pas sombrer la fortune et « jusqu'à l'indépendance de notre patrie !

« Parvenu à l'extrémité d'une longue carrière, ajoutait « l'auguste vieillard, j'ai voulu, avant d'aller rendre compte « à Dieu de mon administration, dégager ma responsabilité « à l'égard de pareils malheurs. Mais je ne me résous pas « à clore cette lettre sans exprimer l'espoir que la France « ne se laissera jamais dépouiller des saintes croyances qui « ont fait sa force et sa gloire dans le passé et lui ont « assuré le premier rang parmi les nations » (1).

Nous aussi, N. T. C. F., nous voulons dégager notre responsabilité en face des calamités qui menacent notre pays. La loi de séparation, telle qu'elle est, enlèverait à la France, non seulement son titre de nation catholique, mais la liberté vraie de professer la religion qui a fait sa vie et sa grandeur durant tant de siècles et qui peut seule encore lui assurer dans l'avenir l'ordre et la paix. Evêques catholiques et français, pourrions-nous donner notre concours à l'exécution d'une telle loi ?

Pie X nous invite, N. T. C. F., à prendre tous les moyens que le « droit reconnaît à tous les citoyens, pour « disposer et organiser le culte religieux ». Nous vous ferons parvenir en temps utile les instructions nécessaires à cette fin, selon les éventualités qui pourront se produire.

Nous voulons espérer encore que la guerre religieuse sera épargnée à notre pays. Les catholiques français demandent qu'au nom d'une loi qui prétend assurer la liberté de « conscience et garantir le libre exercice des cultes », on ne leur impose pas, pour la pratique de leur religion, une constitution que leur conscience leur défend d'accepter ; que l'on se souvienne qu'en aucun cas et dans aucun pays, l'organisation légale du culte catholique ne saurait être réglée que d'accord avec le Chef suprême de l'Eglise ; que si l'on veut à tout prix séparer l'Eglise de l'Etat, on nous laisse du moins jouir des biens qui nous appartiennent et des libertés de droit commun comme en d'autres pays vraiment libres. Nous ne pouvons croire que de telles réclamations ne soient pas entendues.

« Dans la dure épreuve de la France, conclut Pie X, si « tous ceux qui veulent défendre de toutes leurs forces les « intérêts suprêmes de la patrie travaillent, comme ils le « doivent, unis entre eux avec leurs évêques et Nous-même, « pour la cause de la religion, loin de désespérer du salut « de l'Eglise de France, il est à espérer, au contraire, que « bientôt elle sera rehaussée à sa dignité et à sa prospérité premières. Nous ne doutons aucunement que les catholiques ne donnent entière satisfaction à Nos prescriptions « et à Nos désirs : aussi chercherons-Nous ardemment à leur « obtenir par l'intercession de Marie, la Vierge immaculée, « le secours de la divine bonté ».

Union des cœurs, obéissance filiale, générosité et esprit de sacrifice, recours fervent à la prière : tel est donc le programme que nous trace le Souverain Pontife et que nous voudrons réaliser.

Oubliant toutes les divergences passées, vous n'aurez tous, N. T. C. F., avec vos évêques et avec vos prêtres, qu'un cœur et qu'une âme, pour conserver et défendre notre sainte religion, suivant les règles éditées par l'autorité suprême, sans sédition ni violence, mais avec persévérance et énergie.

Si l'on tentait d'établir, contrairement à la volonté du chef de l'Eglise, des associations qui ne pourraient avoir de catholique que le nom, nul de vous, sous quelque prétexte que ce fût, ne consentirait à s'y enrôler.

Vos pasteurs sont résolus à subir les spoliations et la pauvreté plutôt que de trahir leur devoir ; vous comprendrez que tous les fidèles ont l'obligation de conscience de leur venir en aide et de contribuer, chacun selon ses ressources, à l'entretien du culte divin et de ses ministres.

Enfin, parce que notre cause est la cause de Dieu et que sans son secours tous nos efforts seraient impuissants à la faire triompher, nous redoublerons d'assiduité et de ferveur dans la prière. Nous supplierons le Cœur de Jésus « qui aime les Francs », par l'intercession de la Très Sainte Vierge Marie qui a prodigué à notre patrie les marques de sa prédilection, afin d'obtenir que cette patrie, qui nous est si chère, reste fidèle à sa vocation chrétienne et poursuive, sous l'égide de son antique religion, le cours de ses glorieuses destinées.

Notre présente lettre sera lue en chaire, dans toutes les églises de France, le dimanche 23 septembre prochain.

Donné à Paris, en assemblée plénière, le 7 sept. 1906.

(Suivent les signatures de tous les Evêques).

---

(1) Lettre du Cardinal Guibert au président de la République, 30 mars 1886.

III.

Emus Card. Lécot, nomine Eporum Galliae Parisiis congregatorum, devotas refert Pio X gratias, de promulgata Encyclica *Vehementer*, circa separationem Status ab Ecclesia (1).

Gratias agamus Domino Deo Nostro!

N'est-ce pas le sentiment qui jaillit de toutes nos âmes, au moment où les portes de ce palais se ferment sur la première assemblée des Evêques de France, depuis près d'un siècle! Et n'est-ce pas par un cri unanime de reconnaissance que nous voudrons saluer cette heure, désormais historique, qui rend à l'Eglise de France une de ses plus chères libertés?

Depuis le commencement du siècle dernier, ce droit de réunion, qui est de l'essence de toute société régulière, nous était enlevé. Une loi injustement greffée sur un contrat nous tenait impuissants dans nos solitudes, et nous interdisait de mettre en commun nos lumières et nos forces.

Six cardinaux ne pouvaient se réunir pour délibérer sans forfaire à la loi, et leurs signatures, apposées isolément, sans délibération d'aucune sorte, au bas d'un document rédigé par l'un d'eux, étaient qualifiées abusives. A plus forte raison si un document, aussi inattaquable dans le fond que réservé dans la forme, était livré au public, portant les signatures, isolément souscrites, de la plupart des Evêques de France, il semblait que le pouvoir ne fût pas suffisamment armé pour réprimer un tel crime!

Les victimes glorieusement frappées dans nos rangs il y a trois ans, au nom de cette législation aujourd'hui abolie, se féliciteront d'autant plus sincèrement de leurs épreuves passées, qu'elles ont fourni à Rome et au monde l'occasion de constater qu'en France l'épiscopat est unanime dans les questions de patriotisme et de foi, et que la volonté du Saint-Père, connue de tous, sera toujours le dernier mot de nos résolutions.

Grâces soient rendues à Dieu! et, après Dieu, au Pontife Auguste, avec l'autorisation et sous le regard duquel nous allons prier et délibérer ensemble!

Très Saint-Père,

La Loi se discutait encore, que Votre Sainteté — j'en ai été le témoin — se préoccupait des directions à donner à l'Eglise de France, quand l'heure de l'appliquer serait venue. Et le meilleur moyen de connaître la situation telle qu'elle est parut à votre âme paternelle la consultation de l'épiscopat délibérant en toute liberté sur les questions posées par son autorité suprême.

Dès lors, l'idée d'une réunion plénière enfin possible circula dans un courant d'enthousiasme à travers le monde catholique. et, de toutes parts, ce fut l'hosanna de la reconnaissance au Pasteur des pasteurs, qui donnait à l'épiscopat français une telle marque de sa confiance.

Nos voix s'élèveront donc unanimement au début de cette assemblée, Très Saint-Père, pour remercier Votre Sainteté de sa condescendance paternelle à l'égard d'un clergé persécuté; et, du fond de nos cœurs, Lui rendront grâces de nous avoir conviés à délibérer sur des questions que, seule, son autorité souveraine a le droit de résoudre.

L'acte initial de cette assemblée d'Evêques de France est donc un acte de filial amour, qui monte vers Votre Sainteté comme le témoignage le plus assuré de sa profonde gratitude.

Ce bonheur de prier et de délibérer ensemble n'est-il pas, en effet, comme une compensation ménagée par la Providence à tant d'épreuves qui nous menacent, et ont déjà commencé de nous étreindre?

L'isolement était dur dans les jours calmes de la paix. Mais comme il eût été cruel dans les jours de persécution et de luttes! Et comme il nous est doux de laisser échapper de nos poitrines d'évêques et de frères le cri du Psalmiste: *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum!*

Nous allons donc délibérer, puisque Vous l'avez voulu, Très Saint-Père, et au milieu de nos discussions fraternelles, dans le choc des idées variées qui seront émises, nous aurons toujours les regards tournés vers l'auguste et infaillible gardien de la vérité. Nous exprimerons nos idées personnelles, mais en les sacrifiant d'avance à la sentence de Pierre, qui sera pour nous le commandement divin.

L'ordre de nos travaux place en première ligne l'étude du document pontifical — vrai monument de la Sagesse divine et humaine tout ensemble — qui juge et condamne la loi de Séparation. Déjà, dans toutes les chaires des églises de France, a été lu ce solennel exposé, qui qualifie doctrinalement une loi impie et condamne irrévocablement des attentats prétendus légaux.

Déjà la voix des Evêques s'est fait entendre, sur tous les points de notre pays, dans un concert de respectueux éloges et de remerciements émus pour acclamer, comme il convenait, une doctrine à la fois si ferme et si sûre.

Mais ici, nous sommes l'épiscopat; nous parlons en corps, et nos voix s'élèvent dans la plus harmonieuse unanimité pour proclamer les mêmes sentiments, avec plus de force, avec les énergies accumulées du respect et de l'amour, que nous professons isolément pour le Vicaire de J.-C., notre bien-aimé Pontife et Père Pie X.

Merci, Très Saint-Père, de cette parole qui a retenti, grave, solennelle, puissante, après la parole des hommes, égarés sur un terrain qui n'était pas le leur. Merci à Votre Sainteté d'avoir signalé les erreurs, caractérisé les inconvenances, condamné les injustices, et suspendu jusqu'à ce qu'elle la prohibe peut-être, l'application de la fameuse loi (1).

Il y a dans la langue des Encycliques des formules plus solennelles, des paroles plus graves, d'où sort une sentence délibérément portée, ou un anathème discrètement indiqué. C'est comme le résumé de toute la pensée du Pontife qui écrit.

Ces formules ont été longuement méditées; elles ont été soumises à l'examen le plus rigoureux, et déposées sur l'autel de la prière, avant d'être livrées au peuple chrétien, comme l'expression calme et forte de la vérité et de la justice.

N'ont-elles pas ce caractère, les paroles sévères qui se trouvent à l'une des dernières pages de l'Encyclique *Vehementer?* Ne donnent-elles pas le frisson, ces sentences portées de si haut, avec un tel accent d'indépendance et de conviction, où il semble que l'autorité de l'homme disparaît dans l'autorité de Dieu qui parle à sa place? Et après les

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIV, p. 53.

(1) Quod revera factum est die 10 Aug. 1906. Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIV, p. 331. *N. D.*

justes sévérités de la condamnation, les tendres appels qui révèlent tout à coup l'amour du père et l'indulgence même du juge.

Enfin, les conseils qui tracent la voie, et les exhortations qui encouragent à la lutte, aux souffrances et jusqu'au martyre. Nous sommes les fils du Christ immolé, les successeurs des apôtres, heureux d'avoir été jugés dignes de souffrir pour J.-C., les frères de ces victimes dont le sang versé marque d'un tel éclat les glorieuses pages de l'histoire de l'Eglise. Nous ne pouvons répudier cet héritage de beaux et triomphants sacrifices; il faut rester fidèles jusqu'à la fin à de telles traditions de fierté chrétienne, de vaillant et pur honneur, de forte et triomphante vertu.

Tel est l'abrégé de ce document que le monde attendait avec tant d'impatience après la promulgation de la loi. Le monde l'a entendu: il a été frappé de cet éclat de la vérité qui « illumine tout homme venant en ce monde », et il s'est incliné devant ce témoignage nouveau, rendu à la vérité éternelle.

C'est, Très Saint-Père, le livre que nous lirons et relirons dans ces jours de prière et de travail. Nous y trouverons la lumière pour nous diriger et une source d'énergie pour conclure.

Il est raconté, au deuxième livre d'Esdras, que le peuple de Dieu, au retour de la captivité, rentrant à Jérusalem et y trouvant tout en ruines, cherchait partout le Prophète, pour entendre de sa bouche la lecture du texte sacré, et l'interprétation des paroles de Yaleph: *Consurrexerunt ad standum, et legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die, et quater confitebantur, et adorabant Dominum Deum suum* (2. Esdras, IX, 3).

Esdras monte sur une tribune élevée qu'il a dressée pour se faire entendre. Il est entouré, à droite et à gauche, des personnages principaux de la maison d'Israël.

Tout le peuple est debout quand Esdras déroule le volume de la loi. La première parole du Prophète est un cri d'action de grâces au Dieu tout-puissant, et le peuple répond avec des cris et des sanglots en élevant les mains: *Amen! Amen!* Car le peuple pleurait, selon le témoignage du Livre Sacré, en entendant lire le Livre de la Loi.: *Flebat enim omnis populus cum audiret verba legis* (Ibid.).

A partir de ce jour, c'est la pénitence publique pour tout le peuple rentrant d'une dure captivité. Il convient qu'il a mérité ses malheurs. Il ne songe pas à reprocher à Dieu la sévérité de ses justices: sa seule préoccupation sera désormais d'exécuter la loi. Et chaque chef de famille signe de sa main cet engagement sacré. Tous travailleront désormais, au prix des plus grands sacrifices, à rétablir Jérusalem, ses maisons et son peuple.

La France, Très Saint-Père, a passé par cette attente fiévreuse, par cette espérance, par ces émotions profondes et ces résolutions réparatrices, quand elle attendait avec anxiété, et quand elle eut entendu avec bonheur la parole auguste de Votre Sainteté dans sa dernière Encyclique.

Avec Vous, Très Saint-Père, nous condamnons le faux principe de la séparation possible de l'Eglise et de l'Etat. Avec Vous, nous subissons, dans un sentiment d'indignation toute filiale, l'inconvenante et criminelle audace d'un Pouvoir qui, voulant déchirer un contrat conclu avec l'Eglise, le fait seul, sans avis préalable, sans communication d'aucune sorte donnée au Chef de l'Eglise. Avec Vous et comme vous, nous protestons contre l'usurpation sacrilège des biens ecclésiastiques, des Eglises, des fondations dont l'objet sacré était le plus souvent la prière pour les morts. Avec Vous nous condamnons et repoussons la prétention du Pouvoir civil de règlementer seul les questions d'administration des biens ecclésiastiques, et de fixer seul les conditions dans lesquelles devront fonctionner les organes de cette administration.

Pour tout résumer d'un mot, nous blâmons tout ce que Votre Sainteté a blâmé; nous condamnons tout ce qu'Elle a condamné. Et, les yeux tournés vers Rome, Mère et Maîtresse de toutes les Eglises, nous attendons dans la pénitence et dans la prière que le mot de l'avenir nous soit donné par Pierre et alors, comme Evêques catholiques et comme Français, nous saurons obéir.

C'est notre dernier mot, Très Saint-Père; c'est aussi, malgré des apparences contraires sur le terrain politique, le sentiment et la résolution de la grande majorité de nos diocésains catholiques. Insuffisamment éclairés sur les conséquences de leurs votes pour le choix des membres du Parlement, ils se laissent persuader que la politique et la religion sont deux choses absolument distinctes et qu'il ne faut pas mêler l'une à l'autre. De là, la tendance du peuple à ne tenir aucun compte des intérêts religieux dans les affaires politiques.

De là, la déception de ceux qui avaient vu dans les élections le moyen immédiat de rendre à l'Eglise la plénitude de ses droits et de ses libertés.

Néanmoins, le sentiment de la foi est resté inviolable au fond de l'âme française; le titre de Fille aînée de l'Eglise a gardé aux yeux du peuple son prestige et tout son éclat; le Pontife Romain est écouté par tous les catholiques de France, comme l'organe du Christ dont il est le Vicaire; sa parole est sacrée pour eux, sa personne est vénérée et aimée de tous plus que dans aucune autre nation, et leur fidélité ne se démentira pas quels que soient les sacrifices qu'Elle puisse leur imposer, quand les Evêques, unis par une soumission filiale au Saint-Siège, leur feront connaître les décisions pratiques que l'Encyclique annonçait déjà et pour lesquelles il a plu à Votre Sainteté de prendre l'avis de notre Assemblée.

Aussi avons-nous l'espérance, Très Saint-Père, que votre bonté paternelle saura toujours distinguer entre la nation qui aime le Christ et le Pape son Vicaire, et les passionnés qui font taire leur foi pour satisfaire leurs misérables ambitions. Non, mille fois non, ceux-là ne sont et ne seront jamais la France; et le jour où la démocratie française sera éclairée, elle se révèlera tout entière dans la foi de son Christ et dans l'amour de son Pape.

C'est pourquoi nous osons vous demander, Très Saint-Père, de garder à notre France bien-aimée tous ses droits d'avant-garde auprès de votre personne sacrée, tous les privilèges de son protectorat des intérêts catholiques en Orient, et aussi, comme nous restons, malgré tout, la grande nation catholique, la joie si légitime de voir remplacés dans Vos conseils les Eminentissimes Cardinaux que la mort nous a ravis au moment où les épreuves nous frappaient plus durement.

Nous attendons tout de Votre paternelle bonté, Très Saint-Père, et nous crions tous à l'avance dans l'union

de nos âmes épiscopales: « Vive le Christ! Vive Son Vicaire bien-aimé, le doux, le fort, le grand et généreux Pape Pie X! »

IV.

Instructio ad Vicarios Aplicos per infidelium terras potestatem ordinariam habentes, de processibus in causis Martyrum conficiendis (1).

Cum ordinariae potestatis praecipuum sit munus omnia curare quae ad fovendam augendamque gregis pietatem et religionem conferant, cumque magis id spectet Viros Excellentissimos, qui per infidelium fines Vicarii Apostolici muneribus funguntur, eos itaque oportet curare quam maxime ut christiani nominis Martyres, qui per suas provincias odio infidelium fuerunt morte mulctati, digno sane honore ab Ecclesia augeantur, et ad Beatificationis cultum evecti proponantur in exemplum caeterorum fidelium.

Qua in re igitur primam atque praecipuam eorum curam esse oportet ne documenta ac testimonia de martyrio, quod illi sustinuerint, amittantur vel disperdantur, sed ut contra diligenter collata eos processus constituant, quorum ope liceat Apostolicae Sedi de eorum gestis tuto cognoscere Martyrumque aureolam et coronam iure illis tribuere.

Igitur non erit abs re nonnullas Excellentissimis Viris enucleate praebere normas, quibus recte magis magisque legitime in huiusmodi probationes colligendas incumbant, atque undique utilem tum Ecclesiae universae tum suis praesertim gregibus operam navent. Atqui, quoniam tum a communi Ecclesiae iure, tum atque potissimum a praecipuis legibus qui negotia Canonizationum Beatificationumve gubernant, praeliminariorum processuum onus Ordinariae auctoritati fuerit relictum, ea brevi adnotanda sunt quae ad rectam huiusmodi inquisitionem satis superque valeant. Nam, cum de Ordinariis agatur, qui multiplices inter adversitates, gravissimaque inter obstacula, per gentes saepe inimicas suum gerant munus, haud aequum erit easdem ab illis expectare sedulas ad unguem cautelas, quae pro Ordinariis processibus ut plurimum requiruntur, cum iis praesertim Postulatores causarum uti queant *in linea aequalis probationis* cum Processibus Apostolicis, vel ut una cum hisce compulsentur plerumque supplicare assueverint.

Igitur in inquisitionibus adornandis spectare oportet ritus formam ante omnia, deinde vero qua de re processus instituatur.

Quoad formam in re nostra satis erit, si adfuerint substantialia iudicii: legitima nimirum iudicis potestas, legitima testium examina, authenticus processus rogitus. Hunc ad finem:

Quod est de legitima iudicis potestate:

1° Aut ipse Vicarius procedat oportet, vel sacerdotem aliumve iudicem ecclesiasticum, ordinaria, qua pollet potestate, deleget ad iudicis munus sustinendum.

2° Ut iusiurandum, sive tacto pectore, si iudex erit Episcopus, sive tactis Evangeliis, si clericus, de fideliter adimplendo munere edat in hanc formulam:

« Ego N. N. infrascriptus, tactis hisce sacrosanctis Dei Evangeliis coram me positis, iuro et promitto fideliter et diligenter adimplere munus mihi commissum circa constructionem Processus Informativi in causa Beatificationis et Canonizationis seu declarationis Martyrii Servi Dei (vel Servorum Dei) N. N. ad formam decretorum S. R. C. et praesertim novissimorum, quae confirmata fuere a Sa. Me. Innocentio PP. XI, necnon iuro et promitto religiose servare secretum de Testium depositionibus nec de iis loqui cum aliqua persona, excepto Actuario pro eodem Processu deputato, sub poena periurii et excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam Maiori Poenitentiario) praeterquam in mortis articulo absolvi possim, et ita promitto et iuro: sic me Deus adiuvet et haec sancta eius Evangelia ».

Qua de formula praestiti iurisiurandi Actuarius testabitur, qui eam in primordialis Processus Sessione ex integro refert atque Iudex formulae subscribet — N. N. Vicarius Apostolicus vel N. N. Iudex deputatus. — Ut simili formula Actuarius deputatus iuret, eique descriptae Iudex ipse (Vicarius vel subdelegatus) subscribat, ut constet de Actuarii delegatione legitima.

Hisce praemissis, cum legitime constitutum tribunal habeatur, testes audire opus erit. Eos vero seligi a iudice oportet, qui apprime instructi noscantur de rebus quarum cognitio sumenda est.

Sed: primum interrogandus est testis super interrogatoriis praeliminaribus consuetis: videlicet:

1° De nomine, patria, aetate, conditione sua, de sua religione, an sit baptizatus vel non, an confirmatus vel non, an praeceptum paschale semper adimpleverit;

2° Interrogandus an fuerit unquam processatus, vel inquisitus et qua de causa et iure, an iniuria et quo exitu, an fuerit unquam excommunicatus, an a censuris pro meritis fuerit solutus;

3° An Dei Famulum, vel Dei Famulos cognoverit, de visu, vel de auditu, et a quibus: an cum his sit conversatus vel non; an ab aliquo fuerit instructus de ea quae deponenda habeat, vel ab alio fuerit studii vel odii causa ad deponendum incitatus;

4° An Dei Famulum veneratione sua prosequatur, an desideret eius Beatificationem necne.

Generalibus hisce interrogationibus expletis, ad rem ipsam deveniendum est; ac primo testis interrogatur *de vita Martyris*, de ortu, patria, parentibus, adolescentia, inito forte clericali statu, vel religioso, aut sacerdotio suscepto, de officiis in Europa gestis, de itineribus exantlatis ad Missiones, de muneribus in missione gestis, de peragratis infidelium provinciis, de conversionibus procuratis.

Quae vero haec argumenta spectant, etsi diligenter inquirenda erunt, tamen ad rem de qua est agendum haud ita praestant ut de minimis quoque sciscitari atque perquiri testes oporteat. Secus autem de sequentibus punctis, quae ad martyrium et causam martyrii pertinent.

Igitur interrogandus testis: *De causa martyrii ex parte tyranni*, id est: de causa atque origine persecutionis, generalis vel localis: — De edictis quae ad rem forte fuerint emanata, vel de iussibus a magistratibus datis: — De inita persecutione atque de sacrilegiis, vastationibus aliisve ad rem peractis, de christianorum dispersione vel captura: — De popularium hostium animo, sermonibus, calumniis in

(1) Haec *Instructio* exarata fuit a R. P. Promotore Fidei, ad hoc ut Rmi Vicarii Aplici, tutius procederent in causis Martyrum conficiendis. *N. D.*

Christi fidem iactatis etc. — Testes interrogandi sunt et de minimis circumstantiis, de sermonibus quos audierint, de gestis quae viderint vel narrare audiverint, de edictis quae legerint aut alias noverint, ita ut singulas circumstantias copiose, abunde, singillatim, adamussim elucident:

Eadem cavenda de tertio puncto idest: *De causa martyrii ex parte Martyris.* Rogentur videlicet:

1° De die, loco, quibus est captus, de circumstantiis omnibus huius capturae, an praecesserit edictum vel facta sit odio populi;

2° De causa occasionali qua est captus, de incusatione cuius causa id forte evenit;

3° An, praeter christianae fidei professionem, alia aliqua accusatio incesserit;

4° De Martyris animo quo capturam tulerit, de eius dictis et factis singillatim etiam in minimis, ut animus eius qui fuerit, eruatur quam optime;

5° De diuturna vel brevi captivitate, de locis ubi eam duxerit, de carceribus ubi inclusus fuerit, de animo quo in eis manserit, de vitae ratione quam ibi duxerit, de quotidianis eius exercitiis etc.;

6° De inquisitionibus quas sustulit seu de iudiciis ad quae est deductus: num unum vel plura fuerint, ubi, quando, coram quo magistratu;

7° De quibus singillatim fuerit rogatus, de eius responsis singillatim et ad unguem;

8° An fuerit unquam quaestionibus et tormentis subiectus, qua fortitudine ea tulerit, an aliquid in detrimentum Ecclesiae vel fidelium revelaverit, de verbis quae in quaestione ediderit;

9° An unquam fuerit illi optio proposita inter mortem et apostasiam, et quomodo proposita; an eam ille despuerit et quibus verbis vel gestis;

10° An fuerit sententia contra illum edita, an scripta vel oretenus, et quas mortis causas sententia statuerit quodque mortis genus;

11° De adiunctis omnibus postremo inquirere diligentissime oportet, quae supremum supplicium respiciunt; de itinere, de loco, de tempore, de Martyris verbis, vultu, gestis omnibus et singulis vel in minimis, ut apprime constet utrum constanter ad ultimum in fidei confessione permanserit usque ad spiritus emissionem;

12° De sepultura data cadaveri vel non; ubi conditum et quo ritu: de opinione fidelium quoad susceptum martyrium: de veneratione quam erga Martyris exuvias praebuerint, vel qua reliquias eius custodierint aut quaesierint:

13° De signis coelestibus, quae eius circa exuvias, vel sepulchrum in ipso martyrio apparuerint, ex. gr. splendores, visiones, tenebrae, aliave huiusmodi, vel de apparitionibus Martyris ad fideles;

14° De gratiis aut prodigiis eius patrocinio invocato susceptis, aut precibus, aut imaginis tactu vel reliquiarum patratis;

15° An Martyris corpus fuerit alio translatum, si in loco sacro, quando, quomodo, ubi, quo ritu, publice vel clam, et qua veneratione, et cuius iussu. An sit inscriptio sepulchro apposita et qualis;

16° An circa memoriam Martyris sit necne diffusa populi veneratio, an creverit vel minuta fuerit; an in praesens vigeat, an sit tantum apud vulgus recepta vel apud honestiores ordines quoque et apud clerum;

17° An circa sepulchrum Martyris, vel erga eius imagines aut reliquias, vel in libris de eo impressis, vel in templis aut ecclesiis aliquid unquam peractum fuerit quod publicum ecclesiasticum cultum sapiat et Urbanianis decretis cultum prohibentibus adversetur.

Haec et similia, quae pro opportunitate, atque praesertim *ex testium depositionibus ipsis* de singulis adiunctis dilucidanda atque illustranda appareant ex testibus eruere oportet. Non ita tamen ut singuli de omnibus enarrent, sed ut de singulis adiunctis, etiam de minimis, praesertim quoad genuinam causam martyrii, ex testimonio plurium, saltemque duorum, liquido constet.

Testes examinabuntur singuli, clausis ianuis. Ante examen vero, iuramentum praestabunt, tactis Evangeliis, si sint christiani, vel tacto pectore si sint Episcopi, vel per *suum honorem* si sint ethnici. Iuramentum erit de veritate dicenda et de secreto servando in hanc formulam, quam notarius *per extensum* in rogito referet:

« Ego N. N. tactis hisce sacrosanctis Dei Evangeliis coram me positis, iuro et promitto dicere veritatem super iis omnibus de quibus examinabor in Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N... necnon iuro et promitto religiose servare secretum, nec alicui penitus revelare tam contenta in iisdem interrogatoriis, quam responsiones et depositiones a me faciendas super iisdem et super Articulis, nec de iis loqui cum aliqua persona, exceptis Dominis Iudicibus et Notario Actuario ad causam deputato, sub poena periurii et excommunicationis latae sententiae a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam Maiori Poenitentiario) praeterquam in mortis articulo absolvi possim. Ita promitto et iuro, sic me Deus adiuvet et haec sancta Eius Evangelia... ».

Cui formulae per Notarium descriptae, testis ut subscribat oportet: *N. N. testis iuravi ut supra*, vel crucis signum apponat, cuius de authenticitate Notarius ipse statim scripto attestationem subdet. Cum depositio in una sessione absolvi haud potuerit, in fine cuiusvis sessionis depositio testis perlegetur, qui si aliquid emendandum habuerit, emendabit: deinde testis et Notarius et Iudex subscribet, liberque actorum claudetur et sigillis obsignabitur: in principio sessionis sequentis testis iuramentum brevi iterabit: in fine depositionis, ea perlecta et emendata, subsignabunt omnes eodem modo, de quibus omnibus ex rogitu Notarii constare oportet. Tum inter testium examina, tum iis absolutis eveniet forte quod vel testis ipse documentum scriptum aliquod afferendum habeat, vel Iudex illud conquirendum credat, et perquirere faciat, ut puta: relationes de vita Martyris publicae vel privatae, aut de eius martyrio, eius litterae, epistolae, edicta persecutionum, diariorum publicorum, laciniae, sententiae iudicum etc. Haec documenta Iudex lustret diligentissime atque recognoscat oportet, si sint originalia; si sint exemplata necesse est ut ea cum originalibus conferat atque de eorum authenticitate et integritate sententiam edens, mandet Notario ut ea post sessionem in rogitu inserat, qui de peracta diligenti recognitione atque de aliis omnibus diligenter in rogitu ipso referat.

Auditis testibus omnibus, collectis et insertis in processu omnibus documentis, quae ad ornatum causae integrandum in omnibus vel minimis sufficiunt, vel ipsi Notario, vel alii ad rem electo et iurato, exemplatio processus demandabitur. Qua peracta, in nova sessione, vel in plurimis, collatio inter originales et exemplatas tabulas habebitur coram Iudice ab

utroque notario, qui tres in fine cuiusvis sessionis de collationis parte peracta subscribentur. Postremo, cum expleta res erit, Iudex de concordantia sententiam edet, quam Notarius per extensum in rogitu referet: Sententiae deinde et Iudex et notarii subscribent.

Expleto processu deligetur Portitor, vir prudens atque fidelis, ecclesiasticus aut laicus, praemisso iuramento de fideliter obeundo munere, eum deferat Romam ad Sacram Rituum Congregationem. De eius electione et iuramento in rogito oportet constare. Deinde subscribent Iudex et Notarius: claudetur processus, munietur sigillis, inscribetur ad Sacram Rituum Congregationem et Portitori tradetur una cum alio plico litterarum Iudicis, in quibus Vicarius Apostolicus ipse, atque Iudex delegatus si adfuerit, de rebus a se gestis in Processu summam dabunt, praesertimque de fide docebunt quam testibus praestari liceat.

Hae cautelae omnes et ritus cum adhibiti fuerint, substantialia ad constituendam validitatem Processus Ordinarii, ita aderunt, ut felici auspicio agi apud Sacram Rituum Congregationem de introducenda Martyrum Causa liceat.

ROMANAE INSTITUTIONES

Casus Conscientiae propositi et soluti Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli, A. 1905-906.

IV.

De communibus Ecclesiae suffragiis quibus excommunicati privantur.

Die 22 Ianuarii 1906, hora 15 1/2 (3 1/2 pom.).

Caia, infelix mater, ad ecclesiam parochialem accedit, et eiusdem sacristae in parochi absentia profusis lacrimis narrat, unicum suum filium miserrime in duello occubuisse. Qui licet fuisset admonitus, duellum ab Ecclesia excommunicatione puniri, tamen, ne eo recusato infamiam incurreret, spreta admonitione et censura, illud iniit. Et nunc, recurrente trigesimo die ab eius obitu, Caia postulat, ut solemne funus in ipsa parochiali ecclesia pro eius anima celebretur. Cui sacrista respondet: id fieri nequaquam posse, cum agatur de viro sub excommunicationis vinculo notorie defuncto. His auditis, magis illacrimans misera mater sacristam adprecatur, ut saltem aliquot missas lectas pro illo celebrari curet. Sed hoc etiam ab Ecclesia interdici sacrista subiungit; et solum paratum se exhibet ad privatim recitandum officium defunctorum in eiusdem suffragium.

Nimis dolens mulier, spe melioris sententiae, ad parochum accedit, eique omnia narrat, quae a sacrista acceperat, simul interrogans, an illius responsis sit standum. Parochus, ut Caiae morem gerat, secum quaerit:

1° *Quae veniant nomine communium Ecclesiae suffragiorum et precum, quibus excommunicati privantur?*

2° *An circa haec suffragia par sit causa excommunicati vitandi et tolerati?*

3° *An sacrista in omnibus recte responderit, et quid liceat in casu?*

Resp. Ad 1um. Nomine *communium Ecclesiae suffragiorum*, quibus excommunicati privantur, veniunt spiritualia quaedam bona, quae *ex Ecclesiae* sacrificiis, *ex Ecclesiae* precibus, *ex Ecclesiae* Indulgentiis, *ex Ecclesiae* sacris functionibus, membris eiusdem Ecclesiae proveniunt. *Communium Ecclesiae suffragiorum.* Etenim excommunicati privantur *communione Fidelium*, ut habetur C. *Si quem* 59. *de Sent. excomm.* Verum iidem excommunicati non ideo privantur etiam *communione Sanctorum*, quae vi fidei, spei et charitatis habetur, et quibus fideles possunt unus pro alio orare, et a Deo unus pro alio gratias impetrare, et unus alteri potest applicare satisfactionem, aliosque fructus suarum orationum et suorum bonorum operum. Hinc licet fidelibus privatim orare pro excommunicatis, et licet etiam sacerdoti sacrum facienti in *Memento* pro excommunicato orare.

Resp. Ad 2um. Par quidem non est circa praedicta *communia Ecclesiae suffragia* conditio excommunicati vitandi et tolerati. Excommunicati enim vitandi omnino privantur *communibus Ecclesiae suffragiis*, non item *tolerati.* Ratio est, quia excommunicatum vitandum Ecclesia omnino habet uti privatum fidelium et Ecclesiae communione. Hinc Ecclesiae bonis ex sacrificio Missae, ex publicis Ecclesiae precibus, et functionibus, nec non ex Ecclesiae indulgentiis excommunicatus vitandus privatur, quamvis sit in Dei gratia, nec per ipsum stet quominus absolvatur, ac quamvis in eadem Dei gratia decesserit. S. Alph., l. 7. n. 163. Loquens autem S. Doctor n. seq. de tolerato, an possint pro eo offerri sacrificia et preces, etiam nomine Ecclesiae, « adest, inquit, duplex sententia probabilis. Prima negat, quia concessio communicandi fuit facta a Concilio in commodum solum fidelium, non autem excommunicatorum. Sed non minus probabilis est secunda sententia. Ratio, quia leges favorabiles cum omni amplitudine intelligendae sunt. Dum igitur fidelibus concessum fuit communicare cum toleratis, concessum etiam fuit orationes publicas pro eis offerre: nam communicare id etiam importat, ut habetur C. 28. et 38. *de Sent. excomm.* Tanto magis, quia iure antiquo non erat vetitum pro excommunicatis occultis suffragia publica offerre, prout colligitur ex C. *Cum non ab homine* 14. eod. tit., et ipse Suarez fatetur. *Offerre* autem *sacrificia* pro excommunicato, hoc etiam directe cedit in commodum fidelium tum spirituale ob meritum charitatis, tum temporale ob stipendia etc., quae hi percipere possunt ex oblationibus pro illo exhibitis ». Atque haec valent non tantum pro excommunicato tolerato *occulto*, verum etiam pro excommunicato tolerato *publico*, remoto tamen scandalo. Hinc D'Annibale, ed. 4. P. 1. n. 360. ait: « Pro excommunicatis, *etiam publicis*, non tamen vitandis, non esse illicitum *sacrum facere*, aut verior sententia est, aut aequior certe, quia contraria non caret incommodis, dummodo id fiat sine offensione fidelium. *Etiam publicis*, nam pro occultis non videtur dubitandum ». Excommunicati isti publici, quamvis publici, non ideo desinunt esse tolerati. Et ideo pro ipsis etiam valet quod valet pro occultis, *remoto scandalo.* Cf. *Inst. Mor.*, V. 2. n. 1111. Quin imo, si de missae tantum applicatione agatur, non desunt, qui existimant posse sacrificium missae applicari etiam pro excommunicato vitando, privatim et secreto, secluso scandalo, et exclusa vetita communicatione, cum nulla certa lege id prohibeatur. Gasp. de SS. Euch. I. n. 483. Et confirmari potest ex S. Th., 3. p. q. 82. a 7. ad 3. Etenim « sacerdos *in orationibus* quidem loquitur *in persona Ecclesiae*, in cuius unitate consistit; sed *in consecratione sacramenti* loquitur in persona Christi, cuius vicem in hoc gerit per ordinis potestatem ». Applicatio autem specialis fructus *ex propria persona et ex*

proprio nomine fit, potestate ad id a Christo Domino sacerdotibus concessa. Ac uti fieri potest *Memento*, quia nomine proprio fit, ita etiam Missae applicatio. Aliud enim est sacrificium offerre, aliud eius fructum applicare. Illud utique nomine etiam fit Ecclesiae, istud nonnisi nomine proprio.

Verum notandum hic est, aliam esse causam hac in re simpliciter excommunicati, aliam excommunicati haeretici aut schismatici. Etenim ex Responsis S. O. *regulariter* non licet divina officia et missam pro ipso celebrare. Iure enim Canonico prohibetur communicatio in sacris cum haereticis et schismaticis, tum ratione periculi perversionis in fide, tum ratione falsae opinionis, quae secus haberetur, exclusivae veritatis et necessitatis catholicae fidei. *Regulariter*, missa enim applicari pro eo posset, si missa *applicaretur* pro eius conversione. S. O. 19 Apr. 1837.

Hinc non licet omnino *missam* solemnem vel privatam *celebrare* pro haeretico vel schismatico defuncto. « Veteri ac nova disciplina interdictum est, ne homines in externa notoriaque haeresum professione defuncti catholicis ritibus honorentur ». Greg. XVI. Br. ad Episc. Augustan. 16 Febr. 1842, Enchirid. Moral. n. 367.

Resp. Ad 3um. Recte sacrista respondit quoad solemne funus in parochiali ecclesia. Mortui enim in duello, etiamsi ante obitum dederint poenitentiae signa, privantur ecclesiastica sepultura, et consequenter privantur funere, quod pars ecclesiasticae sepulturae est. Si autem funere privantur in die depositionis, eo aliis etiam diebus implicite privantur.

Recte vero non respondit distinguendo inter missam lectam et officium defunctorum privatim recitandum. Nam, si potuit officium defunctorum, quod publicas continet preces ministri ipsius Ecclesiae, privatim recitare, potuit etiam missam privatim celebrare et applicare, et viceversa si non potuit missam privatim celebrare et applicare, neque officium potuit privatim recitare. Tunc tantum sacrista non potuisset in Casu *respondere* se missam celebraturum vel officium recitaturum, si id non potuisset fieri sine scandalo, quod ex Casu ut iacet non apparet, licet agatur de mortuo in duello, qui bene potuit poenitentiam ante obitum agere. Ac, si scandalum non erat ratione recitationis officii privatim, ita etiam scandalum non poterat esse in simplici missae applicatione. Insuper in Casu licet agatur de publice excommunicato, non agitur tamen de excommunicato vitando, et consequenter bene poterat pro ipso missa celebrari et applicari.

JANUARIUS BUCCERONI, S. J.
Epitomator ex officio.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ
NE PEREANT

Novembre 1906.

3 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Jean-Marie Barthe, Ev. de Trichinopoli; — Mgr Alfred Williez, Ev. d'Arras; — et Mgr Joseph Capocci, Ev. d'Alexandrie della Paglia.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Rampolla del Tindaro est nommé Protecteur de l'Association Italienne de Sainte-Cécile.

4 Dimanche.

S. G. Mgr François Do Rego Maia, est reçu en audience.

5 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Joseph Consenti, Ev. de Lucera; — Mgr François-Xavier Schoepfer, Ev. de Tarbes; — Mgr Maurice Burke, Ev. de St-Joseph (Etats-Unis); — et Mgr Julien de Diego y Alcolea, Ev. d'Astorga.

6 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Joseph Staiti, Ev. d'Andria; — et Mgr Joseph Morticelli, Ev. Tit. de Césarée de Philippes; — ainsi que le Rme P. Rinaldo-Marie de San Justo, Prieur général des Carmes Déchaussés.

7 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. M. Emile Ojeda, Ambassadeur d'Espagne près le St-Siège; — LL. GG. Mgr Paul Keppler, Ev. de Rottembourg; — Mgr Michel Napotnik, Ev. de Marbourg; — et le Rme Dom Victor Corvaja O. S. B., Abbé et Ordinaire de Montevergine.

8 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Aristide Cavallari, Patriarche de Venise; — Mgr Jules Tonti, Nonce Apost. en Portugal; — Mgr Ange-Michel Jennachino, Ev. de Telese et Cerreto Sannito; — et Mgr Ambroise Daffra, Ev. de Ventimille; — ainsi que S. Exc. M. Serge Sazanoff, Min. Rés. de Russie près le St-Siège.

9 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Dominique Riccardi, Ev. de Sarsina; — le Rme Dom Hildebrand de Hemptinne, Abbé Primat des Bénédictins; — Le Rme Dom Boniface Krugg, Abbé de Mont-Cassin; — et M. de Kerhr, Directeur de l'Institut Historique Prussien.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. G. Mgr Antoine Sabatucci, est nommé Auditeur général de la Rév. Chambre Apostolique.

10 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Antoine Sabatucci, Arch. Tit. d'Antinoë, Auditeur gén. de la R. C. A.; — Mgr Henri Van de Wetering, Ev. d'Utrecht; — et Mgr Michel Zezza di Zapponeta, Ev. de Pozzuoli.

12 Lundi.

S. G. Mgr Joseph Camilli, Ev. de Jassy (Moldavie), est reçu en audience.

13 Mardi.

S. G. Mgr Jean Van den Branden de Reeth, Arch. Tit. de Tyr, est reçu en audience.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Exc. Mgr Alexandre Bavona, Délégué Apost. auprès des Républiques du Pérou, de la Bolivie et de l'Equateur, est nommé Nonce Apost. au Brésil.

— Congr. Gén. des S. Rites *coram SS.mo* concernant l'héroïcité des vertus du Vén. Janvier-Marie Sarnelli, prêtre-profès de la Congr. du T. S. Rédempteur.

14 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Michel Napotnik, Ev. de Marbourg; — Mgr Jules Firczak, Ev. Grec-Ruthène de Munkács; — Mgr Jean Valyi, Ev. Grec-Ruthène d'Eparies; — et Mgr Marius Palladino, Ev. d'Ischia; — ainsi que le Rme Dom Amédée de Bie, Abbé Gén. des Cisterciens de la Commune Observance.

15 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. M. le Comte Nicolas Szécsen de Temerin, Ambassadeur d'Autriche-Hongrie près le St-Siège; — S. G. Mgr De Ligonnès, Ev. de Rodez; — et S. G. Mgr Laurans, Ev. de Cahors.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Charles Daniel est nommé Consulteur de la S. C. des Indulgences.

16 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Dominique Serafini, Arch. de Spolète; — Mgr Stanislas-Casimir Zdwitowiecki, Ev. de Vladislavia; — et Mgr François Vento, Ev. d'Aversa; — ainsi que le Rme Dom Norbert Weber, O. S. B., Sup. Gén. de la Congr. de Ste-Odille pour les Missions Etrangères.

17 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Charles Marozio, Ev. de Suse; — Mgr Jean von Euch, Ev. Tit. d'Anastasiopoli, Vic. Apost. du Danemark; — et Mgr François Bauer, Arch. d'Olmütz; — ainsi que le T. R. P. Linneborn, Proc. Gén. de la Congr. de la Sainte-Croix; — et le T. R. P. David Fleming, Provincial des Franciscains en Angleterre.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Vivès y Tuto est nommé Protecteur de la Congrégation des Frères de St Vincent de Paul.

18 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Pierre-Hector Coullié, Arch. de Lyon; — M. le Dr Moreno, Chargé d'Affaires de l'Argentine; — S. G. Mgr Dubourg, Arch. de Rennes; — S. G. Mgr Louis-Ernest Dubois, Ev. de Verdun; — et S. G. Mgr Alphonse-Pierre Foucault, Ev. de St-Dié.

19 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr François Origo, Ev. de Mantoue; — S. G. Mgr Michel Cardella, Ev. de Sovana et Pitigliano; — et le Rme P. Gurissati, Sup. Gén. de la Congrégation des Prêtres des Sacrés Stygmates.

20 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Anselme Pecci, Ev. de Tricarico; — Mgr François Ciceri, Ev. de Pavie; — Mgr Thomas Audo, Ev. Chaldéen d'Ourmiad; — Mgr Isaac Rondabache, Ev. Chaldéen; — et Mgr Gaëtan Muller, Ev. de Gallipoli; — ainsi que le Rév. P. Louail, Supérieur de la Mission du Kiannam, en Chine.

— Séance Rotale Ord. de la S. C. des Rites, tenue au Vatican sous la présidence des Emes Ponents Vincent Vannutelli, Dominique Ferrata et Sébastien Martinelli, pour examiner:

1. La validité des Procès Apostoliques et Ordinaires instruits pour la Cause de Béatif. du Vén. Laurent de Zibello, Prêtre-profès Capucin;

2. La validité et la relevance des Procès Apost. et Ord. instruits pour la Cause de Béatif. de la Vén. Thérèse de St-Augustin, Carmélite Déchaussée;

3. La validité et la relevance des Procès Ord. et Apost. instruits pour la Cause de Béatif. du Vén. César Franciotti, Prêtre-profès de la Congr. des Clercs Réguliers de la Mère de Dieu;

4. La question du non-culte, pour la Cause de Béatif. du Vén. François-Joseph Rudigier, Ev. de Linz.

21 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Dominique Riccardi, Ev. de Sarsina; — Mgr Agnello Renzullo, Ev. de Nola; — Mgr François Di Pietro, Ev. d'Acerra; — et Mgr Antoine-Marie Bonito, Arch. Tit. de Scytopolis, Coadjuteur de l'Arch. d'Amalfi.

22 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Adolphe-Alexandre Nouel, Arch. de St-Domingue; — Mgr Jules Varosy, Arch. de Colocza; — et Mgr Jules-Maurice Abbet, Ev. de Sion.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Achille Locatelli, nouvel Arch. Tit. de Thessalonique, est nommé Internonce Apost. auprès de la République Argentine.

23 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Pierre-Paul Servonnet, Arch. de Bourges; — Mgr Louis Bonetti, Ev. de Montalto; — Mgr Louis Boschi, Ev. de Ripatransone; — et Mgr Edouard de Ropp, Ev. de Wilna.

24 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Louis Morando, Arch. de Brindisi; — et Mgr Auguste-René Dubourg, Arch. de Rennes.

25 Dimanche.

S. M. Georges 1er, Roi de Grèce, accompagné de sa fille la Grande-Duchesse Marie-Georges-Michaëlovitch, est reçu par le St-Père, à trois heures et demie, en audience officielle.

— Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Louis-Ernest Dubois, Ev. de Verdun; — Mgr Paul Fioravanti, Ev. de Veroli; — et Mgr Joseph Alfred Archambeault, Ev. de Joliette.

26 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Jules Tonti, Arch. Tit. d'Ancyre, Nonce Apost. en Portugal; — et Mgr Dominique Ambrosi, Ev. de Terracine.

27 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Georges Kopp, Ev. de Breslau; — et LL. GG. Mgr Stanislas-Casimir Zdwitowiecki, Ev. de Wladislavia; — Mgr Pierre Hurth, Ev. de Dacca; — Mgr Félix Gianfelice, Ev. de Bojano; — Mgr Camille Tiberio, Ev. élu de Diano et Teggiano; — et Mgr Joseph Camassa, Ev. de Melfi et Rapolla.

— Congr. Antipr. des S. Rites, tenue auprès de S. Em. le Card. Dominique Ferrata, ponent, pour l'examen des trois miracles qui sont proposés pour la Béatification de la Vénérable Madeleine-Sophie Barat.

28 Mercredi.

S. G. Mgr Jules Tonti, ancien Nonce Apost. du Brésil, présente au St-Père une médaille d'or, au nom des catholiques du Brésil, en remerciement de l'élévation à la pourpre de l'Archevêque de Rio-de-Janeiro.

— Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Raphaël Sandrelli, Ev. de Borgo S. Sepolcro; — Mgr Jérémie-Jacques Harty, Arch. de Manille; — Mgr J.-B. Morris, Ev. Tit. d'Aomonia, Coadjuteur de l'Ev. de Little-Rock; — et Mgr Jean Oberti, Ev. de Saluces.

29 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Prosper Scaccia, Ev. de Tivoli; — Mgr Ercolano Marini, Ev. de Norcia; — Mgr Agapit-Auguste Fiorentini, Ev. Tit. de Russadir, Vic. Ap. du Scian-Si Septentrional; — et Mgr

Robert Seton, Ev. Tit. d'Héliopolis; — ainsi que le Rév. Frère Venance Donaux, Sup. Gén. des Frères de la Miséricorde.

30 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Antoine Delenda, Arch. et Délégué Apost. d'Athènes; — Mgr Septime Caracciolo di Torchiarolo, Ev. de Piedimonte d'Alife; — Mgr Binjamin Christiaens, Ev. Tit. de Colophone; — et Mgr Vincent Bacchi, Ev. Tit. de Mindo, Auxiliaire et Vicaire Général du Cardinal de Bologne.

C. F.

BIBLIOGRAPHIA

L'Homme et l'Univers. 1 *L'Univers et la Vie,* par le Chanoine **Brettes**. — 1906, in-8; 700 pages; Prix: 8 francs, (Rome, Librairie Pontif. F. Pustet).

Ad explicandas anomalias et imperfectiones quae passim in rebus quibuslibet creatis apparent, a plerisque circumfertur falsa et insana *Evolutionismi transformistae* theoria, quae, ex rigorosis scientiarum conclusionibus demonstrari asseritur. Hisce falsae scientiae magistris, Cl. Auctor verae scientiae contrarias opponit deductiones. Iure merito famosam debellat Evolutionismi legem, quae non solum gratuita et absurda demonstratione omni ex parte claudicat, sed impar omnino est ad explicandas contradictiones quae in rerum natura pullulant. Legi *Evolutionismi,* opponitur factum *perturbationis,* quod scientifice demonstratur. Aliquando enim, unitatem in mundo, et cum unitate, ordinem miramur; dein perturbationem in ordine, et in unitate contradictionem lugemus; et haec apprime consonant tum Fidei, tum Rationis conclusionibus. Cl. Auctor primum volumen l'*Univers et la Vie* in 14 Capita dispescit, nempe: I. *La méthode scientifique.* – II. *Unité de l'univers.* — III. *Forces physiques.* — IV *L'éther.* — V. *Le mouvement.* — VI. *Forces mécaniques.* — VII. *La chimie.* — VIII. *L'astronomie.* — IX. *La vie.* — X. *Conditions de milieu.* — XI. *Les microbes.* — XII. *Le règne végétal.* — XIII. *Le règne animal.* — XIV. *L'homme.* — *Conclusion.*

Ex mera Capitulorum enarratione satis superque apparet quanti sit momenti quaestio proposita, et quam varia solidaque eruditione informetur.

La mort réelle et la mort apparente et leurs rapports avec l'administration des sacrements. Incertitude des signes ordinaires de la mort, persistance de la vie après le dernier soupir, fréquence des inhumations précipitées, moyens à employer pour échapper au danger d'être enterré vivant, par le **R. P. J.-B. Ferrères, S. J.** Etude physiologico-théologique. — Traduction française faite sur la 3e édition espagnole. par le Rév. Docteur **J.-B. Geniesse,** avec *notes et appendices* du même. — 1 vol. in-8 écu de 466-XVI pages, 4 fr. — 1906, Paris, G. Beauchesne et Cie, libraires-éditeurs, rue de Rennes, 117.

Opus duplici parte constat. In parte priori, habemus gallicam versionem, et quidem pressam, libelli hispanici a R. P. J.-B. Ferreres, S. J. exarati sub titulo: *La muerte real y la muerte aparente con relacion á los santos sacramentos.* Uti patet, haec gravissima disquisitio circa momentum in quo revera mors extrema vitae praeoccupat, spiritualem praecipue decedentium assistentiam respicit, directeque sacerdotes spectat. Quum enim sacramenta sint pro hominibus viatoribus, administrari possunt, et debent, servatis servandis, quoadusque certo non constat, non quidem de vulgari apparentia, sed de physiologica certitudine mortis. Porro, praetermissis undecim et amplius signis, ex quibus medici de secuta morte opinari solent, omnino affirmandum est, ad comprobandam absolutam certitudinem status cadaverici, praeter supervenientem *putrefactionem,* nullum aliud haberi signum, nullamve signorum seriem. Hinc Theologica conclusio: sacerdotes, vel ex iustitia vel ex charitate tenentur, et quidem sub gravi, ad impertiendam saltem absolutionem, non solum moribundis, sed etiam illis qui mortui putantur, nisi putrefactio advenerit, quae post tres dies tantum generatim accidere solet. Huius obligationis reminiscantur praesertim parochi, ne ex falso praetensa sacramentorum reverentia, aliquando aeternam decedentium salutem in discrimen ponentes, rei sint et necatores animarum.

Pars altera, a traductore per modum appendicum allegata, versatur circa corporalem decedentium assistentiam. Haec tangit parentes, medicos, sacerdotes, publicae rei detentores, quid dicam, unumquemque nostrum tangit, quia statutum est omnibus hominibus semel mori.

Firmiter retineamus cum Cl. Auctore, melius multo esse ut mortuum more viventis tractemus, quam ut in discrimen adducamur ne vivum ad instar cadaveris seponamus. Quanti sint momenti, varia argumenta sapienter et scientifice allata, iam satis apparebit, ex Appendicum inscriptione, quae sequens est: Fréquence des cas de mort apparente; exposé de quelques cas spéciaux; — du baptême utérin et de l'opération césarienne; — administration de l'Extrême Onction à ceux qui sont morts dans l'impénitence, l'apostasie, l'hérésie, etc.; — assistance spirituelle des défunts de la part des prêtres durant les heures qui suivent la mort; — soins à donner aux corps des défunts. Moyens employés pour les ranimer; signes de mort et procédés pour constater le décès; — obitoires et appareil Karnice; – autres choses à faire pour prévenir les enterrements prématurés.

Ius Decretalium ad usum Praelectionum in Scholis textus Canonici sive Iuris Decretalium. Auct. **Franc. Xav. Wernz,** S. I. — Tomus I, *Introductio in Ius Decretalium;* — Tomus II, Ius constitutionis Ecclesiae Cath. Pars I, *De hierarchia Ordinis.* — Tomus III, Pars II, *De hierarchia iurisdictionis.* Altera Editio emendata et aucta. — Romae, 1906.

Tantae molis monumentum tantique ponderis, brevi temporis intervallo, iterato cusum, adeo claram penes discentes et docentes sibi iure merito comparavit celebritatem, ut superflua videatur commendatio nostra. Iam alibi (pag. 433) laudatoriam SS. D. N. Pii PP. X epistolam ad Auctorem allegavimus, in qua, praeter alia notatu digna, Summus Pontifex asserit: « In quo (opere) quidem docti et intelligentes viri et dispertitam subtiliter materiem laudant, et singulorum copiosam eruditissimamque tractationem capitum, et petita, vel ab historia canonum vel a philosophia iuris vel a finitimis doctrinis in rem lumina... ». Praetermissa igitur subtiliori circa praecellentes hasce Praelectiones animadversione, duas difficultates quae contra illarum opportunitatem obiiciuntur, refellere placet. Aiunt alii, esto, optimum opus erit, sed nondum fuit absolutum, nec forsan unquam absolvetur, eo quod Cl.mus Auctor fuerit nuper ad supremam in Societate Iesu Praeposituram assumptus. Timor talis deponatur: sepositis moris, opus absolvetur. Aiunt alii, *Codificationem* expectamus, quae Auctorum tractatus vel inutiles, vel saltem antiquatos relinquet. Certo certius, novi Codicis promulgatio innovationes inducet, quae aliqua ex

parte Tractatus iam iubebit editos immutandos. Diuturnam porro scias expectationem imminere. — De caetero, audias Auctorem: « Quod si nova iuris Canonici codificatio felicem habeat exitum, ut sperare licet, in antecessum ab alio errore extremo cavendum est, quasi novo codice publicato omnis difficultas sit sublata, et omissis solidioribus studiis universa *scientia* canonica reducatur ad iurisprudentiam sive practicam dexteritatem canones novi codicis memoria retentos applicandi ad casus particulares. Vehementer errarent, qui ita opinarentur. Etenim novus codex iuris canonici rite in praxim deduci non poterit, nisi magistratus iudicesque ecclesiastici sibi comparent solidam illius cognitionem. Quae cognitio licet aliquo modo idoneis practicisque commentariis acquiratur, tamen ut ad *perfectionis* gradum pertingat, studiis canonicis *methodo* vere *scientifica* peractis innitatur necesse est. Denique quisquam vix negabit novum codicem non paucis dubiis ansam esse daturum, quorum *plena* solutio a viris *scientia canonica* destitutis frustra expectabitur ».

Le vrai féminisme par **Jean du Valdor**. — Paris, Arthur Savaéte, Editeur.

Plura olim, circa iura hominum falso circumferebantur; plura nunc, circa iura mulierum iniuriose conclamantur. Neo-malthusianorum schola, totis viribus longe lateque, nec, heu, incassum, diffundere satagit perniciosam thesim circa praetensum ius, pro foeminis supprimendi ad libitum vel limitandi *maternitatis* effectum. Porro cl. Auctor apodicticis argumentis ex scientia, ex ratione et ex fide rigorose deductis, oppositam thesim adstruit, nempe summam iurium necnon et officiorum pro foeminis, ex maternitate esse dimetiendam. Quodlibet enim ens ius habet ad propriam perfectionem. Ens vero est perfectum, quoties possidet quidquid *debet* habere; omnino vero perfectum erit in sua specie, quoties habuerit quidquid *potest* habere. Atqui generatim loquendo, mulier non habet quidquid debet vel potest habere nisi per maternitatem. Ergo... « mulier salvabitur per filiorum generationem »; iuxta illud Rachel ad Iacob: « da mihi pueros, alioquin moriar ». Faxit Deus quod mulieres, praesertim in Gallia, propria iura magni facere sanctaque officia rite perficere, iuxta vota monitaque praeclari Auctoris, incunctanter satagant.

Henri Lasserre, *son testament spirituel*. Pages inédites recueillies après la mort de l'auteur et publiées avec une préface par M. le chanoine **Bruzat**, vicaire général de Périgueux. — Paris, Librairie V. Ch. Poussielgue, 1906. Prix: 4 francs.

Ab anno 1851 ad annum 1900, id est per saeculum dimidium, Henricus Lasserre adeo varia, opportuna solidaque vulgavit opera, praesertim circa Manifestationem Beatae Mariae Virginis Lapurdensis, ut in albo praeclariorum elapsi saeculi scriptorum iure merito sit adnumerandus. Lectores innumeri, ex omni tribu et natione, testari possent an revera Henricus noster fuerit « vir bonus, dicendi peritus ». Quum tamen, iuxta argutam animadversionem Montaigne, saepe « c'est autre chose le presche et le prescheur », quis forsan putaret personam auctoris a conversatione viri aliquantisper discrepare; eo vel magis quod si meritum praecellens, amicos ex animo sibi comparare solet, ita et invidos osores. Porro, ex hisce paginis ineditis, quae post mortem Auctoris studiose fuerunt collectae, luce clarius meridiana patet scripta optima ab optimo viro tam in civili quam in christiana conversatione, fuisse exarata. Nec mirum, quum ex familiarium testimonio constet, talem virum studiis vacasse assidue et orationibus. Hinc, optimo ductus consilio, Rev. Bruzat, ex intimis meditationibus et precibus, in quibus Defunctus adhuc loquitur, monumentum exegit, non tam in tanti amici laudem, quam in nostram propriam aedificationem.

E. Polidori, S. I., *I nostri quattro Evangeli*, studio apologetico critico. Seconda edizione migliorata. In-8 gr., pp. 368, Roma, 1907, *Civ. Catt.*, Via Ripetta 246. L. 2.

Circa quatuor Evangelia, perplures Auctores doctas ediderunt, et uti dicunt technicas, hac praesertim tempestate nostra, elucubrationes. In votis tamen plurium erat, ut apologetica simul et critica expositio traderetur ad usum praesertim illorum qui circa tanti ponderis argumentum, recte sapere, etsi non penitius, percupiunt. Ea de causa, Cl. Scriptor perinsignis Ignatianae ephemeridis de Urbe, opportunam expositionem peregit aviti thesauri testimoniorum probationumque ad vindicandam sacrorum Evangeliorum genuinam indolem. Argumenta non traduntur nova, sed argumentationis genus, dum felix nec vulgare patet, recentiorum studiorum copia illustratur. Sat erit capitulorum inscriptiones indigitare: 1° *Il magistero eccl° e il Vangelo scritto* — 2° *Il quadruplice vangelo verso il 150* — 3° *Il Vangelo di S. Matteo* — 4° *Il Vangelo di S. Marco* — 5° *Il Vangelo di S. Luca* — 6° *Il Vangelo di S. Giovanni* — 7° *La questione sinottica* — 8° *L'ispirazione divina.*

De prohibitione et censura librorum. Dissertatio canonica-moralis **Arthuri Vermeersch**, e Soc. Iesu. Quarta Editio. — Romae, 1906, Desclée, Lefebvre et Soc. — Lib. 2,50.

Perspicui huiusce Commentarii prior editio, quae post editam Constitutionem *Officiorum* fere prima prodiit, plerosque nacta est approbatores. Accuratam illius recensionem posuimus in hac nostra Ephemeride (Vol. VI, p. 383). Quarta quae nunc traditur editio, novi fere operis rationem induere videtur, non tantum ex materiali capitulorum mutatione, sed praesertim ex noviter adductis rationibus ad illustranda argumenta quae adhuc inter Doctores diverso perpenduntur. Cl. Auctor quadrifariam partitur elucubrationem. Prima pars continet notiones quae vel legem quasi circumstant de eius iure, utilitate, historia, vel generalioris sunt usus et rectae interpretationi communia dant subsidia. — In parte altera, singuli Constitutioni *Officiorum* articuli, eo quo proponuntur ordine paucis illustrantur notis. — In parte tertia, brevis fit Decretorum generalium repetitio, « logico » ut aiunt ordine disposita. — In quarta parte utiles quaedam referuntur formulae et elenchi. Ad calcem operis afferuntur Constitutiones Leonis XIII et Benedicti XIV, e quibus hodiernum ius de librorum prohibitione et censura conflatur. Iam vero, quum cl. Auctor publicae utilitati accommodaverit non propriam tantum eruditionem, sed etiam praecedentium commentatorum conclusiones, nil mirum, si opus comparaverit vere fundatum et summopere practicum.

F. C.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente*.

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS QUARTUS

FASCICULUS DUODECIMUS - DECEMBER 1906

SUMMARIUM

Analecta Nova.

Analecta Vetera.

Analecta Varia.

Exacto feliciter huiusce quarti decimi anni curriculo, decimum quintum iamiam imminentem modo aggressuri, adsociatis omnibus, singulisque, prospere succedant omnia, a Deo Optimo Maximo, ex corde ominamur.

ANALECTA NOVA

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

Romae 6 Dec. 1906.

Consistorium Secretum.

La Santità di Nostro Signore Pio Papa X, questa mattina, nel Palazzo Apostolico Vaticano, dopo aver imposto privatamente nell'aula Concistoriale il Cappello Cardinalizio all'E.mo Samassa, ha tenuto il Concistoro Segreto, nel quale, premessa un'Allocuzione, ha proposto le seguenti Chiese:

Provisiones Ecclesiarum.

Chiesa Patriarcale di Gerusalemme, di rito latino, per Mons. Filippo Camassei, promosso dalla Sede Metropolitana di Naxos.

Chiesa titolare Arcivescovile di Tolomaide, per Mons. Giuseppe Marcondes Homeu de Mello, Arcivescovo dimissionario di Belem del Parà.

Chiesa Metropolitana di Siviglia, per Mons. Salvatore Castellote y Pinazo, promosso dalla Sede Cattedrale di Jaen.

Chiesa titolare Arcivescovile di Tessalonica, per Mons. Achille Locatelli, arcidiocesano di Milano, Prelato Domestico di Sua Santità, dottore in sacra teologia ed in ambe le leggi.

Chiesa Metropolitana di Belem del Parà, pel R. D. Santino Continho, già alunno del Collegio Pio-Latino-Americano, Decano del Capitolo Cattedrale di Parahyba.

Chiese cattedrali unite di Gravina ed Irsina, per Mons. Nicola Zimarino, traslato dalla Sede Cattedrale di Lacedonia.

Chiesa Cattedrale di Jaen, per Mons. Giovanni Giuseppe Laguarda y Fenollera, traslato della Sede Cattedrale di Urgel.

Chiesa titolare Vescovile di Flaviopoli, per Mons. Luigi Finoia Vescovo già di Catanzaro.

Chiesa Cattedrale di Ratisbona, per Mons. Francesco Antonio de Henle, traslato dalla Sede cattedrale di Passavia.

Chiesa Cattedrale di Urgel, per Mons. Giovanni Benlloch y Vivò, traslato dalla Chiesa titolare Vescovile di Ermopoli maggiore.

Chiesa Cattedrale di Passavia, per Mons. Sigismondo de Ow-Felldorf, traslato dalla Chiesa titolare Vescovile di Aretusa.

Chiesa Cattedrale di Trapani, per Mons. Francesco Maria Raiti, dei Carmelitani dell'antica osservanza, traslato dalla Sede Cattedrale di Lipari.

Chiese cattedrali unite di Valva e Sulmona, per Mons. Nicola Iezzoni, diocesano di Atri, Protonotario Apostolico *ad instar participantium*, dottore in sacra teologia, Esaminatore prosinodale e Canonico Arcidiacono di Penne, Amministratore Apostolico di Atri e Penne.

Chiesa Cattedrale di Catanzaro, per Mons. Pietro Di Maria, diocesano di Marsico e Potenza, Cameriere Segreto soprannumerario di Sua Santità, dottore in filosofia, sacra teologia e diritto canonico, Rettore del Collegio Boemo, Professore di teologia fondamentale nel Pontificio Collegio Urbano di Propaganda.

Chiese cattedrali unite di Penne ed Atri, pel R. D. Raffaele Piras, arcidiocesano di Cagliari, dottore in sacra teologia e diritto canonico, Vicario generale e Canonico dottorale nella Metropolitana di Cagliari.

Chiesa Cattedrale di Cassano al Jonio, pel R. D. Pietro La Fontaine, di Viterbo, Missionario Apostolico, Direttore spirituale dei Seminarii e Canonico della Cattedrale di Viterbo.

Chiesa Cattedrale di Gerace, pel R. D. Giorgio Delrio, diocesano di Alghero, dottore in sacra teologia, aggregato al Collegio teologico di Sassari, Canonico Penitenziere della Cattedrale e Provicario generale di Alghero.

Chiesa Cattedrale di Bagnorea, pel R. D. Rinaldo di S. Giusto, al secolo Camillo Rousset, diocesano di Susa, Preposito Generale dei Carmelitani scalzi, Lettore di filosofia e sacra teologia, Esaminatore Apostolico del Clero romano, Consultore della S. C. dei Vescovi e Regolari.

Chiesa Cattedrale di La Rochelle, pel R. D. Augusto Beniamino Eyssautier, diocesano di Digne, Canonico onorario della Cattedrale di La Rochelle e Direttore del Ginnasio di Pons nella stessa diocesi.

Chiesa Cattedrale di Gerona, pel R. D. Francesco Pol y Baralt, della stessa diocesi, dottore in ambe le leggi, Canonico Magistrale della Cattedrale di Barcellona.

Chiesa Cattedrale di Plasencia, pel R. D. Francesco Garrin, di Salamanca, dottore in sacra teologia e licenziato in filosofia e lettere, Canonico Cantore nella Cattedrale di Salamanca.

Chiesa titolare Vescovile di Efesio, pel R. D. Giuliano Tommasuolo, di Napoli, Direttore spirituale del Seminario maggiore, deputato Ausiliare dell'E.mo e R.mo sig. Card. Giuseppe Prisco, Arcivescovo di Napoli.

Chiesa titolare Vescovile di Modra, per Mons. Guglielmo Blazch, di Olmütz, Prelato Domestico di Sua Santità, Preposito della patria Metropolitana, deputato Ausiliare di Mons. Francesco Salesio Bauer, Arcivescovo di Olmütz.

Chiesa titolare Vescovile di Cerano, pel R. E. Giorgio Carié, diocesano di Lesina, dottore in sacra teologia, Prevosto della Chiesa Cattedrale di Macarska, deputato Ausiliare in Macarska di Mons. Filippo Francesco Nakic, Vescovo di Spalato e Macarska.

Ha poscia Sua Santità pubblicata la provvista, già fatta per Breve, delle seguenti Chiese:

Chiese Metropolitane unite di Trani e Barletta, cui sono uniti il Titolo di Nazaret e l'Amministrazione perpetua di Bisceglie, per Mons. Francesco Paolo Carano, traslato dalla Sede Arcivescovile di Aquila.

Chiesa titolare Arcivescovile di Apamea, per Mons. Giuseppe Ridolfi, Delegato Apostolico nel Messico, traslato dalla Sede Cattedrale di Todi.

Coadiutoria con successione nella Chiesa Arcivescovile di Amalfi, per Mons. Anton Maria Bonito, Arcivescovo titolare di Scitopoli.

Chiesa titolare Arcivescovile di Gortina, per Mons. Rinaldo Mac Donald, promosso dalla Sede Cattedrale di Harbor Grace.

Chiesa titolare Arcivescovile di Cio, per Mons. Gaetano D'Alessandro, promosso dalla Sede Cattedrale di Cefalù.

Chiesa Metropolitana di Rennes, per Mons. Augusto Renato Dubourg, promosso dalla Sede Cattedrale di Moulins.

Chiesa titolare Arcivescovile di Nicopoli, per Mons. Francesco do Rego Maia, promosso dalla Sede Cattedrale di Belem del Parà.

Chiesa Arcivescovile di Ancona, cui è unito il titolo di Umana, per Mons. Giovanni Battista Ricci, promosso dalla Sede Cattedrale di Iesi.

Chiesa Metropolitana di Nuova Orléans, per Mons. Uberto Blenk, della Società di Maria, promosso dalla Sede Cattedrale di Portorico.

Chiesa titolare Arcivescovile di Metimna, per Mons. Francesco Maria Giuseppe Delamaire, promosso dalla Sede Cattedrale di Périgueux e deputato coadiutore con successione di Mons. Stefano Maria Alfonso Sonnois, Arcivescovo di Cambrai.

Chiesa Metropolitana di Fermo, per Mons. Carlo Castelli, promosso dalla Sede Cattedrale di Bobbio.

Chiesa Metropolitana di La Plata o Sucre, per Mons. Sebastiano Pifferi, promosso dalla Chiesa titolare Vescovile di Gerico.

Chiesa Metropolitana di Halifax, pel R. D. Edoardo Mac Carthy, della stessa arcidiocesi, Missionario Apostolico.

Chiesa Metropolitana di Bombay, pel R. P. Severino Noti, della Compagnia di Gesù, Missionario Apostolico.

Chiesa titolare Arcivescovile di Sardi, per Mons. Giuseppe Aversa, di Napoli, dottore in ambe le leggi, Protonotario Apostolico *ad instar participantium*, Delegato Apostolico di Cuba e Portorico.

Chiesa titolare Vescovile di Dionisiade, per Mons. Giuseppe Maria Aldanesi, traslato dalle Sedi Cattedrali unite di Cagli e Pergola.

Chiesa titolare Vescovile di Archelaide, per Mons. Ignazio Zuccaro, traslato dalla Sede Cattedrale di Caltanissetta.

Chiesa titolare Vescovile di Samo, per Mons. Pietro Giuseppe Geay, già Vescovo di Laval.

Chiesa titolare Vescovile di Memfi, per Mons. Antonio Valbonesi, traslato dalle Sedi Cattedrali unite di Urbania e S. Angelo in Vado.

Chiesa Cattedrale di Iesi, per Mons. Giuseppe Gandolfi, traslato dalla Sede Cattedrale di Poggio Mirteto.

Chiesa Cattedrale di Novara, per Mons. Giuseppe Gamba, traslato dalla Sede Cattedrale di Biella.

Chiesa Cattedrale di Arequipa. per Mons. Mariano Halguin, dei Minori, traslato dalla Sede Cattedrale di Huaraz.

Chiesa Cattedrale di Todi, per Mons. Giovanni Graziani, traslato dalla Chiesa titolare Vescovile di Caristo.

Chiesa Cattedrale di Padova, per Mons. Luigi Pellizzo, arcidiocesano di Udine, dottore in diritto canonico, Protonotario Apostolico *ad instar participantium*, in Udine Canonico onorario della Metropolitana, Esaminatore Sinodale, Rettore e professore nel Seminario Arcivescovile.

Chiesa Cattedrale di Comacchio, pel R. D. Annibale Lupi, di Ferrara, ivi Parroco di S. Francesca Romana.

Chiesa Cattedrale di Diano e Teggiano, pel R. D. Camillo Tiberio, diocesano di Vasto, prevosto Parroco di Atessa.

Chiesa Cattedrale di Biella, pel R. D. Giovanni Andrea Masera, arcidiocesano di Torino, dottore in sacra teologia e in diritto canonico, Provicario generale e Canonico della Cattedrale di Fossano.

Chiese Cattedrali unite di Basilea e Lugano, per Mons. Giacomo Stammler, diocesano di Basilea, dottore in filosofia, Protonotario Apostolico *ad instar participantium*, in Berna Parroco e Decano del Capitolo foraneo.

Chiesa Cattedrale di Szathmar, per Mons. Tiburzio Boromisza, di Colocza, Prelato Domestico di Sua Santità, Canonico della Chiesa Metropolitana di Colocza.

Chiesa Cattedrale di Ajaccio, pel R. D. Giovanni Battista de Santi, della stessa diocesi, Canonico della Cattedrale.

Chiesa Cattedrale di Autun, pel R. D. Raimondo Villard, diocesano di Langres, dottore in sacra teologia e in diritto canonico, Parroco di Chaumont nella sua diocesi.

Chiesa Cattedrale di Bayeux, pel R. D. Tommaso Paolo Lemonnier, arcidiocesano di Rouen, Vicario generale di questa arcidiocesi.

Chiesa Cattedrale di Belley, pel R. D. Francesco Augusto Labeuche, arcidiocesano di Besançon, ivi Vicario generale.

Chiesa Cattedrale di Cahors, pel R. D. Quirino Laurans, diocesano di Mende, ivi professore di Sacra Scrittura nel Seminario maggiore e Parroco di St-Chély d'Apcher.

Chiesa Cattedrale di Digne, pel R. D. Domenico Castellan, diocesano di Marsiglia, ivi Vicario generale.

Chiesa Cattedrale di St-Brieuc, pel R. D. Giulio Lorenzo Morelle, diocesano di Amiens, Vicario capitolare della diocesi di St-Brieuc.

Chiesa Cattedrale di St-Flour, pel R. D. Paolo Augusto Lecœur, di Rouen, ivi Canonico onorario della Metropolitana, Superiore del Collegio *Join-Lambert-et-Rouen*.

Chiesa Cattedrale di Moulins, pel R. D. Emilio Cornelio Lobbedey, arcidiocesano di Cambrai, dottore in sacra teologia e licenziato in diritto canonico, Vicario generale di Cambrai.

Chiesa Cattedrale di Périgueux, pel R. D. Enrico Lodovico Prospero Bougouin, dottore in sacra teologia e in diritto canonico, Canonico Teologo della Cattedrale di Poitiers.

Chiesa Cattedrale di San Gallo, pel R. D. Ferdinando Rüegg, della stessa diocesi, dottore in sacra teologia, Decano del Capitolo Cattedrale e Vicario capitolare.

Chiesa Cattedrale di Hildesheim, pel R. D. Adolfo Bentram, della stessa diocesi, dottore in sacra teologia e in diritto canonico, Vicario Capitolare e Canonico della Cattedrale di Hildesheim.

Chiesa Cattedrale di Meath, pel R. D. Lorenzo Gaughran, della stessa diocesi, Parroco e Vicario generale.

Chiesa Cattedrale di Angola e Congo, pel R. D. Antonio Barbosa Leao, diocesano di Oporto, già Parroco di S. Giacomo a Luztosa.

Chiesa Cattedrale di Tepic, pel R. D. Andrea Segura, di Leon del Messico, ivi Arcidiacono della Cattedrale.

Chiesa Cattedrale di Alessandria in America, pel R. D. Guglielmo Mac Donell, Parroco e Missionario Apostolico.

Chiesa Cattedrale di Port-Augusta, pel R. D. Giovanni Norton, di Vittoria, già alunno del Pontificio Collegio Urbano, Vicario generale.

Chiesa Cattedrale di Portland, pel R. D. Luigi Sebastiano Walsch, di Boston, licenziato in diritto canonico, Superiore ecclesiastico delle Scuole cattoliche della sua arcidiocesi.

Chiesa Cattedrale di Krishnagur, pel R. D. Santino Taveggia, di Milano, del Seminario delle Missioni estere, Missionario nel Bengal centrale.

Chiesa Cattedrale di Harbor Grace, pel R. D. Giovanni March, della stessa diocesi, già alunno del Pontificio Collegio Urbano, Rettore della stessa Chiesa Cattedrale.

Chiesa titolare Vescovile di Acmonia, pel R. D. Giovanni Battista Morris, Rettore della Cattedrale e Vicario generale di Nashville, deputato Coadiutore con successione di Mons. Edoardo Fitz Gerard, Vescovo di Little Rock.

Chiesa titolare Vescovile di Abila, per Mons. Luigi Filippo Schaefer, diocesano di Paderborn, dottore in sacra teologia, Prelato Domestico di Sua Santità, Professore di sacra teologia nell'Università di Strasburgo, deputato Vicario Apostolico di Sassonia.

Chiesa titolare Vescovile di Corridallo, pel R. D. Eugenio Carlo Foulquier, del Seminario delle Missioni estere di Parigi, deputato Vicario Apostolico della Birmania settentrionale.

Chiesa titolare Vescovile di Trapezopoli, pel R. D. Ignazio Hummel, del Seminario di Lione per le Missioni africane, deputato Vicario Apostolico della Costa d'Oro.

Chiesa titolare Vescovile di Tene, pel R. P. Tommaso Spreiter della Congregazione benedettina di S. Ottilia in Baviera, deputato Vicario Apostolico di Der el Salam.

Chiesa titolare Vescovile di Cocusso, pel R. P. Nicasio Avellano, de' Predicatori, deputato Vicario Apostolico del Tonchino Orientale.

Chiesa titolare Vescovile di Adriani, pel R. D. Francesco Steinmetz, del Seminario delle Missioni africane di Lione, deputato Vicario Apostolico del Dahomey.

Chiesa titolare Vescovile di Celenderi, pel R. P. Francesco Saverio Vogt, della Congregazione dello Spirito Santo e S. Cuor di Maria, deputato Vicario Apostolico dello Zanzibar Centrale.

Chiesa titolare Vescovile di Gerico, pel R. P. Graziano Gennaro, dei Minori, deputato Coadiutore con successione di Mons. Epifanio Carlassare, Vicario Apostolico dell'Hu-pé Orientale.

Chiesa titolare Vescovile di Dorileo, pel R. D. Antonio Karas, diocesano di Samogizia, ivi Rettore del Seminario e Canonico Prelato della Cattedrale, deputato Suffraganeo delle diocesi unite di Luceonia e Zytomierz.

Chiesa titolare Vescovile di Mindo, pel R. D. Vincenzo Bacchi, arcidiocesano di Bologna, dottore in sacra teologia, Segretario della Congregazione consultiva arcivescovile, Arcidiacono della Metropolitana e Provicario generale, deputato

Ausiliare dell'E.mo e R.mo Sig. Card. Domenico Svampa, Arcivescovo di Bologna.

Chiesa titolare Vescovile di Cidiesso, per Mons. Lodovico Rajner, arcidiocesano di Strigonia, Prelato Domestico di Sua Santità, dottore in sacra teologia in Strigonia, Vicario generale e Canonico della Metropolitana, deputato Ausiliare dello E.mo e R.mo Sig. Card. Claudio Vaszary, Arcivescovo di Strigonia.

Chiesa titolare Vescovile di Temmo, pel R. D. Severo Araujo y Silva, arcidiocesano di Compostella, dottore in sacra teologia, Canonico Magistrale della Metropolitana, deputato Ausiliare dell'E.mo e R.mo Sig. Card. Giuseppe Maria Martin de Herrera, Arcivescovo di Compostella.

Chiesa titolare Vescovile di Cidonia, per Mons. Ladislao Bandurski, arcidiocesano di Leopoli, Prelato Domestico di Sua Santità, dottore in filosofia, Canonico della Cattedrale di Cracovia, deputato Ausiliare di Mons. Giuseppe Bilczewski, Arcivescovo di Leopoli di rito latino.

Chiesa titolare Vescovile di Arindela, per Mons. Guglielmo Antonio Johnson, Prelato Domestico di Sua Santità, Vicario Generale dell'Arcidiocesi di Westminster, deputato secondo Ausiliare di Mons. Francesco Bourne, Arcivescovo di Westminster.

Chiesa titolare Vescovile di Clandiopoli, per Mons. Felice del Sordo, di Nusco, Protonotario Apostolico *ad instar participantium,* dottore in sacra teologia, Arciprete Parroco della Cattedrale, deputato Ausiliare di Mons. Michele Arcangelo Pirone, Vescovo di Nusco.

Chiesa titolare Vescovile di Paleopoli, per Mons. Antonio Fetser, diocesano di Gran Varadino, Cappellano di onore *extra Urbem* di Sua Santità, in Gran Varadino, Canonico della Cattedrale e Provicario generale, deputato Ausiliare di Mons. Paolo Szmecsányi, Vescovo di Gran Varadino di rito latino.

Chiesa titolare Vescovile di Tinnio, per Mons. Giuseppe Lányi, diocesano di Neosolio, Protonotario Apostolico *ad instar participantium,* dottore in sacra teologia e in diritto canonico, Abbate del SS. Salvatore di Leher e Canonico della Cattedrale di Gran Varadino.

Chiesa titolare Vescovile di Focea, pel R. P. Gerardo Giuseppe barone e conte de Caloen, di Bruges, dell'Ordine di San Benedetto, Abbate di S. Maria di Monserrato in Rio Janeiro, Vicario generale della Congregazione Benedettina del Brasile e Amministratore Apostolico delle Abbazie di S. Paulo e di Olinda.

In seguito si è fatta a Sua Beatitudine la postulazione del Sacro Pallio per la Chiesa Patriarcale di *Gerusalemme* di rito latino, per le Chiese Metropolitane di *Fermo, Ancona, Trani e Barletta, Siviglia, Rennes, Plata, Nuova Orléans, Halifax, Belem* e *Bombay,* per quelle di *S. Domingo* e *Tokio* per successione, per la Chiesa di *Marianna* elevata a Metropolitana, non che per le Chiese Cattedrali di *Autun* e *Vacia* per privilegio.

Finalmente il Santo Padre ha assegnato all'E.mo Samassa il titolo Presbiterale di *S. Marco.*

Allocutio SS.mi.

Venerabiles Fratres,

Nobis cum animo reputantibus quid hodie potius cum amplissimo coetu vestro communicaremus, nihil occurrit, quod sollicitos magis habeat, nisi ea acerbior in dies rerum atque hominum calamitosa procella, qua catholicum nomen miserrime affligitur. Equidem hoc maxime tempore Ecclesia sancta naviculae illi est verissime comparanda, quae in medio mari operiebatur fluctibus. Attamen minime nutat fides Nostra; quin imo firmissime persuasum est, nunc quoque nobis adesse Christum, qui maturo opitulandi momento, surgens imperet ventis et mari, atque optata fiat tranquillitas magna. Interea, Venerabiles Fratres, tametsi magnis premimur aerumnis, solatium non deest Nobis grande illud quidem planeque mirandum, quodque vel ipsi stupent catholicarum partium osores. Concordiam inquimus singularem, qua universus coalescit Episcoporum ordo, atque Nobiscum est coniunctissimus. Una enim omnium est conspiratio, unus consensus cum Pastore summo, Christi in terris Vicario; ut nemo sit illorum, qui insigne illud Augustini verbum iterare non gaudeat: Roma loquuta est, caussa finita est. Sicubi vero turbulentis inimicorum ausibus sacrorum Antistites acrius vexantur; eo caeterorum Episcoporum videmus oculos animosque converti addereque fratres fratribus solatia afflictis, ut scilicet malis ne cedant, sed stent fortiores tortoribus. — Pater sancte, qui illos posuisti regere Ecclesiam tuam, custodi in aeternum hanc voluntatem cordis eorum!

Utinam porro ad praeclarissimum hoc Episcoporum suorum exemplum catholicus etiam populus componatur ubique! Id utique toto Nos pectore exoptamus, id toto nisu hortamur, ut fideles suis omnino consentiant pastoribus, nihilque antiquius habeant, quam illorum nutu duci suasuque moveri. Postulat hoc quidem christiani nominis officium; sed postulat modo impensius religionis bonum; ut videlicet, ubi christianae rei oppugnatio iam premit, constanti fortitudine superetur; ubi vero parantur religioni infesta, catholici, partium studiis animorumque dissensionibus generose depositis, quidquid leges sinunt nec christiana conscientia prohibet, id totum audeant ut ea feliciter avertantur.

Haec ad commune solatium atque ad animos excitandos visum est significare: nunc vero officium exigit, Venerabiles Fratres, ut nonnullarum viduitati Ecclesiarum, imprimisque inclitae Sedi Patriarchali Hierosolymitanae latinae, quae per obitum Ven. Fratris Ludovici Piavi vacat, provideamus. Ad quam, re mature perpensa, Ven. Fratrem Philippum Camassei Archiepiscopum Naxiensem destinare placuit. — Quae huius Antistitis in Apostolicam Sedem sit voluntas, quae sint multarum ornamenta virtutum fusius prosequi non opus est. Curiae Vicarii Pontificis Maximi in Urbe primum navavit operam, matrimoniis fidelium rite ordinandis praefectus. Tum vero, per annos quindecim, Collegio Urbaniano Rector cum laude praefuit, inter Pontificiae Domus Antistites merito cooptatus. Illum demum, ante annos duos, Archiepiscopatu Naxiensi, Nos ipsi auximus. In quo administrando quoniam egregie se probavit; de eo ad latinum Hierosolymitanum Patriarchatum evehendo cogitavimus. Quare auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra, electionem facimus de persona praedicti Philippi Camassei, quem absolvimus a vinculo quo tenebatur Ecclesiae Naxiensi, ac transferimus ad Patriarchalem Ecclesiam latinam Hierosolymitanam, praeficientes eum Patriarcham et Pastorem eidem Patriarchali Ecclesiae latinorum, prout in decreto et schedula consistorialibus exprimetur; contrariis quibuscumque non obstantibus. In nomine Patris – et Filii – et Spiritus Sancti. Amen.

E S. R. UNIV. INQUISITIONE

Facta et revelationes quae in Monasterio Vernaison contigisse narrantur, superstitionem sapiunt, ac proinde curandum ne amplius propagentur, atque in oblivionem cadant.

Romae, 8 Sept. 1900.

E.me ac R.me D.ne mi obs.me,

In Congregatione Generali huius S. R. et Un. Inquisitionis, habita feria IV die 29 Augusti, ad examen vocata est quaestio de praetensis revelationibus ac factis supernaturalibus quae apud Vernaison in ista dioecesi contigisse narrantur, deque fonte in horto monialium invento quem *divinum* appellant; atque omnibus quo decebat studio et maturitate perpensis, E.mi DD. Cardinales una mecum Inqres, has resolutiones emanarunt.

Facta scilicet revelationesque de quibus agitur evidenter sapere superstitionem; curandum est igitur totis viribus ne amplius propagentur, imo ut quam citius pereant atque in oblivionem cadant.

Quare in primis, prohibendum omnino Sororibus ne quomodocumque foveant, imo nec tolerent populi ad fontem accessum, preces atque aquae haustum et exportationem potissimum vero quamvis in re Margaritae Charpy ingerentiam. Sacerdotibus iam notis, aliisque quos E.mus Ordinarius earum rerum fautores inveniat, formiter indicendum sub interminatione suspensionis a divinis ut ab omni propagatione desistant, id intimandum etiam per suos superiores R. P. Buisson S. J. Si qua autem inveniatur dubiae docilitatis soror, invitandam Superiorissam Generalem ut sine mora eam alio transferat.

Quod spectat ad Cappellam, devotionis actus, titulos, emblemata superstitionis illis factis quomodocumque alludentia vel suspecta, E.mus Ordinarius rem pro sua prudentia diligenter examinet et pro illorum abolitione consulat.

Vetanda demum ac pro viribus retrahenda folia omnia vel opuscula ad rem spectantia, eo non excepto cui titulus: « La Passion de N.-S. avec des réflexions pieuses ». Huic enim *Imprimatur* S. Pal. Ap. Magistri concessum est independenter a peculiaribus circumstantiis in quibus eiusmodi liber conscriptus fuit, ac proinde in concreto haberi potest et debet uti non concessum. Item manuscripta omnia ad rem spectantia eorumque exemplaria quisquis sit eorum auctor.

Quae dum, ut mei muneris est...

L. M. Card. PAROCCHI.

Em. D. Card. Arch. Lugd.

E SACRA CONGREGATIONE
EPISCOPORUM ET REGULARIUM

I.

Permittitur ut postulantes intra claustra degere possint per probationis periodum.

Beatissime Pater,

Episcopus Auriensis, ad pedes S. V. provolutus, exponit quae sequuntur:

Mos invaluit in Conventu monialium S. Francisci oppidi, vulgo Allariz, huius dioecesis, ut postulantes priusquam habitum accipiant, probationis periodum peragant intra claustra monasterii commorando, quin in scriptis ullam licentiam a S. Sede obtinuerint, neque postulaverint. Episcopus Orator iuri clausurae papalis, cuius est custos, prospiciens et tranquillitati monialium consulendo, petit a S. V. licentiam in scriptis competentem ut quaecumque habitum monialium in hoc monasterio accepturae sunt, nomine et titulo *postulantium*, intra claustra degere et commorari possint per probationis periodum. — Et Deus...

Vigore specialium facultatum a SSmo. Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emmorum. S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita benigne annuit precibus Episcopi Oratoris pro petita facultate ad quinquennium. — Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 8 Maii 1906.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

PH. GIUSTINI, *Secret.*

II.

Approbantur Constitutiones Sororum Oblatarum SS. Redemptoris, in Hispania.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. X, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium Praefecto die 1° huius mensis, attentis commendatitiis Antistitum locorum in quibus reperitur Institutum Sororum Oblatarum Sanctissimi Redemptoris, ipsius instituti constitutiones, prout continentur in hoc exemplari cuius autographum asservatur in Archivo eiusdem S. Congregationis; benigne approbavit et confirmavit, prout praesentis decreti tenore approbat et confirmat, salva Ordinariorum iurisdictione ad formam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Datum Romae ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 10 Aprilis 1906.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

PH. GIUSTINI, *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 22 Decembris 1906, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda:

A. — Per Summaria Precum.

I. MONTISALTI. — Oneris quoad canonicum poenitentiarium. — R. *Poenitentiarium teneri ad Altaris Servitium quoties confessiones actu non audit nec probabiliter praevidet poenitentes accessuros esse ad poenitentiae tribunal, onerata eius conscientia.*

II. TREIEN. — Mediae annatae. — R. *Attentis peculiaribus circumstantiis, nihil esse innovandum.*

III. RUBEN. — Nominationis. — R. *Dilata.*

B. — In folio.

I. NEAPOLITANA-FLORENTINA. — Nullitatis matrimonii. — R. *Sententiam esse infirmandam.* (Sub-secreto).

II. PARISIEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

III. SUESSIONEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Non satis constare de consummatione.*

IV. MEDIOLANEN. — Delimitationis finium parochialium. — R. *Ad 1um Negative. Ad 2um ad mentem E.mo Archiepiscopo patefaciendam per epistolam.*

V. LARINEN. — Privationis paroeciae. — R. *Servetur compositio iuxta modum et ad mentem.* (Reservata).

VI. COMPOSTELLANA. — Postulati circa simoniam in beneficiis. — R. *Affirmative et ad mentem.*

VII. TURONEN. — Solutionis. — R. *Sententiam esse confirmandam.* (Reservata).

A. - Per Summaria precum.

1642/6 I.

Montisalti. — Oneris quoad canonicum poenitentiarium.

Canonicus Poenitentiarius tenetur ad altaris servitium, quoties confessiones actu non audit, nec probabiliter praevidet poenitentes accessuros ad poenitentiae tribunal, onerata eius conscientia.

In authentica collectione decretorum S. C. Rituum *vol. 1, pag. 301* legitur in una *Veliterna* sub *n. 1462*, diei 21 Ian. 1673, eamdem S. C. declarasse « Canonicum poenitentiarium Ecclesiae Cathedralis civitatis Veliternae ultimo loco provisum, non posse cogi ad inserviendum missis cantatis pro diacono et subdiacono, constitutione seu consuetudine dictae Ecclesiae in contrarium non obstante ».

Ex hoc decreto canonicus poenitentiarius Ecclesiae Cathedralis Montisalti postulationem promovit apud S. C. RR. pro resolutione sequentis dubii, nempe « utrum dicta decisio eximat omnino poenitentiarium a munere diaconi et subdiaconi obeundo, vel valeat tantum pro tempore, quo confessiones audit ». Transmissa deinde postulatione ad H. S. C. censui interrogare tum Emum Episcopum Veliternum, tum Episcopum Montisalti, ut referrent an in respectivis suis Ecclesiis Cathedralibus extaret canonicorum divisio iuxta triplicem ordinem presbyteralem, diaconalem et subdiaconalem. Episcopus Montisalti retulit in sua Cathedrali hanc divisionem non existere: e contra in litteris responsivis Vicarii Generalis Emi Episcopi Veliterni haec habentur: « In hac Cathedrali Ecclesia habetur inter Canonicos ordinum divisio in presbyteralem, diaconalem et subdiaconalem, uti constat ex nona ex constitutionibus capitulariter acceptatis et iuratis die 19 Maii 1636, adprobante et confirmante Illmo et R.mo D. Ioanne Baptista De-Alteriis, Romano Visitatore Apostolico.

« Quae quidem confirmantur ex responsione a Capitulo data quaesito circa distinctionem praebendarum Canonicalium, proposito ab Emo Episcopo Monaco La Valletta in sacra Visitatione anno 1890 ».

In merito praesentis controversiae haec adnotare operae pretium duco. Concilium Trid. *sess. 22 de reform. cap. 8*, quoad institutionem et officium canonici poenitentiarii haec habet: « In Cathedralibus Ecclesiis poenitentiarius aliquis cum unione praebendae proxime vacaturae ab Episcopo instituatur... qui dum confessiones in Ecclesia audiet, interim praesens in choro habeatur ». Ex hisce profecto verbis liquet canonicum poenitentiarium duplex habere onus, nempe primarium excipiendi fidelium confessiones in Ecclesia, et alterum primo subordinatum nempe praestandi chori servitium quatenus confessiones non audiat. Hinc ut fruatur privilegio exemptionis a chorali servitio, ex praecitato textu videtur requiri, ut de facto confessiones audiat.

Nec alia profecto est interpretatio data a doctoribus. Ita venerabilis Bellarminus in adnotationibus ad Concil. Trid. refert esse sententiam a canonistis unanimiter receptam quod « poenitentiarius, dum audit confessiones, censetur praesens in choro pro distributionibus vel processionibus, sed non sufficit esse in confessionario, nisi realiter confessiones audiat »: confer causam *Albanen.* agitatam in H. S. C. sub die 18 Iunii 1831, in qua citata verba adducuntur. Idem tradit Barbosa in adnotationibus ad dictum textum Conc. Trid. qui sic ait « Poenitentiarius dum audit confessiones in Ecclesia sive in confessionario, sive extra, non tamen pro tempore, quo residet in confessionario, nec audit confessiones, aliis in choro divina celebrantibus, nec si idem dixerit missam, aut si privatim officium dicat, etiam ut opportunius confessiones audiat, censendus est praesens in choro ». Unde Bened. XIV suam hanc doctrinam faciens in *Instit. eccl. 107 n. 55* ita concludit: « Quapropter si Poenitentiarius, aut canonicus in eius locum subrogatus in administrando poenitentiae sacramento non fuerint impediti, cum divina officia in choro celebrantur, cum reliquis convenire debent, quod si facere omiserint, distributiones amittent ». Hoc vero confirmat adductis duabus resolutionibus H. S. C. in causis *Lucana* diei 10 Martii 1635 et *Fanen.* diei 24 Ianuarii 1612.

Neque oggeratur ex dictis ad summum deduci, quod canonicus poenitentiarius tantum teneatur ad interessendum servitio chorali, non vero ad praestandum servitium altaris in officio diaconi vel subdiaconi vel in missis cantatis, quando exstet in Capitulo ordinum divisio et ipse accensetur inter canonicos noviter electos, vel in diebus solemnioribus, nulla ordinum divisione extante, quando prima Capituli dignitas aut alter e Capituli gremio missam solemniter celebret. Scitum siquidem est quod missae conventualis celebratio est praecipua divini officii pars, imo ad illam omnes canonicae horae ordinantur, ut liquet *ex cap. cum creatura de celeb. missar. Gavant. in rub. missal. l. 1, pars 1, tit. 7, rub. 2* et *S. H. C. in Urbevetana-Missae convent. 19 Iulii 1828*

§ *Animadvertendum*, et *in Civitatis Plebis-Missae convent 24 Aprilis 1830*, § *Immerito*.

Demum ex disciplina H. S. Ordinis receptum est quod canonici animarum curatores tenentur diebus solemnioribus nedum ad munus diaconi vel subdiaconi explendum quando Capituli dignitas celebret iuxta resolutionem H. S. C. in una *Baionen. Praeeminentiarum* diei 19 Aprilis 1760, sed etiam ad inserviendum Episcopo pontificalia solemniter celebranti iuxta aliam resolutionem in una *Cuneen. - Pontificalium* diei 12 Dec. 1829, etiamsi extra ecclesiam Cathedralem curam animarum exerceant. Si itaque parochus ratione curae animarum sibi commissae excusari non valet ab huiusmodi munerum choralium praestatione, multo magis id praedicari oportet de canonico poenitentiario cuius officium lenius est et hinc aequum non est ut ipse, dum confessiones actu non excipit, a servitio altaris exoneretur.

Neque aliquid in contrarium suffragari valerent Capituli constitutiones aut introducta diversa consuetudo, uti clare sancitum invenitur in supra citata causa *Albanen.* Species huius causae haec est. Iuxta antiquissimas Capituli ecclesiae Cathedralis Albanensis constitutiones nulla ordinum divisio inter canonicos habebatur, siquidem omnes ad ordinem presbyteralem pertinebant: at cautum erat ut duo canonici ultimo loco provisi in solemnioribus anni festivitatibus munus diaconi et subdiaconi obirent. Haec Capitularis constitutio licet canonici poenitentiarii institutionem in Cathedrali ecclesia Albanensi praecederet, tamen postea etiam a canonicis qui poenitentiarii munere aucti sunt, constantissime servata fuit. Anno 1829 praebendam poenitentiariam nactus sacerdos Contini, ultimum locum inter canonicos obtinuit. Cum vero ipse munus diaconi vel subdiaconi dictis diebus explere renueret, allegans id componi non posse cum munere poenitentiarii, quaestio delata fuit ad H. S. C. et proposito dubio: *An canonicus poenitentiarius Cathedralis ecclesiae Albanensis teneatur ad inserviendum pro diacono et subdiacono diebus solemnioribus in casu?* — die 30 Iulii 1831 rescriptum fuit: *Affirmative, nisi actu confessiones excipiat.*

Ex hucusque deductis videretur posse colligi quod canonicus poenitentiarius, excepto casu quo confessiones fidelium de facto recipiat, teneatur ad fungendum munere diaconi vel subdiaconi in missis cantatis, si ipse inter canonicos ordinis diaconalis vel subdiaconalis adnumeretur, vel si in Capitulo habeatur tantum ordo presbyteralis ad inserviendum in tali officio, tantum in solemnitatibus anni maioribus. Proposita vero in principio resolutio S. C. Rituum in causa *Veliterna* non videtur posse obstare 1° quia uti apparet ex litteris informativis hodierni Vicarii Generalis superius exscriptis, canonicus poenitentiarius licet ultimo loco provisus, in Ecclesia Cathedrali Veliterna accensebatur inter canonicos ordinis presbyteralis; et hinc nil mirum quod ipse licet ultimus in provisione, cogi non posset ad inserviendum pro diacono vel subdiacono in missis cantatis. 2° Quia, secluso hoc responso, dici posset dictum decretum fuisse moderatum a posterioribus H. S. C. decretis. Et reapse hanc moderationem evenisse non obscure innuitur in quadam causa *Iacen.* diei 13 Aprilis 1867, relata in citata authentica collectione decretorum S. C. RR. *vol. 2, sub num. 3154.* Canonicus poenitentiarius de praebenda noviter erecta in Ecclesia Cathedrali Iacensi provisus et solitus inservire in officio diaconi vel subdiaconi in servitio altaris, anxius quia ob hoc servitium plures poenitentes inconfessos relinquebat, haec dubia proposuit: « I° Canonicus poenitentiarius cogi ne potest ad inserviendum pro diacono vel subdiacono in Pontificalibus et semi-Pontificalibus, quacumque consuetudine in contrarium non obstante.

« Et quatenus negative: II° An in cathedrali Iacensi, attentis expositis circumstantiis, ad id praestandum teneatur canonicus poenitentiarius. S. C. RR. exquisita prius... et re mature et accurate perpensa, rescripsit: Propositis dubiis esse provisum per decreta S. C. Concilii ».

Ex adverso haec expendi possunt. Quamvis in canonico poenitentiario duplex adsit munus nempe praestandi chori servitium et fidelium confessiones excipiendi, tamen ex sui natura haec officia ita differunt, ut si uno eodemque tempore ea explenda occurrant, canonicus poenitentiarius potius ad fidelium confessiones audiendas teneatur, quam ad choro inserviendum. Ex natura huius officii primarii fit ut ipse in confessionario residere teneatur prout fidelium necessitas vel utilitas id exigit. Quin imo, ut docet Ferraris in *Bibl. can.* V. *Canonicus* art. 9, n. 7, innixus quadam resolutione H. S. C. in quadam *Segobien.* relata a Crispino in sua visitatione, pastorali « canonicus poenitentiarius debet assistere et residere de mane etiam non vocatus in sede confessionali ab Episcopo destinata in festis solemnioribus videlicet tempore ieiuniorum, quadragesimae, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis Christi, Assumptionis B. M. V., Omnium SS. et Nativitatis Domini ». Si itaque in certis anni diebus, assistere et residere debet in sede confessionali etsi non vocatus, profecto consequitur quod in his diebus, etsi actu confessiones non audit, sit exemptus a chori servitio et proinde etiam ab obeundo munere diaconi vel subdiaconi.

Accedit quod relate ad opportunitatem temporis loci et sedis qua poenitentiarius recipere debet fidelium confessiones id plene pendet ab arbitrio Episcopi, uti patet ex duabus sequentibus H. S. C. resolutionibus. Prima ita refertur a Crispino in cit. opere *de Visit. Pastor.* p. 2, § *De canonico poenitentiario.* « Cum Episcopus Verulanus praeceperit ut poenitentiarius assisteret in confessionali in diebus festis solemnioribus in quadragesima, in Adventu et in aliis festivitatibus prout in decreto, ipseque poenitentiarius praetenderet non teneri adsistere nisi vocatus, quaesitum fuit an Episcopo licuerit facere dictum praeceptum. Die 19 Ian. 1646, S. C. C. censuit Episcopum exequi et poenitentiarium parere debere ».

Altera resolutio quae proprius praesentem quaestionem attinet, est in una *Abulen.* diei 21 Aprilis 1587, ita relata a Barbosa in *adnotat. ad Conc. Trid. Sess. 24, cap. 8, De reformat.* « Secundo dubitatur an poenitentiarius teneatur ante et post meridiem statutis horis in sede sibi in Ecclesia pro audiendis confessionibus specialiter deputata adsistere? Ipse enim asserit, omnino sufficere, quod in choro sive alibi in eadem ecclesia sit, ubi qui vult confiteri potest illum perquirere, cum tamen videatur teneri ad assistentiam in sede, saltem per aliquod tempus, nam ideo a residentia chori et altaris servitio liberatur, tum etiam quia iam ad hanc matricem et insignem ecclesiam propter devotionem corporum Sanctorum. . . . magna cum frequentia confluitur; ideoque iustum videtur, si propter ecclesiae decorem et auctoritatem poenitentiarius in sua sede ad id deputata resideat, ut nimirum omnes illum videant, nec eum perquirere cogantur, maxime cum verecundia affecti plures perquirere illum recusare posse videantur ».

Cui proposito dubio S. C. rescripsit « debere eumdem poenitentiarium pro fructu peccata confiteri volentium assistere certis horis opportunis in loco et sede pro Episcopi, ad quem hoc spectat, arbitratu ».

Ex supra relatis decisionibus videtur posse concludi, quod poenitentiarius nonnullis diebus vel horis ab Episcopo designatis, et in quibus poenitentes pro sacramento poenitentiae ad ecclesiam cathedralem accedere solent, sedens in confessionali licet actu confessiones non audiat, sed tantum ex-

pectet fideles accessuros, censeri debeat exemptus a servitio chori et altaris. Hanc sententiam sequitur S. Ligorius in sua Theologia morali, *lib. 4 num. 131*, et Cardinalis D'Annibale in sua Summula, *part. 3, pag. 365, ad notam n. 812 edition.*, quam sententiam veriorem esse dicunt citati auctores pluribus adductis.

Demum expendi potest quod canonicus poenitentiarius semper ad ordinem praesbyteralem ratione sui muneris spectat, sive ordinum divisio in capitulo habeatur sive non, uti observatur in citata *Albanen.* § *penult. Praeterea...* Canonicus poenitentiarius enim ob suum officium est quasi parochus totius dioecesis, et in iis quae spectant ad forum internum censendus est uti ordinarius, ceu edisserunt *Fagnan. in cap. Grave, n. 15, de praebend. Bened. XIV de synod. dioeces. lib. 3, cap. 4, n. 3.* Si itaque ipse pertinet ad ordinem presbyteralem ordinum divisione extante, sive actu confessiones audiat, sive non, in missis cantatis cogi non potest ad munus subdiaconi vel diaconi explendum. Verum dicta divisione non extante quaeri potest, utrum dictum munus diaconi vel subdiaconi exercere debeat diebus solemnioribus, si in confessionario actu confessiones non recipiat. In citata pluries causa *Albanen.* rescriptum fuit *Affirmative.* At in dictae causae folio advertitur « canonicum poenitentiarium dummodo inter postremos canonicos recenseretur celebranti semper in solemnioribus festivitatibus ministrasse, quin unquam factum fuerit, ut ob explendum munus diaconi vel subdiaconi fidelibus ad S. Poenitentiae tribunal accedentibus defuerit ». Hinc proposita quaestio theoretice non videtur posse resolvi, sed res commensuranda est ad particulares circumstantias et praesertim ad concursum fidelium ad tribunal poenitentiae tempore divinorum officiorum de quibus circumstantiis iudex est Episcopus iuxta supra exscriptas decisiones.

Quare etc.

Responsum fuit: *Poenitentiarium teneri ad Altaris servitium quoties confessiones actu non audit nec probabiliter praevidet poenitentes accessuros esse ad poenitentiae tribunal, onerata eius conscientia.*

1513/6 II.

Treien. — Mediae annatae.

Attentis peculiaribus circumstantiis, S. Congr. non urget in casu solutionem mediae annatae.

Nuper Archiepiscopus Camerinensis, administrator perpetuus dioecesis Treiensis, retulit in huius ecclesia Cathedrali nonnullos adesse beneficiatos Bulla Episcopali provisos, qui mediam annatam detrectant persolvere sacristiae dictae ecclesiae, licet huius redditus essent tenues, et Capitulum pluries, sed incassum, pro solutione institisset. Rogatus Archiepiscopus ab H. S. C. ut edoceret, quinam essent hi beneficiati, qua mensura gravati, et quo titulo liberationem ab onere praetenderent, haec per Vicarium suum Generalem Treiensem datis literis diei 6 Iunii p. p. obtulit: « Sei sono « i Beneficiati o Mansionari in questa Chiesa Cattedrale: « due denominati *Petrocchi*, due chiamati *Bartolozzi* e due « *Ciaramponi.*

« Ora non consta che i due primi, cioè i Mansionari « *Petrocchi*, siano tenuti a pagare la mezza annata dei « frutti del primo anno. Per quanto, infatti, siasi investigato, « non si è potuto trovare un solo caso, in cui costoro ab- « biano effettuato un tal pagamento. È, a mio credere, « verosimile che eglino siano stati, sin dal principio, esone- « rati da un tal obbligo, in vista specialmente della tenuis- « sima rendita dei loro Benefici, che oltrepassa di poco le « lire ottanta.

« Quanto poi ai rettori delle Mansionerie *Ciaramponi* « (istituite circa l'anno 1850), certo è che i primi due ret- « tori delle medesime non pagarono la mezza annata; ma « è certo altresì, che quando il Capitolo diede il proprio « assenso alla istituzione di questi Benefici corali, espressa- « mente vi appose la condizione, che i rispettivi rettori « fossero soggetti *a tutti gli obblighi* onde erano gravati « i rettori delle Mansionerie *Bartolozzi.*

« Finalmente è fuor di dubbio che questi ultimi siano « tenuti al pagamento di cui è parola; cosa, del resto, che « essi ammettono senza difficoltà. Ritengono, peraltro, di « potersi dispensare dall'adempiere tale obbligazione, in « forza della così detta prescrizione liberativa.

« Del resto nello stabilire il quantitativo della mezza « annata, tanto pei Mansionari, quanto pei Canonici, in « questa Diocesi, si vuol dedurre soltanto gli oneri fissi e « reali. Quelli vorrebbero che venisse dedotto ancora l'im- « porto delle Messe conventuali (che nei giorni non festivi « spetta per turno ai Mansionari); ma il Capitolo non vuol « saperne, atteso che il peso del canto delle Messe, è puro « peso corale, come quello del salmeggiare ».

Hisce praemissis haec animadverto. Clara est dispositio Benedictinae Constitutionis *Pius et misericors* diei 29 Aprilis 1725, relatae et publicatae in appendice synodi romanae eodem anno celebratae. « Praecipimus et mandamus per totam Italiam et insulas adiacentes ut in posterum provisi de parochialibus una cum incertis annuum redditum scutatorum 100, monetae romanae, excedentibus, et de canonicatibus et beneficiis tam residentialibus quam non residentialibus et simplicibus, sitis extra Collegiatas ecclesias, cuiuscumque valoris existant, teneantur solvere et respective deponere mediam annatam pro fabrica ecclesiae Cathedralis; provisi vero de parochialibus una cum incertis annuum redditum scutorum 100 monetae praefatae excedentibus et de canonicatibus et beneficiis tam residentialibus quam non residentialibus et simplicibus sitis in ecclesiis Collegiatis, vel ad illas translatis cuiuscumque valoris existant, itidem teneantur solvere et respective deponere mediam annatam pro fabrica ecclesiae Collegiatae, sive beneficia praedicta liberae collationis, sive iurispatronatus mixti ac etiam laicalis fuerint, et ad quemcumque electio, collatio, institutio et provisio pertineat, sive nimirum ad Metropolitanum vel Ordinarium sive ad Capitulum, sive ad alium quemcumque inferiorem, dummodo collationis, institutionis, provisionis S. Sedis minime existant ».

Ex hac clara iuris dispositione videretur quod ad mediam annatam solvendam tenerentur nedum Mansionarii Bartolozzi et Ciaramponi, sed etiam alii duo Mansionarii Petrocchi. Nam ratio a Vicario Generali adducta pro his liberandis ab huiusmodi onere, nempe tenuitas reddituum, in nullo calculo haberi potest, cum aperto pugnet cum textu expresso citatae Constitutionis, quae vult omnia beneficia *cuiuscumque valoris existant* obnoxia esse mediae annatae.

Neque item utiliter recurri valet ad tacitam Capituli condonationem, aut ad non impositum hoc onus in fundatione; siquidem quoad primum obvia est responsio, cum Capituli negligentia vel oscitantia, praeiudicare nequeat fabricae ecclesiae iuribus, quae semper intacta esse debent iuxta dictam Constitutionem; quoad secundum, reponi potest, quod id esset probandum vel saltem allegandum apostolicum privilegium exemptionis a praefato onere.

Verum quia praesertim Mansionarii Bartolozzi et Ciaram

poni perfugium quaeritant in praescriptione, videndum est utrum haec eis, non exclusis mansionariis Petrocchi prodesse queat. Profecto uti ex tenore ipsius Constitutionis liquet, ipsa est munita clausula *sublata* et decreto irritanti, quod iuxta doctrinam Rotae *decis.* 572 *n. 11, coram Cerro, decis. 9 n. 38 coram Poenia et resolutionem H. S. C. in Reatina Mediae Annatae 12 Maii 1770* perimit et vitiat omnem contrariam consuetudinem etiam centenariam vel immemorialem. Nulla igitur in themate consuetudo aut liberativa praescriptio currere valet.

Deinde in institutione mansionariatuum Ciaramponi cautum fuit, ut novi Rectores obnoxii essent omnibus oneribus quibus subiiciebantur Mansionarii Bartolozzi, inter quae onera, hisce fatentibus, est onus mediae annatae. Neutri proinde oneris ignorantiam adducere valent, et exulat bona fides. Tota itaque eorum defensio coarctatur in Capituli negligentia ad hanc taxam exigendam, quae quanti sit momenti facile quisque primo intuitu percipit.

At ex adverso observari potest, quod in § *super praemissis...* citatae Constitutionis, nedum graviter excitata fuit vigilantia et onerata conscientia Capitulorum et Ordinariorum super exactione et administratione dictae taxae, sed etiam graves adiectae poenae. Iam vero hanc culposam negligentiam, aut crassam ignorantiam admittere in Capitulo Cathedrali Treiensi, aut in eius Archiepiscopis Administratoribus per tam longum tempus praesertim quoad mansionarios Petrocchi, expenso etiam quod synodo romanae ex qua praefata Constitutio publicata fuit, adfuit Archiepiscopus Camerinensis, non videtur tam facile posse recipi. Hinc cum fundamento deduci posset, quod praefati mansionarii in praebendarum erectione fuerint a taxa exonerati, vel quia de manutentione fabricae ecclesiae erat gravata massa Capitularis, aut alii erant adstricti, vel quia fundus seu patrimonium fabricae extabat, quibus in casibus mediae annatae impositio locum non habet. Nam Pontifex Benedict. XIII in citata Const. declaravit solutioni mediae annatae nequaquam subiecta esse debere « beneficia illarum dioecesium et respective Collegiatarum, in quibus reperitur opus seu peculiare patrimonium fabricae sufficienter instructum, aut onus seu obligatio reparandi, restaurandi, et conservandi ecclesias residet penes communitates locorum, vel adsunt dictarum ecclesiarum patroni, qui nisi reparare et manutenere velint easdem ecclesias, eorum patronatum amittere debeant ».

Verum hac seposita observatione, aliud argumentum solidius pro exoneratione a solutione huiusmodi taxae invenitur in mutatis temporum conditionibus. Sane redditus beneficiorum nunc sunt valde imminuti ob onera fiscalia taxae successionis adauctae, et vitae sustentatio difficilior evasit. Ex hoc factum est ut exactio huius taxae fere in omnibus Italiae dioecesibus coeperit in desuetudinem abire, uti expenditur in una *Nolana Solutionis* agitata coram H. S. C. sub die 9 Septembris 1893 (1). Neque haec invecta contraria consuetudo dici potest irrationalis aut iuris corruptela, cum ea introducta fuerit ipsis Ordinariis dioecesium tacite approbantibus, et Ecclesia non reclamante.

Quare Episcopus Nolanus exponens H. S. C. hanc in sua dioecesi adesse consuetudinem, vi cuius canonici suae Cathedralis et alii beneficiati se putabant liberatos a dictae taxae solutione exoneratos, cum quaesivisset: « Se stando la « clausula *sublata* della Bolla e il decreto irritante, debba « obbligare in genere tutti i nuovi beneficiati al pagamento « della mezz'annata, compresi anche quelli che non l'hanno « pagata negli ultimi dieci anni »; Eadem S. C. prae oculis habitis superius enunciatis circumstantiis in casu concurrentibus, in generalibus comitiis dicti an. 1893 rescribendum censuit: « Attentis peculiaribus temporum rerumque adiunctis, iisque perdurantibus, nihil esse innovandum ».

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. I, p. 406.

Ad tramites itaque prolatae decisionis in themate nedum mansionarii Petrocchi, sed etiam possessores mansionariatuum Bartolozzi et Ciaramponi non viderentur esse inquietandi quoad mediae annatae solutionem.

Succedit nunc altera subordinata quaestio, quae quamvis non resultet ex Archiepiscopi petitione, tamen eruitur ex litteris responsivis Vic. Generalis Treiensis; nempe quatenus EE. VV. decernant, praedictos mansionarios ad mediae annatae solutionem esse adstrictos, quaeritur utrum ab hac solutione deducendum sit onus missae conventualis. In proposita quaestione duas iuvat recolere resolutiones editas ab H. S. C. Prima est in causa *Tiburtina*, diei 4 Maii 1734, in qua disputatum fuit quaenam onera et expensae deducendae essent in beneficiis sive curatis sive non curatis pro solutione mediae annatae; et tunc proposito dubio: « *An et quae onera sint deducenda ex redditibus beneficiorum tam curatorum, quam non curatorum in casu* » rescriptum fuit « *deducenda esse onera fixa et realia, non vero personalia in beneficiis curatis ad effectum, ut subiiciantur taxae et amplius* ».

Altera resolutio citatae consimilis prostat in *Aesina*, diei 28 Iulii 1872, in qua quidam sacerdos ad canonicatum in Ecclesia Cathedrali promotus quaesivit utrum inter onera detrahenda in solutione mediae annatae, esset computanda ita dicta taxa successionis: et ad propositum dubium: « *An et quae onera etiam de facto existentia, detrahenda sint in solutione mediae annatae in casu* » responsum fuit: « *Deducenda esse onera fixa et realia, non vero personalia et amplius* ».

Ex his decisionibus erumpit quod onera deducenda in solutione fructuum mediae annatae sunt illa, quae bona seu fructus praebendae percutiunt et imminuunt, uti sunt fisci tributa, expensae, pensiones et alia id genus; fructus enim communiter intelligi solent deductis oneribus. Sed obligatio seu onus missae conventualis proprie spectat ad praebendati officium, sicuti applicatio missae pro populo adhaeret officio parochiali. Hinc cum sit onus stricte personale, nulla deductio fieri posse videtur ex hoc titulo in solutione mediae annatae.

Sed quae decisio magis in Domino expediat in propositis quaestionibus, sueta sapientia et prudentia diiudicabunt EE. VV.

Quare, etc.

Responsum fuit: *Attentis peculiaribus circumstantiis, nihil esse innovandum.*

DECRETUM.

De excardinatione seu excorporatione laicorum quoad sacram Ordinationem.

Decreto diei 20 mensis Iulii 1898 (1), quod incipit *A primis*, E.mi S. C. Concilii Patres, probante v. m. S. P. Leone XIII, circa *excardinationem* et *incardinationem* clericorum eorumque subsequentem ordinationem, haec quae sequuntur statuerunt:

« I. *Excardinationem* fieri non licere nisi iustis de causis, nec effectum undequaque sortiri, nisi *incardinatione* in alia dioecesi executioni demandata.

« II. *Incardinationem* faciendam esse ab Episcopo non

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. VI, p. 351.

oretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam; ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur, praestito ad hoc iuramento ad instar illius quod Constitutio « *Speculatores* » pro domicilio acquirendo praescribit.

« III. Ad hanc *incardinationem* deveniri non posse, nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum a sua dioecesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, de eius natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia.

« IV. Hac ratione adscriptos posse quidem ad Ordines promoveri. Cum tamen nemini sint cito manus imponendae, officii sui noverint esse Episcopi, in singulis casibus perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit, qui tuto possit absque ulteriori experimento ordinari, an potius oporteat eum diutius probari. Et meminerint quod sicut « nullus debet ordinari qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis », ut in *cap*, *16*, *sess. 23*, *De reform.* Tridentinum statuit; ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate aut commoditate dioecesis.

« V. Quo vero ad clericos diversae linguae et nationis, oportere ut Episcopi in iis admittendis cautius et severius procedant, ac nunquam eos recipiant, nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint secretam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus informationem, onerata super hoc graviter Episcoporum conscientia.

« VI. Denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos, qui excardinationis beneficio uti nequeunt vel nolunt, standum esse dispositionibus Const. « *Speculatores* » quae, nihil obstante praesenti decreto, ratae ac firmae semper manere debent ».

Sed pluribus in locis mos iam pridem invaluerat ut quaedam litterae quasi *excardinatoriae*, seu *excorporationis* aut *exeat* nuncupatae, laicis quoque traderentur, eodem ferme modo ac pro clericis fieri consueverat: quibus litteris Episcopus originis laicum suae dioecesis subditum dimittebat, et ius nativum, quo pollebat eum in clericalem statum adscribendi, in alium Ordinarium transferre eique cedere videbatur: et vicissim hic illum suscipiens eum proprium subditum sibi facere, et qua talem ad primam tonsuram et SS. Ordines promovere libere posse arbitrabatur, quin aut ratione domicilii aut ratione familiaritatis subditus sibi esset iuxta Constitutionis « *Speculatores* » praescripta.

Porro evulgato decreto *A primis*, de huius praxis legitimitate disputari coepit, et plura dubia hac de re ad S. Sedem delata sunt.

Quapropter de mandato SS.mi quaestione semel et iterum in hac S. Congregatione examinata, tandem die 15 Septembris 1906, (1) E.mi Patres censuerunt, permitti posse, si Sanctitas Sua id probaverit, ut praefatae litterae, quibus laici a propria dioecesi dimittuntur, ab Ordinariis concedantur, earum vi extradioecesanus fieri proprius valeat Episcopi benevoli receptoris, et hoc titulo ad clericalem tonsuram et ad SS. Ordines ab eo promoveri; dummodo tamen:

1. Dimissio ab Episcopo proprio ex iusta causa, in scriptis et pro determinata dioecesi concedatur.

2. Acceptatio ne fiat nisi servatis regulis quae pro clericis *incardinandis* statutae sunt, et superius sub num. II, III, IV et V recensentur; et servato quoque decreto « *Vetuit* » diei 22 Decembris 1905 (1), quoad alumnos a Seminariis dimissos.

3. Sed iuramentum ad tramitem Constitutionis « *Speculatores* » requisitum, praestandum esse ante clericalem tonsuram. Verum cum obligatio permanendi in dioecesi non propria, eique in perpetuum serviendi, ante maiorem aetatem non sine difficultatibus et periculis suscipi possit, cavendum esse ab Episcopis ne ad clericalem tonsuram admittant qui aetate maior non sit.

Facta autem de his omnibus relatione SS. D. N. Pio Papae X ab infrascripto Secretario, in audientia diei 16 Septembris 1906, Sanctitas Sua deliberationem Em. Patrum probavit et confirmavit, mandavitque ut evulgaretur per litteras S. C. Concilii, ut omnibus ad quos spectat lex et regula esset, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 24 mensis Novembris 1906.

† VINCENTIUS, Card. Episc. Praenestinus, *Praef.*

L. ✠ S.

C. DE LAI, *Secret.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIV, p. 380.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIV, p. 62.

Decretum S. Congreg. Concilii de S. Communione infirmis non ieiunis.

Post editum de frequenti et quotidiana SS. Eucharistiae sumptione decretum die 20 mensis Decembris 1905 (2), concessasque a SS.mo D. N. Pio PP. X die 30 mensis Maii eiusdem anni indulgentias omnibus Christifidelibus, qui certas preces devote recitaverint pro quotidianae Communionis propagatione (3); post additum praeterea decretum *Urbis et Orbis*, die 14 mensis Februarii 1906 (4), a S. C. Indulgentiarum et Reliquiarum, cuius decreti vi possent Christifideles per quotidianam Communionem lucrari omnes indulgentias, absque onere confessionis hebdomadariae, vix dicere est, quanta laetitia benignae huiusmodi S. Sedis dispositiones exceptae sint, praesertim ab Episcopis et moderatoribus religiosorum Ordinum. Excitato inde studio fovendae pietatis, quaesitum est, si quo forte modo consuli posset aegrotis diuturno morbo laborantibus et eucharistico Pane haud semel confortari cupientibus, qui naturale ieiunium in sua integritate servare nequeant. Quare supplices ad hoc preces delatae sunt SS.mo D. N. Pio PP. X; qui, re mature perpensa auditoque consilio S. Congregationis Concilii (5), benigne concessit ut infirmi, qui iam a mense decumberent absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio SS.mam Eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi SS.mum Sacramentum adservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in Oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus (6) antea sumpserint, servatis de

(2) *Item*, vol. XIV, p. 61.

(3) *Item*, vol. XIII, p. 259.

(4) *Item*, vol. XIV, p. 107.

(5) *Item*, vol. XIV, p. 383.

(6) Quid vero veniat sub vocabulo *potus*, cfr. *Anal. Eccl.* vol. VI, p. 142.

caetero regulis a Rituali Romano et a S. Rituum Congregatione ad rem praescriptis. Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, die 7 mensis Decembris 1906.

† VINCENTIUS Card. Epus. Praen., *Praef.*
C. De Lai, *Secretarius.*

Canonicus absens a sua residentia, ut ineat concursum sive litteraria exercitia, non lucratur distributiones.

Episcopus Gaudixensis in relatione quam S. Concilii Congregationi exhibuit super statum suae dioecesis, in cap. IX, sequens postulatum proposuit:

Canonicus Doctoralis praefatae Cathedralis Ecclesiae, praevio consensu Episcopi, in Dioeceses Hispalensem et Granatensem se contulit cuiusdam periculi seu concursus sustinendi causa. Cum ad suam rediit Ecclesiam, declaravit se velle considerari uti praesentem in choro ad effectum distributiones lucrandi iis diebus quibus ob praedictam causam abfuit. Idque contendit sibi competere ex consuetudine, prout constare dixit ex pluribus actis capitularibus.

Refragantibus tamen aliis, Episcopus ne in re tam gravi disciplina ecclesiastica corrumperetur, transmissis documentis hinc inde allatis, sequentia proposuit dubia:

I. Utrum Canonicus qui abest a sua residentia, ut ineat concursum sive litteraria exercitia in alia dioecesi ad Canonicatum obtinendum, possit aut debeat haberi tamquam praesens in Choro ad effectum lucrandi distributiones? Et pariter, quatenus negative ex iure communi

II. Utrum saltem id sustineri possit ex consuetudine particulari, quae vigeri asseritur in praefato Capitulo. Et pariter, quatenus negative

III. Quid statuendum in casu praesenti, in quo Canonicus Doctoralis abfuit bona fide, putans scilicet consuetudinem sibi favere, ac ideo se praesentem habendum esse in Choro et lucrari distributiones?

Sacra porro Congregatio Concilii, die 3 Februarii 1906, omnibus rite perpensis, respondendum censuit:

Ad primum et secundum: *Negative.*

Ad tertium autem dubium rescripsit: *Orator recurrat pro gratia dispensationis.*

VINCENTIUS, *Card. Ep. Praen., Praefect.*
C. De Lai, *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

De Lectionibus I Nocturni et de Missa exequiali in Feria IV Cinerum.

TARBIEN.

R.mus D.nus Franciscus Xaverius Schoepfer, Episcopus Tarbiensis, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter expostulavit; nimirum:

I. Decreto n. 3923, diei 30 Iunii 1896, *Plurium dioecesium,* praecipiente Lectionem de Scriptura occurrente in duplicibus infra II classem, excipiuntur tamen Lectiones, quae « iam approbatae fuerunt, vel in Breviario habentur pro duplicibus seu maioribus, seu etiam minoribus ». Quaeritur: Utrum ea exceptione comprehendantur non tantum eae peculiares Lectiones, quae certis quibusdam Sanctis assignantur et integre inseruntur in Breviario sicut et in Proprio dioecesano, sed etiam eae omnes, quae assignantur de Communi, et in praedictis Breviario et Proprio tantummodo indicantur, Rubrica ad eas remittente; sicut v. g. in festo S. Dominici, die 4 Augusti, indicantur pro I Nocturno Lectiones *Beatus vir*, etc., de Communi Conf. non Pontif. 2° loco; sicut etiam v. g. in festo S. Fausti (in Proprio Provinciae Auxitanae ad 28 Septembris) remittitur, pro clero Tarbiensi, ad Lectiones *Fidelis sermo*?

II. Utrum feria IV Cinerum in Ecclesiis parochialibus ubi unicus est sacerdos, celebrari possit Missa exequialis?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I et II: *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 5 Iulii 1901.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

Varia solvuntur dubia.

Insequentium dubiorum declarationes a Sacra Rituum Congregatione expostulatae sunt; nimirum:

I. An clerici prima tantum tonsura initiati, ad mentem decreti 14 Martii 1906 (1), tangere possint vasa sacra et lintea sacra ac calicem praeparare in sacristia absque speciali indulto?

II. An omnes qui vestem talarem induunt, sint vel non tonsurati, debeant iuxta Rubricas Missalis *(Ritus servandus in celebratione Missae, tit. II, 1)* superpelliceum induere dum Missae inserviunt?

III. An Diaconus ratione ministerii sui possit, etiam praesentibus sacerdotibus et extra casum necessitatis, Sanctissimum Sacramentum de uno altari ad alterum deferre?

IV. Iuxta Caeremoniale Episcoporum *(Lib. II, cap. 3, n. 5)* Celebrans Vesperarum, in initio huius Officii, quando ad suum locum pervenit, sedet paulULUM, exceptis pluvialistis; an omnes de choro sedere debeant in eodem momento, et in sensu affirmativo consuetudo contraria pro clero de choro potestne servari?

V. Utrum in Missa solemni coram SS.mo Sacramento exposito Celebrans, postquam dixit in initio *Oramus te* et ad Offertorium *Veni Sanctificator*, debeat cum ministris rursus genuflectere antequam aliquantulum se retrahat versus cornu Evangelii in thuris impositione?

VI. In eadem Missa, Subdiaconus, accepta patena post oblationem calicis, genuflectit in suppedaneo ad dexteram diaconi: debetne iterum genuflectere, cum venerit ante infimum gradum?

VII. Sacra Rituum Congregatio decrevit quod Missa Ordinationis in Sabbatis Quatuor Temporum sit de Feria;

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, in praes. vol. XIV, p. 166.

quaeritur utrum in hac Missa facienda sit commemoratio simplicis aut simplificati occurrentis?

VIII. In quodam Seminario, studiorum causa sunt duae categoriae sacerdotum sub aliquo respectu distinctae sive quoad exercitia spiritualia, sive quoad alia exercitia. Alii eorum certae vivendi disciplinae minus strictae subiecti sunt et extra Seminarium in ecclesiis diversis Missam celebrant, alii vero in Seminario Missam celebrant. Iuxta indultum alumni omnes huius Seminarii se conformare tenentur Kalendario Congregationis religiosae ad quam pertinent Moderatores et Directores praedicti Seminarii. Quaeritur an utraque categoria sacerdotum huius Seminarii se conformare teneantur Kalendario eiusdem Familiae religiosae?

IX. Utrum a sacerdote Missam celebrante in ecclesia dedicata alicui mysterio Divinarum Personarum vel in oratorio quod Titulare non habet, in oratione *A cunctis* nominari debeat Patronus loci, si in loco ubi celebrat consuetudo adsit faciendi in Suffragiis commemorationem de loci Patrono?

X. Quando transfertur festum v. g. Annuntiatio B. M. V. in quo exequiae cum Missa exequiali prohibentur, haec prohibitio subsistitne die impedita vel die in qua Officium transfertur?

XI. An in functione Benedictionis SS.mi Sacramenti, praeter orationem de eodem, alia cantari possit?

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative, nisi pro laicis alicuius Familiae religiosae obstent specialia statuta approbata.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Consuetudinem servari posse.

Ad V. Negative.

Ad VI. Negative, iuxta Rubricas Missalis (*Ritus servandus in celebratione Missae, tit. X, n. 8*), et iuxta decretum n. 4027 *Plurium dioecesium* 9 Iunii 1899, ad 11.

Ad VII. Affirmative in Sabbato Pentecostes; Negative in aliis, nisi Officium fuerit de Feria, quo in casu commemoratio non est omittenda.

Ad VIII. Affirmative, nisi agatur de presbyteris beneficiatis, qui, ut alias resolutum est, tenentur sequi Kalendarium ecclesiae sui beneficii.

Ad IX. Affirmative, si vigeat consuetudo faciendi de Patrono commemorationem.

Ad X. In die sola impedita, nisi Annuntiatio transferatur cum feriatione.

Ad XI. Affirmative, priusquam cantetur *Tantum ergo*, quando aliae dicendae sint preces. Negative in casu opposito, nec non in festo et infra Octavam SS.mi Corporis Christi.

Atque ita rescripsit. Die 23 Novembris 1906.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

III.

SECOVIEN.

An et quatenus petenda sit Epo licentia celebrandi Missam in Oratoriis secundariis Religiosorum.

R.mus D.nus Leopoldus Schuster, Episcopus Secoviensis, Sacrorum Rituum Congregationi reverenter exposuit et enixe petiit, ut sequentia dubia solvantur; nimirum:

In dioecesi Secoviensi, vasta sunt quinque monasteria, nimirum tria Ordinis S. Benedicti, unum Ordinis Cisterciensis et unum Canonicorum Regularium Lateranensium; insuper permulta coenobia aliorum Ordinum Mendicantium S. Francisci et S. Dominici, S. Ioannis de Deo etc. Interdum in illis monasteriis casus accidit, ut novum oratorium e. g. pro recitando Officio tempore hiemali in aedibus monasterii erigatur simul cum altari sive fixo, sive portatili, ut ibi etiam Missa celebrari possit ab infirmis et senibus debilibus. Praeterea talia oratoria cum altari interdum etiam in domibus extraneis, quae a monasterio sive longe, sive parum distant et peculium monasterii sunt, eriguntur, in quibus domibus unus vel plures Patres per aliquod tempus sive oeconomiae sive sanitatis colendae causa versantur. Hinc quaeritur:

I. Estne licentia, Missam ibi celebrandi, ab Episcopo Ordinario petenda, an sufficit necessitas vel utilitas communitatis religiosae? — Et si affirmative ad secundam;

II. Valet hoc etiam de oratoriis, quae extra monasterium ipsum sita sunt, sed ad eius peculium pertinent?

Porro Sacra Rituum Congregatio, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, reque maturo examine perpensa, ita respondere rata est:

Ad I. Si agatur de Regularibus proprie dictis, *negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam, de licentia superioris generalis aut provincialis iuxta decretum n. 4007 *Super oratoriis semipublicis* 23 Ianuarii 1899 (1); si vero sermo sit de aliis communitatibus, servetur decretum n. 3484 *Nivernen.* 8 Martii 1879 ad II (2).

Ad II. *Negative,* nisi adsit indultum.

Atque ita rescripsit. Die 10 Novembris 1906.

S. Card. CRETONI, *Praef.*

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secr.*

IV.

ORDINIS FRATRUM MINORUM

PROVINCIAE GERMANIAE INFERIORIS.

Varia solvuntur dubia.

R. P. Vitalis Keenen, Minister Provincialis Provinciae Germaniae Inferioris, Ordinis Fratrum Minorum, sequentia dubia enodanda Sacrorum Rituum Congregationi humiliter exponit; nimirum:

I. Ad controversias tollendas circa interpretationem decretorum n. 3903, *Aucto* 8 Iunii 1896, n. 3944, *Romana* 12 Ianuarii 1897, *Vicen.* 3 Aprilis 1900, et *Labacen* 23 Aprilis 1902, quaeritur:

1°. An in oratoriis privatis et semipublicis dici possint Missae de Requie omnibus et singulis diebus, exceptis festis

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. VII, p. 22.

(2) Item Vol. VII, p. 23.

de praecepto et duplicibus primae classis et diebus ipsa duplicia primae classis excludentibus, ab obitu usque ad sepulturam, quamdiu nempe corpus praesens est in domo?

2°. Et quatenus *affirmative:* An idem privilegium valeat etiam pro oratoriis publicis et ecclesiis Seminariorum, collegiorum et religiosarum communitatum, ita ut liceat omnibus et singulis diebus ab obitu usque ad sepulturam, exceptis diebus ut supra indicatis, inibi Missas de Requiem celebrare, quamdiu corpus praesens est in domo, ecclesiis vel oratoriis publicis praedictis adnexa?

II. Quum Missa votiva de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis, singulis diebus infra Octavam eiusdem Mysterii atque singulis sabbatis per annum concessa, iuxta Sacrae Rituum Congregationis decreta dici nequeat, si eodem die agatur commemoratio Officii trium vel novem Lectionum ad ritum simplicem redacti; sed celebrari debeat, pro votiva, Missa Officii de Beata Maria Virgine ad instar simplicis redacti, iisdem iuribus ac privilegiis iam pro votiva concessis, quaeritur:

1°. An in Missa votiva respondente Officiis ad instar simplicis redactis, quae ritum duplicem alias obtinerent, excludatur secunda et tertia oratio de Tempore, et solum admittantur commemorationes occurrentes et collectae, si iuxta Rubricas et decreta admittendae sint?

2°. An diebus infra Octavas Beatae Mariae Virginis Officio duplici vel semiduplici impeditis, si Missa Octavae pro votiva Immaculatae Conceptionis solemniter vel in cantu vel conventualis instar celebretur, ad Missam duplicis vel semiduplicis Sanctorum conventualem, quum omnis commemoratio Octavae per se excludatur ne bis solemniter fiat de eodem Officio occurrente, extra Dominicam debeat omitti Symbolum, quod solum ratione Octavae ad conventualem Officii iuxta Rubricas et decreta suspensae alioquin requiritur?

III. An omnia eiusdem religiosae Familiae oratoria semipublica, solemniter saltem benedicta enumerata in decreto n. 4007 diei 23 Ianuarii 1899, ius habeant, ut illorum Titularis festum celebretur sub ritu duplici primae classis cum Octava, ita ut de eo agatur inter Suffragia Sanctorum, et ut nominetur in oratione *A cunctis?*

IV. Quum non una sit sententia circa Symbolum addendum in festis secundariis Sanctorum vel infra eorumdem Octavas, quae *Credo* in festo principali vel ipsa solemnitatis die exigunt, quaeritur:

1°. An in festis Patronorum dioecesis et Fundatorum Ordinis seu Congregationis regularis, si ritu saltem duplici gaudeant, dicendum sit ad Missam Symbolum, prouti dicitur in eodem festo principali; ita ut apud Fratres Minores trium Ordinum dici debeat *Credo* in festis secundariis Sancti Patris Nostri Francisci et apud Moniales II Ordinis in festis Sanctae Clarae Assisiensis earumdem Fundatricis?

2°. An in festis secundariis Patroni principalis vel Titularis ecclesiae dici debeat in Missa Symbolum, si sub ritu saltem duplici celebrentur, sicuti dicitur in eodem festo principali; ac dici consequenter debeat in festo Decollationis Sancti Ioannis Baptistae, si idem Praecursor Domini sub quavis Mysterii nuncupatione sit Patronus praecipuus vel Titularis principalis ecclesiae?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Quoad 1um *Affirmative* in oratoriis privatis dummodo cadaver sit adhuc physice praesens in domo; *negative* in oratoriis semipublicis quae locum tenent ecclesiae.

Quoad 2um *Negative*, sed semel tantum in una ex tribus diebus ab obitu usque ad sepulturam decurrentibus.

Ad II. Quoad 1um *Affirmative*, quia est Missa festivi Officii duplicis, licet, per accidens, simplicis.

Quoad 2um *Affirmative* iuxta decretum *Ordinis Fratrum Minorum* 19 Iunii 1903 ad 2, quia de Octava in casu nulla ratio habenda est iuxta decretum *Einsielden. – Reliqua dubia* 5 Maii 1736 ad 26.

Ad III. *Negative*, sed tantum in oratorio principali, deficiente ecclesia.

Ad IV. Quoad 1um *Affirmative* iuxta decretum n. 2484 *Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum* 27 Augusti 1768, et n. 3249 *Ratisbonen.* 22 Aprilis 1871 ad I.

Quoad 2um *Affirmative.*

Atque ita rescripsit. Die 10 Novembris 1906.

L. ✠ S.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

V.

EREMITARUM CAMALDULENSIUM

CONGREGATIONIS MONTIS CORONAE.

Circa oscula et genuflectiones in Missa, et circa Communionem infirmis ministrandam.

Expetenti Kalendaristae Eremitarum Camaldulensium Congregationis Montis Coronae, de consensu sui Rmi Superioris generalis, authenticas declarationes super nonnullis dubiis liturgicis, Sacra Rituum Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, ita respondere rata est:

I. Minister inserviens Missae in altari, ubi SSmum Eucharistiae sacramentum non asservatur, unico genu flectere debet accedens ad altare, et quoties ante medium altaris transibit aut ab eo recedet.

II. Minister tam in porrigendo quam in recipiendo osculetur utramque ampullam vini et aquae, quin tamen osculetur manum celebrantis.

III. Oscula in Missa pro defunctis et Feriae VI in Parasceve omittenda sunt; similiter Diaconus in dictis casibus non osculetur calicem et patenam, iuxta Rubricam Missalis, *part. II, tit. 13, n. 2*, et Caeremoniale Episcoporum *lib. I, cap. 18, § 16, et lib. II, cap. 11, § 5.*

IV. 1°. Sacerdos infirmo Communionem distribuens semper dicere debet *Misereatur tui* etc., sive infirmus accipiat Viaticum, sive communicet ex devotione aut ad implendum praeceptum paschale.

2°. Infra Missam vero, si sacerdos in altari proximo penes infirmum celebrat, dicendum est *Misereatur vestri* etc.

3°. Minister infra Missam in casu *Confiteor* et Celebrans *Misereatur* dicere debent ad altare more solito, non vero prope infirmum.

Atque ita rescripsit. Die 16 Novembris 1906.

L. ✠ S.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen.. *Secretarius.*

VI.

RATISBONEN.

seu Congr. SS. Redemptoris Provinciae Bavaricae.

Dubia circa mensam et titulum altaris fixi.

R. P. Mathias Prechtl, Rector Provinciae Bavaricae Congregationis SS.mi Redemptoris, de consensu sui R.mi Procuratoris generalis, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

I. In Ecclesia S. Sepulchri, Congregationis SS.mi Redemptoris in civitate Deggendorf, intra fines Ratisbonensis dioecesis, extant tria altaria scil. S. Ioannis Nepomuceni M., Septem Dolorum B. M. V., et Quindecim ss. Auxiliatorum, quorum mensa non constat ex uno et integro làpide, sed ex duobus lapidibus inaequalibus, qui tamen coemento in unum coniuncti sunt. Quaeritur: Utrum haec tria altaria sint valide consecrata, an potius consideranda sint tamquam execrata?

II. In ecclesia parochiali eiusdem civitatis mensa altaris maioris fixi constat ex tribus lapidibus, et quidem media maior pars ex marmore, duae aliae laterales partes ex petra arenaria; sed hi tres lapides coemento in unum sunt coniuncti. Itaque quaeritur: Estne hoc altare fixum valide consecratum; et si *negative*, media maior pars ex marmore poteritne adhiberi tamquam altare portatile?

III. Num absque indulto Apostolico et auctoritate tantum ordinaria, titulus altaris fixi commutari possit cum altero titulo, v. gr. titulus S. Sebastiani M. cum titulo B. M. V. de Perpetuo Succursu, et si *negative*, num saltem super altare collocari possit imago B. M. V. de Perpetuo Succursu loco imaginis S. Sebastiani tituli altaris?

IV. Sufficitne ut imago tituli altaris fixi in tabula vitrea picta retro post altare, in fenestra, applicetur?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Iuxta Pontificale Romanum et decreta S. R. C. n. 2862, *Fanen.* 17 Iunii 1843 ad 1, n. 3725, *Meliten.* 26 Aprilis 1890, et n. 3750, *Salamantina* 14 Nov, 1891, mensa altaris fixi ex unico et integro lapide constare debet. Hinc ad primam partem *negative*, ad secundam *affirmative;* et si commode altarium consecratio cum mensa ex unico et integro lapide fieri nequeat, parvus lapis rite consecratus in medio mensae collocetur ad instar altaris portatilis.

Ad II. *Negative* ad utrumque.

Ad III. *Negative* ad utrumque iuxta decretum n. 2752 *Congregationis Missionis* 27 Augusti 1836 ad 5 et 7.

Ad IV. *Negative.*

Atque ita rescripsit. Die 10 Novembris 1906.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

VII.

Nota Congregationum pro anno 1907.

Gennaio 15 — Congregazione Nuova Preparatoria sopra i miracoli del Beato Giuseppe Oriol.

29 — Congregazione Antipreparatoria sopra i miracoli del Ven. Giovanni Eudes.

Febbraio 19 — Congregazione Preparatoria sopra i miracoli della Ven. Maria Maddalena Postel.

Marzo 5 — Congregazione Ordinaria.

12. — Congregazione Antipreparatoria sulle virtù della Ven. Maria dell'Incarnazione.

Aprile 9 — Congregazione Rotale.

16 — Congregazione Generale. . . . .

30 — Congregazione Preparatoria sopra i miracoli della Ven. Maddalena Sofia Barat.

Maggio 14 — Congregazione Ordinaria.

28 — Congregazione Preparatoria sopra i miracoli del Ven. Gabriele dell'Addolorata.

Giugno 18 — Congregazione Antipreparatoria sulle virtù della Ven. Margarita Bourgeoys.

25 — Congregazione Rotale.

Luglio 9 — Congregazione Generale. . . . . .

23 — Congregazione Ordinaria.

Agosto 13 — Congregazione Preparatoria sopra i miracoli del Ven. Giovanni Eudes.

27. — Congregazione Ordinaria.

Novembre 12 — Congregazione Antipreparatoria sopra i miracoli della Ven. Giovanna d'Arc.

19 — Congregazione Rotale.

26 — Congregazione Generale. . . . .

Dicembre 10 — Congregazione Ordinaria.

17 — Congregazione Antipreparatoria sopra le virtù del Ven. Giuseppe Maria Pignatelli.

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

Indulg. 300 d. conceditur pro cantico in honorem B. M. Virg. a SS. Rosario.

B.mo Padre,

Il P. Fr. Marco Righi, dell'Ordine dei Predicatori, prostrato al bacio del S. Piede, umilmente implora l'Indulgenza di trecento giorni, applicabile anche ai defunti, da lucrarsi da tutti i fedeli, ogni volta che con cuore contrito e devotamente reciteranno il seguente cantico popolare in onore della B. V. del Rosario:

— Tu sei del gaudio — madre e signora,
Tu fosti martire — in terra ognora:
Ma eterna gloria — il Cielo ti diè.
O Rosa mistica — prega per me.
— L'Ave, la Visita — il Parto santo
L'offerta allegrati — di un divo incanto;
Nel Figlio giubili — che riedo a Te.
O Rosa mistica — prega per me.
— L'intimo spasimo — lo scempio atroce,
Il serto spineo — l'orrenda croce,
Tu soffri, e immolati — Gesù con se.
O Rosa mistica — prega per me.
— Risorto, all'etere — il Figlio ascende,
Manda il Paracleto — che il cor t'incende;
Regina agli Angioli — Iddio ti fè.
O Rosa mistica — prega per me.

— Cogliamo, o popoli — dai rami santi
E a lei sacriamole — rose fragranti,
Speranze e gemiti — pongo ai tuoi piè.
O Rosa mistica — prega per me.

Ex audientia SS.mi, die 2 Nov. 1906, SS.mus D. N. Pius PP. X benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secr. S. Conc. Indulg., die 14 Nov. 1906.

L. ✠ S.

D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

Indulg. 300 d. conceditur pro oratione ad SS. Virginem.

Preghiera.

O Madre di misericordia, aiuto de' Cristiani, ministra fedelissima della divina Provvidenza, tesoriera di tutte le grazie, ricordatevi non essersi mai inteso al mondo che abbiate lasciato senza consolazione coloro che a Voi divotamente ricorsero. Onde io, confidando nelle viscere della Vostra pietà e nella liberalissima Vostra provvidenza, mi prostro umilmente ai Vostri piedi, affinchè vogliate ascoltare le mie orazioni.

Otteneteci Voi la santa provvidenza, ossia le grazie in tutti i miei spirituali bisogni, e quella provvidenza inoltre temporale necessaria per tirare innanzi la vita in questa valle di pianto.

Raccomando fervorosamente al vostro cuore amoroso e materno la S. Chiesa, il Sommo Pontefice, la conversione delle anime, la propagazione della fede cattolica, nonchè le Spose elette del Signore, che soffrono le atroci fiamme del Purgatorio. affinchè vengano tosto consolate coll'eterno refrigerio. Così sia.

A quanti reciteranno questa preghiera è accordata per una volta al giorno l'indulgenza di 300 giorni.

PIUS PP. X.

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit Secretariae S. C. Indulg.

Datum Romae ex eadem Sec.ria, die 19 Dec. 1906.

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE INDICIS

Varia damnantur opera.

DECRETUM.

Feria III, die 11 Decembris 1906.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 11 Decembris 1906, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

L'Abbé E. Lefranc. *Les conflits de la Science et de la Bible.* Paris, 1906.

Segismundo Pey-Odeix. *El Jesuitismo y sus Abusos.* Colección de artículos. Barcelona, s. a.

Idem. *Crisis de la Compañía de Jesús,* hecha por personas eminentes en santitad y letras. Ibid.

Albert Houtin. *La Question Biblique au XX*ᵉ *Siècle.* Paris, 1906.

L. Laberthonnière Decreto S. Congregationis, edito die 5 Aprilis 1906, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subiecit.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, die 12 Decembris 1906.

ANDREAS Card. STEINHUBER, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Fr. Thomas Esser Ord. Praed., *a Secretis.*

Die 14 Decembris 1906 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Henricus Benaglia, *Mag. Curs.*

E VICARIATU URBIS

Approbantur leges Ven. Archisod. a Doctrina Christiana.

Quam provido studio SS.mus D. N. Pius PP. X curaverit, ut, in tanta rerum divinarum ignoratione christianae doctrinae praeceptio vigeat, aut sicubi fuerit neglecta restituatur, plane declarant Encyclicae Litterae ad sacros universi terrarum orbis Antistites datae die 15 mensis Aprilis anno 1905, quibus initium *Acerbo nimis* (1). In iis inter alia praescriptum est, ut « in omnibus et singulis paroeciis consociatio canonice constituatur, cui vulgo nomen *Congregatio Doctrinae Christianae* ». Huiusmodi autem sodalitatum principem a sa. me. Paulo V in Urbe institutam temperare novisque rerum adiunctis aptare volens idem SS.mus D. N. Pius Constitutiones edidit eiusdem Ven. Archisodalitatis Doctrinae Christianae a Se reformatas et approbatas Apostolicis Litteris in forma Brevis, diei 5 mensis Decembris anno 1905 (2). In iis Constitutionibus, tit. III

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIII, p. 145.
(2) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIV, p. 147.

n. 23, haec leguntur: « Ad efficacius exequenda superius praescripta et ad propositum finem facilius assequendum, lex ab Archisodalitate proponetur, vim habitura postquam Cardinali vice sacra Urbis Antistiti fuerit probata ». Nos itaque supremae Pontificis voluntati morem gerentes, uti decet, nihilque magis pensi habentes, quam ut per ordinatum regimen Venerabilis Archisodalitatis romanae, caeterae id genus minores consociationes incrementa et robur accipiant, exarandas leges virorum coetui commisimus, qui ipsi Archisodalitati praeest. Quas leges iudicio Nostro subiectas ac diligenter expensas quum proposito fini congruere censuerimus, propositam eam totam Regulam, VI titulis ac LXXIX capitibus distinctam et comprehensam, auctoritate Nostra ordinaria approbamus, edicentes ut singula eius legis praescripta ab omnibus, ad quos pertinuerint, integre sancteque serventur.

Datum Romae ex aedibus Vicariatus, die 7 Nov. 1906.

PETRUS RESPIGHI, Card. Vicarius.

L. ✠ S.

FRANCISCUS FABERI, *Secretarius.*

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

LIII. Die sabbati 17 Februarii 1680.

MILETEN. — Concordiae. — R. *Affirmative.*

BONEN. — Synodi. — R. *Non sustineri.*

NEAPOLITANA. — Redditionis Rationum. — R. *Affirmative ad utrumque.*

DUBIUM. — Applicationis mulctarum. — R. *Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative. Sed addatur: dummodo non habeat aliunde.*

FIRMANA. — Decimarum. — R. *Exquiratur votum Rotae quoad utrumque.*

MONOPOLITANA. — Subsidii dotalis. — R. *Dilata.*

RAGUSINA. — Ecclesiae.

BENEVENTANA. — Restitutionis in integrum. — R. *Non constare de causis.*

BOIANEN. — Parochialis. — R. *Audiantur partes coram Metropolitano.*

190. Bonen. — Synodi.

Bonensis Episcopus Synodum celebravit, sed neque ad Congregationes praeparatorias Capitulum vel aliquem ex Capitularibus vocavit, neque in decretorum promulgatione Capituli consilium exquisivit, imo expresse vetuit, ne in Synodo congregata ad decreta responderetur per verbum placet vel non placet; tacuit Capitulum tam in secunda quam in tertia Sessione, in quibus promulgatis quibusdam decretis gravantibus, Capitulum mediante persona Decani requisivit Episcopum, quatenus vellet decreta repetere, relicta libertate respondendi placet, vel non placet. Sed renuens Episcopus, decretorum promulgationem complevit eo modo quo incoeperat. Quare Capitulum in 4ª Sessione expresse protestatum fuit de Synodi nullitate, et ad S. Sedem appellavit, negotioque ad hanc Sacram Congregationem remisso, duplex ad hanc controversiam terminandam aditus patet, vel scilicet de tota Synodi actione disquirere, num sustineatur, vel particularia decreta adversus quae Capitulum et Clerus reclamant examinare. Sed quoniam si Synodus non subsistat, frustraneus esset labor circa decreta particularia; hinc primo videtur inspiciendum ac decernendum:

An Synodus modo quo praemittitur celebrata sustineatur?

R. *Non sustineri.*

191. Neapolitana. — Redditionis Rationum.

Instantiam E.mi Card. Archiepiscopi Neapolis non graventur E.mi PP. intelligere ex ipsius litteris tenoris sequentis:

Confraternitas nuncupata Congregatio sub titulo dell'Anime del Purgatorio erecta in hac civitate, ad praesens translata reperitur in Ecclesia sub eodem titulo. Huiusmodi erectio fuit de anno 1608 per litteras Apostolicas confirmata a s. m. Paulo V suppliciter petentibus confratribus, qui eidem Pontifici narraverant dictam Confraternitatem fuisse erectam cum consensu, et approbatione tunc existentis Archiepiscopi Neapolitani, seu Vicarii Capitularis sede vacante, prout enunciatur in ipsis litteris Apostolicis; de ipsa tamen erectione ordinaria auctoritate, ut asserebatur facta per confratres, non docetur, neque in hoc Archivio Archiepiscopali ullum reperitur documentum. Ex actis tamen visitationum prout ego ipse semel, et bis visitavi, et quia subiacet in omnibus iurisdictioni ordinariae, prout in praedictis litteris Apostolicis expresse cavetur per haec verba: « Congregationem, sive Sodalitium huiusmodi nedum quoad exactionem rationum, sed etiam quoad omnia Ordinario Neapolitano subesse volumus »; et nihilominus gubernatores eiusdem Confraternitatis renuunt rationes suarum administrationum reddere. Ad eos compellendos nullam aliam breviorem et efficaciorem rationem superesse existimo, quam dictam Ecclesiam supponere ecclesiastico interdicto, quandoquidem, si alia adhibeantur remedia, gubernatores qui sunt laici, procul dubio regiam adibunt iurisdictionem, unde controversiis iurisdictionalibus aditus patebit, et res in longum protrahetur. Quare, cum Archiepiscopo Neapolitano hac in re assistat clara dispositio Sacri Concilii Tridentini, nec non praedictarum litterarum Apostolicarum, in quibus expresse etiam habetur quod statuta confratrum eatenus per Sedem Apostolicam approbantur « quatenus (sunt praecisa verba litterarum Apostolicarum) sint licita et honesta et Sacris Canonibus et Constitutionibus Apostolicis ac Concilii Tridentini decretis non contraria ». Et cum ipsa Sacro Concilio expresse adversarentur, si confratres redditionem rationum effugerent, ab EE. VV. supplex peto, ut rescribere dignentur quod mihi

liceat exigere rationem administrationis a Gubernatoribus dictae Confraternitatis, et contra renuentes iuris remediis procedere etiam ecclesiastico interdicto.

Haec Archiepiscopus, post quae scripta, suo caractere ita subdit: « Erectio fuit de anno 1608 et ex isto tempore usque adhuc computa non dederunt, et crederem, quia tam per me, quam per antecessores Archiepiscopos Breve s. m. Pauli V non fuit notum ».

Quibus positis inspiciendum videtur:

1° An Gubernatores dictae Confraternitatis teneantur eorum administrationis rationem reddere Archiepiscopo?

2° An si renuant, procedi possit per iuris remedia, etiam per interdictum ecclesiasticum.

R. *Affirmative ad utrumque.*

192. Dubium. — Applicationis mulctarum.

Posita dispositione Conc., Cap. 3, Sess. 25, de reform., ubi legitur: « In causis etc. per mulctas pecuniarias, quae locis piis ibi existentibus eo ipso quod exactae fuerint assignentur », supplicatur declarari:

1° An mulctae, quae exiguntur a personis unius oppidi debeant assignari locis piis eiusdem oppidi?

2° An inter loca pia intelligi possit Collegiata Ecclesia indigens reparatione non habens aliunde redditum, de ordine Sacrae Congregationis?

R. *Ad primum: Affirmative. Ad secundum: Affirmative; sed addatur: dummodo non habeat aliunde.*

LIV. Die sabbati 16 Martii 1680.

ULIXBONEN. — Applicationis. — R. *Negative.*

FANEN. — Transactionis. — R. *Dilata et ad mentem.*

MANTUANA. — Iurisdictionis. — R. *Ad primum, Non licere. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Non posse. Ad quartum, Negative. Ad quintum, Negative. Ad sextum, Negative. Ad septimum, Teneri. Ad octavum, Teneri. Ad nonum, Non licere.*

RAGUSINA. — Ecclesiae. — R. *Ad primum, Spectare ad Confraternitatem, praeter eas quae offeruntur Cappellae S. Iacobi. Ad secundum, Servandum decretum concessionis factum ab Episcopo.*

BONEN. — Synodi. — R. *In decisis.*

ROMANA. — Iurium Parochialium. — R. *Ad primum, Pertinere ad Vicarium Parochiae S. Petri. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Sepeliendos in Parochia S. Petri. Ad quartum, Deberi.*

193. Ulixbonen. — Applicationis.

Alias a Ioanne Primo Portugalliae Rege, erectus fuit Conventus Fratrum Ordinis Praedicatorum de Batalha, pro cuius conservatione ac reparationibus tam Nicolaus V quam Pius II applicarunt redditus diversarum ecclesiarum iurispatronatus Regii, et Paulus V pariter applicavit redditus parochialis de Lionel Lamacen. dioeces. iurispatronatus etiam Regii ad annos triginta dumtaxat. Sed quia idem Conventus plus quam alio tempore nunc reparatione indiget, imo ruinam minatur, ideo per libellum a SS.mo remissum pro voto, petitur nova applicatio eiusdem parochialis ad alios annos viginti.

Ad congruitatem gratiae exponitur dictam parochialem in praesenti vacare, redditus ascendere ad ducatos 300 auri de Camera, pro rectore ultra pedem Altaris et incerta remanere $\frac{m}{80}$ Reys seu ducatos 160 et ulterius D. Nuntius Apostolicus ita refert:

Ecclesia et Conventus S. Mariae de Ballo, vulgo de la Battaglia, una ex sumptuosioribus huius Regni, aedificata fuit a Rege Ioanne Primo in memoriam insignis victoriae in eodem loco obtentae, electaque in sepulturam regum; aedificii vastitas magnas requirit expensas pro sui conservatione. Hinc est quod serenissimus Princeps Petrus, Lusitaniae Coronae regens et perpetuus Gubernator, non habens unde aliunde providere indigentiis dictae reparationis, preces porrigit ut fructus parochialis Ecclesiae pagi de Lionel de praesenti vacantis, uniantur per viginti annos dictae ecclesiae Sanctae Mariae, ad effectum ut dicti fructus reponantur in quadam arca cum tribus clavibus a diversis personis retinendis, et non expendantur nisi in Ecclesiae reparationem, relicta congrua $\frac{m}{80}$ Regalium cum fructibus incertis ad favorem Vicarii Curati. Hoc in praesenti negotio dicere possum, alias fructus dictae Parochialis Ecclesiae fuisse unitos iam dictae Ecclesiae per 30 annos elapsos de anno 1646 circiter. Congruam regalium $\frac{m}{80}$ una cum incertis esse non solum sufficientissimam, sed opulentam pro curati sustentatione, nec non esse indubitatum dictam Ecclesiam parochialem de Lionel ab antiquissimo tempore esse iurispatronatus Regii, nec ullum detrimentum curae animarum quae in dicta Ecclesia exercetur, eventurum probabiliter ex huiusmodi unione; quare precibus Serenissimi Principis annui posse non dubitarem.

Nihilominus 15 Ianuarii 1678 responsum fuit *Negative.* Existimans procurator id evenisse ex quo E.mos PP. non informavit, nunc id ore et scripto praestituros, supplicat iterum ad examen revocari. — R. *Negative.*

ANALECTA VARIA

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ
NE PEREANT

Décembre 1906.

1 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Comte Galeazzo Thun de Holstein, Grand-Maître de l'Ordre Souverain de Malte; — et S. G. Mgr Jean Keys O' Doherty, Ev. de Derry.

2 Dimanche.

Proclamation *coram SSmo* du Décret sur les vertus héroïques du Vén. Janvier-Marie Sarnelli, Prêtre profès de la Congr. du T. S. Rédempteur

— Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Nicolas Zimarino, Ev. de Lacedonia; — et Mgr J.-B. Rota, Ev. de Lodi.

3 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Georges Kopp, Ev. de Breslau; — et LL. GG. Mgr Giordano Zaninovic, Ev. de Lesina; — Mgr Carié, Ev. élu Auxiliaire

de Macarsca et Spalato ; — et Mgr .Charles Algernon Stanley, Ev. Tit. d'Emmaüs.

— Le T. R. Père Pacifique da Seggiano donne son premier sermon de l'Avent au Vatican, *coram SSmo.*

4 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences : S. Em. le Card. Joseph Samassa, Arch. d'Erlau ; — ainsi que LL. GG. Mgr Jean Grimes, Ev. de Christchurch ; — et Mgr Antoine di Tommaso, Ev. d'Oria.

— Séance ordinaire de la S. Congr. des Rites, tenue au Vatican pour y examiner les questions suivantes :

1. Introduction de la cause de Béatif. du Serv. de Dieu Louis Solari, Prêtre Profès de la Compagnie de Jésus ;

2. Introduction de la cause de Béatif. de la Serv. de Dieu Vincent Gerosa, co-fondatrice de l'Institut des Sœurs de Charité de Luere ;

3. Concession et approbation de l'Office et de la Messe propres en l'honneur du Bienh. Bonaventure de Barcelone, Frère lai des FF. Mineurs ;

4. Concession et approbation de l'Office et de la Messe propres en l'honneur des Bienheureuses Carmélites de Compiègne ;

5. Révision des écrits du Serv. de Dieu Abbé Mechitar, Fondateur de la Congrégation des Missionnaires Arméniens, dits Méchitaristes.

5 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Théodore Valfré di Bonzo, Arch. de Verceil ; — Mgr Alexandre Pároy, Ev. de Scepusio ; — et Mgr Ludovic Szmrecsányi, Ev. Tit. de Magido, Auxiliaire du Card. Samassa.

6 Jeudi.

Consistoire Secret (*Voir aux Anal. Nova,* p. 477).

— S. Em. le Card. Joseph Samassa, Arch. d'Erlau, à raison de sa santé, reçoit le Chapeau Cardinalice, avec un cérémonial simplifié ; le Titre presbytéral de S. Marc, lui est assigné ; — par Billet de la Secrétairerie d'Etat, il est appelé à faire partie des Congrégations suivantes : Consistoriale ; Ev. et Rég. ; Index ; et Cérémonial.

7 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Edouard de Ropp, Ev. de Wilna ; — Mgr Pellizzo, Ev. de Padoue ; — et Mgr Edmond Stonor, Arch. Tit. de Trébizonde, Chanoine du Latran.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. G. Mgr Ange-Marie Dolci, Ev. de Gubbio, est nommé Arch. Tit. de Patras et Délégué Apost. et Envoyé Extr. auprès des Républiques du Pérou et de la Bolivie.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, le R. P. Alphonse Fabre, Supérieur du Collège des Oblats de Marie, est nommé Consulteur de la S. C. du Concile.

9 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Julien Tommasuolo, Ev. Tit. d'Epheste, Auxiliaire de l'Arch. de Naples ; — Mgr Pierre di Maria, Ev. élu de Catanzaro ; — et Mgr. Georges Carie, Ev. Tit. de Teramo, Auxiliaire de l'Evêque de Spalato.

— S. Em. le Card. Joseph Samassa, Arch. d'Erlau, prend possession de son titre Cardinalice de la Basilique de St-Marc.

11 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences : S. Em. le Card. Joseph Samassa, Arch. d'Erlau ; — S. G. Mgr J.-B. Ricci, Arch. d'Ancône ; — et S. G. Mgr Félix del Sordo, Ev. Tit. de Claudiopolis, Auxiliaire de Nusco.

12 Mercredi.

Une députation de notables Brésiliens présente au St-Père un don précieux offert à Sa Sainteté par les catholiques du Brésil, comme témoignage de leur dévouement et de leur reconnaissance pour l'honneur fait à la nation Brésilienne par la création du premier Card. de l'Amérique Latine, dans la personne de S. Em. le Card. Arcoverde, Arch. de Rio-Janeiro.

— Le St-Père reçoit en audiences : S. G. Mgr Camille Rousset, Ev. de Bagnorea ; — S. G. Mgr Dominique Scopelliti, Ev. d'Oppido Mamertino ; — ainsi que le R.me P. Louis-Vincent Rossi, nouveau Ministre général des Minimes, accompagné par les quatre Assistants de l'Ordre.

13 Jeudi.

Sermon de l'Avent au Vatican, *coram SS.mo.*

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, le T. R. Père Joseph de Monterotondo, Définiteur des Capucins pour la Province Romaine, est nommé Consulteur du St-Office.

14 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Donato Velluti-Zati, Ev. de Pescia ; — Mgr Michel Baldelli, Ev. de Cortone ; — et Mgr Janvier Trama, Ev. de Lecce.

15 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Antoine Lamberti, Ev. de Conversano ; — et Mgr Roch Anselmini, Ev. de Nocera-Umbra.

17 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Pierre Maffi, Arch. de Pise ; — Mgr Paul-Marc Tei, Arch. de Pesaro et Urbino ; — Mgr Pierre Berruti, Ev. de Vigevano ; — Mgr Sauveur Fratocchi, Ev. d'Orvieto ; — Mgr Nicolas Jezzoni, Ev. de Valva et Sulmona ; — et Mgr. Julien Tommasuolo, Ev. Tit. d'Epheste, Auxiliaire du Card. de Naples ; — et Mgr Jean-Marie Santarelli, Arch. d'Urbino.

18 Mardi.

S. G. Mgr Jacques Ghezzi, Ev. d'Orte et Civitacastellana, est reçu en audience.

— Congrég. Antiprép. des S. Rites, tenue auprès de S. Em. le Card. Ferrata, Ponent, pour l'examen des trois miracles proposés pour la Béatif. du Vén. Fr. Gabriel des Sept Douleurs, clerc profès Passioniste.

19 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences : S. G. Mgr Ambroise Luddi, Ev. d'Assise ; — et le Rév. Dom Léon-Marie Creninfels O. S. B., Abbé de Marienberg.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Auguste Sili, Recteur de l'Hospice des *Convertendi,* est nommé Aumônier secret de Sa Sainteté.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, le R.me P. André Fruwirth, ancien Maître gén. des Dominicains, est nommé Consulteur du St-Office ; — et le R.me P. Alex. M. Lépicier, Proc. gén. des Servites, est nommé Qualificateur du Saint-Office.

21 Vendredi.

Sermon de l'Avent, *coram SS.mo.*

— Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Louis Pellizzo, Ev. de Padoue ; — et Mgr François-Xavier Vogt, Ev. Tit. de Celenderi, Vic. Ap. du Zanguebar Oriental.

22 Samedi.

S. G. Mgr Xiste Albano, Ev. de Betsaïda, est reçu en audience.

23 Dimanche.

S. G. Mgr Pierre Lafontaine, nouvel Ev. de Cassano Jonio, est reçu en audience.

24 Lundi.

Le St-Père reçoit les vœux, les félicitations et les hommages du Sacré Collège, à l'occasion de la Noël.

26 Mercredi.

Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr David Quattrocchi est nommé Secrétaire de l'Internonciature Apost. de l'Argentine.

F. C.

Imprimatur : Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister
Imprimatur : Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente.*

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

INDICES DECIMI QUARTI VOLUMINIS

ROMANA COLLECTANEA
ANALECTA ECCLESIASTICA
IANUARIUS-DECEMBER 1906

I. — INDEX ANALYTICUS RERUM

ANALECTA VETERA.

ANALECTA VARIA.

APRILIS.

ANALECTA NOVA.

ANALECTA VETERA.

ANALECTA VARIA.

MAIUS.

ANALECTA NOVA.

ANALECTA VETERA.

ANALECTA VARIA.

IUNIUS.

ANALECTA NOVA.

ANALECTA VETERA.

ANALECTA VARIA.

IULIUS

ANALECTA NOVA.

ANALECTA VETERA.

ANALECTA VARIA.

AUGUSTUS

ANALECTA NOVA.

ANALECTA VETERA.

ANALECTA VARIA.

SEPTEMBER-OCTOBER

ANALECTA NOVA.

ANALECTA VETERA.

ANALECTA VARIA.

NOVEMBER.

ANALECTA NOVA.

ANALECTA VETERA.

ANALECTA VARIA.

DECEMBER.

ANALECTA NOVA.

ANALECTA VETERA.

ANALECTA VARIA.

II. — INDEX ALPHABETICUS

A

in aliquo loco habitualiter haberi non possit, ob cleri defectum, et Missa cum cantu sine ministris ordinario teneat locum Missae solemnis, Ordinarius opportunis ordinationibus caveat ne ex hoc rerum statu spiritus decreti anni 1703 frustretur et abusus subrepant. — Ius peragendi funus in Confrat. ecclesiis competit parocho intra cuius paroeciae fines est Ecclesia Confrat., relate ad omnes subditos parochi. — Cappellani libere possunt celebrare triduanas et novendiales preces in Ecclesiis Confrat., etiam in diebus non determinatis in Statutis, sub dependentia tamen Episcopi. S. C. Conc. *Theatina - Iurium Cappellanorum Confraternitatum*, 24 Martii 1906, p. 101. — An et quomodo Confr. erigi possint in Monialium Monasteriis. *Dissert.*, p. 353. — Quid veniat sub vocabulo Confr. laicorum. *Dissert.*, p. 354. — Non expedit ut erigantur in Ecclesiis Sororum vota simplicia profitentium. *Dissert.*, p. 359. — V. *Processiones.*

Confraternitas SS. Rosarii. De illius erectione in Ecclesiis Monialium O. P. Secret. Brev., 14 April. 1608, p. 356. — Moniales adscribi possunt huic Confrat. Secret. Brev., 11 Aug. 1871, p. 356. — Post Adventum Fr. Praed. in urbem Quebecensem, iam ibi erectae tres SS. Rosarii Confr. valide permanere declarantur. S. C. Indulg., 13 Iunii 1906, p. 405.

CONGREGATIONES RELIGIOSAE.

Congregatio a Missione. De praepositura unita cum regimine Seminarii. S. C. Conc. *Culmen. - Seminarii*, 3 Feb. 1680, p. 459. — Pius X gratum habet quod Sacerdotes a Missione nonnulla Seminaria Italiae excolenda suscipiant. Secret. Brev., 23 Maii 1903, p. 186. — Privilegium conceditur quoad impositionem Scapularis B. M. Virg. de Monte Carmelo. S. C. Indulg., 13 Iunii 1906, p. 350.

Congreg. SS. Redemptoris. *Nucerina Paganorum - Decretum* introd. causae Beatif. V. S. D. Dominici Blasucci, clerici studentis. S. C. Rit., 23 Maii 1906, p. 343; - Compendium vitae, p. 344.

Congregatio Sacerdotum a SS. Sacramento. Associatio sub titulo *Sacerdotalis Eucharistici Foederis* pro quotidiana SS. Eucharistiae sumptione constituta a Sodalibus in propria Ecclesia S. Claudii de Urbe, in Primariam erigitur. Secret. Brev., 10 Aug. 1906, p. 372.

Congregatio Salesianorum. Indulg. plen. conceditur die 24 cuiuslibet mensis iis qui intersunt piis exercitationibus peractis in honorem Deiparae Opiferae, in Ecclesiis Salesianorum. S. C. Indulg., 24 Ian. 1906, p. 65. — Pius X gratulatur de Conventu Gen. Adiutorum, mox Mediolani celebrando. Secret. Brev., 22 Maii 1906, p. 367.

Sorores Oblatae a SS. Redemptore in Hispania. Approbantur Constitutiones. S. C. Ep. et Reg., 10 April 1906, p. 481.

Institutum Sororum Tertii Ord. S. Dominici Congr. S. Catharinae Senensis, in Archid. Milwaukiensi. *Decretum* laudis. S. C. de Prop. Fide, 10 Maii 1905, p. 16.

Congregatio a SS. Stigmatibus D. N. I. C. *Veronen. - Decretum* introd. causae Beatif. V. S. D. Gasparis Bertoni, Fundatoris. S. C. Rit., 20 Feb. 1906, p. 446; - Informatio advocati, p. 447.

Institutum Sororum Franciscalium Missionariarum ab Immac. Conceptione Decreto laudis cohonestatur. S. C. Prop. Fid., 23 Iulii 1906, p. 417.

Congregatio Sororum B. M. Virginis. *Namurcen. - Decretum* super tribus miraculis pro Beatif. V. S. D. Iuliae Billiart, Institutricis. S. C. Rit., 10 Dec. 1905, p. 23. — *Namurcen. - Decretum* super *tuto*, 4 Martii 1906, p. 21. — Breve Beatif., 19 Martii 1906, p. 194.

SS. CONGREGATIONES ROMANAE.

Ex Actis Summi Pontificis et e Secretar. Brevium. Constitutio Gregorii XIII *Pastoralis Officii*, qua rubricae Breviarii Rom. magnopere illustrantur, 30 Dec. 1573, p. 459. — De erectione Confraternitatis SS. Rosarii in Ecclesiis Monialium, 14 April. 1608, p. 356. — Moniales adscribi possunt Confraternitatibus SS. Rosarii, 11 Aug. 1871, p. 356. — Indulg. adnectuntur Numismati Iubilari S. Benedicti Abb., 31 Aug. 1877, p. 412. — Confrat. S. Antonii Patavini existens in Basilica Patavina, erigitur in Archisodalitatem, 21 Nov. 1894, p. 3. — Leo XIII ad Praesidem Gallicae Reipublicae Loubet, 23 Martii 1900, p. 113. — Indulg. conceduntur ac indulta Archisodalitati S. Antonii Patavini, 2 Dec. 1901, p. 4. — Indulg. conceduntur Archisodalitati S. Antonii Patavini, 8 Martii 1902, p. 4. — Pius X gratum habet quod Sacerdotes a Missione nonnulla Seminaria Italiae excolenda suscipiant, 23 Maii 1903, p. 186. — Epalis Sedes Tlascalen. erigitur in ecclesiam Archiepalem, 18 Aug. 1903, p. 141. — Pius X commendat symbolas ad amplificandum Lyceum Magnum Washingtoniense, 9 Sept. 1903, p. 143. — Pius X gratulatur Epis Angliae operam navantibus Sedi Aplicae, 12 Oct. 1903, p. 144. — Pius X rescribit ad Loubet, Reipublicae gallicae Praesidem, pro tuitione negotiorum Religionis, 3 Dec. 1903, p. 119. — Pius X excitat Epos Austriae ad omnia in Christo instauranda, 8 Dec. 1903, p. 185. — Pius X commendat Opus a Catechismo in civitate Parisiensi institutum, 8 Dec. 1903, p. 186. — Pius X ominatur incrementa egregiae sodalitati cui nomen *Œuvre des Campagnes*, 16 Dec. 1903, p. 186. — Pius X gratias dicit Epo Tarbien. de voluntate exornandi cryptam in hortis Vaticanis erectam honori B. M. Virg. Lapurdensis, 21 Ian. 1904, p. 323. — Territorium de Joliette separatur a dioecesi Marianopolitana et erigitur in distinctam dioecesim, 27 Ian. 1904, p. 229. — Hierarchia catholica in Insula Terrae Novae constituitur, 8 Feb. 1904, p. 273. — Pius X gratias habet R. P. Pothier de *Cantu Mariali* nuper oblato, 14 Feb. 1904, p. 230. — Pia Sodalitas « *a Senibus derelictis* » existens in civitate Tolosana, erigitur in Archisodalitatem, 2 Martii 1904, p. 6. — Indulg. conceduntur pro Societate « *a Senibus derelictis* » in civitate Tolosana erecta, 6 Martii 1904, p. 5. — Dividitur dioecesis Providentiensis et erigitur nova dioecesis Riverormensis. 12 Martii 1904, p. 274. — Praefectura Apl. insularum Novarum Ebridarum in Oceania erigitur in Vicariatum, 22 Martii 1904, p. 274. — Pius X gaudet de fructibus Operis ad adolescentulas tutandas, 8 April. 1904, p. 274. — Pius X commendat consociationem cui nomen *Société de secours mutuels pour la propagation du plain-chant*, 21 April. 1904, p. 230. — Pius X extollit Sodalitatem conditam pro clericis lapsis ad sanctitatem vitae revocandis, 25 April. 1904, p. 231. — Pius X Societati Bonifacianae laudes et animos addit, 1 Maii 1904, p. 231. — Pius X commendat ephemeridem edendam apud Collegium Pium-Latinum-Americanum de Urbe, 9 Maii 1904, p. 323. — Pius X ad Imperatorem Germaniae, 9 Maii 1904, p. 324. — Pius X laude summa exornat Pium Opus a S. Francisco Salesio, 9 Maii 1904, p. 275. — Pius X gratulatur Universitati Lavallianae, 11 Maii 1904, p. 232. — Praefectura Aplica insularum Annobon, Corisco et Fernando Po erigitur in Vicar. Aplic., 12 Maii 1904, p. 232. — Seiunguntur nonnulli Comitatus e Dioecesi Helenensi et in novam Dioecesim Great-Ormensem coguntur, 18 Maii 1904, p. 232. — Pius X Imperatrici Sinarum gratulatur quod 70 aetatis annum ea sit proxime initura, 6 Iunii 1904, p. 187. — Pius X commendat LI Conventum catholicorum Germaniae mox celebrandum Ratisbonae, 25 Iulii 1904, p. 187. — Pius X commendat Tractatum de divina gratia a P. Hermann conscriptum, 25 Iulii 1904, p. 184. — Pius X grates agit pro Sibi oblato volumine de Ioanna Arcensi, 28 Iulii 1904, p. 324. Pius X gratulatur Archiepo Armachano de felici dedicatione templi S. Patricii, 9 Aug. 1904, p. 324. — Pius X iterum probat propositum edendi documenta omnia ad dogma de Immac. B. M. V. Conceptu pertinentia, 15 Aug. 1904, p. 275. — Pius X prosperum precatur exitum Conventui Mariano mox apud Mexicanos, Moreliae, cogendo, 2 Sept. 1904, p. 187. — Ex divisa dioecesi Petriboroughensi, erigitur nova dioecesis S. Mariae Ormensis in Canada, 16 Sept. 1904, p. 188. — Praefectura Aplica Transvaalensis in Africa Australi erigitur in Vicariatum Aplicum, 16 Sept. 1904, p. 189. — Pius X gratulatur Epis Peruvianis de nuper ab illis celebrato triennali conventu, 24 Sept. 1904, p. 233. — Pius X gratulatur Epis Angliae egregiam Sedi Aplicae operam navantibus, 12 Oct. 1904, p. 275. — Pius X ad Eugenium Archiducem Austriae, 17 Oct. 1904, p. 324. — Pius X gratulatur Epis qui convenerunt Fulginium, ad dedicationem Templi Cathedralis, 17 Oct. 1904, p. 189. — Pius X gratulationes significat erga solemnem conventum sodalitatum Marialium, Barcinone celebrandum, 11 Nov. 1904, p. 189. — Pius X laetatur de optimis fructibus a Societate Filiarum a Fide Neo-Eboraci prolatis, 22 Nov. 1904, p. 190. — Pius X memorem se praebet pro observantiae officiis, quae a parochis plurimis fuerant delata, 8 Dec. 1904, p. 190. — Pius X valde commendat consuetudinem peragendi Ignatiana spiritualia exercitia, 8 Dec. 1904, p. 144. — Pius X Institutum Catholicum Parisiense

